This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HN 6R3Z I

Digitized by Google

LIBRERIA LOESCHER E C°
DI BRETSCHNEIDER E REGENBERG
ROMA, CORSO 307

No. 328
KF D 3256



*328. LONDON, 1728. With Juvenal. Delphin.

Reprint of no. 235; same place, printer, and pagination. Editio sexta . . . . Impenſis *names of eleven booksellers.* MDCCXXVIII. 8°. *M.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D. JUNII JUVENALIS ET A. PERSII FLACCI SATIRÆ.

Interpretatione ac Notis

ILLUSTRAVIT

LUDOVICUS PRATEUS,

Rhetoricæ PROFESSOR Emeritus;

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS,

IN USUM

Sereniſſimi Delphini.

EDITIO SEXTA, prioribus multò Correctior.

LONDINI:

Typis SAM. PALMER,

Impenſis J. & B. SPRINT, R. WILKIN, D. MIDWINTER, A. BETTESWORTH, S. BALLARD, W. MEARS, J. BATLEY, B. MOTTE, R. FORD, A. WARD, & J. LACY.

M DCC XXVIII.

Digitized by Google

~~Lp 15.7.28.2~~
KPD 3256

Harvard College Library
Gift of
Morris H. Morgan
Jan. 1, 1910

Digitized by Google

SERENISSIMO

DELPHINO.

NEC *Satiricos evolviſſe pigeat Te,* SERENISSIME PRINCEPS. *Quo ampliùs tùm domeſticis exemplis tùm indole propriâ ad omne bonum inſtitutus es; hoc magis delectabit Romanorum vitia, quæ & noſtra ſunt, videre paſſim damnata: virtutem verò ubique amabilem, ubique laudatam. Fortè etiam placebit diverſum conferre utriuſque viri ſtylum & ingenium, eidem tamen Satiræ nihilò ſeciùs operatum. Facundum hinc Poetam, ut acriter, ſic & diſertè, ſcelus proſcribentem non ſine voluptate comparabis cum moroſâ illâ, ſtrictâ, ſalsâ dicacitate Perſii, ſeveram Stoicorum diſciplinam ſtrenuè venditantis. Apud hunc certè præclara tot ſapientiæ oracula non aſpernabere. Apud illum verò quàm multa occurrent, jucundéque leges, felicibus hiſce temporibus accommodata! Hæc imprimis* LUDOVICI *magnitudinem exhibebunt:*

Digitized by Google

Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſarc tantùm,
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit.———

Item iſta ;

Spes vitæ cum ſole redit.

At cùm nata auſpicatiſſimè Tibi dicam, an Regno proles adoleverit ; ei profectò gaudebis occentare :

------Nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Hoc ſanè potiſſimùm novit Barbonius Sanguis : hoc à Majoribus accepiſti ; hoc præſtas ipſe non degener : hoc poſteris exemplum, ſtimulus atque incentivum à Te relinquetur. Perge, SERENISSIME PRINCEPS, *virtutes quaſque ſummas complecti, haſque doctrinâ & ſapientiâ decorare ; hoc eſt, cum LUDOVICO MAGNO magnitudine certare. Quæ quidem dum generosè moliris, nos interim ad exterarum gentium invidiam, ævi noſtri Francicique Imperii felicitate potiemur ; in quo videlicet Reges adeò ſtudiosè philoſophantur, adeò ſapienter dominantur.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

MECUM ipſe luctatus ſum aliquandiu priuſquam injuncto mihi penſo & labori manum admoverem. Hinc ſcribendi cacoëthes bilem, illinc repetita crambe ſtomachum ciebat. Quid enim poſt lucubrationes tot virorum doctiſſimorum, ego rurſum? Actum agam, an nova commentus, & quaſi vitans humum, nubes atque inania captabo? Sic ego memet initio ab opere deterrebam. At cum cœpi rem moliri, tum ſenſi & intellexi quam ſapienti conſilio ducerentur ii qui jubebant opus urgebantque. Norunt omnes qui, quales, & quanti ſunt illi; MONTAUSERIUS Dux, ac Præſul BOSSUETIUS olim Condomenſis, jam vero Meldenſis Epiſcopus: necnon eruditiſſimus Abbas HUETIUS, formandis SERENISSIMI DELPHINI moribus, regendiſque ſtudiis a LUDOVICO MAGNO præpoſiti. Tantis itaque Viris, Lector, acceptum refer, quod facilis deinceps quivis pateat aditus ad capiendum ſenſum ac mentem Poëtarum alioquin

Digitized by Google

alioquin abſtruſorum. Nam interpretatio quidem aperta eſt, quæ dum ſtrictæ orationis nexus & ambages ſolvit, omnem certe caliginem diſcutit. Quod ſi quid involutum intricatumve ſupereſt, in promptu ſunt Annotationes tum accuratæ, tum ſtrictæ. Non dixi temerè. Accuratas vocavi quæ nihil intactum aut difficile relinquunt, ubicunq; nodus vindice dignus inciderit; Strictas autem, quæ ſuperfluum admittunt nihil. Quoties vero Interpretes melioris etiam notæ (pace dicam illorum) boni dormitant? Sæpe vel obſcura transvolant quædam; vel in re ſatis comperta verboſius immorantur, dicam & exſpatiantur; atque erudita nimis multa congerunt, ad rem licèt haud omninò pertinentia. Aliàs Auctoris poſthabent ac tranſiliunt germanum planè ſenſum; quoniam genuina interpretandi ratio & ſimplex non ſatisfacit eorum ingenio, ſemper alta, paſſim & ardua rimanti. Nonnunquam æmulos carpendi, vellicandi, ſuperandi cupido facit eos prorſus inſtituti ac propoſiti immemores, ut nihil penſi habeant, modò ſuam oſtentent eruditionem, pariter ac ambitionis & gloriæ vanum lucellum.

Cæterum ne quæſo, Lector, imitere nonnullos minus ſobriè ſapientes, qui niſi integrum, ut aiunt, Auctorem habeant, vel ſordibus putidum ac fœtentem, nihil ſe habere dicunt. O mores! Scilicet pudor tanti eſt? At nos ex Oraculi Cœleſtis ac Divini monitu, atque ex Sapientum, quos honoris causâ nominavi, Virorum

præcepto

præcepto ac mandato, in Interpretatione ac Annotationibus pretioſum à vili ſecrevimus, obſcœna de medio expunximus. Et certè numquid valde mundi eſſe poſſint, quos adeò juvat immunda contrectare ultrò, & in omnem partem verſare? Ne illi auſcultent mihi: at audiant literarum decus ac lumen Jul. Scaligerum Poët. lib. 3. cap. 98. ita ſcribentem: *Fœditates nemo bonus nominare debet, nedum ut literis mandet. Quid enim cogitet adoleſcens, qui certarum ignarus obſcœnitatum, audiat verba aut vocabula tam nefanda? Quàm monſtroſo ſunt ingenio ii, qui ea ſcriptis ſuis audent inſerere? Malo igitur non reprehendere vitia deteſtanda, quàm in execranda oratione mereri reprehenſionem.* . . . . *Quid enim tetrius quibuſdam Verſibus Juvenalis, propter quorum inſolentiam, vel juſſerim vel optârim toto opere abſtinere virum probum?* . . . . *Sunt verò inculpata quædam argumenta, in quibus hoc poematis genere oblectare poſſis etiam caſta ingenia.* Hæc ille, ut cætera quidem omnia, egregie. Quibus ex animo nos morem geſſimus, ut per tot inſignia morum documenta, quæ paſſim apud Juvenalem & Perſium occurrunt, ire quiſque deinceps queat inoffenſo pede ac mente. His fruere diu, Lector: ac ſi quid fortè nos erràſſe, ut ferè fit, animadvertis; ſtatim recordare, ſub cœlo nihil eſſe ex omni parte beatum. Vale. At, at; ſubſiſte pauliſper, atque de Satiricis & Satira pauca ſaltem accipe, è Quintiliano lib. 10. cap. 1.

Digitized by Google

P R Æ F A T I O.

Satira quidem tota noſtra eſt, inquit, *in qua primus inſignem laudem adeptus eſt Lucilius, qui quoſdam ita deditos ſibi adhuc habet amatores, ut eum non ejuſdem modò operis auctoribus, ſed omnibus Poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis tantum ab Horatio diſſentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & eſſe aliquid quod tollere poſſis, putat. Nam eruditio in eo mira, & libertas, atque inde acerbitas & abundè ſalis. Multò eſt terſior ac purus magis Horatius, & ad notandos mores præcipuus. Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, Perſius meruit. Sunt clari hodie quoque, qui & olim nominabuntur.* Hâc poſtremâ ſententiâ Juvenalem deſignari, laudarique, alibi diximus. Sed & ſi vacat & lubet, iterùm è Jul. Scaligero Poëtices lib. 1. cap. 12. & lib. 3. cap. 98. excerpta hæc collige mecum, Lector, & compinge.

Veteres ſalacitatem σάθυ dixere. Nil caprâ ſalacius. Capripedes Satyri. Falluntur qui putant Satyram eſſe Latinam totam. A Græcis enim & inchoata, & perfecta primùm. A Latinis accepta deinde, atque extra ſcenam exculta. Quamobrem non à ſatura vel lege, vel lance, dicta eſt; ut fruſtrà ac temerè ſatagunt Grammatici. Quin has a Satyris dictas puto. Cum lancibus enim prodibant & caniſtellis omni pomorum genere plenis, quibus Nymphas allicerent.

Vides, Lector, pugnantem cum Quintiliano Scaligerum de Satiræ Etymologia. Quod ſi ſapis, ac viris omni exceptione majoribus te vis adjungere,

Digitized by Google

credes iis quæ eâ de re luculenter præſcripſit Caſaubonus. Vide interim quæ annotavi Sat. 17. verſ. 30. ad vocem *Satiram.* Nihilò tamen minùs è Scaligero reliqua excipiamus, audiamuſque. Sic ille pergit:

Satyram non eſſe Latinam rem ſuo loco monuimus. Eſt autem Poema liberum, ſimileque Satyricæ naturæ; omnia ſuſque deque habens, modo aliquid dicat.

Tribus modis Satyrarum ſpecies agnoſcuntur: à generibus Carminum, (ſcilicet vel ſenariorum Dactylicorum vel Iambicorum) à ratione Poematis: à characteribus. A ratione Poematis tres ſunt. Vel narratio eſt ſimplex: ex perſona Auctoris; ut prima Juvenalis. Vel activa & ex perſonis conſtituta; ut prima Perſii. Vel miſta; ut illa Horatii pleniſſima munditiarum: Ibam fortè Viâ Sacrâ. *A characteribus ſpecies duæ. Altera ſedatior, qualis Horatiana, ac ſermoni propior. Altera concitatior, quæ magis placuit Juvenali & Perſio. Hi ſtrictam habent cuſpidem, ac veluti contectum fronde gerunt thyrſum, Satyrorum more, quo feriant imprudentes. Juvenalis ardet, inſtat apertè, jugulat. Perſius inſultat. Horatius irridet. Idcircò Satyras inſcripſere illi: hic Sermonis titulo contentus fuit.*

Partes in Satyra nullæ; nullum Proœmium, ſi non vis. Abrupta omnia, non tamen non cohærentia. Nam aut ejuſdem vitii multos damnas; aut multorum unum: aut miſces.

Verba vulgaria aut ſordida interdum, éque macello petita.

Stylus

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Stylus tametſi pro re aut depreſſior, aut laſcivior, tenuis tamen atque humilis, ac de medio ſumptus; longe tamen melius arridet, ſi cum Romanâ puritate juncturæ ſint molliuſculæ: quales Juvenalis feliciſſime eſt conſecutus. Duriuſculus Perſius.



D. Junii

Digitized by Google

D. *Junii Juvenalis Aquinatis*

VITA.

AQUINATEM ſe ipſe teſtatur Juvenalis Satira 3. ver. 319. libertino quidam patre natum, alii duntaxat ab eo educatum referunt. Eruditus eſt a Frontone Grammatico; a Quintiliano Rhetore etiam, ut volunt nonnulli. Certe hic de Juvenale dicitur loqui lib. 10. cap 1. ubi Satyricos laudans Poetas. *Sunt clari hodie quoque, & qui olim nominabuntur.* Floruit ſub Imperatoribus Domitiano, Nerva, Trajano, Hadriano etiam, ut ex Notis conſtabit.

J. Lipſius Epiſtolic. Quæſt. Lib. 4. Epiſt. 20. *De Juvenalis ætate non ab re dubitatur,* inquit. Declamavit ad mediam fere ætatem, forenſeſque cauſas egit non ſine laude & gloria. Poſtea ad Satiras componendas animam appulit. At in Paridem mimum verſus quoſdam non abſurdos cum publicaſſet, Domitianum hiſtrionis iſtius amantem haud leviter offendit. De his Sat. 7. 15, & 16. Illos igitur pudore & ira percitos de Juvenale amovendo cogitaſſe tradunt, atque ſub honoris obtentu relegaſſe, præfectum nempe cohorti, quæ in Egyptum mittebatur. Intellecta vero præfecturæ cauſa dicunt cum tædio & angore vitam finiiſſe illic

ſane

Digitized by Google

ſane octogenarium. Porro hæc neque vera omnia, nec falſa: Lipſio teſte citato loco, ubi Juvenalem ſub Domitiano exulaſſe non abnuit quidem, negat autem eo ſuperſtite mortuum; imo poſt ipſum Satiras aliquod ſcripſiſſe, colligit ex ejus Sat. 4. Imprimiſque ex ultimis verſibus, vixiſſe ad Trajani, quin & Hadriani tempora, oſtendit ex Sat. 6. v. 406. & ſeq. & Sat. 13. v. 17. atque Plinio Juniori, & Tacito ſupparem exiſtimat.

Juvenalem ſibi familiarem valde commendat Martialis Lib. 7. Epigramma 23. & 90. Item Lib. 12. Epigram. 18. Quod Epigramma, ſi Martialis, cum in Hiſpanis degeret, ſcripſit; mortuoque jam Domitiano: quæ quidem affirmat ibid. cit. Lipſ. hinc duo nobis patent: alterum, ſuperſtitem Domitiano fuiſſe Juvenalem: alterum, in Ægypto nequaquam obiiſſe, ſed reverſum inde Romam, ibique deinceps ſcriptitaſſe. Nam ſic ait Martial. citat. Epigr. 18. Lib. 12. ad Juvenalem:

Dum tu forſitan inquietus erras
Clamoſa Juvenalis in Suburra,
Aut collem dominæ teris Dianæ;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, &c.

Cæterum omnibus Satyricis, ipſique Horatio præferendum Juvenalem ſcribit Jul. Scaliger; nihil autem verius ab eo ſcriptum Lipſius aſſeverat.



Digitized by Google

A. PERSII FLACCI

VITA.

AULUS Perſius Flaccus natus eſt Volaterris in Hetruria, Fab. Perſico, & L. Vitellio Coſs. circa viceſimum Imperii Tiberii Cæſaris annum, a Chriſto paſſo fere ſecundum, parte Flacco Equite Romano, quem ſexennis amiſit, matre Fulvia Siſennia, in quam pietate fuit inſigni, quemadmodum & erga ſorores; illud initio Satiræ ſextæ fuſius declaratur, ad v. 6. verba hæc, *mihi nunc Ligus ora intepet.* Cum annorum eſſet duodecim venit Romam, ubi Remmium Palæmonem Grammaticum audivit, Rhetorem vero Virginium Flavium, aliis Flaccum. Annos natus ſexdecim operam dedit Annæo Cornuto Stoicæ Philoſophiæ anteſignano, quem etiam mirifice coluit ab ipſo pariter amatus, ut patet ex Satira quinta. Quin & ei legavit non mediocrem nummorum copiam, nimirum ſeſtertia centum, aut ſicut alii volunt, argenti facti pondo viginti, præter Bibliothecam ſuam, in qua numerant aliqui Libros Chryſippi ſeptingentos. At Cornutus hos quidem accepit, pecuniam autem reliquit Perſii ſororibus, quas hæredes ille fecerat. Obiit ex ſtomachi vitio, in ipſo ætatis flore, anno ſcilicet vigeſimo octavo, aut non multo ſecus, & Imperii

Neronis

Digitized by Google

Neronis circiter octavo, quicquid alii dicant, ipſeque Hieronym. quod egregie, ut omnia, Caſaubonus obſervat. Fuiſſe revera Perſium, ut Probus refert, verecundia virginali, animo ſincero, impenſe erudito, acri certe & vitiorum impatienti, & Lucilii & Horatii imitatorem aſſiduum, probant ſatis ejus Satiræ doctrina refertæ & Stoam Sapientes. De his porro id notandum, in antiquis membranis ſine ulla diſtinctione aliquando reperiri, quaſi liber eſſet unus & continuus, quod & agnoſcunt Priſcianus, Quintilianus, aliique, dum non quidem Satiras Perſii, ſed librum appellant. In quibuſdam tamen, Satiræ duntaxat quinque numerantur, quarta ad tertiam adjuncta. Scripſerat juvenis, inquiunt, Prætextam fabulam, ὁδοιπορικῶν, librum unum, & alia quæpiam, ut aiunt veteres Gloſſæ: ſed abolevit ea Fulvia mater, ex conſilio Cornuti Præceptoris, qui etiam Satiras, antequam ederentur, recenſuit.

Ceterum quanquam videtur Perſius noluiſſe intelligi, atque adeo debere negligi, ut aiebat D. Ambroſius, at quod ait magnus Scaliger, jam a nobis intelligitur, neque proinde negligendus a quoquam. Eccur enim ita laudatus fuiſſet a ſummis Viris ille, ſi nec legi dignus eſſet? Teſtes ſint Euſeb. D. Hieron. S. Auguſt. Lactant. Quintilian. & alii prope innumeri; ex Poetis autem Lucanus, qui pariter ut Perſius Cornuti auditor fuit, ejus autem Poemata nunquam ſine admiratione & præconiis recitari audiebat, ut affirmat Vetus Interpres, quin exclamaret; hæc vera eſſe Poemata. Martialis autem poſteritati conſignavit Perſii memoriam his Verſibus:

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quam levis in tota Marſus Amazonide.

TESTIMONIA

Digitized by Google

TESTIMONIA
Veterum SCRIPTORUM
DE
JUVENALE.

M. Fabii Quintiliani lib. 10. *Inſtitut. Orator. cap.* 1.

SUNT clari hodie quoque, & qui olim nominabuntur.

Martialis Lib. 7. *Epigram.* 23.

Cum Juvenale meo, quæ me committere tentas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas Pyladem odiſſet Oreſtes:
Theſea Pirithoi deſtituiſſet amor, *&c.*

Et Lib. 12. *Epigram.* 18.

Dum tu forſitan inquietus erras
Clamoſa, Juvenalis, in Suburra,
Aut collem dominæ teris Dianæ;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cælius, & minor fatigant:
Me multos repetita poſt Decembres
Accepit mea, ruſticumque fecit
Auro Bilbilis & ſuperba ferro.

Ammian. Marcellin. Lib. 28.

Quidam deteſtantes ut venena doctrinas, Juvenalem & Marium Maximum curatiore ſtudio legunt, nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes.

C. Solii Apollinaris Sidonii, Carmine 9. *quod eſt ad Magnum Felicem Conſulem.*

Non qui tempore Cæſaris ſecundi
Æterno incoluit Tomos reatu;
Nec qui conſimili deinde caſu
Ad vulgi tenuem ſtrepentis auram
Irati fuit hiſtrionis exul.

His accedat Jul. Scalig. qui de Juvenale ſic cenſet in Poetic.

Juvenalis candidus ac Satyricorum facile Princeps. Nam ejus verſus longe meliores quam Horatiani: ſententiæ acriores, phraſis apertior.

TESTI-

Digitized by Google

TESTIMONIA

Veterum SCRIPTORUM

DE

PERSIO.

M. Fabii Quintiliani lib. 10. *Inſtitut. Orator. cap.* 1.

MULTUM & veræ gloriæ quamvis uno libro Perſius meruit.

M. Valerii Martialis.

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quam levis in tota Marſus Amazonide.

Ex Euſebiano Chronico S. Hieronymi.

Imper. Tiberio, Olympiad. 203. Perſius Flaccus Satiricus Poeta Volaterris naſcitur.

Olympiade 210. moritur anno ætatis ſuæ 29.

Olympiade 211. Nero Cornutum Philoſophum præceptorem Perſii in exilium fugat.

S. Auguſtin Lib. de Magiſtro, cap. 9.

Perſius omnibus pœnis, quas in Tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia, quæ vitare non poſſunt, coguntur agnoſcere . . . . Quia virtutem videre nec tenere, ſupplicium eſt: quod idem ille Satiricus Tyrannis, ut puniantur, optavit.

D. Junii

D. JUNII JUVENALIS

SATIRÆ.

SATIRA I.

SEmper ego auditor tantum; nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeide Codri?
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic Elegos? impune diem conſumpſerit ingens

INTERPRETATIO.

EGo-ne perpetuò auſcultator ero *dumtaxat? Numquid* nihil *unquam reddam, tam ſæpe exagitatus Theſeide Codri clamoſi? Igitur ſine pœna mihi lectitaverit alius Comœdias, alius Elegias?*

ANNOTATIONES.

1. *SEmper ego auditor.*] Exordium ex abrupto, ut fere in Satiris: nam in aliis Poëmatibus eſt aliqua præparatio.

Auditor.] Recitantium nempe Romæ Poetarum. De qua recitandi conſuetudine & æmulatione Plinius abunde Epiſt. 13. l. 1. De apparatu vero & pompa nos fuſe agemus ad primam Perſii Satiram ver. 17. ad hæc verba: *Sede leges celſa.*

Nunquamne reponam?] Nihilne aut ſcribam aut recitabo, quo par pari referam iis qui me ſæpius obtundunt.

2. *Vexatus toties.*] Moleſtia affectus. Horat. ad Piſones.

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:
Quem vero arripuit, tenet occiditq; legendo, &c.

Theſeide.] De Theſeo ejuſque factis Codrus Carmen ſcripſerat adeo longum, ut Æneidem æquaret longitudine, multiſque diebus recitandum eſſet. Theſei præclare geſta vide apud Plutarchum, Diodor. Sicul. l. 5. c. 5. & alios.

Codri.] Vetus Scholiaſtes legit *Chordi*: aitque *Chordum* fuiſſe vitioſum Poëtam, qui Tragœdiam Theſei compoſuit: ſed reclamant omnes; & volunt *Codrum* hunc vixiſſe temporibus Juvenalis, fuiſſeque humilem & obſcurum Poëtam, cæterum tam pauperem, ut proverbio locum dederit, *Codro pauperior.* Talem certe eum notat Juvenalis Sat. 3. v. 203. & Mart. lib. 3. Epig. 15.

3. *Togatas.*] Horat. ad Piſones.

Seu qui prætextas, ſeu qui docuere togatas.

Prætextæ indicant Tragœdias, in quibus inducuntur perſonæ prætextatæ & Nobiles gravia & publica tractantes negotia. *Togatæ* dicuntur Comœdiæ Latinæ, in quibus agunt Togati viri, & privatas res tractant. Ita etiam *Palliatæ* vocantur Græcæ Comœdiæ a Græcorum pallio. Varro de Lingua Latina. Diomed. Donat. in Terent.

4. *Diem conſumpſerit.*] Mene totum diem audiendo detinuerit? Martial.

Auditur toto ſæpe Poëta die.

Ingens Telephus & Oreſtes.] Immenſæ Tragœdiæ & ampullatis verſibus contextæ. Quales arguebat Horatius in Arte, his verbis:

Telephus & Peleus cum pauper & exul uterque
Projicit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Quorum fuerint Poëtarum illæ, non conſtat. At certum eſt Poëtas Romanos amaſſe argumenta e longinquo petere, idque etiam cum fieri cernimus. Quod perſtringebat Horatius ad Piſones.

Nec minimum meruere decus veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta.

Ergo etiam tempore Juvenalis Poëtæ quidem e trivio arripiebant argumenta illa Græcorum nobilia, in quibus multa grandia, quædam etiam admirabilia occurrebant celebranda oratione. At in illis tractandis ſæpe peccabant ſeu contra decorum, quod notat Horat. loco ſupra citato: ſeu contra juſtam Carminis magnitudinem, quod hic queritur Juvenalis.

B

Telephus

Sine pœna diem triverit magnus Telephus, aut Oreſtes, impletâ jam ingentis voluminis extremitate, conſcriptus etiam retrò, neque adhuc abſolutus? At nemini ædes ſuæ cognitæ ſunt plus quàm mihi nota ſunt *nemus Martis, & ſpelunca Vulcani cautibus Æoli proxima.* Porrò *Frontonis platani, & marmora concuſſa, aſſiduè reſonant, quid faciant venti; quas animas Æacus vexet; quâ ex parte alter apportet aurum pellis clam ablatæ; quàm magnas ornos torqueat Monychus; & fulcra labefactata* ſunt *recitatore continuo.*

Telephus? aut ſummi plena jam margine libri
Scriptus & in tergo necdum finitus Oreſtes?
Nota magis nulli domus eſt ſua, quam mihi lucus
Martis, & Æoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti; quas torqueat umbras
Æacus; unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ: quantas jaculetur Monychus ornos;
Frontonis platani, convulſaque marmora clamant

ANNOTATIONES.

5. *Telephus.*] Herculis ex Auge filius, qui infans a matre expoſitus inter virgulta, lactatus a cerva dicitur: ac dein Myſorum Rex, cum Græcis negaret iter per ſuam regionem, ab Achille vulneratus, & ab eodem ex Oraculi præcepto ſanatus eſt, ſeu e rubigine haſtæ, ſeu ex herbis facto remedio.

Plena jam margine.] Poëta hoc indicat verboſitatem, quod non ſolum ſcribat in interiori membrana, ſed & marginem impleat, & membranam exteriorem, quod raro fiebat. Martial. Lib. 8. Epigram. 62.

Scribit in averſa Picens Epigrammata charta,
Et dolet averſo quod facit illa Deo.

Sidon Apollin. Lib. 8. Epiſt. 16. quæ eſt ad Conſtantium. *Jam copioſum te, ni fallor, pulſat exemplar*, inquit; *jam venitur ad margines umbilicorum, jam tempus eſt (ut Satyricus ait) Oreſtem noſtrum vel ſuper terga finiri.*

6. *Oreſtes.*] Qui Furiis agitatus ob interfectam matrem Clytemneſtram, varias orbis regiones, comite Pylade, varioſque obiit caſus. Euripid. in *Oreſte*. Item in *Iphigenia Taurica*, & in *Electra*. Sophocl. in *Electra*. *Oreſtis* cadaver effoſſum ex monitu Oraculi, ſeptem cubitorum fuiſſe affirmat Herodotus Lib. 1. ſed fabulatorem eum vocat Gellius Lib. 3. cap. 10.

7. *Nota magis nulli, &c.*] Id eſt, ſi velim ſcribere, & Carmen condere, tam ſcio Hiſtorias & Fabulas, quàm Poëtaſtri illi, qui impune id faciunt. Obſervant doctiores, imprimiſque Janus Parrhaſius, hic argui Valerium Flaccum, qui in Argonauticis ejuſmodi nugas & affectatas rerum deſcriptiones ambitioſe ſectatus ſit.

Lucus Martis.] Seu *lucus Marti* ſacer prope Albam, ubi Remus & Romulus e Rhea Sylvia nati ſunt. Seu, ut volunt quidam, locus in Appia via, ubi Poëtæ recitare conſueverant, *Lucus Martis* appellatus. Vel alludit ad illud Hor. ad Piſon.

Cum lucus & ara Dianæ, &c.

Et illud Perſii.

Nec ponere Lucum Artifices.

8. *Æoliis rupibus.*] Lipareæ ſunt Inſulæ ſeptem in mari Tyrrheno, quæ & *Æoliæ* dictæ ab *Æolo*, qui illuc appulſus, in una earum regnaſſe fertur. Juvenalis rupes vocat, quia ſaxoſæ ſunt & ſcopuloſæ ſaltem quædam illarum.

Vicinum antrum.] Ætna mons in Sicilia flammas eructans, in quo propterea fabulati ſunt habitare Vulcanum. Hujus montis incendia deſcribere amabant Poëtæ.

9. *Quid agant venti.*] Quæ natura & origo *Ventorum*, qui effectus, quæ poteſtates, quæ vulgaris Poëtarum Carminibus materia.

10. *Æacus.*] Is Judex apud Inferos cum Minoë & Rhadamanto. Sunt qui partiantur illis officia, ut proprie Juvenalis dixerit, *torqueat*: ſcilicet Rhadamanto Inquiſitionem, Minoï Judicium, *Æaco* Executionem attribuunt.

Unde alius furtivæ, &c.] E Colchide in Theſſaliam Vellus aureum abſtulit Jaſon artibus Medeæ adjutus. Diodor. Sicul. l. 5. c. 3. Argonauticam illam expeditionem celebrarunt primum e Græcis Orpheus, & Apollonius; e Latinis poſtea C. Valer. Flaccus Setinus, ſub Domitiano Cæſare.

11. *Monychus.*] Ponitur hoc nomen velut proprium alicujus a Centauris, ut & apud Ovidium & Lucanum. Commune tamen eſt omnibus illis qui unius & ſolidæ ungulæ fingebantur: origine ducta a μόνος, & ὄνυξ, Centauri porro *Monychi* ſunt dicti, quoniam hi Theſſaliæ populi equos primi cum domuiſſent, & ex iis pugnarent, eminus conſpecti, membra partim equina, partim humana habere crediti ſunt.

Jaculetur ornos.] Id eſt, quantas arbores torſerint Centauri adverſus Lapithas, in certamine illo inſtigante Marte inito ad rapiendam Hippodamiam Pirithoï uxorem, irato nempe quod cæteris vocatis Diis ad eas nuptias ipſe prætermiſſus fuiſſet. Vide Ovid. Metamorph. 12.

12. *Frontonis.*] *Julius Fronto Romæ* nobilis & eruditus, ac literatis amicus ſuam domum Poëtis recitantibus ultro commodabat. Martial. Lib. 1. Epig. 56.

Clarum militiæ Fronto decuſque togæ.

Platani.] Arbores umbram prætendentes illi ambulacro, ubi recitabant. *Platanos* ſtudioſe Romani colebant, adeo ut Hortenſius vino etiam affuſo ſuas *Platanos* educaret in villa Tuſculana; teſte Macrobio, Lib. 3. c. 13.

Convulſa marmora.] Vel multitudine eorum qui audituri conveniebant, vel potius aſſiduo recitantium clamore. Hyperbole.

Semper,

Semper, & aſſiduo ruptæ lectore columnæ.
Expectes eadem a ſummo, minimoque Poëta.
Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus: & nos
Conſilium dedimus Syllæ, privatus ut altum
Dormiret. Stulta eſt clementia, cùm tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus:
Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.
Cum tener uxorem ducat ſpado: Mævia Tuſcum

Paria ſperes à magno Vate, atque ab infimo. Igitur nos etiam manum ſubtraximus ferulæ, nos etiam auctores fuimus Syllæ, ut privatus caperet ſomnum profundum. Fatua eſt miſericordia abſtinere papyro, quæ peribit, quandoquidem invenias tam multos Poëtas. Attamen ſi otioſi eſtis, *& benignè auditis, cauſas declarabo, quare* mihi *placeat exſpatiari iſto præſertim campo, per quem ſummus Auruncæ alumnus equos moderatus eſt. Quando Eunuchius mollis matrimonium contrahit:* quando *Mævia confodit aprum Etruſcum,*

ANNOTATIONES.

14. *Expectes eadem, &c.*] Horatius in Arte. *Scribimus indocti doctique Poëmata paſſim.*

15. *Et nos ergo manum, &c.*] Ergo quidni etiam nos ſcribamus aliquid, cum Grammaticos & Rhetores audierimus, omnemque illorum diſciplinam teneamus.

Ferulæ.] Virgultum eſt leviſſimum, de quo Plin. Lib. 13. cap. 22. Ex eo fit inſtrumentum illud, quo manus puerorum in pœnam feriuntur. Sceptra Pædagogorum vocat Martial. Lib. 10. Epigram. 62.

16. *Conſilium dedimus Syllæ.*] Exercitationis cauſa, ut fit in ſcholis, fictas materias tractavimus, in triplici dicendi genere, adeoque in ſuaſorio, *Syllæ* deliberanti ſuaſimus ut Dictaturam deponeret. Quintilian. Lib. 3. cap. 8. *Solent*, inquit, *in ſcholis fingi materiæ ad deliberandum:* & paulo ante, in exemplum affert Priami verba apud Achillem: aut *Syllæ* Dictaturam deponentis in concione.

Syllæ.] *L. Cornelius Sylla* nobilis Romanus ex antiqua Scipionum familia, de quo dubitatur, fortiorne fuerit, an felicior, inquit Salluſtius: Is dum quærebat victorias, Scipionem ſe Populo Romano, dum ſævitiam exercet, Annibalem repræſentavit, ut ait Valerius Maximus, Lib. 9. cap. 2. Dictaturam adeptus mirum quam impotenter geſſerit, & quod eam ſponte, ut refert Appianus, depoſuerit. Privatus Puteolos conceſſit, ibique pediculari morbo miſere periit. Vel, ut alii volunt, larvis nocturnis agitatus vexatuſque, inter vociferationes animam evomuit. Cicero in Verrem. Plutarch. & alii.

Privatus ut altum dormiret.] Ut depoſito Imperii onere, & liber a curis publicis, animi tranquillitate frueretur.

19. *Hoc decurrere campo.*] Allegoria. Id eſt, cur ea potiſſimum gaudeam exercitatione, ſcribendi Satyras, in qua Lucilius verſatus eſt.

20. *Aurunca.*] *Aurunca* urbs vetus Latii, in qua nati plures Satirographi, ipſeque Lucilius, de quo nos multa ſub finem Sat. 1. Perſii.

Magnus Aruncæ alumnus.] Lucilius Satyricorum Princeps; quicquid ſentiat vetus Schol. qui ſic habet: *Turnum dicit Scævæ Memoris Tragici Poëtæ fratrem. Turnum* hic libertini generis, ad honores ambitione provectus eſt, potens in Aula Veſpaſianorum Titi & Domitiani: vel Lenium dicit, qui & ipſe Satiras ſcripſit: vel Silium & ipſum ſui temporis Satyricum, qui omnes ex *Aurunca* fuerunt.

22. *Cum tener uxorem, &c.*] Cum video pullulare vitia, non poſſum in ea non invehi.

Uxorem ducat ſpado.] Domitianus legem Juliam revocavit in adulteros, ad coërcendam mulierum libidinem. Hæ, ne Legis pœnam incurrerent, nubebant mœchis ſuis, inter quos erant & ſpadones. Sueton. Domitian. c. 7. & 8. Martial. Lib. 6. Epigram. 2.

Luſus erat ſacræ connubia fallere tædæ,
* * * * * * *
Nec ſpado jam nec mœchus erit, te præſide, quiſquam.
At prius, ô mores, & ſpado mœchus erat.

Et Epigram. 7. ejuſdem Libri.

Julia lex populis ex quo, Fauſtine, renata eſt,
* * * * * * * *
Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege eſt.

Et Epigram. 22.

Quod nubis Proculina concubino
Ne lex Julia te notare poſſit,
Non nubis Proculina, ſed fateris,
Et mœchum modo nunc facis maritum.

De his plura Juvenal. Sat. 6. In his ergo Lex eluditur, & a Satyrico deridetur.

Spado.] Vox Græca a verbo σπάω, *avello*, quod a *ſpadonibus* avulſum ſit id quo erant viri.

Tener.] Quia effœminati ſolent eſſe *ſpadones.*

Mævia.] Quidam, *Nævia*: utraque impudica mulier. Mart. Lib. 1. Epigram. 69.

Thuſcum aprum.] In Thuſcia ferociores *apri.*

Figat

Digitized by Google

& tela gerit papillâ detectâ quando ille *quo tonſore mihi adoleſcenti moleſta barba crepitabat, ſolus divitiis certat cum univerſis nobilibus; quando pars Populi ad Nilum, quando Criſpinus ſervus Canopi agitat aurum æſtivale digitis ſudorem emittentibus, ſcapulâ reducente Chlamydem Tyriam, neque tolerare poteſt gravitatem amplioris lapilli;* tunc *arduum eſt Satyram non componere. Ecquis enim ita patienter* ferat *civitatem injuſtam, quis ita durus, ut ſeſe cohibeat? Quando incedit geſtatorium recens Mathonis Cauſarum Actoris, illo impletum,*

Figat aprum, & nudâ teneat venabula mammâ:
Patricios omnes opibus cum provocet unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba ſonabat:
Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi 26
Criſpinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat majoris pondera gemmæ:
Difficile eſt Satiram non ſcribere. Nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat ſe?
Cauſidici nova cum veniat lectica Mathonis

ANNOTATIONES.

23. *Figat aprum.*] In arena Romana. Scilicet inter alios ludos exhibitæ venationes, in quibus etiam mulieres pugnare auſæ contra feras, & quædam leones vicere. Martial. Lib. Spectacul. Epigram. 6. Cornel. Tacit. Annal. Lib. 15. Sueton. in *Nerone*.

Et nuda teneat.] Quod eſt contra pudorem & decorum.

24. *Patricios.*] Tit. Liv. Lib. 1. cap. 8. Patres ab honore, *Patricii* progenies eorum appellati.

Provocet unus.] Cinnamus nempe tonſor, qui Juvenalis tempore vivebat, & mulierculæ donis ac muneribus ditatus cenſum equeſtrem nactus eſt. Martialis Lib. 7. Epigram. 63. Alii intelligunt Licinium Auguſti tonſorem & libertum.

25. *Quo tondente.*] Virg. Eclog. 1.

Candidior poſtquam tondenti barba cadebat.

Sonabat.] Metonymia. Id eſt, forfices ſonabant barbam reſecantes.

26. *Pars Niliaca plebis.*] Unus e plebe Ægypti, ubi fluvius *Nilus* adeo decantatus ob annuam exundationem, & fœcundationem terrarum.

Verna.] Ancillæ filius domi natus verno tempore, *Verna* proprie appellabatur; ſervus autem qui ſeu jure belli, ſeu pretio emptus in domini poteſtatem veniebat. Ita Feſtus, & Nonius.

Canopi.] Oppidum Ægypti libidinibus infame, ad Oſtium Nili, quod inde dictum Canopicum. Plin. Strabo Lib. 17. Juvenalis Sat. 15. *famoſum* vocat. Porro ex Ægypto ſervi Romam adducebantur.

27. *Criſpinus.*] E ſervo factus Eques Romanus, ſive à Domitiano, ſive a Nerone, ut volunt alii. Dives certe admodum, ut teſtatur Quintil.

Tyrias.] *Purpureas. Tyrus* enim urbs Phœniciæ maritima purpura celebris.

Humero revocante lacernas ventilet.] Defluentes nempe, brachia & manus in aera jactando, quaſi ad refrigerationem, re autem vera ad annulorum oſtentationem.

Lacernas.] Vide infra v. 62.

28. *Æſtivum aurum.*] Annulos æſtate geſtari ſolitos, e tenui bractea, ſecundum morem delicatorum Equitum Romanorum, qui gravitatem annuli æſtivo tempore non ferebant, & propterea duplex annulorum genus habebant, alios æſtivos leviores, alios hyemales graviores. Turneb. Lib. 20. cap. 2. Plin. Lib. 33. cap. 1. ubi de Annulorum origine, uſu, jure, oſtentatione.

29. *Majoris pondera gemmæ.*] Hyemalis annuli gravioris & grandior erat lapillus.

30. *Satiram.*] Ita ſcribendum. Quanquam enim nonnulli nec indocti a *Satyris* Diis petulantibus originem hanc deduci volunt: at doctiores tamen, vel a *Satura* lege quæ diverſa perferebat; vel a *Satura* lance, quam variis fructibus plenam Diis Agrorum Veteres offerebant. Scaliger Lib. 1. Poët. c. 12. Caſaub. Lib. de *Satira*, &c.

32. *Lectica.*] Vehiculi genus, quo Nobiles præſertim fœminæ humeris ſervorum ſex aut octo portabantur. Unde dicebatur hexaphorum & octophorum. Vide infra, ad verſ. 64. & ſeq.

Nova.] Vel quia recens & ſplendida, quod indicat hominis faſtum: vel quia novi hominis, & qui paulo ante pauper, pedibuſque incedebat.

Mathonis.] Is Forum reliquerat, ut ad Delationes ſe conferret, cum vidiſſet Delatores a Domitiano foveri, & proſcriptorum ſpoliis locupletari. *Mathonem* ſæpe vellicat Martial. Lib. 4. Epigram. 80. & 81. Lib. 8. Epigrammate 42. Lib. 10. Epigram. 46. Lib. 11. Epigram. 69.

Plena

Digitized by Google

Plena ipſo: & poſt hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comeſa
Quod ſupereſt: quem Maſſa timet; quem munere palpat ·
Carus; & a trepido Thymele ſummiſſa Latino:
Cum te ſummoveant qui teſtamenta merentur
Noctibus, in cœlum quos evehit optima ſummi
Nunc via proceſſus, vetulæ veſica beatæ.
Unciolam Proculeius habet, ſed Gillo deuncem:

& poſt illum alius *accuſator ſummi familiaris, celeriter etiam ablaturus quod reſtat è Nobilibus devoratis; quem Maſſa reformidat, cui donis blanditur Carus, &* Thymele *à* Latino *anxio ire juſſa: quando te depellunt qui teſtamenta noctu adipiſcuntur, quos cælo ſepius elevat annus opulenta,* quæ *modò ratio* eſt *ingentis quæſtûs* faciendi *certiſſima. Proculeius obtinet unciam, at Gillo undecim uncias.*

ANNOTATIONES.

33. *Plena ipſo.*] Adeo vir erat craſſus, pinguis, corpulentus.

Magni delator amici.] Non conſtat quis potiſſimum ille *delator.* Vetus Schol. ſic habet. *Heliodorum dicit Stoicum Philoſophum, qui Liciniam Silanum diſcipulum ſuum, cum argueretur conjurationis, inficiantem, præter domeſticam delationem etiam teſtimonio oppreſſit. Alii Philoſophum Egnatium celebrem Bareæ Sorani Magiſtrum, qui ipſum apud Neronem detulit, & damnavit, & ipſe poſtea ſub Veſpaſiano hoc ipſum Muſonio Rufo accuſante, damnatus eſt. Nonnulli Demetrium Cauſidicum, qui multos Neroni detulit.* Huc uſque vetus Schol. At præter hos quibuſdam intelligi placet M. Regulum, qui ſub Nerone & Domitiano multorum Nobilium perniciem machinatus eſt. Plin. de eo paſſim, maxime vero Lib. 1. Epiſt. 5. Lib. 2. Epiſt. ultima, ubi de Reguli fraudibus fuſe & luculenter.

Magni amici.] Nec enim erat quiſquam tutus a delationibus, ne Imperatoris quidem propinqui & familiares. Plin. in Trajani Panegyrico. Juvenal. Sat. 4.

In quorum facie miſeræ magnæque ſedebat
Pallor amicitiæ.

34. *De nobilitate comeſa.*] Per delationes proſcripta, aliis exilio, aliis morte mulctatis, bonis eorum publicatis, parte delatoribus attributa.

35. *Quem Maſſa timet.*] *Maſſa* morio, & Carus & Latinus mimi, omnes Cæſarum liberti & nequiſſimi, majorem alium quempiam delatorem metuebant. Et revera illi a Nerone interfecti ſunt delationibus Heliodori, ut ait vetus Schol.

Maſſa.] Plinius Lib. 3. Epiſtol. 4. & Lib. 7. Epiſtol. ultim. meminit hujus Bæbii *Maſſæ*, & adverſus eum in Foro ſtetiſſe & dixiſſe ſe oſtendit.

36. *Carus.*] Metium *Carum* inſignem fuiſſe delatorem innuit Plinius Lib. 1. Epiſt. 5. & Lib. 7. Epiſt. 27. *Niſi forte*, inquit, *quod non fui, reus futurus, ſi Domitianus, ſub quo hæc acciderunt, diutius vixiſſet. Nam in ſcrinio ejus de me datus a Caro libellus inventus eſt.* Martial.

Ecce reum Carus te detulit.

Latino.] Is velut conſcius adulterii Meſſalinæ a Nerone occiſus dicitur, apud vetus Schol. attamen adhuc vixiſſe ſub Domitiano declarat Martialis Lib. 1. Epigram. 5. ubi ad Cæſarem ait.

Quæ Thymelen ſpectas deriſoremq; Latinum,
Illa fronte precor Carmina noſtra legas.

36. *Thymele.*] Mima & ſaltatrix egregia, cui factum inde nomen nonnulli autumant à voce Græca θυμέλη, ara & pulpitum Theatri.

Summiſſa.] Ad conciliandam ſummi illius delatoris gratiam, deprecandumque ne deferret Latinum Thymeles ſeu maritum, ſeu amicum, ut volunt quidam.

37. *Summoveant.*] Scilicet ab hæreditate legitima.

Qui teſtamenta merentur noctibus.] Stupratores & adulteri.

38. *In Cælum.*] Vel ad ſummas opes: vel ad Imperatoriam gratiam & domum, alludendo ironice, ad id quod Domitianus voluit ſe Deum appellari, cujus proinde Palatium *Cælum* vocetur.

39. *Vetulæ beatæ.*] Vel intellige de quavis divite anicula libidinoſa: vel de illa Neronis amica, Poppæa nempe Sabina, quam amare fingens Otho Imperium adeptus eſt. Suetonius Othon. cap. 3.

40. *Unciolam.*] Minimam hæreditatis partem, nempe duodecimam.

Deuncem.] As & libra in partes duodecim dividuntur. *Deunx* igitur ſignificat libram, & aſſem, ſeu duodecim partes, una dempta, hoc eſt, hæreditatem fere integram.

Proculeius, Gillo.] Uterque ſane ſtuprator inſignis, ſed *Proculeius* multo ſalacior & libidinoſior *Gillone*, quapropter dum hic fere nihil auferr, prope totum ille non iſcitur. Quod vetularum notat horrendam libidinem. Aliqui intelligunt *Proculeium* Equitem Romanum virum pietate clarum, de quo Horat. Lib. 2. Od. 2.

Vivet extento Proculeius ævo.

Sed non ita videtur ad ſenſum procedere.

Digitized by Google

Partes quiſq; ſuas, ad menſuram inguinis hæres;
Accipiat ſane mercedem ſanguinis, & ſic
Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.
Quid referam, quantâ ſiccum jecur ardeat irâ,
Cum populum gregibus comitum premat hic ſpo-
Pupilli proſtantis? Et hic damnatus inani [liator
Judicio (quid enim ſalvis infamia nummis?)
Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis: at tu victrix provincia ploras.
Hæc ego non credam Venuſina digna lucerna?

quiſque partem ſuam hæreditatis ------- certè habeat pretium pro *ſanguine, atque ita pallidus fiat, ſicut qui ſerpentem calcavit nudatis pedibus, vel Orator recitaturus ad Lugduni aram. Quid dicam, quàm magnâ iracundiâ ferveat hepar aridum, quando deprædator iſte pupilli proſtituti gravat plebem turba aſſeclarum? Atque ille Marius extorris vano decreto condemnatus potat* ſtatim *poſt horam octavam, & gaudet infenſis Numinibus; (Enimverò quid* eſt *dedecus, incolumi pecunia?) Sed tu luges, ô regio ſuperior.* An *ego iſta non putabo mereri lychnum Venuſinum?*

ANNOTATIONES.

41. *Ad menſuram.*] Ut quiſque ſalax & libidinoſus maxime, ita & maxime gratioſus vetulis, ac proinde per potiora legata ditiſſimus.

42. *Accipiat ſane.*] Permiſſio ſcoptica. Id eſt, fiat dives & locupletetur qui volet tam fœdo & turpi pretio.

43. *Palleat.*] Viribus fractis & exhauſtis immodica libidine.

44. *Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.*] Sueton. in Caligula, cap. 20. ait, Lugduni in Gallia Græcæ Latinæque facundiæ inſtituta ab eo certamina, in quibus victi victoribus darent præmia, eoſque laudarent: & qui incondita ſcripta propoſuiſſet, ea cogeretur ſpongia linguave delere, vel certe ferula objurgaretur, aut flumine mergeretur. Non ergo mirum ſi ex metu pœnæ pallebant illic dicturi Oratores.

45. *Quid referam.*] Alias ſcribendæ Satiræ cauſas deinceps commemorat, & prioribus adjungit.

Siccum jecur.] Præ calore areſcens.

46. *Gregibus comitum.*] Multitudine ſervorum & clientum.

Hic ſpoliator.] Quilibet pupilli deprædator.

47. *Proſtantis.*] Eo redacti poſt amiſſam hæreditatem, ut corporis turpitudine quæſtum faciat, victus habendi gratia.

Et hic.] Quaſi indigitat præſentem; & judiciorum corruptelam notat, novam iræ & Satiræ materiam & ſegetem.

Damnatus.] Marius Priſcus Afros Proconſul depeculatus fuerat: illis autem accuſantibus, agente C. Plinio ſecundo, repetundarum damnatus eſt; & ſeptingenta millia nummum, quæ acceperat, inferre Ærario, atque urbe Italiaque cedere juſſus, ut fuſe ſcribit ipſe Plinius Lib. 2. Epiſt. 11.

Inani judicio.] In quo licet damnatus ſit Marius, expoſtulantibus Afris, jus redditum non eſt, nec ablatæ opes reſtitutæ.

48. *Quid enim ſalvis, &c.*] Ironia indignationis plena.

49. *Ab octava bibit.*] Impenſe lætatur reus exul, & ante alios epulis indulget, quaſi inſultans damnatoribus Romanis, & Afris victoribus.

Ab octava.] Romæ lavabant hora octava, nona accumbebant menſæ & cœnabant. Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 21. Ergo Marius aliis præibat. Vide quæ Sat. 3. Perſii, v. 4. de die naturali & civili explicabimus: unde intelliges accipiendam hic horam octavam diei naturalis, quæ nobis quidem Francis eſt hora fere ſecunda pomeridiana.

Fruitur Diis iratis.] Ab infenſis ille Diis non punitus raptis gaudet & fruitur; infamiam vero parvipendit, quandiu nummos habet ſalvos, & partem prædæ maximam, qua exilium ſolatur laute victitando.

50. *Victrix provincia ploras.*] Quamvis enim in judicio viceris, & reus ſit mulctatus, jure doles, & ego ſtylum tenere nequeo, tam iniquum cernens judicium. Nec enim debebat rapti pars raptori manere, nec pars alia ærario attribui, ſed omnia tibi reſtitui conveniebat.

51. *Venuſina digna lucerna.*] Digna quæ admota face, e tenebris promantur in lucem, & a me Juvenale reprehendantur, exemplo Lucilii & Horatii, qui ſui ſæculi corruptos mores defricuerunt Satirico ſale. *Vel,* digna Satira nocturnis vigiliis & ad lychnum elucubrata, qualem ſcripſit Horatius, oriundus ex urbe Venuſia: qui quidem fuit ad notandos mores præcipuus, ut ait Quintilianus Lib. 13. cap. 1. Perſius Sat. 1.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, &c,

Venuſina.] *Venuſia* urbs ſita in Apuliæ Lucaniæque finibus, Horatii natalibus inclyta. Hinc ipſe Vates Venuſinus Lib. 2. Sat. 1.

Sequor hunc, Lucanus an Appulus anceps:
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumq; colonus.

Hæc

Hæc ego non agitem? Sed quid magis? Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percuſſum puero, fabrumque volantem?
Cum leno accipiat mœchi bona, ſi capiendi
Jus nullum uxori, doctus ſpectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo:
Cum fas eſſe putet curam ſperare cohortis

An *ego iſta non damnem? At cur potiùs* referam *Heracleas, vel Diomedeas, vel mugitum labyrinthi, vel mare verberatum à juvene, & volantem architectum? Quando leno facultates mœchi nanciſcitur, dum uxori jus nullum* reſtat eas *poſſidendi, peritus ſuſpicere loquear, gnarus etiam ad pocula rhonchos emittere naribus exporrectis: quando expectare catervæ regimen licere credit is*

ANNOTATIONES.

52. *Hæc ego non agitem?*] An non inſecter, & Satira non proſcindam ejuſmodi flagitia?

Quid magis? Heracleas, &c.] An igitur malim & magis expedire credam fabulas texere?

Heracleas.] Fabulas de Herculis laboribus & ærumnis, de quibus Diodorus Siculus lib. 5. c. 2. & ſequentibus, & alii. Porro dictus Hercules quaſi ἥρας κλέος, eo quod ex odio Junonis gloriam eſt adeptus, ut norunt omnes.

53. *Diomedeas.*] Vel, de *Diomede* Thraciæ Rege equos ſuos humanis carnibus paſcente, quem Hercules devictum ſuis ipſum equis in pabulum dedit. Vel, de *Diomede* Ætoliæ Rege, ejuſque ſociis in aves converſis, ut docent Plin. lib. 10. cap. 44. Ovidius & alii.

Mugitum labyrinthi.] De Minotauro qui in Cretenſi labyrintho incluſus mugiebat, & de Theſeo monſtri hujus interfectore notæ Fabulæ ex Æneid. 6. Diodor. Sicul. Lib. 5. c. 5. Ovid. Met. Plutarch. in Vita Theſei, & aliis.

Labyrinthi.] Plin. lib. 36. c. 13. ait eſſe quoddam ædificii genus, quod itinerum ambages, occurſus & recurſus inexplicabiles continet, crebris foribus inditis ad fallendos occurſus, redeundumque in errores eoſdem. Addit porro ibidem quatuor fuiſſe Labyrinthos, primum in Ægypto, alterum in Creta, quem Dædalus conſtruxit ad Ægyptii centeſimam tantum proportionem. Tertium, in Lemno; quartum, in Italia: omnes lapide polito fornicibus contectos, &c. Herodot. lib. 2. paulo ante finem, Ægyptii Labyrinthi deſcriptionem habet egregiam.

54. *Mare percuſſum puero.*] Hiſtoriam Icari altius volare tentantis, & ſolutis alis, liquefactaque Solis ardore cera, qua illæ adhærebant, decidentis in mare, quod exinde Icarium dictum eſt: eſtque pars maris Ægei, inter Samum & Myconem, inquit Plinius, lib. 4. cap. 11. in fine. Ovidius:

Icarus Icarias nomine fecit aquas.

Horat. Lib. 4. Od. 2.

Ille ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Fabrumque volantem.] Dædalum Athenienſem artificem valde ingenioſum, plurium inſtrumentorum & machinarum inventorem, ut refert Plin. lib. 7. cap. 56. ubi & vela ab Icaro, malum & antennam a Dædalo reperta eſſe ait: unde fabulati ſunt, ſibi filioque ſuo Icaro alas fabricaſſe, quibus a Creta ille in Italiam evolavit, ut Minoïs iram effugeret. Ovid. Metam. 8. Virgil. Æneid. 6. 14. Horat. Lib. 1. Od. 3.

Expertus vacuum Dædalus æra
Pennis non homini datis.

Euſebius vero, propter inveſtigabilem fugam Dædali & Icari, qui navi Minoëm iratum effugerunt, volando fugiſſe creditos affirmat.

55. *Cum leno accipiat mœchi bona.*] Cum video fraudem fieri Legi Domitianæ, & quaſi per fidei commiſſum adulteri bona venire nihilominus ad adulteram, ut ait Vetus Schol.

Si capiendi jus nullum uxori.] Sueton. c. 8. Domitian. *Ademit*, inquit, *probofis fœminis jus capiendi legata, hæreditateſque.* Quid ergo? Maritus qui ſuam uxorem quæſtûs cauſa proſtituerat, ipſe ab adultero ſcribebatur hæres, & mœchi bonis ſuccedebat, quibus alioqui ſuccedere per legem non licebat ſuæ uxori.

56. *Doctus ſpectare lacunar.*] Connivere, aliò aſpicere, ebrietatem & ſomnum fingere peritus, ut locum det atque opportunitatem mœcho exercendarum libidinum cum uxore ſua, etiam ſe præſente. Horat. Lib. 3. Od. 6.

Sed juſſa coram non ſine conſcio
Surgit marito, ſeu vocat inſtitor,
Seu navis Hiſpanæ magiſter;
Dedecorum pretioſus emptor.

57. *Vigilanti ſtertere naſo.*] Doctus rhonchos edere etiam cum eſt maxime experrectus & vigil. Cœl. Rhodig. lib. 12. cap. 16. locum hunc belle explicat: ibidemque meminit cujuſdam Cepii, qui Pararhencon dictus, quod dormientem ſimularet, quo impunitius uxor mœcharetur: unde illud: *Non omnibus dormio.*

58. *Curam ſperare cohortis.*] Præfecturam Prætorii: vel, ut ait Vetus Schol. *Militum Tribunatum.* Porro cohors peditibus conſtabat 550. equitibus vero 66. ut aiunt: eratque legionis pars decima. Teſtis Gell. l. 16. c. 4. ubi ſic habet: *In legione ſunt centuriæ ſexaginta: manipuli triginta, cohortes decem.* Vide Alex. ab Alex. l. 1. c. 5.

Qui

Digitized by Google

qui ſtabulis opes dedit, & omnino non habet patrimonium à majoribus; quando viam Flaminiam percurrit veloci rhedâ! etenim juvenis Automedon regebat fræna, quando ſe ille oſtentabat amaſiæ chlamydatæ. An non juvat replere ceras amplas in mediis plateis: quando nunc portatur collo ſextuplici, illinc & iſthinc apparens,

Qui bona donavit præſepibus, & caret omni
Majorum cenſu, dum pervolat axe citato
Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat,
Ipſe lacernatæ cum ſe jactaret amicæ.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio? Cum jam ſexta cervice feratur

ANNOTATIONES.

59. *Qui bona donavit præſepibus.*] Quidam explicant, qui libidinibus & lupanaribus ſuas facultates impendit. Melius tamen videntur alii intelligere eum qui alendis equis bona dilapidavit, ſive ille fuerit Tigellinus, qui Neroni ab intimis libidinibus fuiſſe refertur, & prætorianarum cohortium Præfectus. Tacitus Annalium Lib. 14. & pariter ſequentibus Libris. Item Hiſtor. 1. ſive Cornelius Fuſcus, qui quidem puer auriga Neronis fuerat, poſtea vero ſub Domitiano, ut teſtatur abunde Suetonius, Prætorio eſt præfectus, quæ omnia hic conveniunt: ſive Damaſippus, de quo Sat. 8. &c.

Caret omni majorum cenſu.] Nullas habet opes a majoribus acceptas, qui proinde pauperes erant & obſcuri. Horat. ad Piſones:

Cenſus equeſtrem ſummam Nummorum,

60. *Dum pervolat axe citato Flaminiam.*] Cum ad Imperatoris villam celeriter currum agit: quippe ad viam Flaminiam illa ſita erat.

61. *Flaminiam.*] C. Flaminius Conſul, M. Lepidi collega, Ligurum victor, viam ſtravit ab urbe per Thuſciam Umbriamq; ad Armeniam. Strabo Lib. 5.

Puer Automedon.] Currum Neronis, ut dictum eſt, rexit Fuſcus, ut Achillis *Automedon*, Virgil. Æneid. 2. Quapropter hic ponitur pro quolibet auriga nobili. Quod Juvenalis indignabundus dicit in Romanos adoleſcentes e prima nobilitate qui exemplo Neronis aurigandi ſtudium ſectabantur. Sueton. Neron. cap. 22. Juvenal. Sat. 8.

Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine Conſul.

62. *Ipſe lacernatæ cum ſe jactaret amicæ.*] Satirice habitu virili fœminam deſcribit, inquit vetus Scholiaſtes. At vulgo indigitari putatur juvenis Sporus, qui Neroni pro uxore fuit, cum dote & flammeo deductus, & Auguſtarum ornamentis excultus, Sueton. Neron. c. 28.

Lacernatæ.] Lacerna veſtis exterior ſupra togam indui ſolita, ad propulſandum imbrem & frigus. Hac utebantur milites potiſſimum in caſtris. Plin. Lib. 18. cap. 25. Ovid. 2. Faſtorum.

Mittenda eſt domino (nunc nunc properate puellæ)
Quamprimum noſtra facta lacerna manu.

Quibus verbis Lucretia hortatur urgetque ancillas, ut maturent contexere *lacernam* Tarquinio Collatino conjugi ſuo Ardeam obſidenti mittendam. In ſpectaculis etiam *lacernâ* utebantur præſertim candida. Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 18. Martial. Lib. 14. Epigram. 137.

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Cum tegit algentes noſtra lacerna togas.

Porro narrant quemdam nomine Horatium, cum ſolus ſpectaculis intereſſet *lacerna* indutus nigra, cæteris alba coopertis, cadente ſubito nive concolorem aliis derepente factum. Unde Martial. Lib. 4. Epigram. 2.

Spectabat modo ſolus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis;
Cum plebs, & minor ordo, maximuſque
Sancto cum duce candidus ſederet,
Toto nix cecidit repente cœlo, . .
Albis ſpectat Horatius lacernis.

Lacernas vero honoris cauſa depoſitas, teſtis Sueton. Aug. c. 40. & Claud. c. 6.

63. *Nonne libet medio, &c.*] Paſſim occurrente juſtæ indignationis & Satiræ materia, in plateis per urbem ambulanti mihi. *Vel*, in ipſo populi tumultu medio, in quadriviis; facile Satiras ſcribam, nec animi tranquillitatem & ſeceſſum requiro, ut aliàs fieri ſolet, adeo copioſa ſeges eſt, & juſta indignatio verba & verſus abundanter ſuggerit.

Ceras implere capaces.] Libros integros implere, ſeu amplas tabulas ceratas, in quibus Antiqui ſcribebant, ut docet Priſcianus, & alii. De membranis, & papyro Plin. Lib. 13. cap. 11. & 12.

Quadrivio.] Locus eſt publicus in quem viæ quatuor concurrunt.

64. *Cum jam ſexta cervice feratur.*] Cum ſuperbe incedat, & vehatur hexaphoro, ſeu lectica ſex famulis geſtata homo flagitioſus, & jam delicatus, qui pauper olim & abjectus erat. Quis vero ille? An Tigellinus, a quo feruntur patrui tres veneno ſublati, corrupta illorum teſtamenta, & occupata hæreditas? An M. Regulus bipedum nequiſſimus, ut Plinius ait, condendis falſis tabulis & teſtimoniis famoſus; qui ex paupere & tenui ad magnas opes per flagitia proceſſit, &c. Plin. Lib. 2. Ep. 20.

Hinc

Digitized by Google

Hinc atque inde patens, ac nuda pene cathedra,
Et multum referens de Mecænate ſupino
Signator falſo, qui ſe lautum, atque beatum
Exiguis tabulis & gemma fecerat uda.
Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum

atque ſellâ prope denudatâ, necnon magnopere repreſentans delicatum Mæcenatem, iſte ſubſignator falsò, qui ſeſe reddidit ſumptuoſum ac opulentum brevibus codicillis, atque lapillo humido? ſit obvia matrona dives, quæ marito ſitienti propinatura Calenum

ANNOTATIONES.

65. *Hinc atque inde patens.*] Aperta ex utroque latere lectica, ſe oſtentans. Non pigebit multa hic de lectica obſervare cum erudito Juſto Lipſio, Electorum Lib. 1. cap. 19. mitto quod mortuis æque ac vivis ferendis in uſu fuerit: quodque videatur e Bithynis aut Cappadocibus petita. Tull. in Verrem 5. *Nam ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro ferebatur,* inquit, *in qua erat pulvinus pellucidus, roſa fartus.* At quod ad rem præſentem magis facit, duplex erat lectica: altera aperta, de qua hic Juvenalis; altera tecta, contra injurias aëris, & hominum aſpectum. Hanc Plin. Lib. 37. cap. 2. *cubiculum viatorium* vocat; loquens de Nerone, *Sceptra, perſonas, & cubicula viatoria unionibus conſtruebat,* inquit. Et Sueton. Octav. cap. 78. narrat Auguſtum, cum per vicos deportaretur, ſomni indigentem, depoſita lectica, interdum per aliquas moras dormiviſſe. Erat porro lectica tecta velo & pelle munita, plagulis ad feneſtras appoſitis, quas removere fas erat cum libebat proſpicere volenti. Patet ex Sueton. Tit. cap. 10. *Cum lectica transferretur, ſuſpexit dimotis plagulis cœlum.* Et Martial. Lib. 11. Epigr. 99.

Lectica nec te tuta pelle, veloque,
Nec vindicabit cella ſæpius clauſa.

Aufidius Baſſus de morte Ciceronis in lectica tecta interfecti, *Cicero paulum remoto velo, videns armatos, ego vero conſiſto, ait: accede Veterane, & ſi hoc potes ſaltem recte facere, incide cervicem.* Hæc ille. Lectica qui vehebatur jacebat in pulvino reſupinus. Patet ex loco Ciceronis in Verrem citato. Item Ovidius Lib. 1. de Arte.

Interea ſive illa thoro reſupina feretur,
Lecticam dominæ diſſimulanter adi.

Lecticam ſoli homines portabant qui lecticarii ſervi dicebantur: nunquam vero jumenta. Unde lævam mentem & ſupinum errorem exprobrat Juſt. Lipſius Lambino qui in vita Ciceronis ſcribit: *Ille autem militum adventu ex ſtrepitu & rumore cognito, primum conſiſtere ſervos & jumenta juſſit, deinde aperta lectica, &c.*

Nuda pene cathedra.] Undique patente, adeo ut & pulvinus appareret, & ipſe in pulvino molliter recumbens. Attamen Lipſius loco mox citato ſellam hic putat a Juvenale intelligi, quam a lectica diſtinguendam ibidem docet, & duplicem pariter fuiſſe, aliam potentiorum, quæ laxior & a ſex etiam hominibus ferebatur; aliam tenuiorum, quæ minuta & arctior, & duobus ſervis portabatur facile, cum in circum, aut theatrum ibant; unde & geſtatoria ſella vocatur, ad ſedentariæ ſellæ diſcrimen.

66. *Multum referens.*] Magnam habens ſimilitudinem cum delicatulis & luxu perditis.

Mecænate ſupino.] Seneca Epiſt. 114. orationem Mæcenatis æque ſolutam dicit atque ipſe diſcinctus. Juvenal. Sat. 12. v. 39.

* * * * * * * * * * * * * *veſtem*
Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam.

Horat. Lib. 1. Sat. 2. *Malthinum* vocat, quaſi μαλθακὸν aut μαλθάκινον, id eſt, mollem & effœminatum.

Malthinus tunicis demiſſis ambulat.

Supino.] Molli & delicato, veſtium elegantiam ſectanti. Martial. Lib. 2. Epigram. 6.

Nuſquam diliciæ ſupiniores.

Perſ. Sat. 1. ad finem.

Italo quod honore ſupinus, &c.

67. *Signator falſo.*] Teſtamentorum corruptor. Pedianus, *ſignatores* ſeu teſtes ſeptem teſtamentis, item in cauſis, ſubſcribere & ſigillum apponere oportebat, ait.

68. *Exiguis tabulis.*] Brevibus teſtamentis, in quibus cum ipſe ſe unum falſarius ex aſſe hæredem ſcriberet, multa non erat ſcriptio, ut in aliis, quibus legata plurima & varia diverſis attribuuntur. Juvenal. Sat. 12.

* * * *Atque omnia ſoli*
Forſan Pacuvio breviter dabit.

Gemma uda.] Annulo ſignatorio, vel effigiata annuli *gemma*, qua plurimi obſignabant; madefacta vero, ad faciliorem in cera ſignaculi impreſſionem. Macrob. Lib. 7. cap. 13. *Veteres,* inquit, *non ornatus ſed ſignandi cauſa annulum ſecum circumferebant.* Et paulo poſt; *Imprimebatur autem ſculptura materiæ annuli, ſive ex ferro, ſive ex auro foret: poſtea uſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cæpit inſculpere; ut etiam de augmento pretii, quo ſculpendos lapides paraſſent gloriarentur, &c.*

69. *Occurrit matrona potens.*] Alia rurſum Satiræ materia, uxores quæ viros veneno interficiunt, & impune quidem Tit. Liv. Lib. 8. cap. 18. narrat veneficium complurium matronarum

Porrectura

dulce, admiſcet rubetam; & cognatas ignaras docet peritior Locuſta, inter rumorem & plebem, ſepelire conjuges atros. Perpetra quiddam grave, quod *mereatur arctam Gyarum, & vincula, ſi cupis haberi aliquis. Virtus æſtimatur, atque friget. Debent hortos ſceleribus, prætoria, menſas, argentum priſcum, & hircum è calicibus prominentem.*

Porrectura viro miſcet ſitiente rubetam,
Inſtituitque rudes melior Locuſta propinquas,
Per famam, & populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis: PROBITAS laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, menſas,
Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.

ANNOTATIONES.

deprehenſum, quarum multæ epotis medicaminibus ſtatim perierunt: legem de Veneficio tunc primum conſtitutam: damnatas fuiſſe ad centum & ſeptuaginta: rem denique prodigii loco habitam.

Calenum.] Vinum e *Cale* oppido Campaniæ, ſeu ex agro *Caleno*, in quo etiam aquæ ſcaturiunt quæ vini modo temulentos faciant, teſte Plinio, Lib. 2. cap. 103. Campaniam vero celebratam vino generoſo, teſtantur cum aliis, Strabo l. 5. Plin. l. 3. c. 5. ubi & felicem illam vocat vitiferis collibus, & ſummum Liberi patris cum Cerere certamen.

70. *Rubetam.*] Venenum a *rubeta*, de quo Plinius pluribus locis. Ranæ *rubetæ*, ἀμφίβιοι, vel in terra vel in humore degunt. In *rubetis* maxime & humidis ſentibus; unde nomen ductum putatur: plurimis ſunt refertæ medicaminibus, quæ deponere & reſumere quotidie paſtu dicuntur, venena tantum ſibi reſervantes. Propert. Lib. 3. Eleg. 5.

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ
Et lecta exectis oſſa trahunt.

71. *Locuſta.*] Venefica fuit inſignis, cujus ope Claudium Imperatorem Agrippina de medio ſuſtulit, ut quidam autumant, & auctor eſt Corn. Tacit. Annal. Lib. 12. ad finem. Vide Sueton. Claud. cap. 44. hanc ipſam familiariter Nero adhibuit, ejuſque venenis Germanicum interemit. Vetus Schol. Suetonius, Nero cap. 33. & alii.

72. *Per famam, & populum.*] Non clam, ut Locuſta, de qua mox, ſed palam & fama rei adeo vulgata, ut nemo populi ignoraret.

Nigros maritos.] Tabe & lue, atque idcirco colore livido, plumbeo, atro infectos, ob ſanguinem veneno corruptum.

Efferre.] Exportare ad rogum & ad tumulum. Vox funeri propria.

73. *Aude aliquid brevibus Gyaris.*] Sed vis Romæ eſſe potens, fac digna exilio & carcere. Nam per ſcelera dumtaxat jam opes & dignitates acquiruntur.

Gyaris.] *Gyaros* inſula maris Ægei, una e Cycladibus, Plin. Lib. 4. c. 12. & Lib 8. c. 29. in freto Siculo ab aliis ſtatuitur. Certe hæc ſolo ſterili & rupibus horrens, ac proinde gravioribus deſtinata exiliis. Apud Cornelium Tacitum Annal. Lib. 3. Gyarum inſulam immitem & ſine cultu hominum vocat Tiberius: & ibidem paulo ante: *In Gyarum Inſulam relegandum Silanum Piſo cenſet.* *Brevem* & anguſtam vocat Juvenalis, & Plin. citato loco Lib. 4. circuitu duodecim millia paſſuum continere dicit. Alii intelligunt, brevia & ſyrtes Gyaro ineſſe.

74. *Eſſe aliquis.*] Celebrari, nominari, memoriam & commendationem adipiſci. Perſius Sat. 1. ad finem.

Seſe aliquem credens. * * * * *

Probitas laudatur & alget.] Egregia Sententia. Innocentia quidem & integritas laudes habet a quovis etiam improbiſſimo, ſed non perinde colitur: ea quippe infortunata, miſera jacet, dum viri flagitioſi paſſim locupletari & aliquid poſſe cernuntur.

75. *Criminibus debent hortos, &c.*] Villas amœnas habent & prædia, in mercedem flagitiorum ſibi donata.

Prætoria.] Ædes Prætore non indignas, *i. e.* magnificas & ſplendidas. Mart. Lib. 10. Epig. 79.

Ad lapidem Torquatus habet Prætoria quartum,
Ad quartum breve rus emit Otacilius.

Sueton. Tit. cap. 8. cuncta *Prætoriorum* ſuorum ornamenta operibus ac templis deſtinavit.

Menſas.] Eas quidem pretioſas ex argento, ebore, citro, marmore, &c. quarum ſumptus regerebant viris fœminæ, dum fœminis viri margaritarum luxum exprobrabant. Plin. Lib. 13. c. 15.

76. *Argentum vetus.*] Vaſa argentea veteris artificii, vel ab artifice antiquo magni nominis fabricata, inſculpta.

Stantem extra pocula caprum.] Vaſa & pocula ſignis affabre inciſis cælata. *Poculum* in quo ſculptus *caper* tam artificioſe & egregie, ut extare videatur. In calicibus olim cælabant vulgo *caprum*, vitibus ſcilicet noxium, arrodentem palmites. Hinc Ovid. Faſt. 1.

Rhode caper vitem: tamen hinc, cum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Vel etiam effictus Phryxus *Capro* ſeu *Arieti* velleris aurei inſidens & mare tranans cum ſorore Helle. De quibus Martial. Lib. 8. Epigr. 51. *De Phiala Ruſi.*

Stat caper Æolio Thebani vellere Phryxi
Cultus; ab hoc mallet vectæ fuiſſe ſoror.
Hunc nec Cinyphius tonſor violaverit; & tu
Ipſe tua paſci vite Lyæe velis.

Quem

Quem patitur dormire nurûs corruptor avaræ?
Quem ſponſæ turpes, & prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio verſum,
Qualemcunq; poteſt: quales ego, vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem aſcendit, ſorteſque popoſcit,
Paulatimque animâ caluerunt mollia ſaxa,
Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas:
Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus: noſtri eſt farrago libelli.

Ecquem ſinit quieſcere depravator avaræ nurûs? quem infames conjuges, & adulter prætextam gerens? Etſi deneget natura carmen, ira efficiet, quale quale valebit: ſicut ego, aut Cluvienus facimus. *Ab* eo tempore, *quo Deucalion, mari imbribus intumeſcente, naviculâ evaſit* in *montem, & petivit oraculum, atque lapides molleſcentes ſenſim à ſpiritu calorem habuerunt; & Pyrrha maſculis exhibuit puellas nudas: Quodcumque homines* exinde *faciunt; deſiderium, metus, iracundia, oblectatio, lætitia, diſcurſationes,* hæc *eſt farrago libri noſtri.*

ANNOTATIONES.

77. *Quam patitur dormire, &c.*] Quis Satyricus ocioſus manere queat, & tacere, videns graſſari inceſta, aliaque infanda flagitia?

Nurus corruptor avara.] Nurum pecuniæ avidam precio corrumpens ipſe ſocer, & ad ſcelus impellens & adulterium cum pueris, ut vult Calderinus, item Mancinellus.

78. *Sponſa turpes.*] Pueri viris nubentes; ut ſupra diximus de Sporo quem Nero velut uxorem duxit. Sueton.

Prætextatus adulter.] Nobilis juvenis adhuc prætextam habens, ac proinde annum ætatis decimum ſextum nondum adeptus, & jam adulteriis corruptus, allicientibus illis nuribus improbiſſimis, ut dictum eſt, ex impulſu vel ſoceri, vel mariti pæderaſtia laborantium. De prætexta porro vide quæ dicturi ſumus ad Perſ. Sat. 5. v. 30.

79. *Si natura negat.*] Cicero pro Archia Poëta, ait, cæterarum rerum ſtudia præceptis & arte conſtare, at Poëtam natura ipſa valere, mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu inflammari. Horat. ad Piſones.

Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium.

80. *Quales ego.*] Adverte Juvenalis modeſtiam, qui comparat ſe ipſe cum inſulſo Poëta.

Cluvienus.] Hunc ineptum Verſificatorem ſui ſæculi carpit quemadmodum Virgil. in Bucol.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.

81. *Ex quo Deucalion.*] Invaleſcentia paſſim a diluvii tempore vitia, ſunt materia noſtri Satirarum Libri.

Deucalion.] Theſſaliæ Rex, ſub quo dicitur contigiſſe diluvium. Fabula lippis ipſis & tonſoribus non incognita: Egregie vero narrata Ov. 1. Metam. Juſtin. Lib. 2. *Amphyctionis temporibus,* inquit, *aquarum illuvies majorem populorum Græciæ partem abſumpſit. Superfuerant, quos refugia montium receperunt, aut qui ad Regem Theſſaliæ Deucalionem ratibus evecti ſunt: a quo propterea genus humanum conditum dicitur.* Hoc refertur ad ſæculum mundi vigeſimum ſextum: at annis ante illud fere trecentis aliud fuit ſub Ogyge Thebanorum Rege diluvium majus Deucalioneo. *S. Aug. de Civitate.*

Nimbis tollentibus æquor.] Augentibus mare repentinis imbribus. Unde eſt decantata illa aquarum in Græcia eluvio: de qua Poëtæ quidem id omne fabulati ſunt, quod de vera univerſi orbis inundatione a Moſe deſcripta vel legerant, vel audierant.

82. *Navigio montem aſcendit.*] Parnaſſum ſcilicet, ut ait Ovid. Metam. 1. Fab. 7.

Hic ubi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum conſorte thori parva rate vectus adhæſit.

Sorteſque popoſcit.] Horat. ad Piſones.

-------*Dictæ per carmina ſortes.*

Themidis, quæ ante Apollinem reſponſa dabat, inquit Vetus Schol. oraculum conſuluit, quo pacto reparari genus humanum poſſet. Ovid.

Dic, Themi, qua generis damnum reparabile noſtri
Arte ſit, &c.

83. *Anima caluerunt mollia ſaxa.*] Lapides animati ſenſim & calorem vitalem concipientes ſunt in homines transformati.

84. *Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas.*] E lapidibus a ſe projectis *Pyrrha* fœminas oſtendit ſubito formatas, ideoque nudas; ſicut in mares evadebant ſaxa a Deucalione retro jactata.

Pyrrha.] Deucalionis uxor. Horat. Lib. 1. Od. 2.

Terruit gentes, grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ nova monſtra queſtæ.

85. *Quicquid agunt homines.*] Male ſcilicet, & ex pravis animi affectibus.

Votum.] Habendi cupiditas.

Timor, ira, voluptas, &c.] Vide Tuſc. q. 4. n. 12. & ſeq.

86. *Diſcurſus.*] Vel hominum inconſtantiam animi, vel caſus varios notat; imo & labores ad opes aut dignitates parandas.

Farrago.] Eſt proprie quod ex pluribus ſatis mixtum pabuli cauſa jumentis datur. Feſtus.

Et

Digitized by Google

Ecquando verò *major* fuit *abundantia ſcelerum? Quando avaritiæ amplior ſinus apertus eſt? quando alea tales habuit vires; nam nec comite crumenâ* jam *pergitur ad tabellæ fortunam? verùm luditur capſâ depoſitâ. Quàm magna certamina hic aſpicies adminiſtrante armorum portatore? An vulgaris* eſt *inſania deperdere centum ſeſtertia; & veſtem non reſtituere algenti famulo? Ecquis tot villas exſtruxit? Quis avorum clam epulatus eſt dapibus ſeptem? Jam* in *primo*

Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit ſinus? alea quando
Hos animos? neq; enim loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arca.
Prælia quanta illic diſpenſatore videbis
Armigero! ſimplexne furor ſeſtertia centum
Perdere; & horrenti tunicam non reddere ſervo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula ſeptem
Secreto cœnavit avus? nunc ſportula primo

ANNOTATIONES.

88. *Sinus.*] Laxitas, amplitudo, licentia. Metaphor. a velis, quæ ſinu modo ampliori, modo contracto ventum excipiunt, ut navigantibus libuerit & commodum fuerit.

Alea.] Perſius Sat. 5. v. 57.

Hunc alea decoquit.

Vide quæ nos ibidem.

89. *Neque enim loculis, &c.*] Non jam modica pecunia fortuito ludo exponitur, ſed ingens, & totum fere patrimonium.

Loculis.] Crumena, capſula Metonym. pro exigua ſumma in loculis contenta.

90. *Ad caſum tabulæ.*] Ad aleam, quæ in abaco luſorio, ſeu in tabula conjicitur. Hanc ſic amaſſe Claudius Imperator dicitur, ut & de ea librum conſcripſerit. Sueton.

Poſita arca.] Depoſitis fortunis omnibus luditur, nihilque immune ab aleæ ludibrio: quaſi ipſa arca rem omnem familiarem includens ad ludum affertur.

91. *Prælia quanta.*] Quot vero jurgia, rixæ, & contentiones ludum ſequuntur. Alii intelligunt rixam inter ſervum & herum ludentem; hic nimirum amiſſis omnibus, quæ attulerat, etiam famulo vult detrahere tunicam, quam exponat aleæ, ſperans amiſſa tandem recuperare: ex more ludentium.

Diſpenſatore armigero.] Servo ſubminiſtrante ludi inſtrumenta, pecuniam, teſſeras, alveolum, &c. ſicut armiger parat portatque domino bellatori, arma, &c.

92. *Simplexne furor.*] An non hæc inſania eſt ſupra vulgarem & communem, in alea decoquere omnia?

Seſtertia centum perdere.] Magnam ſummam, ingentem pecuniæ vim, uno tali jactu diſperdere, v. g. centum millia ſeſtertium; vel ſimpliciter centum ſeſtertia, quæ valent ſingula ſeſtertios mille, *i. e.* denarios 225. ſeu viginti quinque coronatos, qui ſinguli valent triginta quinque ſolidos, ad monetæ Gallicæ æſtimationem. Budæus, *de aſſe.* Vide Plin. Lib. 33. cap. 3.

93. *Horrenti.*] Algenti, & præ frigore trementi, ſpoliato nempe tunica ſua, quam in ludo herus perdidit etiam, ut dictum mox: nec aliam reddidit indigenti ſervo. Vel ſimplicius intellige de luſore, qui impendit in aleam grandes pecunias, & vix famulo veſtem neceſſariam ſuppeditat. Perſius Sat. 1.

Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

94. *Quis totidem erexit villas?*] An olim impenſæ tot fiebant, ut nunc, in inſanis ſubſtructionibus, quod ait Tullius pro Milone, loquens de P. Clodii fundo.

Fercula ſeptem.] Solemnis apparatum convivii apud Veteres, numerum ferculorum apud varios diverſum, pompam & luxum in iis inferendis: vide cap. 21. Lib. 5. Gen. dier. Alex. ab Alex.

95. *Quis fercula ſeptem ſecreto cœnavit avus?*] Quis e noſtris majoribus lautas inſtruxit epulas clam, & inter privatos parietes? illi certe in atriis & palam cœnabant frugaliter & parvo contenti. Val. Max. l. 2. c. 5. n. 5. *Fuit illa ſimplicitas Antiquorum,* inquit, *in cibo capiendo, ut maximis viris prandere & cœnare in propatulo verecundiæ non eſſet: nec ſane ullas epulas habebant, quas populi oculis ſubjicere erubeſcerent: erantque adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus, quam panis eſſet.*

Nunc ſportula primo, &c.] Olim exhibebatur convivium & publice quidem egenis clientibus, at nunc divites epulantur quidem ipſi privatim: aſſeclis autem vix munus exiguum diſtribui in atrio jubent. Domitianus tamen multa novans ſportulas publicas ſuſtulit, revocata cœnarum rectarum conſuetudine, teſte Suet. Domit. cap. 7.

Sportula primo limine parva ſedet.] Loco cœnæ rectæ, id eſt, plenæ, integræ, lautæ, pridem exhiberi ſolitæ clientibus, pro impenſis officiis erga patronos, datur nunc ſolummodo ſportula, ex Edicto Neronis, ut teſtatur Suetonius, pecuniaria quidem, ut ait Turneb. Lib. 20. cap. 8. Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 24. Martial. Lib. [illegible] Ep. 7. & dum juſta in pauperes munificentia abrogatur, omnia in luxum ac libidines effunduntur.

Sportula.] *Sporta & ſportella* receptaculum eſt munerum, inquit Aſcon. Pæd. metonym. pro dato munere ponitur, ſive pecunia ſit, ſive obſonium, & cibus, quæ dabantur olim in ſporta, quæ proprie fiſcella eſt & corbis e ſporto herba, unde nomen.

Limine

Digitized by Google

Limine parva ſedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem prius inſpicit, & trepidat, ne
Suppoſitus venias, ac falſo nomine poſcas.
Agnitus accipies. Jubet a præcone vocari
Ipſos Trojugenas: nam vexant limen & ipſi
Nobiſcum. Da Prætori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior eſt: Prior, inquit, ego adſum.
Cur timeam dubitemve locum defendere? quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ

aditu exiguum adeſt munus à frequentia togata auferendum. Attamen iſte vultum anteà intuetur, & tremeſcit ne accedas ſuppoſititius, atque petas titulo mendaci. Cognitus percipies. Per præconem acciri imperat ipſos Trojanos. Etenim ipſi etiam nobiſcum premunt atrium. Largire prætori, poſteà largire Tribuno. At libertinus anterior eſt. Ego anterior adſum, ait. Quare metuam vel trepidem meum locum tueri, etſi ortus prope Euphratem, quod quidem *quamvis ego non fatear, probabunt tenues fiſſuræ in auriculâ meâ.*

ANNOTATIONES.

96. *Parva.*] Quæ centum erat quadrantum dumtaxat. Turneb. & Alex. ab Alex. loco mox citato: Martial. Lib. 3.

Centum miſelli jam valete quadrantes.

Et Lib. 10. Epigram. 75.

Sportula nos junxit quadrantibus arida centum.

Rapienda.] Certatim præripienda; timentibus ſingulis ne ultimo ſibi, ut fit aliquando, nihil ſit reſiduum.

Turba togata.] Quoniam tenuiorum toga erat, veſtis nimirum vilior: hinc ſignificat hic Clientes, qui mane Patronos ſalutant; deinde ad forum comitantur, & officia ſua præſtant; in mercedem vero poſtea ad cœnam vocantur ab ipſis Patronis, aut ſportulam auferunt. Martial. Lib. 10. Epigram. 18.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit:
* * * * *
Heu quam perfatua ſunt tibi, Roma, togæ.

97. *Ille tamen faciem prius inſpicit.*] Is qui ſportulis erogandis eſt a divite aut patrono præfectus quem balneatorem elixum vocat Martial. Lib. 3. Epigram. 7.

Faciem prius inſpicit.] Cavens ne quis irrepat alienus, ſubornatus & ignotus; atque ſportulam rapiat ſolis clientibus adminiſtris dari juſſam.

Trepidat ne, &c.] Argueretur enim a Domino, ſi imponi ſibi pateretur forſan & damnum ferret.

99. *Agnitus accipies.*] Tunc munus capies, cum legitime petere viſus & agnitus fueris.

100. *Trojugenas.*] Patricios majorum Gentium, inquit vetus Schol. Optimates Romanos a Trojanis oriundos, quod jactabant ipſi, & auctor eſt. Virg. Æneid. 1.

Nam vexant limen & ipſi.] Ipſi nobiles ad ſportulam ſordide conveniunt, & debitum pauperibus dumtaxat munus aſportant. Martial. Lib. 10. Epigram. pariter 10.

Cum tu laurigeris annum qui faſcibus intras,
Mane ſalutator limina mille teras,
Hic ego quid faciam, &c.
Quid faciet pauper, cui non licet eſſe clienti?
Diviſit noſtras purpura veſtra togas.

101. *Da Pratori.*] Diſtribue mihi primo, inquit Prætor.

Pratori Tribuno.] *Prætor*, inquit Varro, *dictus, quod exercitui præeat. Eſt & Magiſtratus juridicundo præpoſitus.* Tit. Liv. Lib. 5. Cic. 2. de Legibus. *Tribunus aut Plebis, aut Militum fuit.* De quibus Tit. Liv. & alii. Vide Alex. ab Alex.

102. *Libertinus.*] Oriundus e ſervis in libertatem aſſertis. Criſpinus, de quo ſupra, vel alius quilibet.

Prior eſt.] Prior acceſſit, videturque præferendus & Prætori Tribuno. Vel, opibus potior eſt.

Prior, inquit, ego adſum.] Proſopopeia ironica libertini adverſus nobiles contendentis.

103. *Locum.*] Jus meum, & ordinem.

104. *Ad Euphratem.*] Natus vel ex Armenia, vel e Syria, aliiſque regionibus *Euphrati* proximis, e quibus ſervorum ingens proventus Romæ fuit.

Euphrates.] Fluvius nobilis, e Niphate monte Armeniæ profundus & celer naſcitur, inquit Strabo, cum Tigri Meſopotamiam facit, in ſinum Perſicum illabitur. Stagnationibus ſuis agros fœcundat, limum tamen non invehit, ſicut in Ægypto Nilus; teſtis Plinius Lib. 18. cap. 17. *Euphratem* vero deſcribit Lib. 5. cap. 24.

In aure feneſtra.] Foramina ſcilicet, more patrio, e quibus *inaures* dependent. Plin. Lib. 11. cap. 37. ait in Oriente, viris aurum geſtare auribus appenſum, decus exiſtimari. Carpit vero noſter Poëta homines libertini generis, qui per ſcelus opes & libertatem adepti ſuperbiebant quidem, attamen pertuſis auribus ſigna priſtinæ ſervitutis celare non poterant. Quod ait Vetus Scholiaſtes Plaut. Pœnul. Scena 14.

Quia incedunt cum annulatis auribus.

Arguerint

Digitized by Google

Arguerint, licèt ipſe negem: ſed quinq; tabernæ
Quadrigenta parant. Quid confert purpura majus
Optandum, ſi Laurenti cuſtodit in agro 107
Conductas Corvinus oves? Ego poſſideo plus
Pallante, & Licinis. Expectent ergo Tribuni.
Vincant divitiæ, ſacro nec cedat honori 110
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.
Quandoquidem inter nos ſanctiſſima divitiarum
Majeſtas: etſi funeſta pecunia templo [aras,
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus

At taberna quinque mihi *præſtant quadrigenta. Ecquid purpura dat ampliùs deſiderandum, ſi Corvinus ſervat oviculas conductitias in campis Laurenti? Ego habeo majores* divitias, quàm *Pallas & Licinii. Igitur Tribuni præſtolentur, opes ſint victrices, neque ſacroſancta dignitati concedat qui pedibus albo* notatis *haud ita pridem acceſſerat in iſtam civitatem: quoniam opum dignitas* eſt *apud nos ſacratiſſima: quanquam,* ô *pernicioſa Pecunia, non manes adhuc* in *æde* ſacrâ, *& nummis altaria nulla extruximus,*

ANNOTATIONES.

105. *Sed quinque tabernæ, &c.*] Si nobilis non ſum, ut habeo majores nobilibus ipſis opes, quinque nimirum in foro tabernas. Unde me conſolor, inquit libertinus, nec Prætori cedam aut Tribuno, manum ad ſportulam mecum porrigentibus.

106. *Quadringenta parant.*] Si minus nobilitatem; at cenſum equeſtrem præſtant, quadringenta nempe ſeſtertia. Vide ſupra ver. 92. Plin. Lib. 33. cap. 2. *Tiberio imperante conſtitutum,* inquit, *ne quis in Equeſtri Ordine conſeretur, niſi cui ingenuo ipſi, patri, avoque paterno ſeſtertia quadringenta cenſus fuiſſet, &c.* Vide Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 29.

Quid confert purpura majus.] Quid vero juvat nobilitas, ſi mummi deſint?

Purpura majus.] Alii legunt, *magis,* & explicant, *Quid magis optandum confert purpura?* Alii legunt, *purpura major,* & cum Schol. Vet. interpretantur *laticlavium,* ceu *latum clavum,* quæ veſtis erat Senatoria, tunica vulgari amplior, cui prætexta purpura erat. Fuit & Equitum Romanorum latus clavus ſed a Senatorio diſtinctus, quæ omnia explicat Alex. ab Alex. loco mox citato. Vide Plin. Lib. 9. cap. 36. & ſeq.

107. *Laurenti.*] *Laurentum* oppidum eſt Latii, Lavinio proximum

108. *Corvinus.*] Vir e ſtirpe inſignis illius Valerii Corvini, paupertate adactus ad paſcendas oves alienas & conductitias, victus habendi gratia.

109. *Pallante.*] *Pallas* ortus ex Arcadia, Imperatoris Claudii libertus, eoque auctore Prætoria inſignia conſecutus a Senatu, ut ait Corn. Tacit. Lib. 12. Annal. in Aula potens etiam ſub Nerone, ut probant ſeq. Annal. Libri.

Licinis.] *Licinii* fuere plures, omnes opulenti de quibus vide quæ dicturi ſumus ad Perſ. Sat. 2. ver. 36.

Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit
in ædes.

110. *Vincant divitiæ.*] Nobilitate ſint potiores, Horat. Lib. 2. Sat. 3.

. . . . *Omnis enim res,*
Virtus, fama, decus, divina humanaq; pulchris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, & Rex:
Et quicquid volet.

Et eodem. Lib. Sat. 5.

Et genus, & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.

Sacro honori.] Prætoriæ, vel Tribuniciæ Majeſtati, quam violare eſt nefas, & qui læſiſſet, ejus caput Jovi ſacrum erit, & familia venumdatur; ex lege.

111. *Nuper in hanc urbem, &c.*] Mancipium, ſervus. Plin. lib. 35. cap. 17. *Viliſſimum eſt creta genus,* inquit, *qua pedes venalium trans mare advectorum denotare Majores inſtituerant.* Tibullus Lib. 2. Eleg. 3.

Regnum ipſe tenet quem ſæpe coegit
Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

Pedibus albis.] Creta vel gypſo notatis pedibus mangonis ſeu heri ſigno, vel ſigillo Reipublicæ, ſi publica eſſent mancipia. Sic enim venum exponebantur in cataſta. Vide quæ dicemus ad Perſ. Sat. 6. v. 78. ad vocem *cataſta.*

112. *Quandoquidem inter nos, &c.*] Sequentes verſus quinque nonnullis ſuſpecti ſunt & adulterini videntur, ſed quo jure?

113. *Funeſta pecunia.*] Socrates aiebat opes & nobilitatem non ſolum nihil in ſe habere honeſtatis, ſed & omne malum ab iis oriri. Diogen. Laërt.

Etſi funeſta pecunia templo nondum habitas.] Etſi pecunia nec aras nec ædem habuit hactenus, in quibus apud nos ut Numen colatur, ei tamen obediunt omnia, eam omnes venerantur, ejuſq; nomen eſt apud homines ſanctiſſimum. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 21. cap. 34. & Turneb. qui Lib. 11. cap. 20. Pecuniam inter Deas relatam contendit, probatq; ex Arnob. Lib. 4. adverſus Gentes, ubi ſcribit: *Quis Deam Pecuniam eſſe credat, quam velut maximum Numen veſtra indicant littera donare aureos annulos, &c.*

Ut

Ut colitur pax, atque fides, victoria, virtus,
Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.
Sed cum ſummus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc eſt,
Et panis, fumuſq; domi? denſiſſima centum
Quadrantes lectica petit, ſequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor.
Hic petit abſenti, nota jam callidus arte,
Oſtendens vacuam, & clauſam pro conjuge ſellam.

ſicut honoratur Pax, & Fides, Victoria, Virtus, & Concordia, quæ ſtrepit reviſo nido. At quandoquidem ſuprema dignitas anno deſinente numerat quod ſporta afferat, & quantum adjungat opibus, ecquid agent aſſeclæ, qui inde tunicam, inde calceamenta habent: & panem, atque ignem in domo? Lectica ſpiſſiſſima poſcit quadrantes centum; & conjux ægra aut gravida circumfertur, ac virum comitatur. Ille pro abſente poſtulat, peritus doli jam comperti, monſtrans ſellam inanem & concluſam, loco uxoris, ait:

ANNOTATIONES.

115. *Pax.*] Veſpaſianus *Paci* templum erexit foro proximum. Sueton.

Fides.] Numa Pompilius *Fidei* ſolemne inſtituit. Ad id ſacrarium Flamines bigis curru arcuato vehi juſſit, manuque ad digitos uſque involuta, rem divinam facere, ſignificantes *Fidem* tutandam, ſedemque ejus etiam in dextris ſacratam eſſe. Hæc Tit. Liv. Lib. 1. cap. 21. *Fidem* in Capitolio dedicatam & conſecratam ait Cic. Lib. 2. de Nat. Deor. cap. 61.

Victoria.] Dion. Halicarn. Lib. 1. *Victoriæ* templum ab Arcadibus in vertice collis ædificatum ait. Tit. Liv. Lib. 8. *Victoriæ* templum in Palatio fuiſſe teſtatur, & Cic. loco mox citato.

Virtus.] Tullius loco citato de Natura Deorum ſic habet: *Vides Virtutis templum a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Liguſtico a Q. Maximo dedicatum. Quid Concordiæ, Libertatis, Victoriæ?* Tit. Liv. ad portam Capenam fuiſſe refert. Item Plutarchus.

116. *Concordia.*] *Concordiæ* templum Camillus aliique ædificarunt, teſtis Ovidius Faſtor. 1. dedicavit & Tiberius. Sueton.

Salutato crepitat nido.] Senſus eſt: Concordia, in cujus ædis faſtigio aves nidificantes ſonitum edunt & crepitant, quoties ad nidos redeunt, & pullos quaſi ſalutant, pabulum afferentes. Cornices intelligit Politian. Miſcell. cap. 67. eo quod inter illas magna ſit fides & concordia; & quod Veteres in Nuptiis poſt Hymeneum cornicem invocabant. Alii tamen inter quos Mancinellus, & Turneb. lib. 8. cap. 18. Ciconias ſignificari volunt, quia pietas illis ineſt admirabilis, quam explicant Solinus & Plin. Lib. 10. cap. 23. & quoniam Concordia Ciconiæ forma colebatur. Videtur certe Juvenalis reſpexiſſe illud Ovidii:

Ipſa ſibi plaudat crepitante Ciconia roſtro.

Cæterum mihi non abſurdus videatur Flavius Conject. cap. 53. locum hunc ſimpliciter explicans de æde Concordiæ, ad quam non ſine ſtrepitu confluebant Patres, cum ibi Senatus interdum haberetur, teſtibus Varrone & Lampridio.

117. *Sed cum ſummus honor, &c.*] Cum ſummi quique viri, Magiſtratus, Senatores computent, quantum ipſis valeant ſportulæ unius anni, & quantum emolumenti afferant; quod ſordidum, & indignum; quid facient pauperes, clientes, paraſiti, qui non aliunde quam a ſportulis habent quo vivant & veſtiantur?

118. *Sportula.*] Quid ſit explicavimus antea.

Quantum rationibus addat.] Quantum annuo reditui accedat e ſportularum proventu.

119. *Comites.*] Vide ſupra ver. 96. ad vocem, *Togata,* Clientelas & patrocinia a Romulo inſtituta ſapienter, jam pauperibus inutilia deplorat.

120. *Fumus.*] Metonym. pro igne, aut lignis ad fovendum in camino ignem.

Denſiſſima centum quadrantes lectica petit.] Ipſi Nobiles & Magiſtratus *lectica* vecti cum uxoribus gravidis & ægris ad ſportulam confluunt & præripiunt, ut jam dictum, pauperibus victum neceſſarium, ac veſtitum: quin & fraude utuntur ad plures ſportulas, ut mox dicetur, rapiendas. O avaritiam & ſordes!

Denſiſſima.] Vel plena viro, uxore, & filiis, vel potius frequens & multiplex; aut etiam multis clientibus ſtipata, comitibus, aſſeclis.

Centum quadrantes.] Aſſes viginti quinque, nam *quadrans* eſt quarta pars aſſis; quæ maxima erat ſportula. Vide ſupra.

121. *Lectica.*] *Lecticarum* uſum primi dicuntur inveniſſe Bythini, inquit vetus Schol. & diximus antea.

123. *Hic petit abſenti.*] Quidam mentiuntur ineſſe uxores in lectica tecta & clauſa undique, & earum nomine ſportulam petunt, quæ ſolis præſentibus diſpenſabatur.

Nota jam callidus arte.] Hæc enim fraus jam detecta fuerat; quapropter diſpenſator modo rogabit, ut Galla caput e lectica vel ſella proferat, aut ſaltem remotis plagulis per feneſtellas lecticæ vultum oſtendat, & adeſſe ſe teſtetur.

124. *Oſtendens.*] Diſpenſatori indicans ſellam, quaſi ſua uxor in illa ſit ex ægritudine quieſcens.

Clauſam ſellam.] Vide ſupra v. 65. ubi de lectica & ſella fuſe egimus.

Galla

Digitized by Google

Galla uxor *mea eſt* intus: *quamprimùm abire jubet.* Cur *tardas? O Galla, oſtende caput. Dormit,* ne illam *crucies. Dies ipſe diſcernitur præclarâ rerum viciſſitudine.* Primò *ſportula*; *poſteà forum, & Phœbus Juris gnarus, ac triumphales: inter quas neſcio quis ex Ægypto, & Arabarches auſus eſt habere inſignia, ad imaginem cujus non licet dumtaxat mejere. Antiqui* verò *aſſeclæ fatigati ex atrio diſcedunt, & deſideria abjiciunt, tametſi viro fuit diuturna ſpes cœnæ:*

Galla mea eſt, inquit; citius dimitte: moraris?
Profer, Galla, caput. Noli vexare, quieſcit.
Ipſe dies pulchro diſtinguitur ordine rerum.
Sportula, deinde forum, Juriſque peritus Apollo,
Atque triumphales, inter quas auſus habere
Neſcio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches,
Cujus ad effigiem non tantum mejere fas eſt.
Veſtibulis abeunt veteres, laſſique clientes,
Votaque deponunt; quanquam longiſſima cœnæ

ANNOTATIONES.

125. *Inquit.*] Maritus videlicet.

Eſt.] In lectica.

Citius dimitte.] Feſtina ſportulam duplicem dare pro me & uxore mea, quæ ægra huc venit: noli diu morari nos, inquit ille avarus, timens ne diſpenſator fraudem ſubodoretur & inveſtiget.

126. *Profer Galla caput.*] Inquit diſpenſator dolum cavens, quem alias jam deprehenderat.

Noli vexare.] Reſpondet ille doloſus vir, ne moleſtus ſis ægræ uxori, ne excita quieſcentem, ne languentem coge caput proferre, & male affectum corpus vexare. Diximus ſupra lecticam fuiſſe uſui vario & multiplici, & in ea diſpoſitum pulvinar, in quo recumbere, & quieſcere licebat.

127. *Ipſe dies.*] De die naturali & artificiali fuſe differemus ad Perſii Sat. 3. v. 4.

Pulchro diſtinguitur ordine.] Ironice hæc dicit. Senſus eſt: primum clientes mane conveniunt ad ſalutandos patronos, ut diximus antea ad v. 96. & rogant ſportulam de qua jam non ſemel. Martial. Lib. 4. Epigram. 8.

Prima ſalutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia Cauſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores:
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava paleſtris;
Imperat extructos frangere nona thoros.
Hora libellorum decima eſt.

128. *Deinde forum.*] Deinde a clientibus Patroni deducuntur ad *forum* ubi templum Apollinis Palatini, & Imagines triumphantibus poſitæ.

Forum.] Quod nempe tertium ædificavit Auguſtus cum duo non ſufficerent hominum & judiciorum multitudini. Suet. cap. 29.

Juriſque peritus Apollo.] An quia Juris Civilis Bibliothecam Auguſtus dedicarat in Æde Apollinis Palatini, ut ait Vetus Schol. An potius quod Jus reddebatur ibidem in Auguſti foro, ubi Apollinis ſtatua eburnea, cujus meminit Plin. tum alibi, cum Lib. 36. cap. 5. Unde Horat. Lib. 1. Sat. 5. ultimo.

---Sic me ſervavit Apollo.

129. *Triumphales.*] Ubi & ſtatuæ triumphales erectæ ſummis viris poſt victorias & præclare geſta: in roſtris nimirum, ut monet Vet. Schol.

130. *Neſcio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches.*] Vel Criſpinus, de quo antea: vel, ut vult Alciat. Prætermiſſ. Lib. 1. Tiberius quidam Alexander, Ægyptius, Ægyptique gubernator: de quo Tacit. Hiſtor. 1. & Euſeb. Lib. 2. Afferunt alii Joſephum Judæorum Ducem, cui triumphalem ſtatuam Veſpatianus erexit, ob virtutem, & ingenium. Ex D. Hieron.

Titulos.] Effigiem cum Elogio.

Ægyptius atque Arabarches.] Hæc duo videtur Poeta junxiſſe, ſicut conjunctæ ſunt regiones Ægyptus & Arabia.

Arabarches.] Locum hunc egere locubrationibus Grammaticorum admonet Turneb. Lib. 27. cap. 25. ubi & legendum putat, cum nonnullis Codicibus atque Auctoribus, *Alabarches*, qui fuerit Alexandriæ Magiſtratus quidam Judæis Alexandrinis præpoſitus, probatque ex Joſepho Bell. Jud. Lib. 22. cap. 3. & 5. Alii tamen retinent vocem, *Arabarches*; atque interpretantur, Arabiæ Præfectum, aut publicanum, qui vectigali de pecuariis ex Arabia in Ægyptum advectis præerat. Cicero Lib. 2. Epiſt. 17. ad Atticum: *Velim ex Theophane exſpiſcere*, inquit, *quonam in me animo ſit Arabarches:* (Alii Codices habent, *Alabarches*:) ubi Pompeium intelligunt quidam, eo quod Arabiæ partem ille domuiſſet: alii vero cum Cœl. Rhodig. M. Antonium, qui multa inde tributa exegerat.

131. *Non tantum mejere fas eſt.*] Velut in ſacro loco nefas ſordes & alvum exonerare. Vide quæ ad Perſii Satiram 1. v. 144. ad has voces. *extra mejite.*

132. *Abeunt laſſi.*] Fatigati e comitatu officiiſque diuturnis.

133. *Votaque deponunt.*] Rectæ cœnæ ſpem abjiciunt.

Longiſſima.] Nam tota die cœnam exſpectabant.

Spes

Spes homini: caules miſeris, atque ignis emendus.
Optima ſilvarum interea, pelagique vorabit
Rex horum, vacuiſque thoris tantum ipſe jacebit.
Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia menſa.
Nullus jam paraſitus erit: ſed quis feret iſtas
Luxuriæ ſordes? quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum?
Pœna tamen præſens, cùm tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.

atque egentibus braſſica, & ignis coëmenda ſunt. Interim illorum dominus comedet exquiſita è ſilvis ac mari, atque ſolus ipſe recumbet in lectis inanibus. Etenim è tot eximiis atque amplis patinis ac tam veteribus, unica in menſa devorant patria bona. Deinceps nullus extabit paraſitus. At quis tolerabit hanc intemperantiæ turpitudinem? Quàm magna eſt ingluvies, quæ apponit ſibi apros integros, beſtiam ad epulas deſtinatam? Attamen adeſt ſupplicium, quando tu ſtatur veſtes abjicis, & in balnearia defers pavonem non coctum.

ANNOTATIONES.

134. *Caules miſeris atque ignis emendus.*] Ut ſupra dictum, loco cœnæ rectæ accipientes pecuniariam ſportulam, centum quadrantes videlicet, ex iis coguntur miſeri coëmere ſibi oluſcula quibus victitent, & ligna ad ignem oleribus coquendis faciendum: interim dum Patroni delicatiſſimis epulis veſcuntur.

135. *Optima ſilvarum & pelagi.*] Ferinas carnes, & piſces exquiſitos.

136. *Rex horum.*] Clientum Patronus, illorum veluti *Rex* & tyrannus, ſine mercede, aut ſaltem exigua, magna imperans.

Vacuis thoris.] Pulvinis aut lectis diſcubitoriis, in quibus ſtratos veteres cibum ſumpſiſſe notum eſt. *Vacuis* autem, id eſt, plurium alioqui convivarum capacibus.

Tantum ipſe jacebit.] Recumbens epulabitur ipſe unus, dum præſtitorum officiorum juſtam mercedem, cœnam rectam, Clientes famelici fruſtra deſiderant.

137. *Pulchris orbibus & tam antiquis.*] Antiqui artificii, atque artificis, eximii operis, nec non e pretioſa materia; quæ quidem commendare ſolent vaſa & ſupellectilia.

138. *Una comedunt patrimonia menſa.*] Patrimonia abſumunt laute epulando, *una* vero in *menſa*, i. e. patronus ſolus cum uxore ac liberis; excluſis proinde clientibus, amicis, & aliis quibuſlibet: cum e contra majores nunquam ſoli epularentur, ſed pulchre liberales & munifici egenos Clientes, & amicos menſæ adhibere ſoliti eſſent.

139. *Nullus jam paraſitus erit.*] Bene habet: *Nullus erit* amplius adulator: peribit ſic exitioſum illud hominum genus, qui ut gratuitas cœnas aucupentur potentioribus aſſentantes, veritatem perdunt, & vanitati obſecundant ac ſuperbiæ divitum.

Paraſitus.] Quaſi παρὰ σῖτον dictus, eo quod menſas divitum opiparas ſectetur. *Paraſitorum* apud Comicos crebra mentio: deſcriptio luculenta habetur apud Athen. lib. 6. ubi & *Paraſiti* appellatio pridem ſancta & venerabilis dicitur fuiſſe, & paraſitari primus cœpiſſe Philius Jupiter Cœlitum maximus, c. 8. & 9.

140. *Luxuriæ ſordes.*] Quid enim ſordidum magis, quam per avaritiam debitum egenis negare cibum, ſibi vero privatim nihil non lautitiarum indulgere, per helluationem & luxuriam?

141. *Totos ponit apros*] Quod magnificentiæ tribuebatur, inquit vet. Schol. Plin. l. 8. c. 51. ait P. Serv. Rullum primum extitiſſe inter Romanos qui ſolidum *aprum* in epulis appoſuit: *& hoc annales notarunt*, inquit ille, *ad emendationem morum*.

Animal propter convivia natum.] Alludit ad id quod Varro ſcrib. lib. 2. de *Re Ruſt.* c. 4. Suillum pecus donatum ab natura ad epulandum. Itaque iis animam datam eſſe proinde ac ſalem, quæ ſervaret carnem.

Natum.] Hor. Lib. 1. Od. 27.

Natis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare Thracum eſt.

142. *Pœna tamen præſens.*] Continuo ſuæ gulæ inſtat pœna, & punitio, mors nimirum ſubitarea atque improviſa, ſine teſtamento.

Cùm tu deponis amictus.] Quando balnea ſubis, & lavas cibis diſtentus ac ingurgitatus.

142. *Turgidus.*] Perſ. Sat. 3. v. 98.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur.
* * * * * *
Hinc tuba, candelæ, &c.

Crudum.] Necdum in ſtomacho coctum, quod quidem valde ſanitati noxium oſtendemus loco Perſii mox citato.

Pavonem.] Hinc cibi gratia Romæ primus occidit Orator Hortenſ. aditiali, ſive adjiciali cœna Sacerdotii. Saginare primus inſtituit M. Aufid. Lurco circa ultimum bellum Piraticum; & ex eo queſtu reditus ſeſtertium 60000 habuit. Hæc Plin. l. 10. c. 20. Macr. autem Saturn. l. 3. c. 13. *Primus Q. Hortenſius* (inquit) *augurali cœnâ dicitur pavones poſuiſſe. Quorùm pretia ſtatim extulerunt multi, ita ut ova eorum denariis venirent quinis, ipſi facile quinquagenis.* Apud Athen. l. 14. c. 20. furioſum eſſe dicitur alere domi *pavones*, quorum pretio queant emi ſtatuæ.

Balnea.] Quantum eſſet apud Romanos lavandi ſtudium, exponemus ad locum Perſii, Sat. 3. modo citatum.

Inde mortes repentinæ, & ſenecta non teſtata. Novus & non mœſtus ſermo vagatur per omnia convivia. Deducuntur exequiæ applaudendæ familiaribus irâ percitis. Nihil amplius erit, quod poſteri adjungant noſtris moribus. Nepotes optabunt & perpetrabunt ſimilia. Omne crimen in arduo poſitum eſt, Adhibe vela: plicas integras explica. Iſthic fortaſſe dixeris: unde ingenium æquale argumento? Unde iſta anteriorum quicquid vellet mens inflammata, ſcribendi ſinceritas, cujus appellationem eloqui non auſim? Ecquid intereſt utrum *Mutius indulgeat iis quæ ſcribam, an non? Exhibe Tigellinum;* ſtatim *fulgebis in iſta face*

Hinc ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus.
It nova, nec triſtis per cunctas fabula cœnas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod noſtris moribus addat
Poſteritas: eadem cupient facientque minores.
OMNE in præcipiti vitium ſtetit. Utere velis,
Totos pande ſinus. Dicas hîc forſitan, unde
Ingenium par materiæ? unde illa priorum
Scribendi quodcumque animo flagrante liberet
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoſcat Mutius, an non?
Pone Tigellinum, teda lucebis in illa,

ANNOTATIONES.

144. *Inteſtata ſenectus.*] Tam repente mors ingruit & præoccupat, ut minime liceat teſtari, & ſcribere codicillos ac teſtamentum.

145. *Nec triſtis.*] Rident ſcilicet tuam e nimiis epulis mortem epulantes, quibus idem fortaſſe fatum imminet.

146. *Iratis.*] Quibus ex teſtamento quidpiam a te ſibi pollicentibus nihil tamen reliqueris, eo quod conficiendi teſtamenti tempus tibi defuerit. Perſius Sat. 6. v. 33.

------ -*Sed cœnam funeris hæres*
Negliget iratus, &c.

Plaudendum.] Plauſu excipiendum ac proſequendum, quia pœna præſens affecerit ſordidos helluones; & gula mulctata ſit.

147. *Noſtris moribus.*] Pravis noſtris ac perditis moribus, vitiiſque ſic invaleſcentibus, ut nihil addi poſſe videatur in poſterum: unde poſteri ſimilia dumtaxat perpetraturi ſint, non graviora.

149. *Omne in præcipiti vitium ſtetit*] Nunc vitium omne ſtat in ſummo gradu, neque progredi ulterius poteſt. Unde a Satira ſcribenda temperare nequeo.

Utere velis.] Metaphora. Id eſt, laxa iram, adhibe omnem animi impetum: omnes animi vires intende.

150. *Totos pande ſinus.*] Sicut navigantes ſecundis ventis totos velorum ſinus expandunt; ſic & tu incumbe totus tam uberi Satirarum materiæ. Vide ſupra ad v. 88.

Dicas hîc forſitan.] Prolepſis, qua reſpondet ad ea quæ ſibi poſſunt objici.

151. *Unde ingenium par materiæ.*] Habeſne ingenium ſatis amplum & grave, quod reſpondeat amplitudini & gravitati materiæ.

Unde illa priorum, &c.] Non eſt ea modo Satiras ſcribendi ac ſcelera vellicandi libertas, quæ fuit prius, qua præcedentibus ſæculis Lucilius, ac deinde Horatius fruebantur, atque uſi ſunt exemplo Græcorum Comicorum, Eupolidis, Cratini, Ariſtophanis. Tum certe fas erat vitium quodvis inſectari palam, & confodere in ipſo vitioſorum ore atque Principum. At non ita modo. Horat. lib. 1. Sat. 4.

152. *Animo flagrante.*] Zelo in improbos exardeſcente.

153. *Simplicitas.*] Παῤῥησία, qua audebant ſcelus proſcindere ac ſceleratos, ſumma libertate; homines etiam notare ſine ambagibus. Adeo ut opus aliquando fuerit Edicto frænum injicere licentiæ Satyricorum in veteri Comœdia. Horatius ad Piſones.

Sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi: lex eſt accepta: chorusque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.

Non audeo dicere nomen.] Inſidiantibus paſſim & ubique delatoribus, & oppreſſa per Tyrannos loquendi libertate. Patet ex Sueton. Calig. cap. 27. citand.

154. *Quid refert.*] Reponit Juvenalis: Iraſcantur licet vitioſi ſtylo meo confoſſi; quid tum?

Mutius.] Cui Lucilius nequaquam pepercit. Vide Sat. 1. Perſii ad v. 115.

115. *Pone Tigellinum.*] Reſpondet Juvenali monitor quidam: jam Mutii Scævolæ tempora pridem abiere, jam longe mutata ſunt omnia. Enimvero ſi reprehendas ac notes v. g. Tigellinum, aliumve in Aula potentem, id non impune, ut olim feceris.

Tigellinum.] C. Fulcinius *Tigellinus* patre Agrigentino, juvenis egens at valde pulcher, ob flagitia urbe ſummotus eſt. Deinde Neronis amicitiam nactus, ac poſtea Galbæ, ad hoc etiam vindicatus & ſervatus eſt, cum mortuo Nerone a Populo Romano ad ſupplicium diſpoſceretur. Vetus Schol. de illo jam ſupra ad v. 59. & ſeq.

Teda.] Arbor reſinam abundanter exudans, unde flammis ac lumini ſacrorum grata dicitur, apud Plin. lib. 16. cap. 10.

Teda lucebis.] Id eſt, vivus cremaberis juſſu

Quæ

Quà ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media ſulcum deducit arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehetur
Penſilibus plumis, atque illinc deſpiciet nos?
Cum veniet contra, digito compeſce labellum:
Accuſator erit, qui verbum dixerit, hic eſt.
Securus licet Æneam, Rutulumque ferocem

quâ uruntur ſtantes, qui perfunduntur fumo, gulâ ſuffixâ, atque amplum aperit ſcrobem in media arena. An igitur qui porrexit venena tribus patruis, feratur plumis ſuſpenſis, & inde nos aſpernetur? Quando adverſum occurret, digito labia comprime. Qui pronuntiaverit voces, is eſt: illi *accuſator aderit. Fas eſt* ut *tutus componas Æneam & fortem Rutulum.*

ANNOTATIONES.

Tyranni, & delatorum arbitrio. Hic alluſum volunt nonnulli ad Neronis in Chriſtianos immanitatem, de qua Cornel. Tacit. Annal. 15. *Aut crucibus affixi*, inquit, *aut flammandi: atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urebantur*, Chriſtiani nimirum. Et vetus Schol. *In munere Neronis arſerunt vivi, de quibus ille juſſerat cereos fieri, qui lucerent ſpectatoribus.* Item, *Maleficos homines teda, papyro, cera ſuperveſtiebat, ſicque ad ignem admoveri jubebat ut arderent.* Hinc Sat. 8. v. 235. *moleſtam tunicam* appellabit. Et Seneca ad Lucilium, *Cogita illam tunicam alimentis ignium illitam & intextam, & quicquid præter hac ſævitia commenta eſt.*

156. *Stantes ardent.*] Alligati palo, aut adacto per corpus ſtipite, cremantur.

Fixo gutture.] Sueton. Vitell. c. 17. *Reducta coma a capite, ceu noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto*, (alii legunt *ſubrecto*) *ut viſendam præberet faciem neve ſubmitteret.* Turneb. Lib. 24. c. 41. rectius enim erat gladii mucro ſub mento poſitus, quo vultum erigere cogebatur. Forſan & reſpicit Juvenalis ad uncum gutturi noxiorum impingi inſigique ſolitum, quo ad ſcalas Gemonias trahebantur, ubi pendentium crura frangebantur, & ſubjecto igne ardebant, ut obſervat Mancinellus.

Fumant.] Circum accenſo igne.

157. *Et latum media ſulcum deducit arena.*] Verſus iſte creditur a nonnullis adulterinus. Legunt alii, *deducis:* alii *qui ducit*, ut ſit continuus ſenſus. Et Lipſius ex vet. Cod. corrigit ſic:

Et latus mediam ſulcus diducit arenam.

Interpretari licet vel de ſulco in arena facto, cum Rei corpus eo quo dictum eſt modo raptabatur ad patibulum: vel de ſcrobe & foſſa, in qua defoſſus affixuſque palo vivus comburebatur. Apud Cornel. Tacit. Annal. 15. paulo ante finem; *Cum pœna Flavii Veiano Nigro Tribuno eſſet mandata, is proximo in agro ſcrobem effodi juſſit, quem nimis anguſtum Flavius fuiſſe conqueſtus dicitur.* Sueton. Neron. c. 49. *Scrobem ſibi fieri coram imperat dimenſus ad corporis ſui modulum ipſe Nero.*

Media arena.] Multi quidem in mediâ amphitheatri arena cremabantur. Quemadmodum refert Sueton. Calig. cap. 27. de quodam Atellanarum Poeta, ob joci ambigui verſiculum, illic igni tradito juſſu Imperatoris.

158. *Qui dedit ergo tribus patruis, &c.*] Indignabundus Juvenalis reſpondet monitori. Ergone mollis Tigellinus impune deſpiciet nos, neque ſolum effœminatus ſed veneficus & nequam? Vide ſupra ad v. 67.

Aconita.] Mortiferum herbæ venenoſæ ſuccum. De his Plin. pluribus locis multa lib. 6. cap. 1. ſic habet. *A Ponti ore diſtat millibus ducentis portus Acone veneno aconito dirus.* Et lib. 27. cap. 3. *Naſcitur*, inquit, *in nudis cautibus, quas aconas vocant: & ideo aconitum aliqui dixere, eo quod nullus adſit juxta nutriens pulvis, qui Græce, κόνις, &c.*

159. *Penſilibus plumis.*] Sella, lectica, in quibus pulvini, & lecti, ut fuſe ſupra explicatum eſt. Plin. lib. 26. cap. 3. meminit & balinearum penſilium.

Atque illinc.] E ſublimi culcitra; vel ex eo quod molliter vehatur ipſe, dum nos pedibus incedere cogimur; quia non ſuppetunt divitiæ & opes nobis perinde ac illi, hinc ſuperbe nos intuetur ac deſpicit? Quaſi vero.

160. *Cum veniet contra.*] Imo, inquit monitor, ſi forte obvius fiat tibi Tigellinus iſte, vide ne quid in illum mutias.

Digito compeſce labellum.] Conſule tibi, inquam, & ne ullum indignationis aut iræ indicium promas.

161. *Accuſator erit, qui, &c.*] Quod ſi obmurmurat quiſpiam, & vel, *hic eſt*, dixerit eo tranſeunte, ſtatim inveniet accuſatorem qui reum agat. Cave ergo ne vel has voculas protuleris, cum Tigellinus occurrerit.

162. *Securus licet Æneam, &c.*] Pergit monitor, quod ſi te carmina ſcribendi ſtudium tenet, licet nobilem animi ardorem ſequi; illuſtres mortuos verſibus tuis exorna, quod fecit Virgilius, minori periculo, majori gloria, quam ſcribendo Satiras.

Æneam Rutulumque.] Certamina Æneæ Trojanorum ducis, & Regis Rutulorum Turni, de quibus in Æneide Virg. Lib. & ſeq.

Digitized by Google

Committas: nulli gravis eſt percuſſus Achilles;
Aut multum quæſitus Hylas, urnamque ſecutus.
Enſe velut ſtricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacita ſudant præcordia culpa.
Inde iræ, & lacrymæ. Tecum priùs ergo voluta
Hæc animo, ante tubas: galeatum ſerò duelli
Pœnitet. Experiar quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Nemini moleſtus eſt Achilles vulneratus, aut Hylas inveſtigatus plurimùm, atque Hydriam comitatus. Quoties fervens Lucilius inſonuit diſtricto quaſi gladio, toties *rubeſcit audiens* ille, *cui animus ſceleribus frigeſcit, & cor ſudorem emittit* ob *noxas occultas. Illinc iracundia & fletus. Quapropter ante buccinas, iſta tecum anteà revolve* in *mente. Belli tardè piget* eum qui jam *caſſidem induit. Explorabo quid liceat adverſus eos, quorum favilla condita eſt* ad vias *Flaminiam & Latinam.*

ANNOTATIONES.

163. *Committas.*] Virum viro opponas, ac velut in certamen deducas.

Nullis gravis eſt percuſſus Achilles.] Nemo offendetur carmine de Achillis morte, aut de Hylæ fato.

Percuſſus.] Proprie, nam Paris dicitur poſt Apollinis effigiem latens emiſſa ſagitta Achillem percuſſiſſe, quo ex vulnere occubuit.

164. *Quæſitus Hylas.*] Hic Herculis ſocius atque amaſius, ad hauriendam aquam profectus, cum ad flumen Aſcanium ſe inclinaret, ſimul cum urna undis abreptus eſt. Ab Nymphis raptum fabulantur Poetæ ob pulchritudinem. Porro ſollicite quæſitus Hylas cum non compareret, in ejus honorem Sacra inſtituit Hercules, in quibus ſolemniter inclamaretur. Hinc Virgil. Eclog. 6.

His adjungit Hylam: nautæ quo fonte relictum
Clamaſſent, ut littus Hyla Hyla omne ſonaret.

165. *Enſe velut ſtricto.*] Stylo Satyrico armatus.

Lucilius.] Vide Perſ. Sat. 1. ad v. 114.

---*Secuit Lucilius urbem.*

166. *Infremuit.*] Iram ſpirans & indignationem in vitium & vitioſos.

Rubet auditor.] Seu pudore, ſeu cupiditate ultionis inflammatus. Cur ruborem pudor & gaudium, metus vero pallorem aſpergant, diſputat Macrobius lib. 7. cap. 11.

Frigida mens criminibus.] Oderunt peccare mali formidine pœnæ, inquit Hor. atqui metus ex frigore, & ex recedente ad cor omni ſanguine; mens igitur improborum frigeſcit, quæ conſcia criminum ſibi timet. Vel, frigida mens, quæ diuturno ſcelerum uſu ac veterno conſopita languet, torpeſcit, friget, ac velut immoritur.

167. *Sudant præcordia.*] Præ animi anxietate & labore ob conſcientiam ſcelus objicientem, vel ob acres morſus ſatyrici ſalis.

168. *Inde iræ & lacrymæ.*] Nam & iræ & vindictæ cupido lacrymas elicit.

Tecum prius ergo.] Quæ cum ita ſe habeant, antequam te accingas ſcribendis Satiris, ac veluti claſſicum canas, iſta perpende quæ admonui, nec temere quidquam moliare, cujus deinde ſuſcepti pœniteat ſero.

169. *Animo ante tubas.*] Multum hic variant codices. Legunt quidam; *animo, ante tubas*; ut ſeipſum adhortetur Poeta. Alii, *animante tuba*: ſed perperam.

Ante tubas.] Ante ſonitum & clangorem tubæ: metaphora a re bellica.

Galeatum ſerò duelli, pœnitet.] Jam non licet amplius pugnam detrectare, cum auditur claſſicum, cum adeſt hoſtis, & arma ſunt in manibus: ſerius eſt tum mutare ſententiam.

Duelli.] Duorum eſt certamen proprie, at pro bello etiam ponitur: & e duello factum eſſe bellum ſcribit Quint. lib. 7. inde & perduelles dicti, qui patriæ ſuæ hoſtes ſe profitentur.

170. *Experiar quid concedatur.*] Juvenalis verba, Saltem igitur mortuos laceſſam, & eos dumtaxat Satira vellicabo, qui ulciſci nequeunt: ſic profecto in aliena perſona & vivi vapulabunt. Sunt qui obſervant hanc a Poëta noſtro revera adhibitam in Satiris ſuis cautionem, ut neminem notarit, niſi alieno & ficto nomine.

171. *Quorum Flaminia, &c.*] Nobiles viros, quorum ſepulchra viſuntur ad utrumque latus viarum Flaminiæ ac Latinæ. Nimirum ex quo lege duodecim tabularum graviter ſancitum erat, ne quis in urbe ſepeliretur, frequentius extructa ſunt monumenta ad Flaminiam & Latinam celebres vias. Unde Juvenal. Sat. 5. v. 55.

Clivoſa veheris dum per monumenta Latinæ.

Vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2.

Flaminia.] De hac ſupra ad v. 61.

Latina.] Via lapidibus ſtrata, ut aiunt, ab urbe ad Sinueſſam, quod extremum eſt Latii oppidum, Plin. l. 3. cap. 5. Sita inter Appiam & Valeriam tendebat per Algidum ac Tuſculanos colles ad Ferentinum, Fruſinum, aliaſque civitates claras. Strabo lib. 5.

SATIRA

Digitized by Google

SATIRA II.

ULtra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.
Indocti primum: quanquam plena omnia gypſo
Chryſippi invenias. Nam perfectiſſimus horum eſt,
Si quis Ariſtotelem ſimilem, vel Pittacon emit, 6
Et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

INTERPRETATIO.

Juvat iſthinc aufugere trans Sarmatas, & mare glacie concretum, quotieſcumque de moribus quiddam tentant imperiti valde, qui fingunt Curios, & vitam agunt Bacchantium: etſi cuncta reperies referta gypſo Chryſippi. Etenim præcipuus inter *illos extat, ſi quiſpiam pretio comparat ſimilitudinem Ariſtotelis aut Pittaci; ac mandat armario cuſtodire primos typos Cleanthis.*

ANNOTATIONES.

1. *ULtra Sauromatas.*] Cum video hypocriſim & flagitia ipſorum qui ſapientes videntur, & eſſe debent, profecto hinc migrare velim in longinquas maxime terras, adeo cuncta ſunt Romæ depravata apud Philoſophos, Judices, Nobiles, Sacerdotes.

Sauromatas.] Aliter *Sarmatas*, qui populi Boriſthenem inter ac Tanaim fluvios, ultra paludem Mæotidem, vagi, feri, equinum ſanguinem lacte mixtum potabant; dicuntur ex Amaſonibus oriundi, ut fuſe narrat Herodot. lib. 4. de his Plin. lib. 4. cap. 12. & alibi. Gellius lib. 9. cap. 4. Illic hodie Tartaria parva, & Moſcoviæ magna pars.

Glacialem Oceanum.] Ad Zonam gelidam, verſus Polos, ubi propter aſſiduum frigus terræ ſteriles, & hinc rari incolæ, iique egentes & miſeri, parvo victitantes, proindeque parum vitioſi.

3. *Curios ſimulant.*] Præferunt vitam continentem & ſanctam, qualem egit M. ille Curius Dentatus, Sabinorum, Samnitum, Lucanorum, & Pyrrhi Regis triumphator, interim vero Romanæ frugalitatis norma juxta ac fortitudinis ſpecimen, ut ait Valerius Maximus lib. 4. cap. 3. Is oblatam ab hoſtibus ingentem pecuniæ ſummam recuſavit dicens, malle ſe aurum habentibus imperare, quam aurum habere. Et cum exegiſſet ex Italia Pyrrhum, e præda regia, quæ exercitum urbemque ditavit, ille attigit nihil. Porro decretis a Senatu populo ſeptenis cuique jugeribus agri, Curio vero quinquaginta; is popularis aſſignationis ac menſuræ modum excedere noluit, parum idoneum Reipublicæ civem exiſtimans, qui eo quod reliquis tribueretur contentus non eſſet. Idem fere narrat Plinius lib. 18. cap. 3. Curii quidem poſt triumphos nota concio eſt, inquit, perniciosum eum intelligi civem, cui ſeptem agri jugera non eſſent ſatis.

Bacchanalia.] In quibus ſeminarium omnis ſpurcitiæ ac turpitudinis, ut videre eſt apud Livium lib. 39. cap. 8. & ſequent.

4. *Indocti primum.*] Nam vere docti ſunt, qui & bene docent, & vivunt pariter.

Quanquam plena omnia gypſo.] Docti volunt audire nonnunquam, eo quod ſtudioſe conquirunt doctorum virorum perfecta ſimulacra. Quaſi vero.

Gypſo.] Imagines e gypſo quæ Chryſippum ejuſq; ſimiles Sapientes repræſentant, collocant in Bibliothecis, & hinc videri volunt Chryſippi ſectari virtutem, & ſapientiam.

5. *Chryſippi.*] Vide Perſii Sat. 6. v. ultimo.

Perfectiſſimus horum, &c.] Inter illos indoctos præcipuus ac princeps.

6. *Ariſtotelem ſimilem vel Pittacon.*] Si quis effigiem habet in muſæo ſuo, valde ſimilem Ariſtoteli, vel Pittaco, aliiſve Sapientibus, quæ ad vivum expreſſa factaque exiſtimetur.

Ariſtotelem.] Cui non notus is Platonis per annos viginti Diſcipulus, Alexandri Magni Præceptor, Peripateticorum Princeps, ob ingenii & eruditionis portentum, Naturæ Genius appellatus?

Pittacon.] *Pittacus* Mityleneus unus e ſeptem Sapientibus, rexit feliciter Mityleneorum Rempublicam annos decem, ac deinde ſponte oblatam ultro abdicavit. Is inter alia, hæc præcipiebat, Amico ne maledic, ne inimico quidem. Pudicitiam ama. Veritati ſtude. Tempus noſce. Dicebat, Neceſſitati nec Deos reluctari; Principatu virum cognoſci; Difficile eſſe invenire frugi virum. Nec ſine labore maximo quemquam fieri bonum, &c. Floruit circa Olympiadem quadrageſimam ſecundam, vixit annos ſeptuaginta, ſepultus in Lesbo. Diog. Laërt. lib. 1. cap. 5.

7. *Archetypos.*] Prototypum, originalem, ut aiunt, effigiem.

Pluteum.] Vide Perſii Sat. 1. v. 106.

Cleanthis.] De eo dictum ad Perſ. Sat. 5. v. 64.

FRONTIS nulla fides. Quis enim non vicus abundat
Triſtibus obſcœnis? Caſtigas turpia, cum ſis
Inter Socraticos notiſſima foſſa cinædos.
Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum: ſed podice lævi
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariſcæ.
Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi,
Atque ſupercilio brevior coma. Verius ergo,
Et magis ingenue Peribomius. Hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, inceſſuque fatetur.
Horum ſimplicitas miſerabilis; his furor ipſe
Dat veniam. Sed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant: ego te ceventem, Sexte, verebor,
Infamis Varillus ait? Quo deterior te?

Non eſt ulla faciei fiducia. Nam quæ regio non ſcatet ſeveris impudicis? damnas obſcœna, quando tu es fovea vulgata inter Socraticos * * * * * * *Hirſuti quidem artus ac pili rigidi in brachiis pollicentur mentem ſeveram* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *Iſti rarò loquuntur, atque ingens ſilendi* habent *deſiderium, & capillitium ſupercilio brevius. Itaque Peribomius magis ſincerè ac ſimpliciter* agit. *Ego illum fatis attribuo, qui ægritudinem declarat facie & greſſu. Iſtorum ingenuitas miſeratione digna* eſt; *iſtis indulgentiam donat ipſa inſania. At deteriores* ſunt, *qui vocibus occupant ſimilia Herculis, ac diſſerentes de probitate* An *ego te venerabor, Sexte,* * * * * *inquit turpis Varillus? Ecquâ re ſum te pejor?*

ANNOTATIONES.

8. *Frontis nulla fides.*] Alii Codices habent, *fronti.* Id eſt, nulla fides habenda ſpeciei externæ rerum.

9. *Triſtibus obſcœnis.*] Hominibus triſtitia vultus & frontis ſpecie gravitatem morum & Curii caſtimoniam præferentibus, dum Bacchanalium impudica imitantur facta & obſcœnitates.

Caſtigas turpia, cum ſis, &c.] Illum opportet omni carere vitio, qui caſtigare vitium, atque vitioſos reprehendere vult: ut eloquitur Tullius *in Saluſt.*

10. *Socraticos.*] Legunt alii *Sotadicos*, a *Sotade* Cretenſi Poëta, qui Phlyacas ſcripſit, ſive de Cinædis, ex Suida. Alii intelligunt ipſum *Socratem*, qui male audiit apud multos quaſi pæderaſtes. Ariſtophanes lacerat Socratem ac diſcipulos ejus, cum ſit & ipſe pejor pleriſque inquit vetus Scholiaſtes. Vide Perſii Satiram 4. ver. 2.

Notiſſima foſſa.] Sentina vitiorum, & eo nomine cognitus es cuivis: nec aliter interpretari licet aut liber, ob caſtitatis reverentiam.

11. *Hiſpida membra quidem, &c.*] Neglectus exterior cultus, & pilis hirſuta membra corpus robuſtum indicantia, fortem pariter animum ſpondere videntur: verum e contra tibi accidit: nam exteriori virtutis ſimulatione flagitia celas.

14. *Rarus ſermo illis, &c.*] Nam & affectata hæc taciturnitas ad morum gravitatem pertinet ſimulandam; ſicut & attonſum caput, ad Stoicam ſeveritatem.

15. *Supercilio brevior coma.*] Comam alere probroſum cum eſſet, Stoicis caput ad cutem tondere ſolemne erat. Vide Perſii Satiram 3. ver. 54. Turneb. lib. 15. cap. 17.

Verius ergo, &c.] Ergo tolerabilior improbitas Peribomii, qui ſeſe oſtendit qualis eſt.

16. *Peribomius.*] Alii, *Peribonius*; famoſus nepos frontis perfrictæ, ac perditæ turpitudinis.

Hunc ego fatis imputo.] Fatalem ejus animi puto cæcitatem, qui ſua palam vitia profitetur. Ex aſtrorum dominantium neceſſitate, aut ex ferrea fatorum vi improbus ille eſſe videatur: at tu ex prava & maligna voluntate, qui improbitatem occultas.

17. *Vultu morbum inceſſuque fatetur.*] Speculum mentis eſt facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana, inquit D. Hieron.

Morbum fatetur.] Impuras affectiones oſtentat oculis, fronte, inceſſu; non celat, ut faciunt ii qui vultu ad ſeveritatem compoſito, ac inceſſu gravi, alios ſe monſtrant quam ſint, & Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

18. *Horum ſimplicitas miſerabilis.*] Nam ii ſtupent vitio, ut habet Perſius Sat. 3. neſciunt quid perdant, & hinc carere videntur culpa, & ob furorem mereri veniam.

19. *Verbis Herculis.*] Dignis Hercule, cum virtutis iter arduum maluit ingredi quam vitiorum proclive. Vide Perſ. Sat. 5. v. 35.

21. *Te,* * * * *Sexte, verebor.*] Te perinde ac ego infamem, licet forte ignobilis nobilem ſcilicet verebor?

22. *Varillus.*] Homo nequam & flagitioſus.

Digitized by Google

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres?
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges revocarat amaras
Omnibus, atque ipſis Veneri Martique timendas,

Rectus ſubſannet obtortos habentem pedes, & candidus Æthiopem. Ecquis toleraverit Gracchos expoſtulantes de tumultu? Quis non confundat Cœlum cum *terris, & mare* cum *Cœlo; ſi raptorem damnet Verres, homicidam Milo, Clodius vituperet ſtupratores, Cethegum Catilina; ſi contra Syllæ leges loquantur tres* ejus *diſcipuli? Qualis haud ita pridem erat adulter inquinatus tragico ſtupro, qui tum reſtituebat decreta cunctis acerba, & Veneri etiam Martique metuenda:*

ANNOTATIONES.

23. *Loripedem rectus derideat, &c.*] Solus ille culpet aliorum vitia, qui ſine vitio eſt. Nec enim decet ut varicus varicum, niger nigrum derideat. *Loripes* dicitur is, qui pedes in modum lori tortos habet.

Æthiopem.] Macrob. de Somn. Scip. l. 2. c. 10. *Vicinia Solis*, inquit, *uſque ad ſpeciem nigri coloris exuſſit Æthiopas, torrida nimirum Zona ſubjectos.* Plin. l. 2. c. 78. ait Æthiopas vicini ſideris vapore torreri aduſtiſque ſimiles gigni. Hos aiunt ortos a Chami filio Chus, quem Hebraice nigrum interpretantur. Multa de *Æthiopibus* Diodor. Sicul. lib. 4. cap. 1.

24. *Quis tulerit Gracchos, &c.*] Exemplis conglobatis illuſtrat quod dixit.

Gracchos.] Et ipſos ſeditionibus & rebus novis ſemper ſtudentes. Tiberius Gracchus Tribunus plebis prorogari ſibi poteſtatem & Magiſtratum cupiens ſeditionem movit, Capitolium petiit, ubi oppreſſus eſt a Scipione Naſica, ejuſque cadaver in Tiberim fuit projectum. Caius autem Gracchus accitus a Senatu ire noluit, imo armata familia Aventinum occupavit: unde fulgens ſeu ab ipſo ſeu a ſervo interemptus eſt. Aurel. Victor *de Viris illuſtribus.* Plaut. *in eorum Vita.*

25. *Quis cœlum terris, &c.*] Quis non exclamet præ indignatione ut eſt apud Terentium, *O cœlum! ô terra! ô maria!*

26. *Verri.*] Siciliæ deprædatori, dum ibi eſſet Proconſul.

Miloni.] Qui P. Clodium interfecit.

27. *Clodius.*] Adulteriis, inceſtis, aliiſque flagitiis famoſus. Cicero pro Milone, & alibi.

Catilina Cethegum.] Quandoquidem ambo æque patriæ hoſtes, æque ſceleribus infames, & ejuſdem conjurationis participes & conſcii.

28. *In tabulam Syllæ.*] In qua proſcriptionis leges erant ſcriptæ. De *Sylla* jam diximus Sat. 1. v. 16. Vide Appian. Flor. lib. 3. c. 21. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 2.

Diſcipuli tres.] Triumviri libertatem & Rempublicam pariter ac Sylla fecerat, opprimentes, an Syllæ tyrannidem inſectari auſint? Cæſar, Pompeius, Craſſus, qui Syllæ fuere diſcipuli: aut certe Auguſtus, Lepidus, Antonius, qui per cruentum fœdus juncti cum Rempublicam invaſiſſent, Syllam imitati, Senatum & Equeſtrem Ordinem proſcripſere. Vetus Schol.

29. *Adulter.*] Proculdubio Domitianus, qui Juliam fratris Titi filiam alii collocatam ultro corrupit, quin & cauſa mortis illi extitit coactæ conceptum abigere, ut ait Sueton. Domitian. cap. 22.

Nuper.] Vox iſta ſatis innuit non intelligendum hic Claudii Imperatoris cum Agrippina inceſtum, de quo Tacit. Annal. 12. multo minus Caligulam ſororem conſuetudine abutentem, ut refert Suidas.

Tragico.] Scelerato, nefando, Tragœdia digno. Sic Phædræ novercæ in Hippolytum amor, & Thyeſtæ cum Ærope Atrei ſui fratris uxore adulterium, Tragœdiarum argumenta fuere. Seneca.

30. *Qui tunc leges revocarat amaras.*] Cui primum pudico adulatur, Martial. lib. 9. Epigram. 7. poſtea vero quæ vetabat infanda ipſe perpetravit.

Leges amaras.] Juliam Legem contra adulteros, de qua jam Sat. 1. Item aliam, qua mares vetuit caſtrari, ut habet Sueton. Domitian. cap. 7. Martial. lib. 6. Epigram. 2. ſic adulatur Domitiano.

Luſus erat ſacræ connubia fallere tædæ.
Luſus & immeritos exſecuiſſe mares.
Utraque tu prohibes, Cæſar, &c.

Amaras.] Impuris hominibus nempe, & mangonibus, de quibus Martial. lib. 9. Epigram. 7.

Non puer avari ſectus arte mangonis
Virilitatis damna mœret erepta.
Nec quam ſuperbus computet ſtipem leno,
Dat proſtituto miſera mater infanti.

31. *Veneri Martique timendas.*] Utpote Diis adulteris, qui & a Vulcano deprehenſi, vinctique, aliorum Deorum ludibrio expoſiti ſunt, ut aiunt Fabulatores,

Digitized by Google

Cùm tot abortivis ſœcundam Julia vulvam
Solveret, & patruo ſimiles effunderet offas.
Nonne igitur jure, ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, & caſtigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Laronia quemdam
Clamantem toties; ubi nunc lex Julia? Dormis?
Ad quem ita ſubridens: felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt: habeat jam Roma pudorem.
TERTIUS è cœlo cecidit Cato. Sed tamen unde
Hæc emis, hirſuto ſpirant opobalſama collo
Quæ tibi? Ne pudeat dominum monſtrare tabernæ.

quando Julia fertilem uterum exonerabat tot abortivis, & ejiciebat offas patruo conſimiles. Ergò numquid non legitimè & juſtè Scauros extrema ſcelera diſſimulantes aſpernantur & redarguunt condemnata. Laronia non paſſa eſt quempiam de iſtis torvo vultu *ſæpiùs vociferantem: ubi* es *modò lex Julia?* An *ſomno indulges? Ad quem* reſpondit illa *modicè ridens: ô ſæculum fortunatum, quod te committit* contra pravos *mores! Nunc Roma verecundiâ ſuffundatur: en tertius Cato ex Olympo delapſus eſt. Attamen unde iſta comparas opobalſama, quæ tibi piloſâ cervice exhalant? Ne pigeat indicare magiſtrum officinæ.*

ANNOTATIONES.

32. *Julia.*] Titi filia, Domitiani neptis, de qua modo.

33. *Solveret.*] Partum abigens toties, at tandem ea ratione ſceleris pœnas luens, ut mox diximus.

Offas.] Eſt proprie carnis fruſtrum: hic vero ſignificat embryones & immaturos fœtus. Domitiano patri ſimul & patruo ſimiles, alii explicant, inſtar Domitiani deformes.

34. *Nonne igitur, &c.*] Quæ cum ita ſint, an non jure deteſtamur hypocritas, Scauri ſimiles?

Vitia ultima.] Id eſt, ſupremæ improbitatis.

35. *Scauros.*] M. Æmilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factioſus, potentiæ, honoris, divitiarum avidus, cæterum vitia ſua callide occultans. Salluſt. *de Bello Jugurth.* Vide Aſcon. Pæd.

Caſtigata remordent.] Nonne merito vitioſi quando a vitioſis æque mordentur, eos remordent, reprehenſi reprehendunt, ac viciſſim caſtigant?

36. *Ex illis.*] Ex hypocritarum numero & farina.

Torvum.] Severa fronte, aſpero vultu & indignabundo, torvis oculis.

Laronia.] Alibi legitur, *Lauronia*, alibi & *Latronia* mulier ſeu meretrix verbis procax, & nummis potens, de qua Martial. lib. 2. Epigram. 32.

Abnegat & retinet noſtrum Laronia ſervum;
Reſpondes, orba eſt, dives, anus, vidua.

Quemdam.] Adverſus impuras mulieres debacchantem.

37. *Lex Julia.*] De ea jam ſupra ad v. 30. a Julio Cæſare dicta lex plura capita complectitur, & plures titulos, de Ambitu, de Annona, de Repetundis, &c. De adulteriis autem coërcendis, non ſolum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, ſed & eos, qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audent, &c. lib. 4. Inſtitut. de Publ. Jud. Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 1.

Dormis?] An manes inutilis quando tot punienda mulierum adulteria? Expergiſcere.

38. *Ad quem ita ſubridens.*] Alii Codices habent, *Atque ita ſubridens*; per amarum & ſalſum jocum ulciſcitur Laronia, & viros inſectatur.

Felicia tempora! Ironice.

39. *Opponunt.*] Naſci fecerunt, & ſtatuunt quaſi murum firmiſſimum ad ſiſtendos frangendoſque virorum incurſus, gravitate tua iſta Cenſoria.

Habeat jam Roma pudorem.] Coram te ſcilicet, ut olim præſente Catone, in Floralib. Vide Perſii Sat. 4. ad 178.

40. *Tertius Cato.*] Gravis & ſeverus morum Cenſor. *Tertius* vero, quia duo fuere inſignes hujus nominis viri, alter M. *Cato* a cenſura cognominatus; alter M. item *Cato* Cenſorii pronepos, qui bello civili ſe ipſe interemit Uticæ in Africa, unde Uticenſis dictus. Plutarchus & alii. Macrob. lib. 2. *in ſomn. Scip.* cap. ultimo, *Catones* ambos otioſis pariter & actuoſis virtutibus inclaruiſſe ait.

Sed tamen unde, &c.] Nimirum Cenſorem agis verbo tenus, at re mollis es & effœminatus, proindeque flagitioſus: ut notant unguentis delibuta cervix, & opobalſama; quamvis piloſo collo vir appareas, & videri velis.

41. *Opobalſama.*] Ab ὀπὸς, *ſuccus*, & βάλσαμον, *balſamum.* Vide Plin. l. 12. c. 25.

Spirant.] Odorem ſuaviſſimum ſpargunt.

42. *Ne pudeat dominum monſtrare tabernæ.*] Quæſo nobis indica myropolam, a quo poſſimus & nos tam boni odoris unguenta emere. Certe fœminas iſta decebunt magis quam te virum.

Tabernæ.] In qua emiſti tam pretioſa balſama.

Quod

Quod ſi vexantur leges, ac jura, citari
Ante omnes debet Scantinia. Reſpice primùm
Et ſcrutare viros: faciunt hi plura, ſed illos
Defendit numerus, junctæq; umbone phalanges.
Magna inter molles concordia. Non erit ullum
Exemplum in noſtro tam deteſtabile ſexu.
Tædia non lambit Cluviam, nec Flora Catullum.
Hiſpo ſubit juvenes, & morbo pallet utroq;.
Numquid nos agimus cauſas? Civilia Jura
Novimus? Aut ullo ſtrepitu fora veſtra movemus?
Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ.
Vos trahitis lanam, calethiſque peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem ſtamine fuſum
Penelope melius, melius torquetis Arachne,

Quod ſi excutiuntur decreta, & ſanctiones, afferri præ cunctis oportet legem *Scantiniam. Viros primò contemplare atque examina. Illi plura perpetrant: at iſtos tuetur multitudo ac turma ſcuto conjuncta. Summa eſt conſenſio inter effœminatos. Nullum extabit exemplum adeo nefandum in ſexu noſtro.* * * * * * * * * * * *An nos cauſas peroramus; Leges Civiles ſcimus; vel agitamus fora veſtra crepitu aliquo? Non multa certant, non multa coliphia manducant. Vos netis lanam, &* in *cophinis vellera abſoluta reportatis. Vos fuſum ſubtili filo gravidum ſolertiùs volvitis* quam *Penelope*, & *agiliùs* quàm *Arachne*.

ANNOTATIONES.

43. *Quod ſi vexantur leges.*] Si excitantur, ſi ad executionem revocantur, ſane præ cæteris vigere debet lex contra viros infandæ libidini ſervientes rite conſtituta.

44. *Scantinia.*] Lex lata adverſus Scantinium ejuſque ſimiles. Val. Max. l. 6. c. 1. n. 7. ſic habet: *M. Claud. Marcellus Ædilis Curulis C. Scantinio Capitolino Tribuno Plebis ad populum diem dixit, quod filium ſuum de ſtupro appellaſſet . . . Citatus ille Scantinius Reus uno teſte qui tentatus erat, damnatus eſt.* Suet. *Lege Scantinia* quoſdam ex utroque ordine a Domitiano condemnatos ait. Cap. 8. *Domit.* Statuebat illa, ut qui ingenuum ſtupraſſet, decem millia ſeſtertium ſolveret.

45. *Scrutare viros.*] Hypocritas illos & Cenſoriam gravitatem oſtentantes intus inſpice, quot eheu flagitia deprehendes?

Illos defendit numerus.] Quia plures ſunt, & numero prævalent, hinc impune peccant illi, & inulti abeunt, etſi gravioribus pœnis obnoxii, Lucanus.

Quicquid multis peccatur, inultum eſt.

46. *Junctæque umbone phalanges.*] Metaphora a re militari, in qua milites conglobati urbis obſeſſæ muros aggreſſuri ſublata ſupra caput ſcuta ſcutis conjungunt, ac teſtudine facta ab hoſtium telis ſe tuentur. Vide Lipſ. Epiſtolic. quæſt. Lib. 4. Epiſt. 13. magis vero ejuſdem Poliorcet. Lib. 1. Dialog. 5. & 8.

47. *Non erit ullum exemplum, &c.*] Noſter mulieribus ſexus nihil agit ita deteſtandum, ut eſt id quod viri inter ſe perpetrant.

51. *Numquid aut agimus cauſas.*] Nos mulieres virorum officia non invadimus, cur, ô viri occupatis muliebria?

52. *Fora veſtra.*] Vobis propria, & viris convenientia, non fœminis, ut patet, non attentamus: nec enim Juris captamus ſcientiam, aut in Foro cauſas agimus. Valer. Maxim. lib. 8. cap. 3. fœminas aliquot affert auſas in Forum venire, & ibi apud Judices perorare; nimirum Amœſiam, Afraniam, Hortenſiam; quibus & eo nomine inuſta impudentiæ nota.

53. *Luctantur paucæ.*] Vide Sat. 1. v. 22. Sat. 6. v. 245. & ſeq. Martial. Lib. Spectac. Epigram. 6.

Coliphia.] Horum meminit Plautus in *Perſa* Scen. 3. & Martial. lib. 7. Epigram. 66. panes athletarum fuiſſe dicuntur, appellati ſic, eo quod eorum membra Græce κῶλα reddant ἰσχυρὰ, i. e. *robuſta*. Panes aiunt cum recenti caſeo commixtos fuiſſe *colliphia*. Alii etymologiam deducunt a κόλλιξ, quod paſtilli ſeu placentæ genus celebratur Athenæo lib. 3. Item lib. 14. cap. 13.

54. *Calathis.*] Quidam aiunt *calathum* proprie dici quaſillum ſeu ſportellam, ubi reponuntur lanæ tinctæ & purpureæ, Græcis κάλλη.

Peracta refertis.] Diurnum penſum quotidie *refertis*, & vellera evoluta ſeu pertexta.

55. *Prægnantem.*] Filo turgentem circumvoluto.

Stamine.] Vide quæ notabimus Perſ. Sat. 6. v. 73. ad vocem *trama*.

56. *Penelope.*] Ulyſſis uxor lanificii peritiſſima, quæ procos abſente viro ſapienter eluſit, eis ſe promittens obſecuturam abſoluta tela, quam ſingulis noctibus retexebat.

Meliùs torquetis Arachne.] Alii legunt, *leviùs*.

Arachne.] Lydia puella, quæ, ut fabulantur, in certamen artis textoriæ Palladem auſa provocare, in araneam transformata temeritatem luit. Ovid. Met. 6. Cæterum Arachne linum ac retia invenit, fuſos autem in lanificio Cloſter Arachnes filius, auctore Plinio, lib. 7. cap. 56.

Horrida

Digitized by Google

quale peragit concubina inculta ſedens in ſtipite. Compertum eſt quare Hiſter codicillos impleverit uno liberto, & quare vivens plurima donarit adoleſcentulæ. Opulenta erit, quæ cubat tertia in cubili amplo. Tu matrimonium contrahe, & ſile: ſecreta dant lapillos. Et poſt iſta ſeverum de nobis fiet judicium. Cenſura corvis indulgentiam tribuit, columbas autem exagitat. Stoici verecundi profugerunt increpantem vera & comperta. Enimverò quid falſum protulit *Laronia? Ecquid autem non agent alii, quando tu*

Horrida quale facit recidens in codice pellex.
Notum eſt cur ſolo tabulas impleverit Hiſter
Liberto; dederit vivus cur multa puellæ.
Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.
Tu nube, atque tace. Donant arcana cylindros.
De nobis poſt hæc triſtis ſententia fertur.
DAT veniam corvis, vexat cenſura columbas.
Fugerunt trepidi vera ac manifeſta canentem
Stoicidæ. Quid enim falſi Laronia? Sed quid
Non facient alii, cum tu multitia ſumas,

ANNOTATIONES.

57. *Codice.*] Truncus erat ligneus, cui alligati inſidebant ſervi, & operi vacabant.

Pellex.] Ea proprie dicitur quæ pellicit & præripit uxori ſuum virum. Pro famula hic poni contendunt aliqui, quippe cum hero ſæpe adulterium committebant ſervæ: hæ vero deprehenſæ a matre familias dure habebantur, & ad arboris truncum alligatæ cogebantur lanificio inſiſtere.

58. *Notum eſt cur, &c.*] Sic Eclog. 3. Virg.

Novimus & qui te.

Solo tabulas impleverit Hiſter liberto.] *Libertus* nimirum impudicus flagitioſo domino nefarie obſecutus tabulas ejus teſtamenti unus implet; cum in mercedem ſceleris hæres ex aſſe ſcribitur.

Hiſter.] *Hiſter* Pacuvius Sat. 12. v. 128. homo dives, & flagitiis notus.

59. *Dederit vivus cur multa puellæ.*] Per leges viro non licet uxori legare quidquam ex teſtamento: nec apud Romanos ex lege Voconia licebat, ſaltem multa: hinc vivus dat. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 15.

Puella.] Uxori liberti adoleſcentulæ, ut aiunt aliqui; vel potius uxori propriæ, ut taceat ſcelus mariti cum liberto, cujus eſt conſcia, neve revelet infandam illam turpitudinem.

60. *Tertia.*] Scilicet uxor cum viro & liberto.

61. *Tu nube, atque tace.*] Si noſti connivere ad nefarias mariti libidines, expedita tibi eſt ad opes acquirendas via & ratio. Porro eſt etiam egregia Laroniæ indignatio, quaſi diceret: Quæ vero deinceps nubere velit; & quæ nupta tacere & ferre poſſit ejuſmodi virorum nequitiam? Sic Virg. Eclog. 1.

Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites.

Donant arcana cylindros.] Si arcanum tegas, ſi taceas ſecreta viri tui ſcelera, flagitioſi ſilentii præmium nanciſcêre a marito.

Cylindros.] Inaures, gemmas, lapillos, in modum *cylindri* oblongos. Elenchos vocat Sat. 6. v. 457. id eſt, margaritas in ſimilitudinem pyri turbinatas, ex Plin. lib. 9. cap. 35. *Elenchos,* inquit, *appellant faſtigiata longitudine, alabaſtrorum figura, in pleniorem orbem deſinentes. Hos digitis ſuſpendere & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria eſt.* Hæc Plinius. Quid vero proprie *cylindrus*, indicat Georgic. 1. Virg.

Area cum primis ingenti æquanda cylindro.] Nempe lapis eſt oblongus & teres, qui ſupervolvitur & æquat aream.

62. *De nobis.*] De mulieribus.

Poſt hæc.] Poſtquam nota ſunt infanda virorum crimina.

Triſtis ſententia.] Lex Julia, vel ſeveri impurorum hypocritarum ſermones contra mulieres haud pudicas.

63. *Dat veniam corvis, &c.*] Sententia, & adagium. Id eſt, leviora coërcentur in infimis, at impune graviora divites committunt.

Cenſura.] Morum caſtigatio, animadverſio, punitio, quæ penes Cenſorem.

Corvis, columbas.] Diſcrevit ſexum per aves, inquit Vet. Schol. porro per *corvos* impuri notantur: per *columbas* autem muliercularum ſimplicitas qua fit ut a viris facile in adulterium impellantur. Seu quod in tutela Veneris ſunt columbæ, per has bene ſignificat adulteras: per corvos autem & colorem nigrum, atrocia virorum & contra naturam flagitia eoque minus veniam merentia.

64. *Fugerunt trepidi.*] Ad has Laroniæ voces arcana flagitia exprobrantis, aufugerunt illi conſcientia ſua perculſi.

65. *Stoicidæ.*] Sicut Priamidæ, Æacidæ, Scipiadæ. Veros autem Stoicos non indicat aut ferit, ſed hypocritas, qui Stoicam probitatem ſimulantes nefario vivunt.

Laronia.] Vide ſupra v. 36.

Quid non facient alii.] Si tu Judex & Cenſor mollitiem præfers, quid alii non audebunt? Et molles qua fronte mollis ipſe damnabis.

66. *Multitia.*] Veſtes bombycinas, ſubtiles, pellucidas, quibus nec defendi corpus aut pudor poſſit, ut ait Seneca *de Benef.* 7. Nec puduit has veſtes uſurpare etiam viros, levitatem propter æſtivam; in tantum & lorica gerenda diſceſſere mores, ut oneri ſint etiam veſtes, inquit Plin. lib. 11. cap. 23.

Cretice?

Digitized by Google

Cretice? Et hanc veſtem populo mirante perores
In Proculas, & Pollineas? Eſt mœcha Fabulla.
Damnetur ſi vis, etiam Carſinia. Talem
Non ſumet damnata togam. Sed Julius ardet,
Æſtuo. Nudus agas? minus eſt inſania turpis.
En habitum, quo te leges ac jura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor, & illud
Montanum poſitis audiret vulgus aratris.
Quid? Non proclames, in corpore Judicis iſta
Si videas? Quæro an deceant multitia teſtem.
Acer, & indomitus, libertatiſque magiſter
Cretice pelluces. DEDIT hanc contagio labem,
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris

ô Cretice, induis ſerica, & adverſus Proculas, ac Pollineas dicis, plebe veſtimentum iſtud admirante? Fabulla eſt adultera: condemnetur quoque, ſi libet, Carſinia. Certe *condemnata non induet ejuſmodi togam. At Julius incaleſcit: efferveſco. Nudus incede. Stultitia eſt minùs infamis. Ecce veſtem, in qua te leges & jus portantem auſcultaret populus nuper victor, recentibus plagis, atque plebs iſta montana, dimiſſo vomere. Ecquid non exclames, ſi aſpicias illa in corpore Judicis? Rogo utrum ſerica teſti conveniant. O Cretice, trans appares vehemens, ac invictus, & libertatis auctor. Contagium immiſit iſtam maculam, & in plures ſparget: quemadmodum grex integer.*

ANNOTATIONES.

67. *Cretice.*] O critice, ô Judex ſevere, inſtar Æaci, Minois, Rhadamanti, in Creta pridem, & nunc apud Inferos Judicum, ut aiunt. Porro fuit Julius Creticus ſub Cæſaribus, illuſtrium cauſarum actor, teſte Vet. Schol.

Et hanc veſtem populo mirante perores.] Sic Hortenſius clarus ille Orator ob nimiam habitus munditiem probris jactatus, & ludibrio exceptus, atque ſaltatriculæ nomine Dionyſia appellatus fuiſſe dicitur. Gell. lib. 1. cap. 5.

68. *Proculas & Pollineas.*] Impudicas mulieres.

69. *Fabulla, Carſinia.*] Nomina mulierum impudicarum, quarum hæc illâ videtur indicari & induci velut turpior, ac nequior.

Talem.] Ita pellucentem, ac tenui ſubſtamine, ut eſt illa tua, ô Cretice.

70. *Damnata.*] Mulier adulterii convicta, virilem togam induta cogebatur prodire in publicum, atque ſui flagitii pudorem & pœnam ferre. Auctores ſunt Acron, & Porphyrio in Horat. Hinc ipſe Flaccus lib. 1. Serm. 2.

* * * * *Quid inter*
Eſt in matrona, ancilla peccesſve togata.

Togam.] *Toga* virorum erat, Stola mulierum. Hinc Tullius in Anton. *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti.*

Sed Julius ardet.] Reſpondet & accuſat ſe Creticus; at ego nonniſi propter æſtum, & gravem Julii menſis, & Caniculæ ardorem, illa multitia levioreſque togas aſſumo.

71. *Nudus agas*] Reponit Juvenalis, quod ſi ita eſt, & graviorem æſtate nequeas veſtem ſubferre, profecto ſatius eſt ut nudus, & ſine ullo integumento procedas, agas, perores.

Minus eſt inſania turpis.] Quamvis enim ita nudum te inſanum exiſtiment, minor erit infamia, quam ſi mollis & flagitioſus per veſtes illas ſericas videare. Legunt quidam, *infamia* pari ſenſu. Utrobique amara eſt ironia & permiſſio.

72. *En habitum quo, &c.*] Ironice admodum. En te ſic veſtibus pellucentem, velut alterum Quintium Cincinnatum, audiunt Romani quaſi Legiſlatorem, & Imperii vindicem.

73. *Crudis.*] Vel recentibus, vel crudelibus & ſævis. Non incruenta pugna victoriam adeptus.

74. *Montanum vulgus.*] Quod montes & agros incolit, & in urbem confluere ſolet, ad triumphi pompam ſpectandam, aut ad leges quæ promulgantur, excipiendas.

Poſitis aratris.] Relicto opere ruſtico cupide accurret.

Audiret.] Te mollem & effœminatum ille aſper & induratus militia & labore populus auſcultaret.

75. *Quid? Non proclames.*] Ut ſupra, Quis Cœlum terris non miſceat, exclamando: O Cœlum, &c.

In corpore judicis iſta ſi videas.] Si indutum ſericis Judicem aſpexeris.

76. *Quæro an deceant multitia teſtem.*] An igitur in teſte, qui inferior Judice eſt, tolerabis pellucentem togam, & bombycina veſtimenta, quæ in ipſo Judice non feras?

77. *Acer & indomitus, &c.*] Per ſarcaſmum & ſubſannationem crebram exagitat mollem Creticum Juvenalis: ſcilicet in iſto habitu vindex libertatis omnino videris, inquit.

78. *Pelluces.*] Ut per togam ſericam & ſubtilem perſpiciuntur membra tua, ſic & animus tuus virilis apparet elucetque. Ironice.

Dedit hanc contagio labem.] Eheu luem hanc mollitem nempe afflavit tibi & affricuit mollium conſuetudo: & tu illum in alios tranſmittes.

Unius

perit unius ſcabie, atque ſues prurigine; & racemus ab alio *racemo viſus lividum* colorem *contrahit. Quidpiam illâ veſte turpius aliquando perpetrabis. Nullus ſubitò fœdiſſimus evaſit. Senſim te admittent qui* in *ædibus longas tænias accipiunt temporibus, ac totâ cervice torques aptant: & Bonam Deam conciliant ventre ſuis molliculæ, atque paterâ capaci. At perverſo ritu longè pulſa mulier januam non ingreditur. Ara Deæ unis eſt aperta maſculis. Vociferantur: abſcedite profanæ. Illic nulla tibicina cornu inſonat.*

Unius ſcabie cadit, & porrigine porci;
Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
NEMO repente fuit turpiſſimus. Accipient te
Paulatim qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus, & toto poſuere monilia collo,
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam: ſed more ſiniſtro
Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ara Deæ maribus patet: ite profanæ,
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia ſecreta coluerunt Orgia teda

ANNOTATIONES.

80. *Scabie.*] Trita ſimilitudo. Cornelius Celſus *de Scabie. Durior eſt*, inquit, *cutis rubicunda, e qua puſtulæ oriuntur quædam humidiores, quædam ſicciores, exeunte ex aliquibus ſanie, &c.*

Porrigine.] Morbus eſt porcorum ſimul & hominum, quo ſquamæ veluti quædam inter pilos exurgunt, interdum madentes, alias ſiccæ, ut habet idem Celſus.

81. *Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.*] Sicut etiam uva corrupta proximam uvam corrumpit ex contractu. Aliter explicat Hadrian. Turneb. lib. 15. cap. 17. vultque Poëtam loqui ex opinione vulgi exiſtimantis, matureſcente & liveſcente una uva, aliam vicinam ex æmulatione quadam ſtatim liveſcere. Favet Vet. Schol. dicens: Hoc e Proverbio ſumitur: *Uva uvam videndo varia fit.*

82. *Fœdius hoc aliquid, &c.*] Hæc veſtium mollities ad aliquid pejus te deducet, nimirum ad infandas libidines.

83. *Nemo repente fuit turpiſſimus.*] Gradus ſunt virtutum ſic & vitiorum.

Accipient te.] Suum in conſortium te aſſument impuri myſtæ, quorum inſtituit Collegium Domitianus ad Quinquatria Minervæ quotannis in Albano celebranda: ex Sueton Domit. c. 4. Horum laſciviam hic a Poëta potiſſimum reprehendi nonnulli contendunt.

84. *Longa redimicula.*] *Redimiculum*, muliebris capitis ornamentum; faſciolæ ſeu tæniæ a mitra dependentes. Tull. Verr. 5. hæc civitas mulieri *redimiculum* præbeat. Vide Virg. Æneid. 9.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Domi ſumunt.] Hinc patet non publica ſed privata fuiſſe conventicula hominum impurorum & mollium, qui mulieb. iter ornati eaſdem inter ſe libidines & ſpurcitias committant, quas ſolebant mulieres in Sacris Bonæ Deæ.

86. *Atque Bonam teneræ, &c.*] Deſcribit ritus a fœminis ſervari ſolitos in Sacris illis nocturnis.

Bonam Deam.] Seu Maiam, ſeu Proſerpinam, Opem, &c. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 12.

Abdomine porcæ.] *Porcæ* ſumen optimum Antiqui abdomen vocabant, inquit Plin. lib. 11. cap. 37. Porro quid proprie *abdomen* deſcribit Cornel. Celſ. lib. 4. cap. 1. *Ipſa*, inquit, *ilia inter coxas & pubem poſita ſunt, a quibus abdomen ſurſum ad præcordia pervenit.*

87. *Cratere.*] In Sacris vinum fundebatur, Virg. paſſim. Æneid. 5.

--- Vina liquentia fundam.

Vide Sat. 12. v. 8. & ibid. Annot.

More ſiniſtro.] Contrario prorſus ac inverſo. Nam Bonæ Deæ ſolæ fœminæ ſacrificabant, at hic ſoli viri admittuntur.

89. *Maribus.*] Et quidem effœminatis.

Ite profanæ.] Sicut in mulierum Sacris e contra: Procul ite profani. Proprie hic, quaſi porro a fano eſte, ite, diſcedite.

90. *Tibicina cornu.*] Varia inſtrumenta, tuba, cornu, tibia in Sacris adhibebantur.

91. *Talia ſecreta coluerunt, &c.*] Quæ ab illis mollibus & effœminatis viris patrantur Romæ flagitia in fictis Bonæ Deæ Sacris, talia ſunt qualia exercebantur in Cotyttiis apud Athenienſes.

Orgia.] Bacchi Sacra, ſic dicta ab ὀργῆς *furore*. Vide quæ de Bacchanalibus dixi initio hujus Satiræ.

Secreta.] Myſtica; niſi potius nocturnas & clandeſtinas libidines Sacrorum illorum notat.

Teda.] Vide Sat. 1. v. 155. ſeu Plin. lib. 16. cap. 10.

Cecropiam

Digitized by Google

Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.
Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu; pingitque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingentibus implet
Cœrula indutus ſcutulata, aut galbana raſa;
Et per Junonem, domini jurante miniſtro.
Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis,

Baptæ aſſueti fatigare Cotytto Cecropiam celebrant ejuſmodi Orgia, arcanâ face. Hic acu incurvâ ſupercilium extendit humidâ tinctum fuligine, ac pinget tremulos erigens oculos. Iſte potat Priapo è vitro; & reticulum inauratum replet denſis capillis, veſtitus cæruleâ chlamyde *ſcutulis diſtinctâ,* vel *galbano raſo*; *atque famulo jurante per Junonem heri* ſui. *Iſte velut exuvias,*

ANNOTATIONES.

92. *Cecropiam.*] A *Cecrope* primo Athenienſium Rege denominatur ſæpe id omne quod ad Athenas atque univerſam Atticam regionem pertinet.

Cotytto.] Accuſat. Græc. quartæ Declinationis. Ea fuit ſaltatrix ſpurciſſima, poſt mortem in Impudentiæ Deam conſecrata Athenis, & nocturnis Sacris omni libidinum genere plenis culta.

Laſſare.] Ea nempe Sacra ſaltationibus impudicis ad ſatietatem uſque & laſſitudinem peragebantur.

Baptæ.] Ἀπὸ τοῦ βάπτειν, *lavare*, dicti: quia aqua calida tingebantur illis Sacris Cotyttûs initiati. Polit. Miſcell. cap. 10. Porro, Baptæ, titulus Comœdiæ Eupolidis Poëtæ, in qua viros Athenis ad imitationem fœminarum ſaltantes inducit & pſaltriam laſſantes. Vet. Schol. Cum autem Baptarum laſciviam Eupolis proſcripſiſſet, ab illis in mare præcipitatus & ſubmerſus fuiſſe dicitur.

93. *Ille ſupercilium, &c.*] Quidam ex illis denigrant *ſupercilia*: nam color niger in oculis & crinibus olim laudabatur, teſte Horatio ad Piſones.

Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

Xenophon in Pædia Cyri ait a quibuſdam oculorum palpebras fuco pingi, & ſic decorem in aſpectu contrahi. S. Cyprianus *de habitu Virginum*: docuerunt oculos circumducto nigrore fucare, genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem.

94. *Obliquâ acu.*] *Acu* crinali, vel calamiſtro, ut volunt alii.

Pingitque.] Supercilia, & oculorum pilos. Tanta eſt decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque, inquit Plinius.

Trementes attollens oculos.] Timentes lædi adhibito fuco.

95. *Vitreo bibit ille Priapo.*] Alius bibit in ſcypho vitreo obſcœnæ figuræ, more impudicarum mulierum. Plin. in Procœmio Libri 33. *Artem annexere*, inquit, *vitiorum irritamenta: in poculis libidines calare juvit, ac per obſcœnitates bibere.* Et alibi, *vina ex libidine hauriuntur:*

Priapo.] Is Liberi patris ac Veneris filius, quem velut hortorum Deum olim coluerunt. De eo plura dicere vetat pudor.

96. *Reticulumque comis.*] Muliebris ornamentum capitis adhibet, *reticulo* aureo comam colligit ac religat. Plin. lib. 12. cap. 14. ſic habet: *Perſona adjicitur capiti, denſumve reticulum.*

97. *Cærulea indutus.*] Subauditur, *veſtimenta.*

Scutulata.] Orbiculis notata. Plinius lib. 8. cap. 48. plurimis liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria inſtituit; ſcutulis dividere, Gallia.

Galbana.] A colore floris Galbani, Galbana dicta ſunt veſtimenta muliebria galbanei coloris, qui ſublucidus & ſubalbus eſt cum pallore. Hinc Martialis Lib. 1. Epigram. 97. effœminatum notans, *galbanos habet mores*, inquit. De *Galbano* Plin. pluribus locis lib. 12. cap. 25. Dat & *galbanum* Syria, e ferula ejuſdem nominis, retinæ modo. Salmaſius, aliique legunt, *Galbina*, id eſt, viridis coloris.

Raſa.] Non villoſa, pilos non habentia. Plin. lib 8. cap. 48. mox citat. Togas raſas Divi Auguſti noviſſimis temporibus cœpiſſe, ſcribit Feneſtella.

98. *Et per Junonem.*] Non domino tantum, ſed etiam miniſtro jurante, &c.

Per Junonem jurant.] Hæc omnia muliebriter. Nam ſolæ mulieres per Junonem jurabant; viri per Jovem, per Herculem. Vide Plin. lib. 2. cap. 7. *Servi illi jurant quomodo ſolebant ancillæ Neronis, ipſi adulantes, per Junonem tuam*, inquit Vet. Schol.

99. *Ille tenet ſpeculum.*] Ad quod ſe comat, inſtar mulierum.

Geſtamen Othonis.] Quo utebatur Otho Imperator. Suetoni, cap. 12. *Tanto*, inquit, *Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competit* * * * *munditiarum fuit pene muliebrium* * * * * * * * *Quin & faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſuetum, idque a prima lanugine ne barbatus unquam eſſet.*

Actoris

Actoris Arunci geſtat ſpeculum, quod *portabat Otho; * * quo is ſeſe aſpiciebat armis indutum, quando jamjam levari ſigna imperabat. Res celebranda monumentis recentibus ac nova hiſtoria, ſpeculum civilis belli ſarcina. Nempe magni imperatoris eſt Galbam interficere, atque magni civis fortitudo pellem expolire: appetere palatii ſpolia in agro Bebriacenſi, atque compreſſum digitis panem in vultum porrigere? Quod neque Semiramis pharetram gerens in regione Aſſyriorum fecit,*

Actoris Arunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum civilis ſarcina belli.
Nimirum ſummi ducis eſt occidere Galbam,
Et curare cutem ſummi conſtantia civis,
Bebriaci in campo ſpolium affectare palati,
Et preſſum in faciem digitis extendere panem,
Quod nec in Aſſyrio pharetra Semiramis orbe,

ANNOTATIONES.

100. *Actoris Arunci ſpolium.*] Ironice locum hunc inſerit ex Æneide 12. ſenſus eſt, iſque tam gloriatur ſpeculo ab Othone accepto, quam Turnus prærepta Actori Arunco ingenti ſua haſta, apud Virgilium.

Quo ſe ille videbat armatum.] In quo ſe armatum contemplabatur perperam & inſulſe Otho diſcrimini vitæ ſeſe mox objecturus in pugna.

101. *Tolli vexilla juberet.*] Ad committendum prælium.

102. *Annalibus.*] Hoc habent Annales ſupra hiſtoriam, quod per annos digeſtas res contineant. Gell. lib. 5. cap. 18.

103 *Speculum civilis ſarcina belli.*] Sarcaſtice. Res, inquit, nova: inter inſtrumenta belli, Otho ſpeculum geſtat, muliebriter ſeſe exornans in ipſis caſtris, quando cum Vitellio de Imperio dimicat, ab eo mox profligandus. Corn. Tacit. *Nec deerant*, inquit, *qui ambitione ſtolida luxurioſos apparatus conviviorum, & irritamenta libidinum, ſicut inſtrumenta belli mercarentur.*

104. *Summi ducis.*] Othonis, qui Galbam Imperii menſe ſeptimo, in medio urbis Romæ foro obtruncavit. Ipſe vero Otho manu propria occubuit apud Brixellum, clade ſuorum per Vitellianos audita tertio Regni ſui menſe. Euſeb. Sueton. Cornel. Tacit. Hiſtor. lib. 2.

105. *Et curare cutem.*] Muliebri ſolicitudine decorem procurare.

Summi conſtantia civis.] Ejuſdem ſcil. Othonis, qui & muliebriter munditiem amabat, & virtutes pariter civiles & Imperatorias nihilominus exercebat, ut ſupra ex Sueton. & Corn. Tacit. Hiſt. 1. ſed non erat Othonis mollis, & corpori ſimilis animus. Quod ſane mirandum ʃ[illegible] ac ſatyrico ſale dignum judicat Juvenalis.

106. *Bebriaci in campo.*] Ubi Otho profligatus a Vitellianis. Oppidum eſt Cremonam inter & Veronam, in Ducatu Mantuano, quod aliis *Bebriacum*, aliis, *Bedriacum*, *Betriacum*, *Bretiacum*, *Metriacum*. Bebriacenſium bellorum civilium meminit Plinius lib. 10. cap. 49. *Bedriacum* autem appellat Tacitus Hiſt. lib. 2.

Palati.] Id eſt, Imperii Romani, cujus pacificum regimen ſpondebat ſibi Otho victis hoſtibus, Vitellio cum ſuis, immemor a ſe illatæ non ita pridem Galbæ necis; ſuæ vero luxuriæ ſemper memor, & affectati decoris ſtolide tenax.

107. *Et preſſum in faciem, &c.*] Super genas ac faciem extendere micam panis aſinino lacte madidi, ad nitorem cuti procurandum. Sueton. loco ſupra citato. Plin. lib. 11. cap. 41. ait, lac aſininum conferre aliquid candori in cute mulierum. Unde Poppæa Neronis uxor fœtas ſecum aſinas, quingentas quocunque trahere ſolebat, eo lacte corpus totum macerans, extendi etiam cutem credens. Et lib. 28. cap. 12. Cutem in facie erugari ac tenereſcere, & candorem cuſtodire lacte aſinino putant, &c.

108. *Quod nec in Aſſyrio, &c.*] Quod quidem illæ mulieres bellatrices & luxurioſæ, Semiramis, & Cleopatra, non fecerunt in bello: quibus proinde Otho mollior & effœminatior extitit.

Aſſyrio.] Aſſyria regio majoris Aſiæ, Medis, Armenis, & Meſopotamiæ contermina. Ptolem. Syriæ pars, Plin. lib. 5. cap. 12. At Strabo longe ampliores Aſſyriæ fines aſſignat, lib. 6. Ab Aſſur filio Sem, denominatam ait Iſid. Etym. & S. Aug. lib. 15. *de Civit. Dei.* Aſſyriorum inclyta ſub Belo Babylonis conditore cœpit Monarchia omnium prima, anno poſt orbem conſtitutum fere bis milleſimo, floruitq; per ſæcula circiter quindecim; poſtea vero ad Perſas migravit ſub Cyro.

Semiramis.] Uxor Nini Aſſyriorum Regis fortis & bellicoſa, unde pharetratam vocat. Hæc Imperium propagavit, ac Babylonem amplificavit ornavitque, pro filio diu regnavit, ab eo tandem ſublata eſt, quod ejus concubitum concupiſſet. Val. Max. l. 9. c. 3. de ea ſic habet: *Semiramis Aſſyriorum Regina, cum ei circa cultum capitis occupata nuntiatum eſſet Babylonem defeciſſe, altera parte crinium adhuc ſoluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam urbem in poteſtatem ſuam redegit. Quocirca ſtatua ejus Babylone poſita eo illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetendit.* De ea etiam fuſe Juſtinus, Euſebius, Diodorus Siculus lib. 3.

Mœſta

Digitized by Google

Mœſta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Hic nullus verbis pudor, aut reverentia menſæ.
Hic turpis Cybeles, & fracta voce loquendi
Libertas, & crine ſenex fanaticus albo
Sacrorum Antiſtes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducenduſque magiſter.
Quid tamen expectant, Phrygio quos tempus erat jam
More ſupervacuam cultris abſcindere carnem?
Quadringenta dedit Gracchus ſeſtertia, dotem
Cornicini; ſive hic recto cantaverat ære.
Signatæ tabulæ; dictum, feliciter; ingens
Cœna ſedet; gremio jacuit nova nupta mariti.

neque Cleopatra in *Actiaca navi triſtis. Illic verecundia nulla* in *ſermonibus vel menſa obſervantia.* Illic *Cybele fœda, atque enervatâ voce dicendi libertas: ac vetulus furens cano capillo eſt Sacrorum præſes, non vulgare & dignum memoriâ exemplum ingentis gulæ, & præceptor accerſendus. Attamen ecquid morantur* illi, *quos jam tempus aderat amputare gladiolo carnem ſuperfluam, Phrygio ritu? Gracchus ſeſtertia quadringenta* in *dotem donavit cornu canenti, ſeu is cecinerat ære directo. Obſignatæ* ſunt *tabulæ. Acclamatum eſt; fauſtè. Lautæ dapes appoſitæ:* denique *recens nupta quievit* in *ſinu conjugis.*

ANNOTATIONES.

109. *Mœſta nec Actiaca.*] Nec Cleopatra Ægypti Regina, mœſta quod ab Auguſto victa cum Antonio, navali prælio fuiſſet, ad Actium Epiri urbem, & promontorium, atque ſibi mortem admotis aſpidibus parans, ne duceretur in triumpho. Hanc eleganti admodum forma primo adamavit Julius Cæſar, poſt M. Antonius eam deperiit, ac fugientem in Ægyptum conſecutus ibi ſeſe interemit. *Plutarchus.*

110. *Hic nullus verbis pudor.*] Apud Albanos illos Sacerdotes Flaviales, de quibus ſupra, nulla moderatio luxuriæ: impudicitiæ, aut gulæ modus nullus.

Aut reverentia menſa.] Nimiis enim indulgent epulis; adeo ut ex proverbio, Albanæ dapes & menſæ pro lautis & abundantibus ponantur.

111. *Hic turpis Cybeles.*] Turpis enim ſermonis libertas inter illos viget: obſcœna quævis loquuntur, qualia uſurpant & cantant Cybelæ Sacerdotes in ejus Sacris atque ludis. Diodorus Siculus lib. 4. cap. 5. Ovid. Faſt. 4.

Cybeles.] Hæc aliis nominibus vocatur *Ops*, *Rhea*, *Veſta*, *Magna Mater*, *Berecynthia*, *Dindymene*: Cybele vero, a Cybelo monte Phrygiæ, ubi inſtituta putantur illius Sacra: Hinc & *Dea Phrygia* nuncupatur.

Fracta voce.] Laſciva, effœminata, ad mollitiem enervata & fracta.

112 *Fanaticus.*] Quaſi ſacro furore percitus, a Furiis exagitatus, Entheus.

113. *Sacrorum Antiſtites.*] Sacris illis infandis ac cæremoniis futilibus præſidet.

114. *Gutturis exemplum.*] Ob voracitatem & helluationis prodigium.

Conducenduſque magiſter.] Quaſi inſignis gulæ & obſcœnitatis præceptor, advocari dignus & pretio conduci, ſi abeſſet, aut forte ductus non eſſet, ex more.

115. *Quid tamen expectant.*] Verum ſi ita illi Sacra Cybeles, ejuſque impuros myſtas æmulantur in obſcœnitatibus ac helluationibus, quin etiam pergunt, & ipſi ſibi virilia abſcindunt, eorum ad inſtar?

Phrygio more.] Ut faciunt Sacerdotes Deæ Phrygiæ, qui ſeipſos caſtrant, exemplo Atys pueri Cybele dilecti. Diodor. Sic. l. 4. c. 5.

Quos tempus erat jam.] Quos pridem oportebat amputaſſe ſibi pariter eam carnem, qua viri ſunt, ipſis inutilem muliebria ſectantibus.

116. *Cultris.*] More Judæorum in circumciſione præputii, lapideis cultris, teſta Samia; quod & prior fecit Atys.

117. *Quadringenta ſeſtertia.*] Equeſtrem cenſum, decem millia coronatorum. Vide Sat. 1. v. 92. item v. 106.

Gracchus.] Vel nobilis quilibet, vel unus e Gracchorum familia. Vide ſupra v. 24.

Dedit dotem.] Quaſi uxor ſuam dotem viro portat.

118. *Cornicini, ſive hic recto, &c.*) Cuidam canenti vel ære curvo, id eſt, cornu; vel recto ære, id eſt, tuba: cornicini vel tubicini. Ovid. Metamorph.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

119. *Signatæ tabulæ.*] Matrimonii tabulæ, inſtrumentum, contractus, confecta & ſubſignata ſunt.

Dictum, feliciter.] Fauſtæ precationes adhibitæ ex Majorum inſtituto, quod felix, fauſtum, ac fortunatum ſit: vel hæ nuptiæ feliciter ac bene cedant vertantque.

Ingens Cœna ſedet.] Nuptiale convivium paratum & appoſitum eſt: vel, frequentes aſſederunt ad epulum nuptiarum. Lipſius Epiſtolic. Quæſt. lib. 4. Epiſt. 25. ſ. parat vocem, *ſedet*, & legit: *Ingens Cœna: ſed & gremio jacuit, &c.*

120. *Gremio jacuit nova nupta mariti.*] Gracchus traditus eſt Cornicini, ſicut Sporus Neroni, de quo ante.

O pro-

O optimates, egemus ne Cenſore, an haruſpice? Nimirum abhorreres, & crederes graviora prodigia, ſi fœmina pareret *vitulum; aut ſi vacca agnum gigneret?* En *ſegmenta, veſteſque longas, atque flameum accipit is, qui retinaculo ſecreto vacillantia portans ſacra ſudorem emiſit,* ſub *ancilibus ſcutis. O parens civitatis, unde ſcelus tam nefandum paſtoribus Latinis? O Mars unde urtica illa affricuit tuos poſteros? En viro datur vir illuſtris proſapiâ & divitiis:*

O proceres, Cenſore opus eſt, an haruſpice nobis?
Scilicet horreres, majoraque monſtra putares,
Si mulier vitulum, vel, ſi bos ederet agnum?
Segmenta, & longos habitus, & flamea ſumit,
Arcano qui ſacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater urbis,
Unde nefas tantum Latiis paſtoribus? Unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir:

ANNOTATIONES.

121. *Proceres.*] Vocem hanc explicabimus in Perſio.

Cenſore opus eſt, an haruſpice.] *Cenſore*, qui mores iſtos corrigat; *an haruſpice*, qui hæc libidinis portenta, & ſcelerum prodigia expiet. De Prodigiorum expiatione & procuratione Tit. Liv. paſſim.

Haruſpice.] Hoſtia ab *hara*, ſeu ſtabulo dicitur *Harúga*, hinc *Haruſpex* dictus qui inſpicit hoſtiarum exta, atque inde Deorum voluntatem & futura rimatur. Sat. 6.

- - - *Commagenus Haruſpex*
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli.

Majora monſtra.] Quam cum viro vir nuptui datur.

124. *Segmenta.*] Alii explicant monilia, cum Servio: alii fimbrias & faſciolas aureas veſtis extremitati ornatus gratia aſſutas. Alii dicunt *ſegmenta* poni pro ſegmentatis veſtibus pretioſis, quæ vermiculato opere compoſitæ erant e bracteolis aureis aut argenteis, item e purpuræ ſegmentis. Valer. Maxim. lib. 5. cap. 2. n. 1. refert Matronis permiſſum uti purpurea veſte, ac aureis ſegmentis. Ovid. 3. de Arte.

Quid de veſte loquar? Non jam ſegmenta requiro:
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Longos habitus.] Vittatas veſtes, quibus operiuntur ſponſæ, inquit Vetus Schol.

Flamea.] Velamen erat rubei, aut lutei potius coloris, quo novæ nuptæ ſolebant obtegi; *Dictum vero flameum,* inquit Feſtus, *quod eo aſſidue utebatur Flaminica, id eſt, Flaminis uxor, cui non licebat facere divortium: unde boni ominis cauſa nubentes flameo velantur.* Plin. lib. 21. cap. 8. *Lutei video,* inquit, *honorem antiquiſſimum in nuptialibus flameis totum fœminis conceſſum.* Mart. lib. 11. Epig. 79.

Flamea texuntur ſponſa.

Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5.

125. *Arcano qui ſacra ferens, &c.*] Ille ipſe Gracchus muliebres & nuptiales ſumit veſtes, qui Salius fuit, & Martis Sacerdos. Hunc ab adjunctis Poeta deſcribit & notat.

Sacra ferens nutantia.] Subſilientia ad morem Saliorum ancilia. Nempe ſub Numa Pompilio refertur e cœlo ſcutum Romæ cecidiſſe, reſponſumq; ab haruſpicibus ibi fore orbis Imperium, ubi illud ſervaretur. Itaq; Numa undecim alia illi ſimilia prorſus juſſit fabricari, quibus immiſtum nec internoſci, nec ſubripi facile poſſet: duodecim quoque Sacerdotes inſtituit, qui ſolemni ritu per urbem tripudiantes & canentes illa duodecim ancilia ſcuta circumferrent; unde Salii dicti ſunt a *ſaliendo*. Illa vero in Templo Martis cuſtodiri imperavit. Tit. Liv. lib. 1. cap. 20. Horat. lib. 2. Epiſt. 1. v. 86.

Jam Saliare Numæ carmen, &c.

Vide Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 26.

Arcana loro.] *Loro* intus innexo ſuſpenſa ſcuta Saliorum collo portabantur. Hinc dicit, *arcano*, vel potius quia, ut dictum eſt, cœleſte ſcutum cum aliis confuſum haud dignoſcebatur.

126. *Sudavit.*] E corporis agitatione & ſaltatu.

Clypeis ancilibus.] *Ancile* dictum, quia ab omni parte reciſum ac rotundum erat. Hæc eleganter Ovidius deſcribit Faſt. 3.

Quis mihi nunc dicet, quare cæleſtia Martis
Arma ferant Salii, &c.

Pater urbis.] Mars, e quo Rheaq; Sylvia nati Remus & Romulus urbis Romæ conditores.

127. *Latiis paſtoribus.*] Hominibus ſimplicibus & innocuis, quales primi urbis incolæ.

Unde hæc tetigit, &c.] Militiæ laboribus & ærumnis duratos cur luxuria nunc invadit ac enervat?

128. *Gradive.*] Vel a *gradiendo* Mars ita vocatus; vel a κραδαίνειν, haſtam vibrare. Alii vocem deducunt a Thracibus, apud quos velut bellicoſiſſimos Poëtæ Martis ſedem locant: fortem ſignificari aiunt eo vocabulo.

Urtica.] Herba eſt notiſſimæ mordacitatis: hic ſignificat pruritum libidinis.

129. *Traditur ecce, &c.*] Gracchus Tubicini, ut ſupra: vel Neronem perſtringit. Doriphoro liberto nubentem, & e contra ducentem Sporum. Ex Sueton. Ner. cap. 29.

Nec

Nec galeam quaſſas, nec terram cuſpide pulſas,
Nec quereris patri. Vade ergo, & cede ſeveri
Jugeribus campi, quem negligis. Officium cras
Primo ſole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ cauſa officii? Quid quæris? Nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modò vivere; fient,
Fient iſta palàm, cupient & in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt parere, & partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora juris
Natura indulget. Steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodeſt condita pyxide Lyde;
Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

neque caſſidem commoves, neq; humum haſtâ percutis, neque expoſtulas parenti? Ito igitur, ac deſere jugera agri auſteri, quem non curas. Craſtinâ die, diliculo, præſtandum mihi eſt obſequium in Quirini valle. Quænam obſequii ratio? Quid percontaris? Nubit familiaris meus: *neque plures advocat.* Heu, *ſi detur vitam producere: hæc agentur, agentur publicè; atq; optabunt in commentariis ſcribi. Interim magna pœna ſequitur nubentes, quod non poſſunt parturire, ac fœtu conjuges ſervare. At præſtat ut natura poteſtatis nihil dederit mentibus in corpora. E vitâ deſcedunt ſine partu, neque iſtis proficit craſſa Lyde medicato vaſculo; neque juvat manus porrigere Luperco celeri.*

ANNOTATIONES.

130. *Nec galeam quaſſas, &c.*] Neque ulla præbes indignationis argumenta, nec iſtam coerces licentiam improbitatis.

131. *Patri.*] Apud Jovem, cujus ac Junonis filius es: qui Deorum ſummus ſcelera iſta vindicet, ac degeneres a te tuaque virtute in ordinem redigat.

Cede ſeveri jugeribus campi.] Si Romanos ita negligis, eorumque virtutem frangi ſinis, ergo etiam cede campo Martio, quem Tarquiniorum ante agrum urbem inter ac Tiberim tibi conſecrarunt. Liv. Lib. 2. cap. 5.

Severi.] In quo judiciorum armorumque ſeveritas ac labor exercentur & vigent.

132. *Officium cras.*] Dialogus inter colloquentes de prodigioſis iſtis virorum nuptiis. Cras, inquit unus, officium amico præſtiturus ſum.

133. *In valle Quirini.*] Ad *Quirini* ſeu Romuli templum, vel porticum, ubi multi negotiorum cauſa convenire ſolebant. Templi meminit Plin. L. 15. c. 29. ubi inter antiquiſſima fuiſſe delubra dicit. Alex. ab Alex. L. 1. c. 14. Romuli templum in Quirinali omni tempore clauſum ait, quaſi arcanum fieri vellent, an humo rectus, an inter Deos tranſlatus fuerit. De Porticu vero Martial. Lib. 11. Epigram. 1. ad Librum ſuum.

Vicini pete porticum Quirini;
Turbam non habet otioſiorem
Pompeius, &c.

134. *Quæ cauſa officii?*] Et quod officii genus præſtare debes amico? rogat alter.

Quid quæris?] Reſpondet ille: Quid enim vero id curas ac ſciſcitaris amplius?

Nubit amicus.] Velut uxor matrimonium init.

135. *Nec multos adhibet.*] Paucos teſtes vocat, eoſque ex intimis familiaribus; ne evulgari contingat rem lege Scantinia vetitam.

Liceat modò vivere; fient, &c.] Si paulo diutius vita eſt incolumis, videbimus hæc ſcelerum monſtra palam exerceri, ſine metu ac pudore; eo tandem erumpet impudentia.

136. *In acta referri.*] In Annales, in Commentarios publicos, ut facti memoria ad poſteros tranſeat.

137. *Nubentibus.*] Effœminatis illis maribus.

138. *Partu retinere maritos.*] Faſtidientes aliquando tenere ac ſibi conſervare. Sunt enim liberi maximum conjugii vinculum, & amoris pignus perpetui: & ſterilitas uxorem etiam repudii ſæpe fuit cauſa. Claudianus.

Fœmina, cum ſenuit, retinet connubia partu,
Uxoriſque decus matris reverentia penſat.

139. *Sed melius, quod, &c.*] Melius tamen eſt quod iſti molles pœnam ferunt, nec pro arbitrio naturam ſuam muliebri poſſunt mutare, & parere.

141. *Conditâ pyxide.*] *Pyxis* vas e buxo, in quo medicamina fœcunditatem conferentia reponantur apud iſtam Lyden.

Lyde.] Unguentaria quædam jactant ſe medicamentis auferre ſterilitatem. Turneb. Lib. 15. c. 17. Porro Lydiæ mulieres craſſæ fuiſſe dicuntur. Alii neſcio quid comminiſcuntur de Arachne Lydia, aiuntque ſterilitatem emendari, ſi mulier incluſam pyxide araneam in ſinu portarit.

142. *Palmas præbere Luperco.*] *Luperci* Panos Sacerdotes menſe Februario in Lupercalibus per urbem diſcurrebant; credebanturque ſterilibus fœcunditatem afferre, & partum adjuvare gravidarum, obvias percutiendo ſeu ferula, ſeu hircina pelle: diſcurrentibus igitur mulieres occurrebant, ac verberibus ſeu palmas, ſeu uteros offerebant. Hinc Ovid. Faſt. 2.

Nupta quid expectas? Non tu pollentibus herbis,
Nec prece nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcunda patienter verbera dextra;
Jam ſocer optatum nomen habebit avi.

Digitized by Google

Illud etiam portentum tranſgreſſa eſt fuſcina Gracchi tunicâ induti, atque gladiator, qui *mediam arenam fugiendo circuivit, fortior & Capitolinis, & Marcellis, & poſteris Catuli ac Pauli, & Fabiis, & cunctis ſpectatoribus ad podium; quamvis illis adjungas eum, cujus* in *ludis tum retia injecit. Exiſtere quoſdam Manes, & Imperium ſub terrâ,*

Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi,
Luſtravitque fuga mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generoſior, & Marcellis,
Et Catulis, Pauliſque minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium ſpectantibus: his licet ipſum
Admoveas, cujus tunc munere retia miſit.
Eſſe aliquos Manes, & ſubterranea regna,

ANNOTATIONES.

143. *Vicit & hoc monſtrum, &c.*] Monſtroſis illis marium nuptiis pejus aliquid videre eſt Romæ: ſcilicet Nobiles qui arena ſe polluunt, & plebeiis, imo indignis exercitationibus. Nam ſcelera iſta portentoſa quidem ſunt, ſed occulta; at publice exercentur infames iſti ludi, & hoc exempli pejoris, & gravioris periculi: Quod a Nerone quidem Romani Imperii monſtro ac portento profluxit. Is enim amavit edere ludos omnis generis, ac inter alios gladiatorium munus. Suetonius cap. 12. & alibi. Sub Vitellio prohibitum fuit, ne Romani Equites ludo & arena polluerentur. Cornel. Tacit. Domitianus quidem nullum coegit ad pugnandum in arena, ſed multi ſub Nerone pridem his pugnis aſſueti ſponte in arenam deſcendebant. Quod hic damnat Juvenalis, & Sat. 8. v. 200.

Tunicati.] Gladiatores induti ſimplici tunica decertabant, qua eſſent expeditiores. V. Sat. 8. v. 207.

Fuſcina.] Tridens telum quo utebatur Retiarius.

Fuſcina Gracchi.] Gracchus, vel quilibet alius a Patriciis ac Nobilibus, armatus reti ac fuſcina more Gladiatorum, ac tunica leviter obtectus, & in arena depugnans cum ſordidis & infimis. In amphitheatro nempe componebantur Gladiatorum paria: alter Mirmillo dicebatur ac ſecutor; habebatque pro armis, gladium, clypeum, galeam: alter Retiarius reti ac fuſcina armatus, reti quidem involvere caput Mirmillonis conabatur, ac fuſcina captare, humiq; affligere: Quod pugnæ genus fertur inventum a Pittaco uno e ſeptem Græciæ ſapientibus.

144. *Luſtravitque fugâ, &c.*] Declinans Mirmillonem infeſta cuſpide appetentem. Vel intelligit Gracchum non Retiarium tantum egiſſe, ſed & Mirmillonem, qui fugam ſimulabat ante Retiarium: unde conſueverat Retiarius identidem increpare: non te peto, piſcem peto, quid me fugis, Galle? Nimirum vertici illius galeæ inerat piſcis effigies.

Gladiator.] Gracchi filius Retiarius fuit, & ad infamiam uſque Gladiator. Vet. Schol.

Arenam.] Aream amphitheatri Rom. arena ſtratam, ne ſanguis ibi fuſus in Gladiatorio præſertim munere ſpectantibus horrori eſſet, ſi humi defluere ac decurrere cerneretur.

145. *Et Capitolinis generoſior.*] Gracchus, inquam, nemine Romanorum inferior genere, virtute, præſtantia, componitur cum Gladiatore, ac in arena decertat. Per indignationem hæc ait.

Capitolinis.] Manliis, quorum unus defenſo Capitolio, Capitolini cognomen ac decus invenit. Tit. Liv. Lib. 5.

Marcellis.] Quam Illuſtris Marcellorum familia Romæ fuerit, quorum unus Syracuſas expugnavit, quinquies Conſul fuit, Annibalem in Italia primus vicit; vide Plutarchum.

146. *Catulis.*] Q. Lutatius Catulus primum bellum Punicum glorioſe confecit, demerſis aut captis hoſtium ſexcentis navibus.

Pauli que.] Paulus Æmilius fortiter in acie dimicans Cannenſi clade occubuit. Ejus poſteri pluribus triumphis nobilitati ſunt. Plut.

Fabiis.] Hi numero ſex & trecenti ex eadem familia, cum viderent populum detineri Veientium bello, hoc ſibi mandari popoſcerunt: verum poſt multas victorias in inſidias delapſi omnes ſimul intercidere. Ovid. Faſt. Lib. 2.

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

147. *Ad podium ſpectantibus.*] Quibuſvis Nobilibus qui ludos ſpectant e podio Theatri loco, ubi primus ordo ſubſelliorum; ita ordinante Auguſto. Sueton. cap. 44.

Podium.] Projectura quædam eſt, ſeu projectum e muro ædificium, a pede dictum eſt, quia velut pes e pariete ſæpius ab ima ædium parte extruitur podium, procedit, ac porrigitur. Vide Vitr. Lib. 5. Alex. ab Alex. Lib. 5. c. 16.

His licet ipſum admoveas.] Ne excepto quidem Prætore vel Munerario, qui Gladiatorium munus edit. Neronem forſitan aut Domitianum notat: ac Nero quidem in Gladiatorem ipſe pugnavit, & cantavit in Scena, citharœdi habitu, & auriga fuit. Vetus Schol.

148. *Cujus munere retia miſit.*] In cujus ludis ac munere Gladiatorio, Retiarium agens, retia immiſit, & Mirmillonis caput apprehendere ac impedire niſus eſt. Vide ſupra.

149. *Eſſe aliquos Manes.*] Quare vero tot ſcelera graſſantur Romæ? Nimirum, inquit Poëta, quia metus Deorum nullus coercet, & Inferorum ſupplicia veluti anilia commenta & fabulæ accipiuntur.

Manes.] Vide Perſii Sat. 5. v. 152.

Subterranea regna.] Ubi digna meritis rependunt, & facta quævis dijudicant ſeveri Judices, Mino, Rhadamanthus, Æacus. Vide Sat. 1. v. 9.

Et

Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una tranſire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. Curius quid ſentit, & ambo
Scipiadæ? Quid Fabricius, maneſq; Camilli?
Quid Cremeræ legio, & Cannis conſumpta juventus,
Tot bellorum animæ? Quoties hinc talis ad illos
Umbra venit, cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tedis, & ſi foret humida laurus.
Illuc heu miſeri traducimur: arma quidem ultra

& perticam, & ranas atras in fluvio Styge, ac tot millia flumen tranare unâ naviculâ, neq; puerulî fidem habent, præter eos qui non adhuc lavant pecuniâ. At tu crede vera. Quid exiſtimat Curius, atque ambo Scipiones? Quid Fabricius, & anima Camilli? Quid legio Cremera, ac juvenes ad Cannas cæſi, tot animæ bellicoſæ? Quotieſcumq; iſthinc ad eos tranſit anima ejuſmodi ſcelerata, *optarent purgari, ſi quæpiam offerrentur ſulphura cum tedis, ſiq; adeſſet laurus madida. Eheu infelices illuc tranſportamur. Certè arma protulimus*

ANNOTATIONES.

150. *Contum.*] Quo Charon impellit cymbam, ac tranſmittit Umbras ſeu Animas ad alteram Stygis ripam, qua pergant ad regnum Plutonis. Virgilius.

Ipſe ratem conto ſubigit, &c.

Stygio.] *Styx*, fons in Arcadia nimio frigore tam exitioſus, ut ſtatim enecet potantes. Plin. Lib. 31. cap. 2. & Lib. 2. cap. 103. Vitr. Lib. 1. cap. 3. Poëtæ vero fabulantur Paludem eſſe Inferorum, e qua profluit Cocytus, Virgil. Æneid. 6.

Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamq; paludem.

Ranas nigras.] Atrum & nigrum appellatur quicquid Inferorum eſt. *Ranas* in palude Styge Poëtæ locant. Teſtis Ariſtophanes in *Ranis*, Comœdia.

151. *Vadum.*] Cocyti alveum.

Tot millia.] Animarum, quæ locum non occupant, ut corpora.

152. *Nondum ære lavantur.*] In Thermis nondum lavant; vel, quod pueri non ſolvunt balneaticum ſeu quadrantem. Vetus Schol.

153. *Sed tu vera puta.*] Licet improbi, ut ſcelerum conſcientiam ſublevent, nulla eſſe apud Inferos tormenta dicant; tu tamen ne dubita vera eſſe illic præmia bonis, & malis ſupplicia.

Curius.] Vide initio hujus Sat. v. 3.

154. *Scipiadæ.*] Cneius & Publius Scipiones, de quibus Tit. Liv. L. 23. & ſeq. Et Virg.

Duo fulmina belli Scipiadas.

Fabricius.] Hunc laudat Valer. Max. L. 4. cap. 3. n. 6. honoribus atque auctoritate cunctis majorem, cenſu autem cuique pauperrimo parem dicens. Hic Samnitum & Pyrrhi dona ſprevit. Ejus filiæ de publico dotatæ, gloriam domeſticam viris dumtaxat cum publica pecunia detulerunt.

Camilli.] Is quinquies dictator fuit, Veios expugnavit, Gallos bis fregit, tam clarus per omnia, ut alter Romulus diceretur.

155. *Cremera legio.*] *Cremera* fluvius Hetruriæ, ad quem intercepti, ut dictum eſt, inſidiis Veientium Fabii tantum non perdiderunt nomen, uno impubere domi relicto. Tit. Liv. Lib. 2. cap. 48. & ſeq. Ovidius Faſt. 2.

Ut celeri paſſu Cremeram tetigere rapacem.

Legio.] Vide Sat. 3. v. 132.

Cannis.] Ad *Cannas* vicum Apuliæ Rom. exercitus, ipſoſque Conſules Paulum Æmilium, & Ter. Varronem, tanta clade affecit Annibal, cæſis quadragint. hominum millibus, & Equitibus Romanis tanto numero, ut annulorum tres modios miſerit Carthaginem. Cannarum rudera etiamnum oſtenduntur, vulgo, *Canna deſtrutta.*

156. *Talis umbra.*] Quales ante notavimus infames libidine ac ſceleribus.

Ad illos.] Ad viros illos de quibus mox, tot virtutibus inſignes, & notæ caſtitatis & innocentiæ, jam in Campis Elyſiis degentes, apud inferos.

157. *Cuperent luſtrari.*] Quia ſimplex ejus aſpectus, aut certe conſortium, polluit ac fœdat.

158. *Sulphura cum tedis.*] De *tedis* ante diximus. *Sulphur*, ignis, & aqua adhibebantur ad eos purgandos, qui contaminati fuerant aliquo piaculo. Ovid. Metam. 7. Fab. 2.

Terq; ſenem flamma ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

De *Sulphure*, teſtatur etiam Plin. L. 35. c. 15.

Humida laurus.] Aſpergillum e lauro, aqua intinctum, Plin. L. 15. c. ult. laurum purificationibus adhiberi affirmat; & paulo ante, ex Maſſurio, cædis hoſtium purgationem eſſe, ait. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 6. cap. 12.

159. *Illuc heu miſeri traducimur.*] Cum migramus ex hac vita, ad Inferos imus non opinione, ſed reipſa; ibique experimur miſeri ea quæ viventes credere noluimus, & quæ ad Fabulatores rejicienda putavimus. Horat. ad Piſones.

Debemur morti, nos, noſtraque.

Digitized by Google

Littora Jubernæ promovimus, & modo captas
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos.
Sed quæ nunc populi fiunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus: & tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti ſeſe indulſiſſe Tribuno.
Aſpice quid faciant commercia: venerat obſes.
Hic fiunt homines. Nam ſi mora longior urbem
Indulſit pueris, non unquam deerit amator:
Mittentur braccæ, cultelli, fræna, flagellum.
Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

trans Hiberniæ ripam, atque Orcadas nuper ſubactas, & Britannos breviſſimam noctem ſatis habentes. Verùm illi quos ſubegimus non perpetrant ea quæ aguntur in civitate populi triumphantis. Ac nihilominùs memoratur unus Zalates ex Armeniâ univerſis impuberibus effœminatior ſe tradidiſſe Tribuno flagranti. Contemplare quidnam afferant conſortia. Ille obſes acceſſerat. Hic homines perficiuntur. Etenim ſi diuturna commoratio pueris concedat civitatem, nunquam deficiet qui *depereat. Abjicientur femoralia, cultra, habenæ, ſcutica. Atque ita mores Prætextatos reportant* ad urbem *Artaxata.*

ANNOTATIONES.

160. *Juberna.*] Alii *Juvernæ*, id eſt, Hiberniæ ſeu Irlandiæ, de qua vetus Schol. ita ſcribit: *Inſula eſt Britanniæ, a qua non longe ſunt Orcades aliæ triginta Inſulæ, quas Mela ſcribit.*

161. *Orcadas.*] Vetus Schol. ex Mela, triginta numerat, quadraginta vero Plinius, lib. 4. c. 16. modicis inter ſe diſcretas ſpatiis. Sitæ ſunt ultrà Scotiam, in Oceano Septentrionali, ſeu Caledonio. Undecim referuntur aliis majores, cum minoribus aliquot, apud recentiores, & titulo Ducatus nuper inſignitæ dicuntur.

Modo captas.] Nuper ab Imperatore Claudio ſubactas. Is & de Britannis triumphavit eo tempore, & inde Britannicum vocari filium ſuum voluit.

Britannos.] Majoris Britanniæ populos, qui modo ſunt Angli & Scoti. Virg. Eclog. 1.

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Cornelius Tacitus in vita Julii Agricolæ, non longe ab initio, deſcribit ac mire laudat eam Inſulam.

Minima contentos nocte.] Septentrionales terras ac Inſulas intelligit ad Britanniam majorem pertinentes, ubi circa Solſtitium æſtivum nox brevis eſt, ſicut hyemali longior, & dies fere nullus: Quod facit Sphæræ inclinatio, & Solis ſuper Horiſontem mora longior aut brevior. Vide Plin. lib. 2. cap. 75. Item lib. 6. cap. ult. Cornel. Tacit. loco mox citato. *In Britannia*, inquit, *dierum ſpatia ultra noſtri orbis menſuram: & nox clara, & extrema parte Britanniæ brevis, ut finem atque initium lucis exiguo diſcrimine internoſcas.*

162. *Populi victoris.*] Apud Romanos gentium Dominos, dominantur vitia quælibet turpiſſima.

164. *Zalates.*] Nomen proprium Armenii pueri molliculi, tenelli, inter alios obſides Romanis traditi.

Ephebis.] Imberbibus pueris, ab ἐφηβέω, *pubeſco.*

Ardenti.] Inſano amore depereunti.

Seſe indulſiſſe.] Sui corporis nefarie copiam feciſſe, facile nimium.

166. *Aſpice quid faciant commercia.*] S. Gregorius Magnus Moral. 1. c. 1. *Bonum eſſe cum bonis, haud valde laudabile eſt*, inquit, *at immenſi eſt præconii, bonum etiam inter malos extitiſſe.*

Venerat obſes.] Zalates nempe integer venit, at brevi depravatus eſt apud nos.

167. *Hic fiunt homines.*] Sarcaſmus. Non ſine cauſa multi e longinquis terris Romam petunt, ubi veluti fiant, ac perficiantur, ex conſortio Nobilium Romanorum, & ex mora in urbe orbis Domina. Ironice admodum.

Nam ſi mora longior, &c.] Si paulo diutius hic Romæ commorentur, aderit continuo, qui pueros illos advenas infandis libidinibus implicet & corrumpat.

169. *Mittentur braccæ, &c.*] Ab illis nequam & corruptoribus mittentur dona & munera pueris innocentibus, eorum indoli congrua, quibus capiatur, ac in obſequium male pelliciatur animus puerilis, cereus in vitium flecti, ut ait Horatius ad Piſones. Vel *mittentur*, id eſt, omittentur deinceps ac negligentur patrii mores & priſca integritas, cum primum voluptatibus irretiti fuerint hi pueri.

Braccæ.] Quas in uſu non Gallis tantum, ſed & Phrygibus, Lydis, Perſis, aliiſque comperimus. Vide Perſii Sat. 3. ver. 53. Diodor. Sicul. l. 6. c. 9. Joſ. Scaliger. in Propertii l. 4.

Cultelli.] Munuſcula, quibus ut plurimum delectantur pueri.

Fræna, flagellum.] Quibus equos agitent, ac venationi inſiſtant.

170. *Prætextatos mores.*] Duo contraria omnino vox iſta ſignificat, & mores nimirum bonos, qui deceant Nobiles adoleſcentes prætextam gerentes; & per antiphraſin, pravos admodum mores etiam, nobili viro indignos: quo ſenſu quidem hic accipe, niſi mavis intelligere de moribus nobilium Romanorum valde corruptis ac

SATIRA

Digitized by Google

perditis, quos infelices illi pueri facile induunt ex eorum conſortio, ac in patriam reportant. De *prætexta* dicemus ad Perſii Sat. 5. v. 30.

Artaxata.] Vox pluralis numeri. Urbs eſt primaria majoris Armeniæ ad Araxem fluvium, quam, ſub Nerone, Tacit. Lib. 13. Annal. 13. refert à Corbulone captam ac direptam, Rege Tiridate belli fortunam nuſquam auſo experiri. Hodie vocatur *Teflis* vel *Tiflis*.

SATIRA III.

Quamvis digreſſu veteris confuſus amici,
Laudo tamen vacuis quod ſedem figere Cumis
Deſtinet, atque unum civem donare Sibyllæ.

INTERPRETATIO.

Quanquam turbatus ſum *diſceſſu antiqui familiaris, nihilominùs probo quòd decreverit domicilium ſtatuere* apud *Cumas inanes, & Sibyllæ unum dare civem.*

ANNOTATIONES.

1. *Quamvis digreſſu, &c.*] Fingit Poëta, Umbritium Haruſpicem amicum ſuum urbe cedere, tot vitia pertæſum, & ſcelera, quæ Romæ graſſantur, & in dies ſerpunt.

2. *Cumis.*] Hæc eſt Campaniæ urbs maritima, non procul Puteolis, Sibyllæ antro & Sacello inclyta. Hoc ſe vidiſſe teſtatur Juſtinus Martyr, Orat. Paræner. ad Græcos, atque admiratum ſe fuiſſe maximam Baſilicam uno lapide inciſam opere eximio: ubi oſtendebantur adhuc in Templi medio vaſa tria eodem in lapide inciſa, quibus aqua repletis lavabatur Sibylla, acceptaq; ſtola recedebat in abditiſſimam ejus Templi partem, oraculum illic editura. Onuphrius poſtea citandus ſubjungit, fanum illud perſtitiſſe ad annum Chriſti milleſimum quingenteſimum trigeſimum nonum: quo tempore quaſſata ingenti terræmotu Campania, Puteolis minutiſſimo pulvere cinereque e mari ſurgenti, totum illud coopertum eſt, colliſque ſatis editus enatus eſt, ubi celebre fuerat Sibyllæ Fanum: & cum Puteolos Baiaſque profectus eſſem, inquit ille, anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo, regionis peritos mercede conduxi, qui Templi locum, & formam, aliaque omnia narraverunt, quæ Juſtinus Martyr annis ante mille trecentis ſe vidiſſe ſcripſit, priuſquam arcanum id ac templum ingens vi terræmotus obrutum eſſet.

Vacuis.] Vel quia deſertæ videntur præ populoſa Roma: vel quod otio magnaque tranquillitate fruantur Cumæ, præ magno populi fremitu ac tumultu, qui eſt Romæ.

3. *Unum civem.*] Seipſum nempe.

Sibyllæ.] Fremat licet Blondellus, quamvis & multa docte quidem P. Simonius, aliique Eruditi, non ita pridem contra Sibyllas moliti ſint; bonam ſane cauſam tot ſæculorum teſtimonio comprobatam egregie nuper propugnaſſe viſi ſunt complures haud inferioris literaturæ, imprimiſque Iſaacus Voſſius libello *de Sibyllin. Orac.* Oxoniæ edito Anno 1680. Ergo Sibyllas extitiſſe, ac vaticinatas eſſe, maneat certum, cum e profanis tum e ſacris auctoribus: dumque illa faciunt intelligendo ut nihil intelligant, hi qui ſapiunt ad ſobrietatem vere ſapere cenſeantur. Pro Sibyllis ac Sibyllinis carminibus ſtant, (qui & quales viri; Deus immortalis!) diſpertitis ordinibus diſpertiti; hic Tull. de Divin. 2. n. 110. & ſeq. Virgil. Eclog. 4. Plutarch. *in Fabio*, init. Sueton. *in Auguſto*, c. 31. Vopiſc. *in Aureliano*, *&c.* Illinc autem Juſtin. Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Lactantius, Euſebius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, ac tot alii. Veruntamen quot Sibyllæ fuerint, quo tempore, quo loco; quæ nomina illarum, quæ carmina, non ita conſtat. Dictæ ſunt, quaſi βουλὴ Σιοῦ, Æolice pro Θεοῦ: nam fatidicæ illæ mulieres Dei conſilia nunciarunt carminibus, contexto interdum e primis cujuſq; verſus literis vaticinio; ut atteſtantur Cicero de Divin. 2. n. 112. S. Auguſtinus de Civitate Dei, lib. 18. cap. 23. *&c.* Sibyllæ decem fuerunt, teſte Varrone; diverſis quidem locis ac temporibus, ut ait Suidas. Præcipue celebrantur, Perſica, quæ & Chaldæa & Hebræa dicitur, Libroſque viginti quatuor, ut aiunt, ſcripſit, in quibus de Alexandro Magno, & de Chriſto item plurima quæ tamen S. Auguſtinus cit. Erythrææ aſſignat vel Cumanæ: Delphica, quæ ante bellum Trojanum heroicis verſibus oracula fertur edidiſſe

Digitized by Google

Oſtium eſt Baiarum, & jucunda ripa ſuavis receſſus. Ego Suburræ etiam præfero Prochytam. Enimverò quidnam ita calamitoſum, ita deſertum aſpeximus, ut non magis exiſtimes eſſe horrori deflagrationes, continuas ædium ruinas, & mille diſcrimina duræ civitatis, atque Vates Auguſto menſe recitantes?

Janua Baiarum eſt, & gratum littus amœni
Seceſſus. Ego vel Prochytam præpono Suburræ.
Nam quid tam miſerum, & tam ſolum vidimus, ut non 6
Deterius credas horrere incendia, lapſus
Tectorum aſſiduos, ac mille pericula ſævæ
Urbis, & Auguſto recitantes menſe Poëtas?

ANNOTATIONES.

e quibus Homerum multa ſumpſiſſe dicunt, ac in ſuum opus tranſtuliſſe, ex Diodoro Sicul. lib. 5. cap. 6. ubi tamen alia Sibylla nominatur: Erythræa, quam poſt excidium Trojanum annis 483. floruiſſe tradunt Suidas, & alii: denique Cumana, ſive Cumæa, de qua hic mentio: & hanc opinantur ad Tarquinium, ſeu Superbum, ſive Priſcum potius (ut Onuphrius citand. & Lud. Vives non ſine ratione conjiciunt) libros detuliſſe magno emendos pretio, quorum unum, mox & alterum coram Rege indignabunda combuſſeris; tertius autem tanti redemptus, ex Haruſpicum reſponſo, ac religioſe dein ſervatus, donec Syllanis temporibus cum Capitolio conflagravit, ut volunt aliqui ex Plin. lib. 13. c. 13. Quod tamen alii non abs re negant, quibus favet Ammian. Marcell. lib. 23. Libros novem Tarquinio oblatos, remque totam fuſe commemorant Dionyſ. Hallicarnaſſ. lib. 4. & Gellius lib. 1. cap. 19. aiuntque ſex a Sibylla, ut ante dictum, crematos, tres autem ſuperſtites in Sacrario conditos. Hi porro conſulebantur, Senatu jubente, a Decemviris, quoties laborabat Civitas aut Reſpublica, ut paſſim legere eſt apud Livium, Macrob. lib. 1. c. 17, *&c.* De Sibyllis ita cenſet D. Hieronym. adverſus Jovin. lib. 1. paulo ante finem. *Quid referam Sibyllas*, inquit, *Erythræam, atque Cumanam, & octo reliquas, quarum inſigne Virginitas eſt, & virginitatis præmium divinatio?* Vide Lact. l. 1. c. 6. & quæ Lud. Vives in loc. S. Aug. de Civit. Dei mox cit. Item eruditum Onuphrii Panvinii libellum de Sibyllis ac Sibyll. Carm. a Joan. Opſopœo editum, cum Animadverſionibus non contemnendis. Ibi nonnullos Sibyllæ de Chriſto vaticinia, velut ab aliquo Chriſtianæ Religionis ſtudioſo confiſta rejicientes, ex eo refellit Onuphrius, quod ante Chriſti natalem edita comperiuntur. *Conſtat enim*, inquit, *M. Tullium verſus hos legiſſe, & Commentariis ſuis inſeruiſſe, quos Euſebius Cæſarienſis ſe vidiſſe profitetur.* Idem ibidem Sibyllas duas a Cumis denominatas extitiſſe opinatur; quarum prior Cumæa dicta ſit, eo quod Cumis vaticinata fuerat, orta vero ex Cimmerio Campaniæ oppido, unde & Cimmeriam aliqui appellant: & hanc adiiſſe Æneas putandus apud Virgil. Æneid. cujus etiam meminit Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 4. cit. Altera longe poſterior dicta Cumana, & Cumis oriunda, quæ Tarquinio libros obtulerit, *&c.* De hac multa Solinus.

4. *Janua Baiarum eſt.*] Hac itur Baias, & in amœnos illos ſeceſſus.

Baiarum.] Hoc oppidum eſt Campaniæ, Puteolos inter & Cumas, a Baio Ulyſſis comite ædificatum in ſinu illo qui dicitur nunc, *Golfo di Pozzuolo*, & *di Napoli.* Ibi erant calentes aquæ valetudini perutiles, ſingularis autem amœnitas ac cœli temperies: & hinc magna Romanorum frequentia, atq; ædificiorum nitor ac ſplendor. Strabo lib. 5. Unde Horatius lib. 1. Epiſt. 1.

Nullus in orbe ſinus Baiis prælucet amœnis.

Gratum littus.] Amœna pariter omnia Campaniæ littora ſunt, Mulâ teſte.

5. *Seceſſus.*] Locus proinde gratus ac idoneus viris ſtudioſis.

Prochytam.] Hæc eſt inſula ad oſtium Baiani ſinus, hodie, *Procida*: habens in circuitu paſſuum millia tria. De ea Plin. lib. 2. cap. 88. & lib. 3. cap. 6. Virgil. Æneid. 9.

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, &c.

Suburra.] *Suburra*, vel *Subura*, quam Mart. clamoſam vocat, lib. 12. Epig. 18. Vicus eſt Romanus, etiam hodie, *la Suburra*; ſic dictus quia ſub urbe antiqua nimirum ſitus. Summœnianum inde nominat Mart. lib. 3. Epig. 81. & lib. 12. Epig. 32. quaſi ſub mœnibus ſitum Synedoch. pro tota urbe hic ponitur. De eo iterum poſtea ad Perſ. Sat. 5. v. 32.

6. *Quid tam miſeram, &c.*] Alibi, uſquam.

7. *incendia.*] Quæ Romæ tam frequentia.

8. *Pericula ſæva urbis.*] In qua periculoſa & infeſta graſſatoribus & improbis ſunt paſſim omnia.

9. *Auguſto recitantes menſe Poëtas.*] Vide Sat. 1. v. 2. & quæ fuſius ad Perſ. Sat. 1. v. 17.

Auguſto menſe.] Quo tempore jam a Kalendis Juliis, propter æſtum, in villas Romanorum pars magna ſeceſſerat; ſed non Poëtæ, inſana recitandi libidine perciti; ac tum etiam importuna garrulitate obvium quemq; enecantes. Vide Martial. lib. 4. Epig. 57. & Horat. lib. 1. Sat. 9. & Epiſt. ad Piſones, ſive de Arte Poëtica, vulgo v. 453. & ſequent.

Sed

Digitized by Google

Sed dum tota domus rhedâ componitur unâ, 10
Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam;
Hîc ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.
Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſilva Camœnis. 16
In vallem Ægeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſſimiles veris. Quanto præſtantius eſſet
Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?

Interim verò dum univerſa ejus familia in unum planſtrum compingitur, ſtetit prope antiquos arcus, atque humidam Capenam; iſthic ubi Pompilius noctu conducebat dilectæ. Lucus modò ſacrati fontis, ac fana accommodantur Judæis, quorum ſupellectilia ſunt ſporta, & fœnum. Nam ſingulæ arbores jubentur pretium Plebi ſolvere, atque nemus ſtipem rogat expulſis Muſis. In eam Ægeriæ vallem devenimus, & in ſpecus diſpares naturalibus. At quàm melius foret Numen fontis, ſi gramen ambiret aquas ripâ viridanti neque marmora vim inſerrent lapidi naturali?

ANNOTATIONES.

10. *Tota domus rhedâ componitur una.*] Proinde ſatis exigua frugali viro; ſiquidem ſua omnia uno plauſtro ſeu carro continebantur.

11. *Subſtitit.*] Expectavit rhedam in qua omnis ſua ſupellex atque familia vehebatur.

Veteres arcus.] Vel ad arcus lateritios primum a Romulo factos, deinde florente Republicâ a marmore inſtauratos ad ſuſcitandam ornandamque conditoris memoriam. Vel ad arcus non procul a Porta Capena erectos in monumentum victoriæ Horatiorum. Turneb. lib. 10. cap. 27.

Madidamque Capenam.] Quia ſuper eam aquæductus; unde & ſtillantem arcum vocatum eſſe teſtatur Vet. Schol.

Capenam.] Urbis porta, qua ibatur Capuam, ſic dicta eſt ab oppido *Capena* exciſo, apud Lucum Feroniæ; vocabatur & Appia teſte Frontino lib. de Aquæductis; & Fontinalis, a fontium copia, auctor Ferrarius: item Triumphalis, quia per eam Triumphantes ingredi ſolebant. Hodie *Porta de S. Sebaſtiano.*

12. *Hic ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.*] Qui locus Numæ cum Ægeria Nympha ad conveniendum condictus & conſtitutus erat. De quo Tit. Liv. lib. 1. cap. 19. ſcilicet rudes populos Deorum metu continuendos ratus Numa, & cum ſine aliquo miraculi commento animis incuti non poſſet, ſimulavit ſibi eſſe cum Ægeria Dea nocturnos congreſſus, & ab ea ſe accipere quæ Diis eſſet acceptiſſima, &c. Et Val. Max. l. 1. c. 2. *Numa Pompilius*, inquit, *ut Populum Romanum Sacris obligaret, volebat videri ſibi cum Dea Ægeria congreſſus eſſe nocturnos, ejuſq; monitu accepta Diis immortalibus Sacra inſtituere.*

13. *Sacri fontis nemus.*] Liv. lib. 1. cit. c. 21. *Lucus erat*, inquit, *quem medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua, quo quia ſe perſæpe Numa ſine arbitris velut ad congreſſum Deæ inferebat, Camœnis eum locum ſacravit, quod earum ibi concilia cum conjuge ſua Ægeria eſſent.* Idem refert Plutarch. in Vita Numæ.

Delubra.] Quid proprie *delubrum*, docet ex Varrone Macrobius lib. 3. cap. 4. *Ædes nimirum cum area eſt*, inquit, *& ſicut locus candelæ candelabrium, ſic Dei locus delubrum.* Aliter omnino Aſconius. *Templa ſunt*, inquit, *loca ſingula Diis attributa; delubra vero ædes multæ ſub uno tecto.* Feſtus decorticatum ſeu delibratum fuſtem delubrum vocari eumque pro Deo cultum fuiſſe ſcribit.

Locantur Judæis.] Judæi vel etiam Chriſtiani Domitiani Edicto urbe pulſi in ea ſe loca receperunt, & pro locatione mercedem pendunt.

14. *Quorum cophinus fœnumque ſupellex.*] Adeo pauperes erant.

15. *Omnes enim populo, &c.*] Tantaque eſt avaritia populi Romani, ut a miſeris exigat tributum pro ſacris locis, & pro ſingulis arboribus nemoris iſtius, quarum vel umbra frui, vel ad quas jumenta ligare fas eſt.

16. *Mendicat ſilva.*] Metonym. pro mendicant indolentes ſilvam Judæi.

Ejectis Camœnis.] Quibus Numa pridem conſecrârat lucem, fontem, delubrum: ut mox e Livio diximus.

17. *In vallem Ægeriæ deſcendimus.*] Ambo devenimus ego amicuſque in eum locum, de quo mox, & Ovid. Faſt. 3.

Ægeria eſt quæ præbet aquas, Dea grata
Camœnis:
Illa Numæ conjux conſiliumque fuit.

Speluncas diſſimiles veris.] Non a Natura, ſed arte excavatas rupes.

18. *Quantò præſtantius eſſet, &c.*] Quam præſtaret reliquiſſe ſitum loci naturalem, nimirum fons eſſet cui Nympha præſideret: & ripa gramine ſtipata præferenda appoſitis marmoribus.

20. *Ingenuum violarent marmora tophum?*] *Tophus* rudis eſt & ſcaber lapis in loco naſcens & concretus, cui videtur illata vis cum ſubmotus inde eſt, ad ſubſtituenda marmora.

Ibi tum Umbritius ait: quandoquidem in civitate locus nullus eſt liberalibus diſciplinis, nulla ſtudiorum merces: hodie res extat deterior quàm heri extitit, & craſtinâ die ipſa quidpiam parvis diminuet, ſtatuimus eò proficiſci, ubi Dædalus pennas defeſſus depoſuit: dum cani recentes, dum primum adeſt ſenium & non curvum; dum reſtat Lacheſi quod volvat, atq; me meis plantis fero, nullo ſcipione manum ſuſtentante. Patriam deſeramus. Illic valeant Arturius & Catulus. Reſideant qui atra mutant in alba: quibus promptum eſt redimere domum, fluvios, portus, exſiccandam eluvionem, efferendum cadaver ad ſepulchrum, & dare caput vendendum ſub haſtâ herili.

Hic tunc Umbritius, Quando artibus, inquit, honeſtis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor eſt, herè quàm fuit, ac eadem cras
Deteret exiguis aliquid; proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas;
Dum nova canities, dum prima, & recta ſenectus,
Dum ſupereſt Lacheſi quod torqueat & pedibus me
Porto meis, nullo dextram ſubeunte bacillo.
Cedamus patriâ: vivant Arturius iſthic,
Et Catulus: maneant qui nigra in candida vertunt:
Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,
Siccandum eluviem, portandum ad buſta cadaver,
Et præbere caput dominâ venale ſub haſtâ.

ANNOTATIONES.

21. *Hic tunc Umbritius, &c.*] In eo loco cœpit ille cauſas ſui diſceſſus enarrare.

Umbritius.] *Umbritii* Haruſpicum peritiſſimi meminit Plin. l. 10. c. 6. Apud Cornelium vero Tacitum Hiſt. 1. Haruſpex *Umbritius* ſacrificanti Galbæ triſtia exta, inſtantes inſidias, ac domeſticum hoſtem prædicit, tum cum ab Othone mors ipſi imminebat.

23. *Res hodie minor, &c.*] Omnia quotidie in pejus ruunt.

Here.] Pro *heri*; ſicut veſpere & veſperi, Veteres dicebant, teſtes Terent. Quintil. Donat.

24. *Illuc ire.*] Cumas nos conferre, quo Dædalus fugiens Minoia regna evolavit, ibique Phœbo ſacravit remigium alarum, ut ait Virgilius initio ſexti Æneidos.

25. *Fatigatas.*] Volatu a Creta Cumas uſque.

Dædalus.] Vide Sat. 1. v. 54.

26. *Dum nova canities.*] Cum pili recenter caneſcunt, dumque vigeo adhuc & valeo.

Prima & recta ſenectus.] Senectutis initium notabant Veteres circa annum ætatis quadrageſimum ſextum, ut innuit Cicero de Senectut. n. 60.

Recta ſenectus.] Nondum incurvans corpus, nondum iners & languida, ſed operoſa, agens ac moliens aliquid; qualem laudat Cicero mox cit. Lib. n. 6.

27. *Dum ſupereſt Lacheſi quod torqueat.*] Dum vitæ ſpatium videtur ſupereſſe adhuc amplum ſatis mihi decurrendum.

Lacheſi.] Una Parcarum eſt, a λάχος, *ſors*, dicta. Fatales iſtæ nimirum Deæ hominum vitam inſtar fili ducere ac nere finguntur, ita ut Clotho geſtet colum & fila trahat; *Lacheſis* fuſum torquendo, vel potius, ut habet Ovid. *In orbes glomerando fila colligat*; Atropos vero abrumpat atque enecet. Apuleius triplex iis tempus deſignari ait. Virgil. Eclog. 4.

Talia ſæcla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili Fatorum Numine Parcæ.

29. *Arturius & Catulus.*] Sordidi homines per adulationes & crimina ad opes evecti.

Iſthic.] Romæ, per indignationem dictum.

30. *Nigra in candida vertunt.*] Bonum in malum, vitia in virtutes convertunt, in ſe per hypocriſim, in aliis per invidiam & calumnias. S. Gregorius in Moralibus, *Mundana ſapientia eſt*, inquit, *cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa demonſtrare.* Vide Perſii Sat. 2. v. 1. & Sat. 5. v. 108.

31. *Queis facile eſt, &c.*] Sive ob opes jam partas, ſive ob inſatiabilem lucri cupiditatem, publicani quælibet etiam indigna & ſordida redimentes.

Ædem conducere.] Vel reficiendam, vel majori pretio deinde locandam.

Flumina, portus.] Vectigal e fluviis & portubus.

32. *Siccandum eluviem.*] Expurgandas cloacæ vel lacunæ ſordes.

Portandum ad buſta cadaver.] Libitinarii quondam funeris curam pretio ſuſcipiebant, & cremandum & efferendum cadaver, Plin. l. 21. c. 3. Scipionis funus elocatum ait populo aſſes conferente.

33. *Præbere caput dominâ venale ſub haſtâ.*] Venalem ſervum & ponere, mangonium exercere; vel publicis auctionibus præeſſe ac venditionibus ſervorum, accepta ad id poteſtate & auctoritate, & quæſtum hinc facere. Vel qui ſeipſos vendi patiuntur, ut vult Turneb. L. 10. c. 27.

Dominâ ſub haſtâ.] Vel quod emptoribus ut dominis cederent empti ſervi, vel quod heri ſervos venum exponerent ſub haſta, ex more, præcone venales proclamante. Vide Alex. ab Alex. L. 3. c. 16.

Quondam

Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæq; per oppida buccæ,
Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter: inde reverſi
Conducunt foricas. Et cùr non omnia? Cùm
Quales ex humili magna ad faſtigia rerum [ſint
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.
Quid Romæ faciam? Mentiri neſcio, librum,
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere: motus
Aſtrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum: ranarum viſcera nunquam
Inſpexi: ferre ad nuptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat, nôrunt alii: me nemo miniſtro

Olim iſti cornu canentes, & aſſidui ſectatores Theatri municipiorum, & cognitæ malæ per civitates, modò ludos exhibent, atque converſo Plebis pollice quemcunque placet interficiunt per populum: & cùm illinc redierunt, redimunt latrinas. Quare verò non univerſa conducunt, *quandoquidem* tales *ſunt quales ex infimo ſors erigit ad ſupremum apicem rerum, quandocunque ludere expetit? Ecquid agam Romæ? diſſimulare non novi; nec poſſum librum, quando eſt pravus, probare & poſtulare. Siderum curſus neſcio: mortem parentis ſpondere & nolo & nequeo: ranarum exta nunquam ſpectavi. Alii ſciant portare ad conjugem ea quæ mittit & quæ jubet mœchus: me adjutore nullus prædo erit: & propterea nemini ſocius egredior, velut*

ANNOTATIONES.

34. *Hi cornicines.*] Arturius, Catulus, & ſimiles, cornu vel tibia canentes, dum gladiatores pugnant.

Municipalis arenæ perpetui comites.] Qui per oppida vagati ſunt operam ſuam locantes, dum in Theatris ad gladiatoriam exercebantur municipes & oppidani. Erant enim variis in locis & urbibus arenæ & Theatra, ſed minora quam Romæ: & in Gallia Narbonenſi apud Nemauſum viſitur adhuc amphitheatrum eximii operis antiquitate & ipſis ruderibus nobiliſſimum. Quid proprie municipium, docet Gellius L. 16. c. 13.

35. *Notæque per oppida buccæ.*] Arte ſua noti homines ſoliti per Italiam curſare, & buccas inflare; cornu, tibia, buccina canentes, dum in arena certabatur: modo Formiis, alias Tuſculi, Fundis, & ubicumque erant Theatra; & accerſiti aderant in oppidis: nec enim Romæ niſi peritiores adhibebantur.

36. *Munera nunc edunt.*] Gladiatorium munus dant populo, quod nonniſi potentiores & opulenti faciebant, quin & Nobiles, & cenſum Equeſtrem habentes, ex Edicto Tiberii, & Senatuſconſulto. Cornel. Tacit. Annal. 4. Alex. ab Alex. Lib. 6. cap. 19.

Verſo pollice.] Converſus retro pollex ſignum erat occidendi Gladiatoris qui ſuccubuerat: ſicut e contra preſſo pollice populus indicabat jubebatque parci victo & afflicto humi. Plin. L. 28. c. 2. *Pollices, cum favemus,* inquit, *premere etiam proverbio jubemur.* Prudentius contra Symmachum de Veſtalibus Gladiatores ſpectantibus.

** * * * * * Pectuſque jacentis*
Virgo modeſta jubet converſo pollice rumpi,
Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,
Altius impreſſo dum palpitat enſe ſecutor.

Horat. Lib. 1. Epiſt. 18.

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Vide Ang. Polit. Miſcel. cap. 42. & Turneb. Lib. 11. cap. 6.

37. *Populariter.*] Conciliato enim favore vulgi per munera illa & ludos certantium, quemlibet confici aut reſervari ſuggerebant populo, e cujus id arbitrio pendebat.

38. *Conducunt foricas.*] Emundandas: nihil vile & abjectum reſpuentes, modo lucrum inde proveniat.

Cur non omnia?] Supple conducunt; etiam maxima cur non ſuſcipiunt ac tentant?

40. *Extollit.*] Alludit ad fortunæ rotam, inconſtantiam, ludibria. Illa enim fingitur homines repente ad ſummum vehere per ludum ac jocum, quos pariter ex alto ſtatim dejiciat ac præcipitet; ſicque humana perpetuo circumagere.

41. *Quid Romæ faciam?*] Pergit Umbritius: cum non niſi vafri homines & improbi florent Romæ, nullus eſt innocenti mihi locus.

. *Librum, ſi malus eſt, nequeo laudare, & poſcere.*] Velut quid eximium ab Auctore poſcere, ut nobiſcum ſuum opus ac librum communicet, per adulationem, quam proſcribit Horatius ad Piſones v. 419. & ſeq. & Perſ. Sat. 1.

42. *Motus aſtrorum ignoro.*] Aſtrologus non ſum, quod hominum genus valet apud imperitas vulgi mentes.

43. *Funus promittere patris.*] Improbo cuipiam filio, ante diem patrios in annos inquirenti, ut ait Ovidius.

44. *Ranarum viſcera nunquam inſpexi.*] Licet Haruſpex animalium viſcera conſulere aſſuevi, haud tamen unquam e ranarum ſeu rubetarum extis veneficia ſectatus ſum. Vide Sat. 1. v. 70.

45. *Ferre ad nuptam.*] Lenocinia abhorreo.

Quæ mittit.] Vel ſcripta vel munera ad ejus animum pelliciendum in ſcelus.

46. *Mandat.*] Dicenda præſcribit.

Fur

Digitized by Google

Fur erit: atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus, & extinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, niſi conſcius, & cui fervens
Æſtuat occultis animus, ſemperq; tacendis? 50
Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te ſecreti fecit honeſti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accuſare poteſt. Tanti tibi non ſit opaci
Omnis arena Tagi, quodq; in mare volvitur aurum,
Ut ſomno careas, ponendaq; præmia ſumas 56
Triſtis, & a magno ſemper timearis amico.
Quæ nunc divitibus gens acceptiſſima noſtris;
Et quos præcipue fugiam, properabo fateri; 59
Nec pudor obſtabit. Non poſſum ferre, Quirites,
Græcam urbem; quamvis quota portio fæcis Achææ?
Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,

truncus, atque manus emortua corpori non ſerviens. Ecquis modò amatur niſi criminis *particeps, & cui mens ardet* atque *agitatur ſecretis ac ſilendis nunquam non? Qui tecum communicaverit bonum arcanum, non exiſtimat ſe tibi ullâ re devinctum,* & *nihil unquam tribuet. Dilectus erit Verri, qui Verrem quando cupit, reum agere valet. Omne ſabulum Tagi denſi, & aurum quod in mare defluit, ne tanti æſtimetur, ut quietem amittas, & mœſtus accipias munera reſpuenda, atque reformideris ab amico potenti. Jam quæ natio ſit opulentis noſtris gratiſſima, & à quibus potiſſimùm abhorream, pergam declarare, nec impediet verecundia. Nequeo tolerare, ô Romani, civitatem Græcam: etſi quanta pars* eſt *plebeculæ Achaicæ? Jamdudum in Tiberim fluxit Orontes Syrius,*

ANNOTATIONES.

47. *Nulli comes exeo.*] Solus, ab univerſis deſertus Roma exeo, ſine comitatu, qui nonniſi divitibus frequens adeſt.

Tanquam mancus.] Quaſi membrum inutile civitati diſcedo: *Mancus*, quaſi manu carens, inquiunt, & amico deſtitutus.

48. *Extinctæ corpus non utile dextræ.*] Pro *extincta dextra & inutilis corpori.* Sic ego Roma ſeparor.

49. *Quis nunc diligitur niſi conſcius.*] Quoniam ſcelera aliorum adjuvare nolo, hinc amicus mihi nullus eſt.

Et cui fervens æſtuat, &c.] Is ſolus modo diligitur, cui arcana ſcelera commiſſa ſunt, & cujus mens cruciatur conſcientia tot malorum, quæ tacere cogitur, & de quibus nec mutire unquam audet.

51. *Nil tibi ſe debere putat, &c.*] Qui bonum quid ſecretum tibi revelavit, is tibi ſe non arbitratur quidquam propterea debere, nec dona ulla tribuet, ut taceas. At qui te conſcium fecit ſecreti criminis, ille timebit ne detegas; & muneribus te ſibi devinctum habere ſataget, ne unquam reveles.

53. *Verri.*] Conſcelerato homini deprædatori, qualis Verres, de quo Sat. 2. v. 26.

54. *Accuſare poteſt.*] Nempe conſcius & particeps factus illius flagitiorum.

Tanti tibi non ſit.] Nullo pretio quantolibet emere velis horrendos conſciæ mentis cruciatus.

Opaci.] Vel propter arbores in ripa conſitas, vel ob admixta auri grana. Martial. Lib. 1. Epigram. 50.

Æſtus ſerenos aureo franges Tago,
Obſcurus umbris arborum.

55. *Arena Tagi.*] *Tagus* fluvius Hiſpaniæ nobiliſſimus, aureas volvere arenas decantatus. Caſtellam novam permeat, Luſitaniæ partem rigat, & ad Uliſſiponem oſtio latiſſimo ſubit Oceanum.

In mare volvitur.] Cum arenis Tagi.

56. *Somno careas.*] Mala conſcientia ſollicitatus.

Sumas triſtis.] Utrinque anxius; ſi enim ſumas, torquebit te conſcientia; quod ſi reſpueris, te ſuſpectum ille conabitur de medio tollere, ne ſuam turpitudinem reveles.

57. *Magno ſemper timearis amico.*] Nec enim raro contingit, ut conſciis paretur exitium, ne quid patefaciant. Unde monet Horatius Lib. 1. Epiſt. 18.

Arcanum neq; tu ſcrutaberis ullius unquam.

60. *Nec pudor obſtabit.*] A dicenda veritate non me deterrebit cujuſquam reverentia.

61. *Græcam urbem.*] Romam factam Græcam & vitiis Græciæ inquinatam.

Quamvis quota portio fæcis Achææ?] Verum non Græci tantum, ſed & Syri mores noſtros corruptum venere: & horum Romæ eſt major quam illorum numerus.

Fæcis.] Metaphora a vino, id eſt viliſſimorum Græcorum, & quaſi ſentinæ.

Achææ.] Metonymia, pro Græciæ, cujus pars eſt Achaia, ad ſinum Corinthiacum.

62. *Syrus in Tiberim defluxit Orontes.*] *Orontes* Syriæ fluvius eſt. Id eſt, jampridem Syrorum eluvies Romam invexit ſordes ſuas, & morum pravitatem, luxum, voluptates.

Et

Digitized by Google

Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad Circum juſſas proſtare puellas.
Ite, quibus grata eſt pictâ lupa barbara mitrâ.
Ruſticus ille tuus ſuit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, aſt hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis,
Eſquilias, dictumque petunt a vimine collem,
Viſcera magnarum domuum, dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, ſermo

& ſecum attulit & ſermonem & mores, & ſides incurvas cum tibia canente, quin & patria tympana, atque puellas propè Circum proſtare doctas. Illuc vos *pergite quos delectat meretrix peregrina* cum *mitra picta. O Romule, tuus hic agreſtis* populus *induit Trechedipna, & niceteria geſtat cervice unctâ ceromate. Alius celſam Sicyonem, alius verò Amydonem, alius Andrum, alius Samum, alius Tralles vel Alabandam deſerens, ad Eſquilias & collem nominatum à Vimine ſe conferunt; intima ſummarum ædium* fiunt, *poſſeſſores etiam futuri.* Illis enim *animus acer, deplorata impudentia, lingua*

ANNOTATIONES.

63. *Chordas obliquas.*] Mores curvos ſimul cum incurvis inſtrumentis, cithara, aliiſque.

64. *Gentilia tympana.*] Apud ſuam gentem uſitata maxime in Sacris Cybeles.

65. *Circum.*] *Circus* dicitur planities rotunda, in qua pugiles equiteſque exercebantur, populo ad ſpectandum circumſedente. Plures erant Romæ Circi, Flaminius, Neronis, Floræ. Hic intellige Circum maximum, de quo Dionyſ. Halicarnaſſ. Lib. 3. refert multa: trium fuiſſe & amplius ſtadiorum longitudine; a Tarquinio Priſco deſignatum, Palatium inter & montem Aventinum, &c. Nam prope hunc erant meretricum domicilia. De Theatris & Circis Romanorum Alex. ab Alex. L. 4. c. 25.

Proſtare.] Pro foribus ſtare, expectandi, invitandi, alliciendi cauſa. Qui mos improbus inter alia mala per Syros invectus eſt.

Puellas.] Quæſtum corpore facientes.

66. *Lupa.*] Ita meretrix appellatur, quod ſicut edendi lupa avida eſt, & obvios devorat; ſic meretrix quæſtui inhians, nec pudori parcit nec corpori, ac libidinoſos perdit. Deductum nomen a Laurentia Fauſtuli regii paſtoris uxore, Remi ac Romuli nutrice, quæ corpus inter paſtores vulgare dicta, indeque cellulas meretricum lupanaria vocata. Auctor eſt D. Hieron. in Chron. Euſeb.

Picta mitra.] Quod eſt ornamentum capitis uſitatum Syris, Phrygiis, Ægyptis, aliiſque. De *mitra* jam ante, Sat. 2. v 84.

67. *Ruſticus ille tuus.*] A paſtoribus originem trahens.

Trechedipna.] Veſtem curſoriam, a *τρέχω*, *curro*, & *δεῖπνον*, *cœna*, qua curſitent, vel ad cœnam rectam, vel ad ſportulam, de quibus Sat. 1. Legunt quidam *Rechedipna*, aiuntque fuiſſe veſtes peregrinas, quarum uſus erat in Gymnaſiis. Turneb. Lib. 3. cap. 17. explicat *Endromidem*, de qua infra, v. 103. Item Sat. 6.

Quirine.] Romuli cognomen eſt ab haſta, quam Sabina *Quirim* nuncupabant, inquit Feſtus. Vel a Marte, qui dum ſævit Gradivus, dum pacatus eſt, & quieſcit, Quirinus Romanis vocabatur: Ovid. Faſt. vel potius a Curinus, id eſt, Sabinis in urbe receptis.

68. *Ceromatico.*] *Ceroma* unguentum ex oleo & pulvere ſeu terra, quo uti ſolebant athletæ, Martial. Lib. 7. Epigram. 31.

Vara nec injecto ceromate brachia tendis.

Niceteria.] Græca vox præmia victoriæ ſignificans, ut torques, quæ colle pendentia ferre conſueverant, ut ait vetus Schol.

69. *Hic alta Sicyone,* &c.] At Græci aliique exteri patria ſua relicta Romam venientes, noſtris Romanis ſe multo præſtantiores oſtentant.

Sicyone.] Urbs eſt Peloponneſi, Sicyoniæ quondam regionis primaria.

Amydone.] Quæ Macedoniæ civitas eſt in Pæonia regione.

70. *Andro.*] Inſula maris Ægei, una Cycladum. *Antandros* etiam dicta eſt, in qua fontem fuiſſe, apud Fanum Liberi patris, nonis Januariis ſaporem vini ſemper habentem ſcribit Plin. Lib. 2. c. 103.

Samo.] inſula maris Icarii Junonis ſacra. Fuit & *Samos*, aliter *Samothrace* dicta, in mari Ægeo, non longe a Thracia.

Trallibus aut Alabandis.] Urbes ſunt Aſiæ minoris, quarum hæc in Caria, illa in Lydia.

71. *Eſquilias, dictumq; petunt a Vimine collem.*] *Colles* urbis Romæ, *Eſquilinum* & *Viminalem* petunt, & in præcipuas ſe familias inſinuant.

Eſquilias.] Hodie mons *S. Maria Majoris.*

A vimine.] Hunc e ſeptem collibus Rom. dictum a *viminibus* circa Jovis aram exortis; ut refert Sext. Ruf.

72. *Viſcera.*] Quaſi præcordia a quibus motus omnis, & vita.

Viſcera magnarum domuum.] Quarum ſecreto penetrantes, etiam hæreditates captant per obſequia, & aſtus: unde etiam domini evadunt.

Promptus

Promptus, & Iſæo torrentior: ede quid illum
Eſſe putes? Quemvis hominem ſecum attulit ad nos.
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicꝰ, Magꝰ, omnia novit.
Græculus eſuriens, in cœlum juſſeris, ibit.
Ad ſummam non Maurus erat, nec Sarmata nec Thrax,
Qui ſumpſit pennas, mediis ſed natus Athenis
Horum ego non fugiam conchylia? Me prior ille
Signabit? Fultuſque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna, & coctona vento?
Uſque adeo nihil eſt, quod noſtra infantia cœlum
Hauſit Aventini baccâ nutrita Sabinâ?
Quid, quod adulandi gens prudentiſſima laudat

volubilis, & rapidior quàm fuit *Iſæo. Dic quid hunc eſſe exiſtimes? Quemlibet virum ad nos ſecum advexit.* Eſt enim *Grammaticus, Rhetor, Geometra, Pictor, Unctor, Augur, Funambulus, Medicus, Magus. Scit univerſa Græcus famelicus. In Cælum* etiam *aſcendet, ſi imperaveris. Deniq; non Maurus, neque Sarmata neq; Thrax erat, qui alas induit, verùm mediis Athenis oriundus. Numquid non averſaber iſtorum muricem? An iſte ſubſcribet ante me? Et innixus lecto ſuperiore accumbet,* qui *Romam appulſus* eſt eodem *vento, quo pruna & coctona. Tam parvi putandum eſt quod pueritia noſtra baccis alita Sabinis aërem Aventini ſpiravit? Quid* referam, *quod natio aſſentandi perita ignari probat*

ANNOTATIONES.

74. *Iſæo.*] Plin. Lib. 2. Epiſt. 3. meminit *Iſæi* cujuſdam Romani in quo ſumma facultas, copia, ubertas, &c. Fuit & *Iſæus* Athenienſis Orator, Præceptor Demoſthenis. Quin. L. 12. cap. 10. *Iſæum* laudat.

Torrentior.] Torrente fluens rapidius & concitatius.

75. *Quemvis hominem.*] Non etenim ſimplex homo, ſed plurimum inſtar: idem quippe eſt & Grammaticus, Rhetor, Geometra, &c.

76. *Geometres.*] Horat. L. 1. Carm. Od. 28. De *Archyta Tarentino*, inſigni Geometra.

Te maris & terræ numeroq; carentis arenæ
Menſorem cohibent Archyta.

Alyptes.] Græca vox eum præcipue deſignans qui athletas & pugiles perungebat: ἀλείφω ungo.

77. *Augur.*] Is ex avium garritu, paſtu volatu, futura conjectabat & prædicebat.

Schœnobates.] Σχοῖνος eſt funis e junco, βαίνω *gradior.* Adverſus Græculos Græca vocabula non ſemel uſurpat Juvenalis.

Magus.] Vox hæc Perſica Lingua Sapientem & Philoſophum indicat. Cic. 1. de Div. n. 90. *In Perſis,* inquit, *augurantur & divinant Magi. . . . . Nec quiſquam Rex Perſarum eſſe poteſt, qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit.* Plutarch. *in vita Platonis,* Magos illos rebus divinis operam & ſtudium exhibere, & Sacrorum Antiſtites eſſe teſtatur.

Omnia novit Græculus eſuriens.] Perſius in Prologo.

Magiſter artis, ingenique largitor venter.

79. *Maurus.*] Mauritania Africæ regio, ubi nunc Barbaria Occidentalis.

Sarmata.] Vide Sat. 2. v. 1.

Thrax.] Thracia Europæ maxima pars ad maria Ægeum & Euxinum ac Propontidem, cujus caput Conſtantinopolis.

80. *Qui ſumpſit pennas.*] Dædalus, de quo abunde ſatis, Sat. 1. v. 54.

Athenis.] Vide Sat. 7. v. 205. Annot.

81. *Conchylia.*] *Conchylium,* ſeu murex, piſcis marinus, e cujus ſanguine purpura fit. Plin. Lib. 9. cap. 36. & alibi. Suetonius prohibitas a Julio Cæſare conchyliatas veſtes memorat. Hic ſenſus eſt: an diutius manere poſſum Romæ, ubi Nobilium veſtimenta uſurpant Græculi? Certe cogor fugere hinc, ne iſta videam amplius.

82. *Signabit.*] In tabulis ad quas ſubſignandas mecum ille vocatus fuerit. Vide Perſ. Sat. 5. v. 81.

Toro meliore.] Digniori loco, in conviviis.

83. *Advectus Romam.*] E Syria, cum prunis & ficubus, ac proinde venalis, ut iſti fructus peregrini, aliæque merces.

Pruna.] Damaſcena, ſeu in Damaſco monte nata, ut ait Plin. Lib. 13. cap. 5. Vide Mart. Epigram. 29. Lib. 13.

Coctona.] Sunt minores ficus Syriæ peculiares. Plin. *Cottana,* Lib. 13. cap. 5. *Coctana* Martial. Lib. 4. Epig. 89. ubi & parva *Coctana* nuncupat. Et Lib. 13. Epig. 28. ſic habet.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si majora forent Coctana, ficus erat.

Uſque adeo nihil, &c.] Sine interrogatione legi malim cum Guieto.

84. *Quod noſtra infantia, &c.*] Adeo nobis parum profuit Romæ naſci & educari.

85. *Aventini.*] Unus eſt e Romanis collibus, hodie, *Mons S. Sabinæ.*

Bacca nutrita Sabina.] Fructibus in Italia provenientibus. Metonymia.

Sabina.] Terra Sabina ſuum ætiam nomen hodie retinens, Tiberi alluitur; at olim fines habuit ampliores.

86. *Quid, quod, &c.*] Sed & adulationibus ſerpunt Græci, & Romanos captant.

Sermonem

Digitized by Google

Sermonem indocti, faciem deformis amici;
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul a tellure tenentis?
Miratur vocem anguſtam, qua deterius nec
Ille ſonat, quo mordetur gallina marito.
Hæc eadem licet & nobis laudare: ſed illis
Creditur. An melior cum Thaida ſuſtinet, aut cum
Uxorem Comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? Mulier nempe ipſa videtur,
Non perſona loqui: vacua & plena omnia dicas
Infra ventriculum, & tenui diſtantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.

orationem, familiaris turpem vultum laudat, *atq; prolixum collum* viri *non fortis adæquat cervicibus Herculis Anteum tollentis longè à Terra? Admiratur vocem ſtrangulatam, quâ nec pejus ſtridet is quo viro gallina admordetur. Nobis etiam fas eſt ea ipſa approbare: at iſtis fides habetur.* Porrò eſtne *Comœdus præſtantior, quando repræſentat Thaidem, vel quando matronam ſuſtinet, aut Doridem nullâ exornatam faſciolâ? Ipſa nimirùm fœmina, non perſonata dicere apparet.* * * * * * * * * * * * * * *Nihilominus neque Antiochus, neq; vel Stratocles, vel Demetrius cum Hæmo ſenero, iſthic erunt admirabiles.*

ANNOTATIONES.

88. *Longum invalidi, &c.*] Qui collo ſunt oblongo plerumque invalidi & imbelles reperiuntur.

Cervicibus.] Hæc pars eſt poſterior, illa anterior: utramque proprie hic uſurpat Juvenalis. Nam cum laudas, anteriorem hominem aſpicis; & Hercules ſublatum Antæum ac cervicibus ſuis impoſitum tenuit, vicitque.

Æquat.] Æqualem Herculi dicit adulator luctatorem qui roboris tantulum oſtentarit.

89. *Antæum.*] Gigantem Neptuni Terræq; filium, quem certando feſſum vires reparare matris Terræ attactu ſenſit Hercules, quare ſublimem eum ſuſtulit, atq; ita brevi confecit. Hoc egregie deſcribit Lucanus in fine Libri 4.

90. *Anguſtam.*] Exilem, ſtridulam, raucam, qualem edit Gallus gallinaceus aſcendendo gallinam admordens. Ejuſmodi vocem in Oratore damnat Quintil. Lib. 11. cap. 3.

91. *Marito.*] Sic Virgilius Eclog. 7. virum gregis caprum; & Horatius Lib. I. Od. 17. olentis uxores mariti, capellas nominat: poſt Theocritum, apud quem ὁ αἰγῶν ἀνὴρ.

92. *Hæc eadem licet, &c.*] Nos Romani perinde ac iſti, laudes adulatorias ſpargere & dare immeritis poſſemus: ſed non ita nobis crederetur.

93. *An melior, &c.*] Porro non adulatores ſolum ſed & hiſtriones ſunt Græculi. Numquid enim quiſquam melius illis quamlibet in Scena perſonam agat, ſeu meretricis, ſeu honeſtæ fœminæ, ſeu Deæ, aut Nymphæ?

Thaida.] Perſona eſt meretricis, Comica apud Terentium, *Eunuch.* Fuit vero *Thais* Alexandrina, inſignis apud Athenas meretrix, quam celebravit Menander Poëta ſuis Carminibus.

94. *Uxorem.*] Honeſtam matrem familias.

Dorida.] *Doris* Oceani Thetyoſque filia, Nerei ſoror & conjux, Nereidum mater, ipſa maris etiam Nympha. Unde Virgil. Eclog. ult. *Doris amara ſuam non intermiſceat undam.*

Nullo cultam palliolo.] Nullo velo, palla, aut faſcia, coopertam: ſic enim pinguntur Nymphæ.

95. *Mulier nempe ipſa videtur.*] Tam belle perſonam muliebrem agit & ſuſtinet Græcus, ut revera mulier eſſe videatur, & geſtu, & voce, &c.

98. *Nec tamen Antiochus.*] Neque vero iſti præſtantes, quos adeo miramur hic, Comœdiarum Actores Græculi, ſi fuerint illic in patria ſua, laudem ullam auferent. Antiochus, inquam, Stratocles, Demetrius, Hæmus, in Græcia non erunt mirabiles, quia tota natio ad agendum in Comœdia comparata eſt, & laus eſt communis omnibus Græcis.

99. *Stratocles, & Demetrius, &c.*] Hi tempore Juvenalis arte mimica & hiſtronia præſtabant, inſigneſque erant Comœdi. Quintil. Lib. 11. in fine cap. ult. *Maximos Actores Comœdiarum Demetrium & Stratoclem placere diverſis virtutibus vidimus,* inquit: *ſed illud minus mirum, quod alter Deos, & juvenes, & bonos patres, ſervoſque & matronas, & graves anus optime: alter acres ſenes, callidos ſervos, paraſitos, lenones, & omnia agitatoria melius. Fuit enim natura diverſa; & vox Demetrii jucundior, Stratoclis acrior erat. Et facere geſtus, neminem alium præter Demetrium decuit. Qui & ſtatura & mira ſpecie adjuvabatur, &c.* Non deſunt Interpretes, qui hos hiſtriones Romanos fuiſſe dicant, atque ita explicent, ut hi quamvis periti & gnari hiſtriones cum Græcis collati laudem nullam mereantur, nec ſunt mirabiles. Sed profecto boni illi tum dormitaſſe videntur. Nam & ratio, & nominum etymum ſeu notatio & contextus ipſe illis repugnant.

Molli Hæmo.] Qui voce molli & magno decore fœminæ perſonam egregie ſuſtinebat. Sat. 6. *Dicas hæc mollius Hæmo.*

Natio

Gens comœda eſt univerſa. *Si cachinnàris,* ille *riſu ſolutiore commovetur. Si flentem viderit familiarem, plorat, neque dolorem habet. Si hyemis tempeſtate ignem petas, ſumit endromidem: ſi ais, incaleſco, ſudorem emittit. Itaque non ſumus æquales. Præſtantior* eſt ille, *qui nunquamnon, atq; tàm noctu quàm interdiu valet induere faciem alienius; agitare manus a fronte: facilis applaudere, ſi familiaris ructum opportunè, ſi urinam commode ejecerit: ſi ſtrepitum edat aureum vas, ſubverſo imo. Inſuper* autem *nihil eſt inviolatum ac tutum* à Græcis; * * * * *Non materfamilias domus, non puella virgo, nec maritus ipſe hactenus imberbis, non puer anteà caſtus.*

Natio comœda eſt. Rides? Majore cachinno
Concutitur: flet, ſi lacrymas aſpexit amici:
Nec dolet. Igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit endromidem: ſi dixeris, æſtuo, ſudat.
Non ſumus ergo pares: melior qui ſemper & omni
Nocte dieq; poteſt alienum ſumere vultum;
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, ſi rectum minxit amicus,
Si trulla inverſo crepitum dedit aurea fundo.
Præterea ſanctum nihil eſt, & ab inguine tutum,
Non matrona laris, non filia virgo, neq; ipſe
Sponſus lævis adhuc, non filius ante pudicus.

ANNOTATIONES.

100. *Natio comœda eſt.*] Hanc a natura facultatem adepti ſunt Græci, ut eximii ſint Mimi, Actores, Hiſtriones, Sueton. *Neron.* cap. 22. ſolos Græcos ſe & ſuis ſtudiis dignos ait ille.

Rides.] Si rides, ridet Græcus; ſi fles, plorat, &c. ad cujuſque mores & indolem ſeſe accommodat, ut per obſequia & blandimenta captet animum & hæreditates.

102. *Bruma.*] Vide Perſ. Sat. 6. v. 1.

103. *Endromidem.*] Veſtem villoſam, craſſam, & arcendo frigori idoneam, e Gallia venientem. Hæc in gymnaſiis utebantur poſt exercitationes, ne calefacti frigus & morbos conciperent. Martial. Lib. 4. Epigram. 19.

104. *Non ſumus ergo pares.*] Nec enim adulari, ſimulare, obſequi, mentiri, ut Græci, novimus.

Melior.] Is vero felicior eſt Romæ.

106. *A facie jactare manus.*] Vel geſticulando manus porrigere ad exhibendos ſimulatos affectus; vel manum oſculari, & continuo extendere verſus amicum, ſalutandi atque adblandiendi cauſa: vel etiam palpare eam ob rem illius genas & mentum.

107. *Rectum.*] Legunt nonnulli, *lectum:* ex eo Horat. Lib. 1. Serm. 3.

Comminxit lectum potus.

108. *Si trulla inverſo,* &c.] Locus omnino ambiguus. Certe *trulla* modo eſt matula & ſcaphium; modo vas potorium. Horat. L. 2. Sat. 3.

Qui Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, vappamque profeſtis.

Si de poculo intelligere placet, ſenſus erit, divitem epoto calice, inverſi etiam vaſis labra ſugere & ſua pariter, atque ita ſonitum edere. Turneb. Lib. 10. cap. 27. vel, craterem e manu bibentis elapſum cadendo tinnire. Alexand. ab Alex. Lib. 3. cap. 10. locum hunc explicans, *trullam* hic non ſignificare ſcaphium & laſanum contendit: haud dubie putat notari eos qui inter helluationes, poſtquam exhauſerunt calicem, in ejus fundo, ructu aut ſibilo crepitum facere more deteſtabili non verentur. Vel certe intelligendum convivalem quemdam ludum apud Græcos vino & epulis madentes uſitatum, quem Cottabiſin vocarunt. Hi nempe exhauſti calicis reſiduum vinum elidebant in pavimentum, vel jactabant in phialas æneas; quod ſi projectum reſonaret & ſonantius creparet, hinc ominabantur ſe ab amica redamari, & mutuo affectu teneri. Si de matula accipias; intellige divitem inter mingendum pedere; vel exonerando alvi ſordes in *trullam* auream, ejus fundum reſonare, & crepitum hinc & illinc ſonitumque fieri: & a comite Græculo ob id etiam laudari Patronum. Neque vero mirere auream *trullam* hic a Juvenale poni, quam Martialis Baſſæ exprobrat Lib. 1. Epig. 38. & meminit Lib. 11. Epig. 12. Denique poſſet quoque dici dives epulo in conviviis crepitus emittere, poſtquam exhauſit poculum, ejuſq; adeo fundum invertit. Nam & Imperator Claudius apud Suetonium, *Claud.* cap. 32. dicitur fuiſſe meditatus Edictum, quo veniam daret & flatum crepitumq; ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quemdam præ pudore ex continentia reperiſſet. Ego adſtipulor interpretationi Alex. ab Alex. eamq; judico convenientiſſimam.

110. *Matrona Laris.*] Uxor, domina domus. *Lares* erant Genii & Dii peculiares, qui in certa parte domus colebantur: & hæc lararium dicebatur.

111. *Lævis adhuc.*] Junior, & hinc glaber, impubes, proindeque tenerior atque mollior.

Horum

Horum ſi nihil eſt, aulam reſupinat amici.
Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.
Et quoniam cœpit Græcorum mentio, tranſi
Gymnaſia, atq; audi facinus majoris abollæ.
Stoïcus occîdit Baream, delator amicum,
Diſcipulumque ſenex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapſa eſt penna caballi.
Non eſt Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erimanthus,
Qui gentis vitio, nunquam partitur amicum;
Solus habet. Nam cùm facilem ſtillavit in aurem
Exiguum de naturæ, patriæque veneno,
Limine ſummoveor: perierunt tempora longi
Servitii: nuſquam minor eſt jactura clientis.
Quod porrò officium (ne nobis blandiar) aut quod

Quòd ſi nihil iſtorum adeſt; familiaris domum ſubvertit. Noſſe cupiunt arcana familiæ, & ob id formidari. Quia verò cœpimus meminiſſe Græcorum præteri ad palæſtras; & auſculta crimen gravioris togæ. Stoicus interfecit Baream, denunciator familiarem, & diſcipulum vetulus educatus in eo littore, ad quod decidit ala equi Gorgonei. Haud reſtat locus ulli Romano iſthic, ubi denominatur quipiam Protogenes, aut Diphilus, vel Erimanthus, qui ex nationis indole *vitioſa nunquam dat partem amici,* ſed eum *unus poſſidet. Etenim quando in auriculam credulam inſpiravit tantulum de toxico indolis & patriæ, arceor januâ,* & *perdita ſunt ſpatia diuturna ſervitutis: nec alibi Clientis amiſſio levior putatur. Ecquod verò obſequium, (ut nobis non aduler) vel quæ*

ANNOTATIONES.

112. *Horum ſi nihil eſt.*] Si deeſt occaſio flagitii & ſtupri; ad aliud facinus ſe convertet, totamque Patroni ſui domum perturbabit.

Reſupinat.] Evertit, miſcet, confundit, inquirendo, ſcrutando, expiſcando arcana & ſecreta familiæ; quæ cum tenuerit etiam metuendus evadat.

113. *Scire volunt ſecreta domus.*] Sic enim quod ſupra Juvenalis dixit; fiunt quaſi viſcera magnarum domuum, adeo ut hæ ſine illis ſtare, aut ſe tueri videantur non poſſe.

Timeri.] Ne revelent & noceant.

114. *Tranſi gymnaſia.*] Vel dimitte gymnica certamina, de quibus vide Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 25. & Lib. 3. cap. 9. vel, tranſi ad Scholas Græcorum, ipſoſque philoſophos ac ſapientes conſidera, & graviores noxas animadverte in iis qui gravitate morum & doctrinæ conſpicui videntur.

115. *Majoris abollæ.*] Proverbialem hanc eſſe locutionem notat vetus Schol. quaſi majoris togæ; id eſt, potioris ſceleris, inquit. *Abolla*, diplois, ſeu veſtis duplex, qua utebantur Philoſophi, item viri Principes. Vide Sueton. *Caligul.* cap. 35. & Juvenal. Sat. 4. v. 76.

116. *Stoicus occîdit Baream, &c.*] Publ. Egnatius ſectam & diſciplinam Stoicorum amplexus occidit Baream Soranum; forſan & Heliodorus Licinium Silanum, de quibus Sat. 1. ad ver. 33. & Cornel. Tacit. tum alibi, tum præcipue Annal. Lib. 16. in fine.

117. *Ripa nutritus in illa, &c.*] Oriundus e Tarſo Ciliciæ urbe, quam rigat amnis Cydnus.

118. *Ad quam Gorgonei, &c.*] Tarſum condidiſſe a quibuſdam fertur Perſeus: urbique nomen impoſuit ex facto, quia ibi una ex talaribus pinnis ei excidit. Vet. Schol. a Græc. ταρσός.

Gorgonei Caballi.] Perſeus nimirum Pegaſo equo alato vectus Meduſam unam e Gorgonibus obtruncavit. Vel quia Pegaſus e ſanguine capitis Meduſæ natus dicitur, atque illic, ut ait Lubinus, plantam ſeu ungulam fregerit. Ταρσός nempe & alam avium, & plantam ſignificat.

119. *Ubi regnat.*] Optimatum animis dominatur.

120. *Portogenes, Diphilus, Erimanthus.*] Adulatores Græci. Quæ nomina a Juvenale confiḉta crediderem potius, quam vera eſſe, Pictoris, Harioli, &c. ut quidam autumant.

121. *Gentis vitio.*] E prava & ambitioſa gentis Græcorum natura & indole.

Nunquam partitur amicum.] Cum nemine gratiam primatum communicare vult.

122. *Solus habet.*] Unus vult eſſe gratióſus, ut omnia dona unus auferat.

Stillavit in aurem.] Per adulationes & delationes.

124. *Limine ſummoveor.*] Ego vetus cliens poſt officia plurima excludor tamen per Græculum quempiam novum hominem: nec apud antiqui Patroni domum aditus patet mihi amplius.

125. *Nuſquam minor eſt jactura clientis.*] Romani vero parum id curant, pereatne illis antiquus & fidus Cliens: adeo illos obſident adulatores Græculi.

126. *Quod porro officium, &c.*] Quid prodeſt Clientibus fuiſſe ad officia promptiſſimos? Vel, quid conferunt diviti pauperes & clientes ſuis officiis?

Ne nobis blandiar.] Ne videar nimis favere meæ & pauperum cauſæ.

Pauperis

Digitized by Google

egeni dignitas illic, ſi ſatagat togâ indutus noctu curſitare, quandoquidem Prætor urget apparitorem ac properare cogit, orphanis pridem vigilibus; ne ante ipſum *collega det ſalutem Albinæ vel Modiæ? Iſte opulento ſervo natus ſtipat latus liberorum. Nam alius quantum* ſtipendii *in legione Tribuni recipiunt*, tantum *dat Calvinæ, aut Catienæ:* * * * * * * * * * * * * *tu verò quando rapit te vultus indutæ meretricis, dubius manes,*

Pauperis hîc meritum; ſi curet nocte togatus,
Currere, cùm Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem jubeat dudum vigilantibus orbis;
Ne prior Albinam, aut Modiam collega ſalutet?
Divitis hîc ſervi claudit latus ingenuorum
Filius; alter enim quantum in legione tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ,
Ut ſemel atque iterùm ſuper illam palpitet: at tu
Cum tibi veſtiti facies ſcorti placet, hæres,

ANNOTATIONES.

127. *Hîc.*] Romæ.

Si curet nocte, &c.] Si adſit Patrono ſedulus, eumque comitetur aſſidue. Sat. 1. v. 127. & 132.

Nocte togatus.] Vide Sat. 1. v. 96. Martial. Lib. 3. Epig. 46.

Exigis à nobis operam ſine fine togatam.

Et Lib. 10. Epig. 82.

Manè vel à mediâ nocte togatus ero.

128. *Cùm Prætor lictorem.*] Sex Prætori apparebant miniſtri, Conſuli vero duodecim: atq; honoris cauſa comitabantur. De *Lictoribus* accurata quædam lege apud Lipſ. Elect. 1. c. 23.

Impellat.] Præ feſtinatione, & aviditate ſportularum. Vide Sat. 1. v. 100.

129. *Dudum vigilantibus orbis.*] Diu, & ſæpe fruſtra, ſportulas victui ſuo neceſſarias expectantibus egenis, ut fuſe dictum eſt Sat. 1. vel, ad fores Prætoris vigilantibus pupillis, ut ipſis det tutorem, quos Prætor deſpiciens ad portulas feſtinat. Vetus Schol.

130. *Ne prior, &c.*] Ne alter Magiſtratus & Nobilis præveniat, prior ſalutet, & potior habeatur, ſeu in teſtamentis, ſeu in ſportulis. Vide Sat. 1. v. 117.

Albinam aut Modiam.] Divites matronas.

131. *Divitis hic ſervi, &c.*] Hic vel ſervi divitis, vel ingenuorum filius; eodem prope ſenſu.

Claudit latus.] Ut comes & aſſecla, quia opibus inferior ingenuus; vel ut par ingenuo libertus ob æqualem cenſum. Horatius Serm. Lib. 2. Sat. 5. v. 18.

Utne tegam ſpurco Damæ latus.

132. *Alter.*] Alius dives libertus.

Legione Tribuni.] *Legio* non parem ſemper habuit militum numerum. Sub Romulo, tria millia peditum, equites vero trecentos continebat, atque ita dicta eſt quod e lectis militibus fiebat. Poſt duplicatus eſt numerus: deinde major aut minor fuit, &c. Porro Lege Militari ſancitum ut Miles Centurioni, Centurio Tribuno, Tribunus Præfecto Caſtrorum, Præfectus Legato, Legatus Conſuli, Conſul etiam & Magiſter Equitum Dictatori ſubeſſent. Vide plura apud Alex. ab Alex. Lib. 1. cap. 5. J. Lipſ. Lib. 2. de *Mil. Rom.* Dial. 5. & 9. & alios.

Quantum in legione Tribuni accipiunt.] Romani ſuis ſumptibus militavere per annos amplius trecentos. Poſt, ex ærario ſtipendium attributum: quantum vero ſubinde fuerit, magna lis inter doctos. Tria fuere ſtipendii loco, pecunia, frumentum, veſtis. Cœpit dari pecunia anno U. C. 347. Id Livius teſtatur in fine L. 4. Hoc ſtipendium aliquando minus, aliquando majus extitit: initio certe exiguum; oboli duo, i. e. tres aſſes pediti (ut probat. Lipſ. cit.) Centurioni duplex, triplex equiti, auctor eſt Polybius L. 6. Poſtea deni aſſes dati: teſte Corn. Tacit. An. 1. paulo poſt initium; ubi refert legiones tres, exceſſu Auguſti & initiis Tiberii auditis, in ſeditionem verſas ita conqueſtas eſſe: denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari: hinc veſtem, arma, tentoria redimi, &c. Apud Sueton. *Domit.* c. 7. legitur vulgo: *addidit & quartum ſtipendium militi, aureos ternos:* ubi ſane reponendum, *aureis ternis*; ita Caſaub. & Lipſ. i. e. tribus aureis quos menſibus ſingulis accipiebat miles, quartum addidit. Itaque ſub Auguſto menſtruum militis aureus Romanus, idque unum ſtipendium: alterum adjecerit ſeu Caligula, ſeu Cladius; tertium fortaſſe additum per bella civilia Othonis & Vitelli: illis vero tribus quartum Domit. attribuerit. Hæc erudite Juſt. Lipſ. Elect. L. 1. c. 2. ubi & diſcrimen docet faciendum inter denos aſſes, ac denarium: hinc enim conjicit aſſium fuiſſe duodecim aut circiter: illud vero probat ex Tacito cit. apud quem miles, ut dictum, denis aſſibus haud contentus efflagitat denarium pro ſtipendio diurno. Vide etiam Alex. ab Alex. L. 6. c. 22.

133. *Calvinæ vel Catienæ.*] Meretricibus.

134. *At tu.*] O pauper mei ſimilis.

135. *Veſtiti.*] Ignobilis proinde & parum formoſi. Nam pulchræ nuditatem, i. e. pellucidas veſtes affectabant. Innuit Horat. Lib. 1. Sat. 2. & Martial. Lib. 3. Epig. 3.

Hæres.] Moraris, dubitas; non continuo pergis ad ſcortum, quod placuit: & in id times pecuniam effundere. Vel *hæres*, i. e. *adhereſcis* plebeio & vili ſcorto, minori quidem ſumptu: nec emendam carius putas Chionem ſuperbam ac formoſiorem.

Et

Et dubitas alta Chionem deducere ſella.
Da teſtem Romæ tam ſanctum, quam fuit hoſpes
Numinis Idæi: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam.
Protinus ad cenſum; de moribus ultima fiet
Quæſtio: quot paſcit ſervos, quot poſſidet agri
Jugera, quam multa magnaque paropſide cœnat?
QUANTUM quiſque ſua nummorum ſervat in arca,
Tantum habet & fidei: jures licet & Samothracum,
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, Diis ignoſcentibus ipſis.
Quid, quod materiam præbet cauſaſque jocorum

ac metuis detrahere Chionem è ſublimi ſella. Profer auctorem Romæ ita integrum, ut extitit hoſpes Deæ Idææ: Prodeat ipſe Numa, aut ille qui è templo ardente eripuit Palladem trepidantem: ſtatim ad cenſum proceditur: *interrogatio poſtrema erit de moribus. Quot famulos alit; quot habet agri jugera; quàm multiplici & amplo catino epulatur? Quantum pecuniæ condit unuſquiſque in ſua capſa, tantum etiam auctoritatis obtinet. Quamvis jusjurandum adhibeas per noſtra & Samothracum altaria, exiſtimatur egens ſpernere Tonitrua, & Numina, Numinibus ipſis veniam dantibus. Quid, quod ille ipſe riſùs argumentum & anſam cunctis ſuppeditat,*

ANNOTATIONES.

136. *Chionem.*] Nobile ſcortum fuit, de quo Martial. Lib. 3. Epig. 34. ludit in voce χιών, *nix* Latine: aitque,

Digna tuo cur ſis, indignaque nomine dicam.
Frigida es, & nigra es: non es, & es Chione.

Alta deducere ſellâ.] Quæ ſedet ſublimis domi ſuæ. Vel potius intellige *ſellam* ſeu lecticam, qua vehitur Chione; eritque ſenſus, dubitas conciliare tibi ſuperbæ Chionis amores, in quam impenſæ majores deſiderantur: adeoque deſcendenti e ſella manum publice præbere atque obſequium vereris & detrectas.

Sellâ.] De *ſella* & lectica diximus fuſe Sat. 1. v. 121, & 124.

137. *Da teſtem, &c.*] De contemptu pauperum queritur, quibus vel ſanctiſſimis nulla fides Romæ haberetur.

138. *Hoſpes Numinis Idæi.*] Scipio Naſica, vir optimus a Senatu judicatus, dignuſque in cujus ædibus deponeretur ſimulachrum Cybeles Romam advectum a Peſſinunte Phrygiæ oppido, donec ei Deæ Templum extructum foret. Nimirum ut refert Tit. Liv. lib. 29. cap. 10. cum in Libris Sibyllinis inventum eſſet Carmen, quo dicebatur hoſtis alienigena pelli Italia vincique poſſe quando mater Idæa Romam advecta foret: & Delphicus Apollo conſentiens oraculum edidiſſet, compotes fore votorum Romanos cum Deam devexiſſent, curaſſentque ut eam qui vir optimus Romæ eſſet, hoſpitio exciperet.

Idæi.] Mons *Ida* duplex, alter in Creta Inſula, alter in Phrygia, a quo Idæa vocata eſt mater Deum Cybele. De ea Ovid. Faſt. 4.

Numa.] Qui Romanos inter Reges religione inclytus, & religionum auctor, de quo ante v. 12. & Tit. Liv. Lib. 1.

Vel qui ſervavit trepidam, &c.] Lucius Metellus Pontifex, bis Conſul, Dictator, &c. qui ex incendio Templi Veſtæ Palladium ſervavit proprio oculorum damno, flammis excæcatus per quas iera: medias. Unde tribuit ei Populus Romanus, quod nulli antea conceſſum, ut quoties in Senatum iret, curru veheretur ad Curiam, magno & ſublimi; ſed pro oculis dato, ut ait eleganter Plinius lib. 7. cap. 43.

139. *Trepidam flagranti ex æde Minervam.*] Vel propter deflagrationis periculum; vel, ut Mancinellus, quod Palladium oculos movebat, & haſtam, quam manu tenebat.

140. *Protinus ad cenſum.*] Omnium primum quæretur, quantus ſit ei teſti cenſus; quam dives ille, non quam bonus expendetur.

142. *Jugera.*] *Jugerum* terræ menſura, quanto uno boum jugo, uno die, arari poteſt.

Quam multâ magnâq; paropſide cœnat?] Quam ſit apparatus menſæ lautus & magnificus?

143. *Quantum quiſque ſuâ nummorum, &c.*] Dixerat Lucilius:

Tantum habeas, tantum ipſe ſies, tantiq; habearis.

Et Horatius:

Tanti, quantum habeas ſis.

144. *Samothracum.*] Samothracia maris Ægei Inſula, Thraciæ adjacens, hodie *Samandrachi.* Inde in Phrygiam Dardanus Penates Deos, e Phrygia in Italiam Æneas aſportavit. Qui vero illi Dei? Jupiter, Juno, &c. μεγάλοι θεοί, *magni Dii*, Æneid. 3. Hæc Macrob. l. 3. c. 4. adduntalii Minervam & Mercurium.

145. *Et noſtrorum.*] Martis, Quirini, Deorum Romanis peculiarium.

Contemnere fulmina pauper creditur.] Adigente paupertate, ac duriſſimo, (quod ait Tacitus) neceſſitatis telo, pejerare creditur, ut victum habeat; & præſenti malo futuri metum vincente. Ea eſt civitum de inopibus aut tenuibus opinio.

146. *Diis ignoſcentibus.*] Quod neceſſitate, non impietate perpetratum facile condonantibus.

147. *Quid, quod, &c.*] Adde quod pauper ridiculus videtur.

 Omnibus

Digitized by Google

ſi pallium turpe & lacerum, ſi toga ſqualida eſt, atq; unus calceorum dehiſcit ſciſſo corio: aut ſi fractura multiplex aſſutâ plagâ exhibet filum craſſius & novum? Egeſtas miſera nihil habet in ſe moleſtius, quàm quòd viros ludibrio aptos reddit. Hinc *abeat, ait, ſi verecundia eſt, atq; ex equitum pulvillo excedat* is *cujus bona legi non ſatisfaciunt; illic autem aſſideant filii lenonum in quovis proſtibulo orti. Iſthic applaudat puer exculti præconis inter adoleſcentes ſplendidos pinnirapi & adoleſcentes gladiatoris. Ita placet inani Othoni qui nos ſecrevit. Ecquis iſthic gener arriſit opibus inferior, & inæqualis puellæ faſciculis? Quis egens hæres conſtituitur?*

Omibus hic idem, ſi fœda & ſciſſa lacerna,
Si toga ſordidula eſt, & rupta calceus alter
Pelle patet; vel ſi conſuto vulnere craſſum
Atque recens linum oſtendit non una cicatrix?
NIL habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit: Exeat, inquit,
Si pudor eſt, & de pulvino ſurgat equeſtri,
Cujus res legi non ſufficit, & ſedeant hîc
Lenonum pueri quocunque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juveneſque laniſtæ.
Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni.
Quis gener hîc placuit cenſu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? Quis pauper ſcribitur hæres?

ANNOTATIONES.

148. *Lacerna.*] Penula, veſtimentum quod ſupra togam induitur arcendæ cauſa pluviæ. Vide Sat. 1. v. 62.

149. *Sordidula.*] Tantillum ſordida, minus candida. Vide Lipſ. Elect. 1. cap. 13. ubi erudite diſſerit de colore veſtium Romanarum.

150. *Si conſuto vulnere, &c.*] Si ruptio in calceis, aut in ſarto nuper recentis ſuturæ veſtigia apparuerint.

152. *Nil habet infelix paupertas, &c.*] Epiphonema, quo egeſtatis miſerias exagerat. *Quid turpius quàm illudi?* inquit *in Lælio* Tullius.

153. *Exeat inquit, &c.*] Inquit & jubet deſignator ordinibus in Theatro diſponendis præpoſitus. Martial. lib. 5. Epigram. 8.

Juſſit ſurgere Lectius lacernas.

Et Epigram. 26.

Quadringenta tibi non ſunt, Chæreſtrate, ſurge,
Lectius ecce venit: ſta, fuge, curre, late.

154. *Si pudor eſt.*] Si quæ eſt reverentia legis & Principis, qui jubent neminem hic ſedere niſi Equitem.

De pulvino ſurgat equeſtri.] E quatuordecim Theatri gradibus *pulvino* inſtratis.

155. *Cujus res legi non ſufficit.*] Is cujus facultates ſunt minores equeſtri cenſu, id eſt, quadringentis ſeſtertiis, de quibus vide Sat. 1. v. 106.

Legi.] Roſciæ, qua L. Roſcius Otho Tribunus plebis pauperes a ditioribus diſtinxit in Theatro, vetuitque ne quis in Theatri gradibus ſederet niſi Eques, aut equeſtri cenſu pollens. Aſcon. Pæd. Domitianus autem notatur hic, qui legem illam pæne abolitam revocarat: theatralemque licentiam promiſcue ſpectandi ſuſtulerat. Suetonii *Domitian.* cap. 8.

156. *Lenonum pueri.*] Homines libertini generis, quorum patres locupletati per lenocinia & malas artes.

157. *Plaudat.*] Spectet in Theatro, ubi plauditur favoris cauſa.

158. *Pinnirapi.*] *Pinnirapus* dicitur Retiarius, qui Gladiatoris ſeu Mirmillonis galeam pinna inſignitam arripere ac reti involvere nitebatur. Pulman. & Turneb. Lib. 3. cap. 8. *Pinnis* pavonum onari ſolebant Gladiatores, ſi quando ad pompam deſcenderent. Vetus Scholiaſt. Vide quæ ad Sat. 2. ver. 143. & ſeq.

Juvenes.] Filios *Laniſtæ*. Is erat princeps & magiſter Gladiatorum quibus veluti laniandis præerat, & quos erudiebat.

159. *Othoni.*] Is Auctor Roſciæ legis, de qua mox. Horat. Epod. 4.

Sedilibuſq; magnus in primis Eques,
Othone contempto, ſedet.

160. *Quis gener hîc placuit, &c.*] Qui parentes filiæ maritum inopem elegerunt unquam Romæ? Interrogatus e contra Themiſtocles collocareme filiam bono pauperi, an minus probato ſed diviti, reſpondit: malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniam quæ indigeat viro. Plutarchus in ejus vita.

161. *Sarcinulis.*] Pecuniis, bonis, ornamentis muliebribus velut in faſciculum & ſarcinam collectis. *Doti*, inquit Vetus Scholiaſtes.

Quando

Quando in conſilio eſt Ædilibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migraſſe Quirites.
HAUD facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. Sed Romæ durior illis
Conatus: magno hoſpitium miſerabile, magno
Servorum ventres, & frugi cœnula magno.
Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit
Tranſlatus ſubito ad Marſos, menſamque Sabellam,
Contentuſque illic Veneto duroque cucullo.
Pars magna Italiæ eſt (ſi verum admittimus) in qua

Quando nam adeſt in deliberationibus Ædilium? Sanè *oportebat Romanos pauperes quondam ſeceſſiſſe turmatim. Arduum eſt* quidem *aſſurgere eos, quorum parva bona domeſtica impediunt virtutem: at Romæ niſus illis eſt difficilior. Miſerum domicilium caro* conſtat; *caro abdomen ſervorum; caro frugalis cœna. Pudor eſt cibum capere in* vaſis *teſteis, quod* tamen *pudendum inficiatur raptus repentè apud Marſos, & Sabinam menſam; atq; illic ſatis habuit cuculionem cæruleum & craſſum. Si verum fatemur, magna Italiæ portio eſt,*

ANNOTATIONES.

162. *Quando in conſilio eſt Ædilibus?*] An *Ædiles* ſuum in conſilium advocant aliquando pauperes, bonos quantumvis & ſapientes viros? Ovid.

Curia pauperibus clauſa eſt: dat cenſus honores.

Ædilibus.] *Ædiles* alii erant majores & Curules, alii Plebeii & Minores. Duo ſæpius, ſex aliquando fuere. Curatores erant urbis, annonæ, ludorum, ſacrarum etiam rerum, &c. Nero ipſe *Ædilis* fuit. Vide Plutarchum *in Mario* non longe a principio. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 4. & alios.

163. *Debuerant olim tenues migraſſe Quirites.*] Senſus eſt: bene profecto plebs olim Romana a potentioribus oppreſſa in Montem Sacrum ſeceſſit: & melius fortaſſe conſuluiſſet rebus ſuis, ſi nunquam rediiſſet in gratiam cum Magnatibus, a quibus ita contemnitur etiamnum & male habetur, quicquid Menenii Agrippæ auctoritas atq; callida oratio ſuggereret. Vide Tit. Liv. l. 2. Dion. Halicarnaſſ. lib. 6.

164. *Haud facile emergunt,* &c.] Ariſtot. Eth. 1. favet huic ſententiæ, ubi ait eum præclara & magna vix poſſe exequi & præſtare, cui facultates deſunt: quoniam per amicos & civilem potentiam veluti per Inſtrumenta neceſſe eſt pleraque effici.

165. *Sed Romæ durior, &c.*] Magna quidem ubique eſt pauperibus emergendi difficultas; at Romæ præſertim, ubi omnia caro conſtant.

166. *Magno hoſpitium, &c.*] Non niſi magno pretio conducitur tenuis domus; magno pariter aluntur ſervi, & menſa inſtruitur cibis.

169. *Tranſlatus ſubitò ad Marſos, &c.*] Quod ait, *ſubito*, videtur innuere M. Curium Dentatum: de quo vide *Sat.* 2. *ver.* 3. placet aliis Publ. Cornel. Scipionem hic intelligi. Aliis ego ſatis aſſentior qui accipiunt generaliter quemlibet Romanorum urbe recedentem, ad eos populos, qui frugali utuntur menſa, quales Sabini, Samnites, &c.

Marſos.] Hi fuerunt Italiæ populi, ſub Samnitibus, ubi nunc pars Aprutii ulterioris, juxta lacum Fucinum, in regno Neapolitano, & in finibus ditionis Pontificiæ. Hactenus regiuncula nomen retinet, vulgo, *Ducato de Marſi.* Illos a *Marſo* Circes filio denominatos pridem & in veneficiis edoctos refert Solinus. Quam vero bellicoſi Samnites, & quam diu Romanorum arma exercuerint, teſtis Livius lib. 7. & ſeq.

Sabellam.] De Sabina terra jam dictum antea ver. 85. De Sabinorum cum Romanis bello, & poſtea fœdere Tit. Liv. lib. 1. & Macrob. lib. 1. cap. 9. ab his orti Sabelli, & pro illis aliquando ſumuntur: inter Samnites vero cenſentur Plinio lib. 3. cap. 12.

170. *Veneto duroque cucullo.*] Villoſa veſte, e craſſiore lana, ad arcendum frigus, pluvias, aliaque aëris incommoda, qua utebantur nautæ imprimis & milites.

Veneto.] Coloris cærulei, quo viliores panni tingebantur. Eo primum uſi *Veneti* piſcatores dicuntur. *Venetus* color, inquiunt, marinis eſt fluctibus ſimilis. Martial. lib. 14. Epig. 131.

Si Veneto praſinoque faves, qui coccina ſumis.

Cucullo.] *Cuculus* & *cuculio* velamentum capitis eſt.

171. *Pars magna Italiæ.*] Non tamen in univerſa Italia regnat luxus veſtium, ut Romæ.

172. *Nemo togam ſumit niſi mortuus.*] Ruri, aut in municipiis agentes tunicam vulgo induunt, raro togam. Plin. lib. 7. Epiſt. 3. *quouſq. toga feriata? Liber totos dies?* Martial. lib. 10. Epigr. 47. inter vitæ beatioris cauſas & inſtrumenta togam raram numerat. Et Epigram. 51. ejuſdem libri exclamat: *O tunicata quies!* Id eſt, quam beati, qui procul ambitu & ſervitiis rogatorum vivunt, quieti rure, & tunicati! Tunica enim veſtis brevior, operi magis idonea.

Nemo

Digitized by Google

Nemo togam ſumit niſi mortuus. Ipſa dierum
Feſtorum herboſo colitur ſiquando theatro
Majeſtas: tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans:
Æquales habitus illic, ſimilemque videbis
Orcheſtram, & populum, clari velamen honoris.

ubi nullus togam induit præterquam fato functus. Si interdum ipſa dierum feſtorum ſolemnitas celebratur herbido theatro, & tritum exodium deniq; revertitur ad ſuggeſta; quandò infans agreſtis in materno ſinu expaveſcit rictum perſonæ pallidæ; paria ibi veſtimenta conſpicies, & æqualem Orcheſtram ac plebem: integumentum illuſtris dignitatis.

ANNOTATIONES.

172. *Niſi mortuus.*] *Mortuos* enim Itali togatos efferebant ad ſepulchrum: ſicut Græci palliatos. Vide Perſii Sat. 3. ver. 103. ubi ait,

---Tandemq; beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſq; lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Et Lipſ. Elect. 1. cap. 6.

Ipſa dierum feſtorum.] Ipſis diebus feſtis & in celebritatibus ludorum, æquales togæ aſſumuntur ab omnibus, adeo ut nec Principes & Nobiles ſplendorem veſtium affectent ſupra cæteros.

173. *Herboſo Theatro.*] In pratis, in nudo ceſpite & gramine, ubi primum agi Dramata cœpere, & ſimplicitas illa diu ſervata retentaq; in oppidis & municipiis; vel ſub arborum umbra, aut certe in Theatro frondibus & ramis intecto. Unde Scenæ profluxit nomen. Nam σκηνὴ *umbraculum*, & tentorium ſignificat. Exigua certe & imperfecta fuere Theatrorum initia. Horat. Epiſt. ad Piſones, ſeu de Arte Poët. v. 178.

Poſt hunc, perſonæ pallæq; repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis.

Propertius lib. 4. Eleg. 1. v. 15.

Nec ſinnoſa cavo pendebant vela Theatro,
Pulpita ſolemnes non oluere crocos.

Et in Gallia quidem haud dudum, quam nuda & ornamentis deſtituta agerentur Dramata, adeo ut nec aulæis, nec telis tabuliſve pictis eſſent decorata, refert Scaliger Poët. lib. 1. cap. 21. Vide & Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 16.

174. *Redit.*] Pro *rediit*, *tandem*, id eſt poſt annum, vel poſt Tragœdiæ ſeria & moleſta ſudibus animis tædia. Vide intra, mox.

Ad pulpita.] In Scenam, in Theatrum, in ea Tabulata, in quibus agunt Ludiones, ac Mimi pariter ac Tragœdi.

Notum.] Quia ſæpe recantatum, non novum, ut Romæ.

175. *Exodium.*] Diverbium poſt Tragœdorum e Scena *exodon* ſeu *exitum*: Mimi nempe ridiculis verbis & geſtibus ſpectatores oblectant. Vetus Scholiaſt. Turnebus autem lib. 10. cap. ult. ſic habet: *Exodia in Atellanis Fabulis, diverbia vocabantur, eo quod Tragœdis Scena egreſſis ad recreandum ſpectatorem e priſtina moleſtia ſubjiciebantur, &c.* Horatius ad Piſones, ver. 220.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum
Mox etiam agreſtes Satyros nudavit, & aſper
Incolumi gravitate jocum tentavit, eo quod
Illecebris erat, & grata novitate morandus
Spectator, functuſq; ſacris, & potus, & exlex.

Et paulo ante.

Indoctus quid enim ſaperet liberq; laborum,
Ruſticus urbano confuſus, turpis honeſto?

Vide Sat. 6. ver. 71.

Perſonæ pallentis.] Vel quia perſona ſeu larva colore eſt pallente; vel quia hiſtrionis facies erat illita ſeu gypſo, ſeu albo colore; alias autem fæcibus, ut notat Horatius ad Piſones ver. 277.

Quæ canerent agerentq; peruncti fæcibus ora.

Hiatum.] Os mimorum horrendum hians: vel quod ſoleant pueri perſonas & perſonatos expaveſcere.

176. *In gremio matris formidat ruſticus infans.*] Nutrices cum puerulis ſolitas ſpectaculis adeſſe innuit Plautus Pœnul. in Prologo,

Nutrices pueros infantes, minutulos
Domi ut procurent, neve ſpectatum afferant,
Ne & ipſæ ſitiant, & pueri perirent fame;
Neve eſurientes hic quaſi hœdi obvagiant.

177. *Illic.*] In Theatro, univerſis ſpectatoribus habitus par, nec uni ſplendidior quam alteri.

178. *Orcheſtram.*] Locus in Theatro proprius choris & ſaltatoribus, ab ὀρχέομαι, *ſalto.* Ponitur hic pro locis *Orcheſtræ* proximis, in quibus ſeſebant ad ſpectandum Senatores. Vide Alex. ab Alex. mox. cit. lib. 5. cap. 16.

Clari velamen honoris.] Dignitatis Ædilltiæ inſigne & ornamentum.

Sufficiunt

Digitized by Google

Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.
Hic ultra vires habitus nitor: hic aliquid plus,
Quam ſatis eſt, interdum aliena ſumitur arca.
Commune id vitium eſt: hic vivimus ambitioſa
Paupertate omnes: quid te moror? OMNIA Romæ
Cum pretio. Quid das, ut Coſſum aliquando ſalutes?
Ut te reſpiciat clauſo Veiento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati:
Plena domus libis venalibus: accipe, & illud
Fermentum tibi habe: præſtare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia ſervis.

Toga candida ſatis ſunt majoribus Ædilibus. Iſtic veſtis ſplendor eſt *ſupra facultates. Iſtic quiddam plus quàm ſufficit aliquando promitur è marſupio aliorum. Labes illa vulgaris eſt. Iſtic vitam agimus in egeſtate ambitioſa. Ecquid te detineo? Roma cuncta cum pecunia* fiunt. *Quid donas, ut Coſſo interdum ſalutem dicas; ut ad te oculos torqueat Veiento, labris non apertis? Hic tondet lanuginem, iſte dilecti capillos demittit. Ædes* ſunt *referta placentis vendendis. Sume, & hoc tibi fermentum accipe.* Nos *clientes vectigalia pendere aſtringimur, & amplificare bona famulis nitidis.*

ANNOTATIONES.

179. *Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.*] *Ædiles* ipſi Curules, & majores tunicis albis contenti ſunt, neque purpureas ſumunt togas cùm ludis præſunt, aliave ſui muneris officia exercent. Vel, ſoli Ædiles ſpectacula edentes albas & recentes habent tunicas; alii verò minùs nitidas, jamque ſqualeſcentes, & quotidianas induunt: contrà quam fit Romæ, ubi omnes ſpectant in veſte candida, recente, ſplendida, juxta illud Martial. l. 4. Epigram. 2.

Cùm plebs, & minor ordo, maximuſq;
Sancto cum duce candidus ſederet.

180. *Hìc ultra vires, &c.*] At Romæ duntaxat plerique veſtem ſumunt nitidiorem, quam ferant eorum opes ac dignitas.

Aliquid plus quam ſatis eſt.] Non contenti neceſſariis quæ poſſunt è ſuo habere, è mutuato & conducto, luxui indulgent.

182. *Ambitioſa paupertate.*] Ambitionis & ſuperbiæ plena: opulentiores enim videri volunt quam ſint.

183. *Omnia Romæ cum pretio.*] Magno conſtant & comparantur omnia, ut jam ſupra dictum

184. *Quid das.*] Quæ munera tribuis ſervis Nobilium, ut te perducant ad dominos? Horat. lib. 1. Sat. 9.

Difficiles aditus primos habet: haud mihi deero,
Muneribus ſervos corrumpam; non hodie ſi
Excluſus fuero, deſiſtam, &c.

Ut Coſſum aliquando ſalutes.] Ut faciles tibi ſint aditus ad Coſſum, ejuſque ſimiles opulentos ac Nobiles, quos identidem ſalutes.

185. *Ut te reſpiciat clauſo Veiento labello.*] Ut ſi non alloquio, reſpectu ſaltem uno dignetur te potens quiſpiam.

Veiento.] Fabritius *Veiento* homo ſuperbus ob famoſos libellos à Nerone Italia pulſus, Corn. Tacit. Annal. lib. 14. Ejus etiam meminit Plin. lib. 4. Epiſt. 22. De eo ruſum Sat. 6.

Clauſo labello.] Nedum enim homines comiter alloqueretur ille, vix intueri dignabatur ſalutantes, alioſque omnes deſpiciebat.

186. *Ille metit barbam, crinem hic, &c.*] Ut domini gratiam demereatur, aſſentatur & famulatur ejus ſervulo, quem ei dilectum novit. Hinc adeſt illi obſequens feſta illa die, qua primam lanuginem & crines reſecat Diis ex more conſecranda, ſeu Phœbo, ſeu Æſculapio, &c. Vide Martial. lib. 1. Epigram. 32.

Hos tibi, Phœbe, vovet totos a vertice crines
Encolpus domini Centurionis amor, &c.

Et lib. 9. Epigram. 17.

Conſilium formæ ſpeculum, dulceſq; capillos
Pergameo poſuit dona ſacrata Deo.
Ille puer tanto domino gratiſſimus aula,
Nomine qui ſignet tempora verna ſuo.

Crinem hic deponit amati.] Hic pueri amati comam in templo deponit, ut per hæc obſequia atque officia ſervulo præſtita, domino potenti gratioſus eſſe queat.

187. *Plena domus libis venalibus.*] Porro feſta die ſupra dicta mittuntur puero a clientibus certatim munuſcula, quibus ille venditis peculium augeat.

Libis.] *Liba* ſunt placentæ e farre, melle, & oleo.

Accipe & illud fermentum, &c.] Tu eme e placentis; vel pro datis libis, fermentum hoc tibi retine.

188. *Fermentum.*] Tumoris, iræ, & indignationis cauſam & materiam, quod nimium non patronis modo, ſeu etiam famulis eorum ſerviendum eſt, ac ſolvenda quaſi tributa.

Tributa.] Amato puero, aliiſve ſervis annua munera, certis diebus: ſicut domino, in natali, in nuptiis, &c.

189. *Cultis ſervis.*] Bene curatis ac nitentibus tum cuticula tum veſtimentis.

Peculia.] Proprie ſunt bona quæ ſervus habet extra domini poteſtatem, ut notat Servius.

Quis

Digitized by Google

Quis formidat vel formidavit caſum domûs *in Præneſte frigida, vel Volſiniis conſtitutis inter colles nemoribus conſitos, vel ſimplicibus Gabiis, vel* in *propugnaculo Tiburis declivis? Nos habitamus civitatem exiguo fulcro innixam, maximâ ſui parte. Etenim Villa procurator ita ſiſtit ruituras* ædes, *ac reſarcit labem antiquæ fracturæ*; atq; *mandat tutos quieſcere imminente lapſu. Vita eſt ibi traducenda, ubi nulla deflagrationes, nulli timores noctu. Ucalegon modò petit aquam; modò fragilia tranſportat: jam tibi fumum emittit tertia contignatio: Tu* verò *ignoras. Etenim ſi timetur in infimis locis, poſtremus deflagrabit ille, quem tecta ſua defendunt ab imbribus, ubi teneræ columbæ ova pariunt. Codrus habebat cubile brevius Proculâ, ſex vaſcula, abaci ornatum. Subtùs* erat *Urna exigua,*

Quis timet, aut timuit gelida Præneſte ruinam;
Aut poſitis nemoroſa inter juga Volſiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte ſui: nam ſic labentibus obſtat
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum,
Securos pendente jubet dormire ruina.
Vivendum eſt illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus: jam poſcit aquam, jam frivola [tranſfert
Ucalegon; tabulata tibi jam tertia fumant.
Tu neſcis. Nam ſi gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula ſola tuetur
A pluvia; molles ubi reddunt ova columbæ.
Lectus erat Codro Procula minor, urceoli ſex,
Ornamentum abaci; necnon & parvulus infra

ANNOTATIONES.

190. *Quis timet, aut timuit, &c.*] Alia perſequitur Romæ incommoda, ab ædium ruina, & incendiis.

Gelidâ Præneſte.] Hæc urbs Latii, hodie, *Paleſtrina*, gelida ob aquas, & ſitum inter montes. E colonia factum municipium efflagitantibus Præneſtinis a Tiberio Imperatore, narrat Gellius, lib. 16. cap. 13.

191. *Volſiniis.*] Urbs antiqua Hetruriæ fuit. Hodie *Bolſena* nuncupatur.

192. *Simplicibus Gabiis.*] *Gabii*, olim Latii urbs, in via Præneſtina. *Simplices* vocat ſeu ob tenuitatem, ſeu potius quod Sexti Tarquinii dolo circumventi, ab ejus patre Superbo capti ſunt. Vide Liv. lib. 1. cap. 53.

Proni Tiburis.] Hæc Latii civitas, hodie *Tivoli*. Sabinis contermina, ſita in declivi, unde *prona* dicitur. Arcem vero ſitus arduus præbuit.

193. *Nos urbem colimus, &c.*] Romæ autem ædificia pervetuſta ſunt, ac ruinæ pleraque proxima, quare ſuſtentantur fulcris ſæpe.

Tibicine.] *Tibicines* in ædificiis vocantur adminicula & columnæ, quæ ruituris alias ædibus adhibentur. *Nomen a ſimilitudine tibiis canentium*, inquit Feſtus.

195. *Villicus.*] Is enim vocatus a domino jubetur ſubvenire labenti domui, quam locat. Ille vero utcunque ruinas ſarcit, ac hiatus parietum contexit.

Veteris rimæ contexit hiatum.] Rupturas parietum calce modica perfundit, & tum inquilinos jubet manere ſecuros, quaſi ruinam inſtauraſſet. Vetus Schol.

197. *Vivendum eſt illic.*] Abſit ut Romæ tot in periculis degam, inquit Umbritius: eo pergendum ac vivendum, ubi, &c.

198. *Poſcit aquam.*] Ad reſtinguendum incendium.

Frivola.] Vilia vaſa & ſupellectilia eripit pauper ex incendio.

199. *Ucalegon.*] Vicinus quiſpiam. Alludit ad Virg. Æneid. 2.

"*Jam proximus ardet Ucalegon.*"

Tabulata tertia.] *Triſtega.* In quibus habitabant tenuiores. Divites enim inferiora incolebant, cætera locabant pauperibus. Vetus Schol.

Fumant.] Jam ſerpente & graſſante igne.

200. *Tu neſcis.*] Imminens exitium ignoras, O pauper, ſuperiora tabulata conducens.

Trepidatur.] Vox præcipitem eorum actionem, qui reſtinguendo vel evitando ſtudent incendio, belle exprimens.

201. *Quem tegula ſola tuetur.*] Qui in ſuprema ædium parte habitat, quæ tegulis eſt proxima.

202. *Ubi reddunt ova columbæ.*] Super tecta columbaria fiunt, inquit Vetus Schol.

203. *Codro.*] Egenti cuipiam. Vide Sat. 1. ver. 2.

Proculâ.] Uxore ſua alioqui parva.

204. *Ornamentum abaci.*] Hic erat omnis *abaci* ornatus.

Abaci.] *Abacus*, menſa ſtructoria, armarium, in quo reponuntur vaſa, ſeu ad uſum quotidianum, ſeu ad ornatum & pompam.

Cantharus,

Cantharus, & recubans ſub eodem marmore Chiron:
Jamq; vetus Græcos ſervabat ciſta libellos,
Et divina Opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus: quis enim negat? Et tamen illud
Perdidit infelix totum nil: ultimus autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum, & fruſta rogantem
Nemo cibo, nemo hoſpitio, tectoq; juvabit.
Si magna Aſturii cecidit domus: horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor:
Tunc geminus caſus urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, & jam accurrit qui marmora donet;
Conferat impenſas. Hic nuda, & candida ſigna;
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti,
Phæcaſianorum vetera ornamenta Deorum.
Hic libros dabit, & forulos, mediamq, Minervam;

& recumbens Chiron ſub ipſo marmore: & jam antiqua arca cuſtodiebat codices Græcos, & mures Opici arrodebant eximios verſus. Codrus nihil poſſidebat. Nam quis inficiatur? Ac nihilominus infortunatus amiſit iſtud omne nihil. Suprema verò miſeria acceſſio eſt, quòd ſpoliatum atque petentem fruſtula panis, *nullus alimento, nullus ædibus ac domicilio ſublevabit.* Quod *ſi corruerint ſumma Aſturii ædes, parens ſqualida, atrati primates eunt: Prætor dictionem juris remittit. Tùm duplex civitatis ruina, tùm ignem deteſtamur:* dumque *flagrat etiam, ſtatim advolat qui det marmora; ſumptus contribuat. Ille ſtatuas albas ac denudatas; iſte quidpiam eximium Euphranoris & Polycleti* opus, *antiqua inſignia Numinum Phæcaſianorum; alius codices, & armaria, atque dimidiam Palladem;*

ANNOTATIONES.

205. *Cantharus.*] Poculum, de quo Virgilius Eclog. 6. Macrob. lib. 5. cap. 21.

Et recubans ſub eodem marmore Chiron.] Ad pedem abaci ſculpta erat effigies *Chironis* Centauri, ex eadem materia, argilla nimirum. Recumbebat vero quaſi ſuſtinens abacum. Intelligunt alii ejuſdem *Chironis* opera Medica ſeu Chirurgica (ex Plin. lib. 7. cap. 56.) in armario Codri poſita: is enim paupertate adactus ad eas ſe artes contulerat. Cœl. Rhodig. lib. 7. c. 12.

206. *Jamq; vetus Græcos, &c.*] Jampridem Græcos libros, & carmina, quibus ſtuduerat antea, reliquerat.

207. *Divina.*] Ironice, Raucum enim Codrum dixit Sat. 1.

Opici.] Minus bene, *apici*, quidam legunt, ut notat Lipſius Epiſt. quæſt. lib. 4. Epiſt. 25. Melius, *Opici*, id eſt, putidi, fœtidi: ab *Opicis* ſeu *Oſcis* Campaniæ populis, apud quos vigebant fœdæ libidines. Alii nomen trahunt ab ὀπὴ, *foramen*, ſeu *caverna*, in quibus mures ſæpe latent. Aliis *Opici* ſignificant Græcæ Linguæ neſcientes. Et favet Gellius lib. 13. cap. 9.

210. *Fruſta.*] Legunt nonnulli, *fruſtra*.

212. *Si magna Aſturii, &c.*] Si calamitas opprimat tenuiorem, haud curatur: at ſi divitem ac potentem, certatim ſublevatur. Quod certe iniquum.

Aſturii.] Aliis *Aſturici*, aliis, *Arturii*, ut is idem ſit qui ſupra ver. 29.

Horrida Mater.] Tota Roma in luctu eſt. Vel, matronæ ſordidas induunt veſtes, ut dolorem ſignificent.

213. *Pullati.*] Ne veſtem intellige atram ſeu nigram, quæ ſolis in funeribus adhibebatur, ſed ſordidiorem, quæ luctum indicabat. Ex Lipſio Elect. 1. cap. 13.

Differt vadimonia prætor.] Sicut in publicis calamitatibus ſolebat indici Juſtitium. Teſtis Livius paſſim.

214. *Tunc geminus caſus urbis.*] Roma videatur cecidiſſe, aut a Gallis capta diruta que rurſum.

Odimus ignem.] Vel incendii, vel etiam foci. Lugentes enim ignem foci extinguebant. Vetus Schol.

216. *Conferat impenſas.*] Ad novas ædes conſtruendas.

Nuda & candida ſigna.] Statuas a marmore candido, Pario.

217. *Euphranoris & Polycleti.*] Hic Statuarius, ille Pictor, excellentiſſimi. Quintil. l. 12. cap. 10. Plin. lib. 34. cap. 8.

218. *Phæcaſianorum.*] *Phæcaſii* Sacerdotes erant Athenienſes & Alexandrini, ab albis calceis nominati. Appian. lib. 5. ubi de M. Antonio. Aliis Dii Græci ſunt ita dicti, quaſi *Phæcaſiati*, id eſt, induti φαικασίοις, *calceamentis ruſticis*, Turneb. lib. 10. cap. 27. Porro in antiquiſſimis codicibus legitur: *Hæc Aſianorum*, pro *Phæcaſianorum*. Et Vetus Schol. notat eam gentem invidioſe nominari.

219. *Mediamq; Minervam.*] A vertice ad umbilicum expreſſam in marmore, aliave materia.

Digitized by Google

Hic modium argenti: meliora, ac plura reponit
Perſicus orborum lautiſſimus, & meritò jam 221
Suſpectus, tanquam ipſe ſuas incenderit ædes.
Si potes avelli Circenſibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Fruſinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus, hîc, puteuſq; brevis, nec reſte movendus,
In tenues plantas facili diffunditur hauſtu. 227
Vive bidentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum poſſis centum dare Pythagoræis.
Eſt aliquid quocunque loco, quocunque receſſu,
Unius ſeſe dominum feciſſe lacertæ. 231
Plurimus hîc æger moritur vigilando; ſed illum

alius modium pecuniæ donabit. Deniq; *Perſicus orbatorum magnificentiſſimus recondit præſtantiora, amplioraque & jam ſuſpicionem jure præbet, quaſi propriam ipſe domum combuſſerit. Modò queas abſtrahi ludis Amphitheatri, ædes* tibi *commoda comparantur Soræ, vel Fabrateriæ, vel Fruſinone, quanto jam* pretio domum *obſcuram paras ad unum annum. Illic hortus & puteus non profundus, neque trahendus fune, diffluit in teneras plantas, promptè exhauſtus. Vitam age contentus raſtro, & cultor hortuli nitidi, è quo centenis Pythagoræis convivium præſtare queas. Non eſt nihil ſe reddidiſſe poſſeſſorem unius lacertæ, quâvis* urbis *parte, quolibet diverticulo. Iſthic ægroti multi vitam perdunt ob vigilias;*

ANNOTATIONES.

220. *Modium.*] Menſuræ genus, pars ſexta medimni, quod ſex modios continet. Aliis modius libras habet quadraginta quatuor.

221. *Perſicus.*] Dives quilibet, ex Horatio lib. 1. Od. 38.

Perſicos odi puer apparatus.

Vel *Fabius Perſicus*, de quo Sat. 8. ver. 14. Seu forte Perſa fuerit Arturius, de quo paulo ante.

Orborum lautiſſimus.] Qui enim liberis carent, ſolent impenſis haud parcere.

222. *Suſpectus.*] Ita Martial. lib. 3. Epigram. 51.

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis,
Abſtulit hanc nimium caſus in urbe frequens.
Collatum eſt decies. Rogo non potes ipſe videri
Incendiſſe tuam, Tongiliane, domum?

223. *Si potes avelli Circenſibus.*] Si quidem carere potes Circo; modo velis te privare ludis iſtis curulibus & ſpectaculorum oblectamentis, certe commodius habitabis in aliis Italiæ urbibus. Hoc dicit Poëta quod Romani mirum in modum ſpectaculis deditierant. Unde Sat. 10. ver. 80. notantur velut optantes dumtaxat *panem* & *Circenſes.*

Circenſibus.] Quid Circus, & quotuplex Romæ notavimus ſupra ad ver. 65. de Ludis & eorum ritu, Dionyſ. Halicarn. lib. 7. ad finem. Scenicorum ludorum initia vide apud Liv. initio lib. 7. De *Circenſibus*, qui die nona Aprilis celebrabantur in honorem Cybeles ac Cereris, Ovid. Faſt. 4. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8.

Soræ.] Hæc olim urbs Latii ad Lirem fluvium, hodie in Aprutio ulteriori; vetus nomen haud amiſit.

224. *Fabrateriæ.*] Ea civitas, hodie, *Falvaterra*, non procul a fluvio Liri, pridem Volſcorum fuit in Latio oppidum.

Fruſinone.] *Fruſino*, vel *Fruſinum*, Strab. & Ptolem. urbs quondam Latii: hodia vocatur *Fruſilone*, eſtque in Campania Romana.

Domus paratur quanti nunc tenebras, &c.] Emptam habere domum illic potes eodem pretio, quod ſolvis Romæ pro locatione domus annua.

225. *Tenebras.*] Obſcuram & tenebroſam domum.

226. *Hic.*] In urbibus Italiæ mox nominatis.

Nec reſte movendus.] Tam facile habes aquam e puteo ad rigandum hortum, ut manu attingere ac haurire queas, ſine ullo fune.

228. *Bidentis.*] Per *bidentem* furcam, agriculturam & ruſticam vitam deſignat metonymice.

229. *Pythagoræis.*] Hi poſt Magiſtrum ſuum Pythagoram docebant abſtinendum ab animatis, & oleribus veſcebantur. Diog. Laërt. lib. 8. Athen. &c. Vide Sat. 15. ver. ult. Annot.

230. *Eſt aliquid.*] Non parva res eſt, nec parvi æſtimanda.

231. *Lacertæ.*] Quidam legunt, *latebræ*, eodem ſenſu: id eſt, aliquid eſt extitiſſe dominum minimæ cujuſlibet rei, vel parvi domicilii quod ſufficiat latebris lacertarum. De his Plin. lib. 8. cap. 39. & alibi.

232. *Plurimus hic æger moritur vigilando.*] Nimis vigiliis morbos, & hinc mortem creari conſtat.

Sed illum languorem peperit cibus imperfectus.] Cibus non bene coctus languorem peperit: coctioni vero nocuit immodicus calor ac nimia ſiccitas, quam pariunt vigiliæ ob continuam agitationem, ac ſpirituum vitalium conſumptionem,

Languorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti ſtomacho. Nam quæ meritoria ſomnum
Admittunt? Magnis opibus dormitur in urbe.
Inde caput morbi: rhedarum tranſitus arcto
Vicorum inflexu, & ſtantis convicia mandræ
Eripiunt ſomnum Druſo, vituliſque marinis.
Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret ſuper ora Liburno,
Atque obiter leget, aut ſcribet, vel dormiet intus.
Namque facit ſomnum clauſa lectica feneſtra.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obſtat
Unda prior, magno populus premit agmine lumbos
Qui ſequitur: ferit hic cubito, ferit aſſere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam,

at morbum hunc creavit eſca indigeſta, & adhærens ſtomacho ferventi. Enimverò quæ conducta ſoporem permittunt? In hac *civitate ſomnus capitur multis divitiis. Hinc fons ægritudinum. Curruum tranſvectio* in *anfractu anguſto viarum, atque maledicta ſtabuli hærentis quietem auferunt Druſo, ac vitulis marinis. Si invitat officium, opulentus portabitur, recedente multitudine, ac properabit* vectus *Liburno grandi, ſupra vultum. Eundo verò lectitabit, vel ſcriptitabit, aut ſomno indulgebit intùs. Etenim ſoporem conciliat lectica feneſtellâ occluſa. Nihilominus ante nos perveniet* ille. Quippe *nos feſtinantes impedit fluctus præcedens: plebs* autem *ſubſequens ingenti turbâ comprimit renes* noſtros. *Ille cubito pulſat; alius amite duro percutit: Iſte verò trabem, alter cadum impingit in caput.*

ANNOTATIONES.

233. *Et hærens ardenti ſtomacho.*] Quippe non digeſtus, nec in ſuccum nutritivum converſus, neque proinde tranſmiſſus in ſingulas corporis partes.

234. *Meritoria.*] Vel ædes tumultui populari proximæ, vel tabernæ mercede conductæ in quibus opifices fragore & ſtrepitu vicinos excitant, ſomnumque interrumpunt.

235. *Magnis opibus dormitur in urbe.*] Magna potentia ſilentium imponitur vicinis tabernariis ut magno pretio ſomnus conſtet, inquit Vetus Schol. Vel, potius, magnis opibus eſt opus ad habendas ædes a tumultu populari ſecluſas ac remotas, amplas nempe, in quarum receſſu a viris & tabernis longe poſito, quies fit & ſomnus non interruptus. Vide Martial. l. 12. Epig. 57, & 69.

236. *Rhedarum tranſitus.*] Fragor & ſtrepitus curruum, clamor aurigarum, tumultus concurrentium hominum ac rhedarum.

Arcto vicorum inflexu.] Erant certe veteris Romæ vici anguſti & parum directi. Patet ex Livio in fine libri 5. ubi poſt incenſam ac dirutam a Gallis urbem, Romani promiſcue ædificaſſe dicuntur: item, *feſtinatio curam eximit vicos dirigendi,* inquit ibidem, *dum omiſſo ſui alienique diſcrimine in vacuo ædificant: formaque urbis occupatæ magis quam diviſæ ſimilis fuit.* Et Suet. *Neron.* cap. 38. ait Neronem *quaſi offenſum deformitate veterum ædificiorum & anguſtiis flexuriſque vicorum, urbem incendiſſe.*

237. *Stantis convicia mandræ.*] Maledicta quæ ſolet auriga vel mulio vociferans evomere in *mandram,* i. e. gregem ſeu multitudinem equorum vel mulorum tarde progredientium, & in flexu hærentium, verberibus juxta ac clamore agens urgenſque.

Mandra.] Proprie *mandra* vocatur ſeptum quo pecora noctu clauduntur: ponitur hic per metonymiam pro *equis & jumentis.*

238. *Druſo.*] Somnolento homini, qualis notatur a quibuſdam Claudius Druſus Cæſar. Legunt alii, *Eripiunt ſomnos Urſis:* ex Plin. l. 8. c. 36. ubi ait *Urſos* tam altum dormire diebus quidem bis ſeptenis, ut nec vulneribus excitentur.

Vituliſque marinis.] *Phocæ* pariter, ſeu *vituli marini* ſunt ejuſmodi, nullumq; animal graviore ſomno premitur. Plin. lib. 9. cap. 13.

239. *Si vocat officium.*] Si dives ad negotium, ſi ad nuptias, ad pompam, aliamve celebritatem pergat, quiſque de via decedit, & liberum tranſitum dat.

240. *Ingenti curret ſuper ora Liburno.*] Vectus in lectica ampla & capaci, quaſi Liburna navi, vel quæ humeris ſervorum e Liburnia grandium & robuſtorum defertur ſupra caput hominum elevata. Plin. Traj. Paneg. *Illos,* inquit, *humeri cerviceſque ſervorum ſuper ora noſtra vehunt.*

Liburno.] Liburnia regio eſt Illyrici Occidentalis, ubi nunc Croatiæ pars atque Dalmatiæ.

241. *Atque obiter leget, &c.*] Vide Sat. 1. ver. 65. ubi de iis quæ ad lecticam & ſellam pertinent copioſe diſputavimus.

Obiter.] Ἐν παρόδῳ inquit Tullius ad Attic. lib. 5. Ep. 20, & 21. ὁδοῦ πάρεργον. Ad Quint. fratr. lib. 3. Ep. 9. ἐν παρέργῳ.

243. *Veniet.*] Eo quo vocat officium.

244. *Unda prior.*] Turba populi inſtar fluctuum euntis ac redeuntis.

245. *Aſſere.*] Ligno, palo, pertica, amite, quo lectica vel ſella ſuſtinetur ac devehitur a lecticariis. Juſt. Lipſ. Epiſtolic. quæſt. lib. 4. Epiſt. 25.

246. *Metretam.*] Menſuræ genus eſt capaciſſimum. In liquidis cadus eſt aut amphora.

Pinguia

Digitized by Google

Jam *tibia cœno delibuta* ſunt. *Jam proteror undequaq; pede craſſo, atque bellatoris clavus in digitum mihi infigitur. An non aſpicis quàm magno igne ſportula frequentetur? Centeni* ſunt *epulones, & ſingulos comitatur ſua culina. Corbulo ægrè portaret tot ampla vaſa, totq; res capiti incumbentes, quot miſer famulus defert capite ſubrecto, & properando foculum excitat. Lacerantur veſtes refectæ. Jam procedente plauſtro emicat abies oblonga; pinus autem alio vehiculo deportatur. Tremunt proceræ & plebi minitantur. Etenim ſi corruerit axis qui ſuſtinet rupes Liguriæ, atque ſuper turbam devolvat montem dejectum, quid reſtat de corporibus? Quis artus, quis oſſa*

Pinguia crura luto; planta mox undique magna
Calcor, & in digito clavus mihi militis hæret.
Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?
Centum convivæ; ſequitur ſua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vaſa ingentia, tot res
Impoſitas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix; & curſu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ ſartæ; modò longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt, nutant altè, populoque minantur.
Nam ſi procubuit, qui ſaxa Liguſtica portat
Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus? quis membra, quis oſſa

ANNOTATIONES.

247. *Pinguia crura luto.*] Quaſi uncta & incruſtata luto & cœno.

248. *Calcor, & in digito, &c.*] In turba conculcor pedibus alicujus militis, aut agreſtis & craſſi cujuſpiam viri, qui videatur in digitum pedis mei infigere clavos, quibus ejus calcei ſuffixi ſunt.

Clavus militis.] Sic Valer. Maxim. l. 9. c. 1. Extern. Art. 4. refert Antiochi Syriæ Regis exercitum magna ex parte aureos clavos crepidis ſubjectos habuiſſe. Idem teſtatur Juſtin. l. 38. *Luxuria non minor apparatus, quam militia fuit*, inquit; . . . . *ut etiam gregarii milites caligas auro figerent, procalcarentq; materiam, cujus amore populi ferro dimicant.* Unde rurſum Juvenalis Sat. ult. ver. 42. nefas eſſe ait *offendere tot caligatos, millia clavorum.* Porro clavata dicuntur aut veſtimenta clavis intexta & ornata, aut calceamenta clavis infixa, inquit Feſtus.

249. *Nonne vides quanto, &c.*] Iterum gulam Romanorum perſtringit, & novas inde cauſas impedimentorum ac turbæ in viis.

Sportula.] Cœna quæ quia primum in *ſportula* dabatur, δεῖπνον ἐν σπυρίδι, hinc nomen obtinuit. Turneb. lib. 10. cap. 27. Vide Sat. 1. ver. 95. ac deinceps.

Quanto fumo.] Quam avide petatur. Vel ſimpliciter ignem intelligit, ut mox fuſius explicat.

250. *Centum convivæ.*] In commune ſuam quiſque ſportulam conferentes. Vel, centum homines ſportulam accipiant, hi ſervos ſinguli deducunt culinam deferentes, qui vias implent ac impediunt.

Culina.] Vaſa & inſtrumenta culinaria. Hinc igitur tumultus coquorum ipſos cum obſoniis focos transferentium . . . . ne cibus intepeſcat, &c, quæ Seneca ad Lucilium ſcribit.

251. *Corbulo.*] *Domit. Corbulo* tempore Neronis robore corporis famoſus, cujus meminerunt Tacit. lib. 13. & Ammianus Marcell. lib. 15.

252. *Recto vertice.*] Ne juſcula vel obſonia effundantur ac decidant.

253. *Ignem.*] Quem defert in foculo ſeu caletactorio obſoniis ſubjectum, ne per viam frigeſcant.

254. *Scinduntur tunicæ ſartæ.*] In turba ac tumultu lacerantur veſtes nuper *ſartæ*, quales nimirum ſolet habere ſervulus, vel pauper Umbritii ſimilis per urbem incedens.

Modò longa coruſcat, &c.] Aliud impedimentum ac periculum a plauſtris per urbem vehentibus magnas moles.

255. *Sarraco.*] Vel, *Serraco*, quo vehiculi genere deportantur ingentis ponderis ligna, lapides & ſimilia, ad conſtructionem ædificiorum. Vide Sat. 5. ver. 23.

Abies, atque altera pinum plauſtra vehunt.] Longo vehiculorum ordine *pinus* aut *abies* deferebatur vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent. Quem luxum damnat Seneca, Epiſt. 90.

256. *Nutant altè.*] Arbores illæ, ſeu trabes longiſſimæ vacillant, & capitis veluti motu malum & perniciem obviis minantur.

257. *Nam ſi procubuit.*] Si axe fracto ruat plauſtrum, & impoſitam molem deturbet in obvios.

Saxa Liguſtica.] Exciſos e Liguriæ montibus lapides ingentes.

Liguſtica.] *Liguria*, Italiæ regio, ad Alpes, Galliam Narbonenſem inter ac Hetruriam; nunc ora eſt. Genuenſis.

258. *Agmina.*] Plebem prætereuntem.

Montem.] Inſtar montis ſaxum, vel e Liguſticis montibus exciſum.

259. *De corporibus.*] Corruente plauſtro ac ingenti ſaxo obrutis & obtritis.

Invenit?

Digitized by Google

Invenit? Obtritum vulgi perit omne cadaver,
More animæ. Domus interea ſecura patellas
Jam lavat, & buccâ foculum excitat, & ſonat unctis
Strigilibus, & pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros variè properantur: at ille
Jam ſedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec ſperat cœnoſi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Reſpice nunc alia, ac diverſa pericula noctis.
Quod ſpatium tectis ſublimibus, unde cerebrum
Teſta ferit, quoties rimoſa, & curta feneſtris
Vaſa cadunt, quanto percuſſum pondere ſignent,
Et lædant ſilicem. Poſſis ignavus haberi,
Et ſubiti caſus improvidus, ad cœnam ſi
Inteſtatus eas, adeò tot fata, quot illâ
Nocte patent vigiles, te prætereunte, feneſtræ.

reperit? Comminutum plebecula cadaver totum evaneſcit inſtar animæ. Interim familia nihil ſollicita mundat jam catinos, atque ignitabulum ore exagitat, ac ſonitum edit inunctis ſtrigilibus, aptatq; lintea ampullâ repletâ. Iſta diversè maturantur apud famulos; ſed iſte jam ſtat in littore, ac novus expaveſcit tranſvectorem terrificum; neq; ſpem miſer habet intrandi *alnum fluminis lutulenti, neque poſſidet trientem quem ore offerat. Intuere jam alia & varia nocturni temporis diſcrimina. Ecquod intervallum* ab *altis culminibus, è quibus vas fictile percutit cerebrum, quoties vaſcula fiſſa atque mutilata feneſtris decidunt, quàm magnâ gravitate notent ac labefaciant ſaxum offenſum.* Ne *ſtupidus æſtimari queas ac minimè proſpiciens repentinum infortunium, ſi pergas ad cœnandum non teſtatus. Quippe tot* imminent, *quot feneſtra ea nocte vigilantes aperta ſunt, dum tu tranſis.*

ANNOTATIONES.

260. *Perit omne cadaver more animæ.*] Non magis apparet quam anima quæ evolat & aſpectum fugit. Nec enim cum Epicuro Juvenalis ſentit cum corpore animam interire.

261. *Secura.*] Neſciens plauſtri caſu interiiſſe dominum, vel ſervulum qui ſportulam deferebat, parat cœnam, aut ſaltem lances & patinas excipiendæ ſportulæ & cœnæ componendæ idoneas.

262. *Buccâ foculum excitat.*] Oris & buccarum inflatione ac ſpiritu ignem accendit.

Sonat unctis ſtrigilibus.] Comparat etiam *ſtrigiles* ad radendum corpus poſt balnea, detergendumque ſudorem, unctas autem, quominus lædant. Vide Perſ. Sat. 5. ver. 126. & quæ nos ibidem.

263. *Strigilibus.*] Quidam Codices habent, *ſtriglibus*, ut ſit dactylus: aut certe poſuit proceleumaticum, ut quatuor breves æquipolleant duabus longis, ſeu ſpondæo.

Componit lintea.] Ad ſiccandum corpus poſt lavationem.

Gutto.] *Guttus*, vaſculum guttatim oleum fundens, cujus erat uſus in balneis. Dicunt alii lintea odorifero perfundi oleo ſolita.

264. *Hæc inter pueros variè properantur.*] Hæc quidem domi fiunt ſedulo ac feſtinanter, atque ſuo quiſque familiarium fungitur officio, aliis balnea, cœnam aliis parantibus: at ille, (heu!) jam miſerabili fato exceſſit e vivis.

Ille.] Seu puer deferens ſportulam, ſeu herus ipſe forte præteriens, ac plauſtri ruina obtritus.

265. *Sedet in ripa.*] Sedet, errat ad ripam Stygis, ſeu Acherontis, Infernalis fluvii, qui mortuis omnibus tranandus eſt: illicq; expectat ac detinetur ad annos centum. Nec enim fas erat trajici inhumatos, ac inopes ſeu carentes naulo, i. e. pretio tranſvectionis, niſi poſt expletum centum annorum ſpatium. Virg. loco mox citando.

266. *Porthmea.*] Fretum πορθμὸς Græce, dicitur πορθμεὺς autem ille qui trans fretum lintre homines vehit. Charontem hic intellige de quo Virgil. Æneid. 6.

Portitor ille Charon, &c.

Nec ſperat.] Quippe inſepultus, & naulo deſtitutus; ut mox explicatum eſt.

Cœnoſi gurgitis.] Stygiæ Paludis cœno turbidæ.

Alnum.] Charontis cymbam ex *alno* arbore.

267. *Nec habet quem porrigat ore trientem.*] *Ori* mortuorum veteres inſerebant ſtipem ſeu nummum, quo naulum Charonti ſolverent, ac tranſmitterentur. Vide Diod. Sicul. l. 2. c. 5.

Trientem.] *Triens*, pars tertia eſt aſſis, videtur hic pro obolo poni, qui naulus dicitur Charonti ſolvi aſſuetus, apud Lucian. Dial. Mort. 9.

269. *Quod ſpatium tectis ſublimibus.*] Quantum ſit ſpatium inter ima viarum & ædium tecta ſummaque, unde ſæpe dejiciuntur teſtarum fragmenta, quibus prætereuntium caput frangi & cerebrum excuti contingat.

271. *Quanto percuſſum pondere ſignent.*] Teſtæ illæ gravi ſuo caſu duros ipſos, quibus ſtratæ viæ ſunt, ſilices lædunt, quid igitur in caput hominis non feciſſent?

272. *Ignavus.*] Parum cautus & prudens, ac in mediis vitæ periculis ſecurus.

274. *Inteſtatus.*] Nondum facto teſtamento.

275. *Vigiles.*] Metonymia pro *vigilantibus* ædium inquilinis etiam tunc, & id noctis.

Ergo

Ergo optes, votumque feras miſerabile tecum,
Ut ſint contentæ patulas effundere pelves.
Ebrius, ac petulans, qui nullum forte cecîdit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde ſupinus.
Ergo non aliter poterit dormire: quibuſdam
Somnum rixa facit: ſed quamvis improbus annis,
Atq; mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longiſſimus ordo:
Multum præterea flammarum, atq; ænea lampas:
Me, quem Luna ſolet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus diſpenſo & tempero filum,
Contemnit. Miſeræ cognoſce procemia rixæ:
Si rixa eſt, ubi tu pulſas, ego vapulo tantum.
Stat contrà, ſtariq; jubet, parere neceſſe eſt.
Nam quid agas, cum te furioſus cogat, & idem
Fortior? Unde venis? Exclamat: cujus aceto,
Cujus conche tumes? Quis tecum ſectile porrum

Quamobrem exopta, & dignas miſeratione preces fac apud te, ut ſatis habeant effundere vaſa capacia. Porrò *temulentus & procax, qui caſu neminem verberavit, cruciatur, & tolerat noctem Achillis intimum deflentis: in vultum procumbit, ſtatim poſt in tergum. Secùs igitur ſomnum capere nequit. Soporem nonnullis conciliat jurgium. Verùm etſi petulans ætate, & vino calens, veretur eum quem caveri imperat pallium purpureum, magnaq; ſeries aſſeclarum; plures etiam faces, atq; candelabrum ex ære: ſpernit* verò me *cui Luna dux eſt aſſueta, aut tenuis lux candelæ, cujus diſpono moderorq; funiculum. Intellige præludia infelicis jurgii, ſi jurgium eſt, in quo tu percutis, ego percutior duntaxat.* Ille *obſiſtit adverſum, & imperat ſiſtere* me; *obtemperare oportet. Ecquid enim facias, quando te adigit furibundus, ipſeq; valentior? Vociferatur, unde prodis? Eccujus vappâ, cujus fabâ repletus es? Ecquis ſartor tecum manducavit porrum ſectitium,*

ANNOTATIONES.

277. *Ut ſint contenta, &c.*] Ut effundantur in te potius matulæ & pelves ſordium plenæ, quam ſolvatur tibi cranium, & occidaris dejecta teſta.

Pelves.] A pedum lavatione dictam *pelvim* ſcribit Varro.

278. *Ebrius ac petulans.*] Aliud malum nocte ambulantibus imminet a juvene ebrio, in quem ſi incidas, pugnos & contumelias experiere, ſi pauper fueris.

279. *Dat pœnas.*] Torquetur, anxius animi eſt, donec aliquem verberarit.

Noctem patitur.] Inſomnem & inquietam, qualem Achilli fuiſſe Patrocli mortem lugenti ſcribit Homerus initio libri ultimi Iliad. s.

280. *Pelidæ.*] Pelei filius erat Achilles.

281. *Ergo non aliter poterit dormire.*] Prov. 4. *Impii non dormiunt, niſi male fecerint, & rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantaverint.* Neronem pariter Othonemque noctu vagari ſolitos, & obvium quemq; petulanter inceſſere, narrant Suetonius & Tacitus. Nec abſimilem omnino ſententiam non ſemel habet Plautus *Amphitr.* Scen. 1. in ludicra illa contentione Mercurii cum Soſia. Vide Sueton. *Neron.* cap. 26.

282. *Improbus annis.*] Protervus in juventute, tum nempe cum fervet ſanguis, ac vis affectuum prævalet rationi.

283. *Coccina.*] De Cocco grano Galatiæ, Africæ, Luſitaniæ proventu, & Imperatoriis paludamentis dicato, Plin. lib. 22. cap. 2. ſicut de purpura fuſe lib. 9. cap. 36. ac ſequentibus.

285. *Ænea lampas.*] Candelabrum ex ære Corinthio, quod ſolis ditioribus præferebatur. Ejus pretium recenſet Plin. lib. 34. cap. 2.

287. *Diſpenſo & tempero filum.*] Ne vel extinguatur, vel citius ardeat abſumaturque. Vet. Schol.

289. *Si rixa eſt.*] Rixa enim eſt pariter contendentium ac invicem cadentium.

290. *Stat contra, &c.*] Ebrius ille petulans te videns ſolum & male veſtitum invadit, impugnatque.

292. *Cujus aceto, &c.*] Dic, ubi cœnaſti? Ubi vinum aceſcens ac vile bibiſti? Contumelioſe ait jurgari volens.

293. *Conche.*] *Conchis* faba eſt viridis: vel, faba eſt cum ſiliqua & cortice. Alii dicunt eſſe edulium e fabis cum cortice elixis, conditis autem porro conciſo, oleo, cumino, liquamine, &c. Martial. lib. 5. Epigram. 40.

Si conchem toties meam comeſſes.

Lib. 7. Epigram. 77.

---- *Conchis inuncta tibi eſt.*

Et Lib. 13. Epigram. 7.

Si ſpumet rubra conchis tibi pallida teſta,
Lautorum cœnis ſæpe negare potes.

Tumes.] Proprie dixit, *tumes:* illud enim obſonii genus inflat ventrem ac ſatiat mirum in modum.

Sectile porrum.] Non capitatum, ſed ſectivum, utpote vilius; de quibus Plin. lib. 20. cap. 6. Folia porri, quod facile ſcinditur.

Sutor

Digitized by Google

Sutor, & elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi reſpondes? aut dic, aut accipe calcem.
Ede ubi conſiſtas: in qua te quæro proſeucha?
Dicere ſi tentes aliquid, tacituſve recedas,
Tantundem eſt: feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt: libertas pauperis hæc eſt.
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen hoc tantum metuas. Nam qui ſpoliet te
Non deerit, clauſis domibus, poſtquàm omnis ubiq;
Fixa catenatæ ſiluit compago tabernæ.
Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem,
Armato quoties tutæ cuſtode tenentur
Et Pomptina palus, & Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.

ac labia vervecis aquâ cocti? Nihil mihi reponis? Vel reſponde, vel talo pulſaberis. Dic quâ regione habites: in quo tugurio te conveniam? At enim *ſive paras quidpiam loqui, ſive abis nihil dicens, perinde eſt; æqualiter verberant: poſteà vadem exigunt iracundi. Ea eſt libertas egeni. Petit* veniam *verberatus, atq; pugnis contuſus ſupplicat* verberanti, *ut permittatur illinc recedere cum dentibus non multis. Neq; verò ſolùm id formides. Etenim non deficiet, qui denudet te, obſeratis ædibus, cùm tacuit junctura ſtabilis cunctarum paſſim officinarum catenâ compactarum. Imò nonnunquam repentè deprædator* invadens *gladio negotium conficit, dum ſecura ſervantur tùm Pomptina palus tùm ſilva Gallinaria, à ſatellite armis inſtructo. Ita illinc confluunt iſtuc univerſi* graſſatores *velut ad Vivaria.*

ANNOTATIONES.

294. *Sutor.*] Ad ignominiam omnia.

Vervecis labra.] Synecdoche, pro *Vervecino capite*, quod in apophoretis numeratur Martial. lib. 14. Epigram. 211.

296. *Proſeucha.*] Προσευχὴ, Precatio eſt. Unde apud Philonem, *Proſeuchæ* vocantur fana & loca in quibus Judæi ad orationem conveniunt. Hic vero ponitur pro loco, ubi ſtipem rogant mendici, & pro tuguriolis quæ ad vias publicas extruunt, aut prope urbium portas. Vetus Schol. & Turneb. lib. 1. cap. 19.

298. *Vadimonia.*] Poſtquam te illi male mulctarunt, clamant ſe a te cæſos, iram ſimulant, increpant, minantur in jus tracturos, ut mulcta indicatur tibi quamvis innoxio, adeoque vadimonium denuntiant.

299. *Libertas pauperis hæc eſt.*] Scilicet ea eſt, qua gloriantur noſtri, quam vindicant acriter Romani, qua fruuntur Cives modo, ſi ſint pauperes. Ironia cum indignatione.

301. *Paucis cum dentibus.*] Non omnibus quidem excuſſis per pugnos & verbera. Quod beneficii loco habebitur. Sic graſſatores largiri ſe vitam aiunt illis quibus non ademerint, & cum tantum non occiderunt, multum etiam ſibi deberi putant.

302. *Nec tamen hoc tantum metuas.*] Non modo contumelias & verbera Romæ habes metuenda, ſed & latrocinia & graſſatores.

303. *Clauſis domibus, poſtquam omnis, &c.*] Intempeſta & concubia nocte.

304. *Fixa catenatæ ſiluit compago tabernæ.*] Cum clauſæ ſunt tabernæ diligenter, inducta etiam per ſingulos aſſeres grandi catena, ut ait Vetus Schol. idque in munimentum adverſus extractores & graſſatores nocturnos. Vide Suet. *Ner.* c. 26. Ubi Nero ipſe graſſari poſt crepuſculum circa vicos & popinas vagari, obvios verberare, tabernas effringere & expilare dicitur.

Siluit.] Dimiſſo opere, & quieſcentibus jam opificibus, relictaque & vacua officina.

305. *Ferro ſubitus graſſator agit rem.*] Inopinantem invadit, ſpoliat, adacto in jugulum enſe.

306. *Armato quoties, &c.*] Diſpoſitis ad arcendos latrones prædiis.

307. *Pomptina palus.*] Alii legunt *Pontina*: Locus in Campania infeſtus latrociniis, *ad paludem Pomptinam*, cujus pars forte ab Auguſto ſiccata, ut meminit Horatius ad Piſones, v. 65. At non certe integra, ut teſtantur qui viderunt, & propter amplitudinem paludis totam ſiccari non poſſe affirmant. Adde quod in eam influunt quidam fluvii. Sita eſt inter Privernum. Terracinam, Setiam, &c. Martial. lib. 13. Epigram. 112.

Pendula Pontinos quæ ſpectat Setia campos.

Et lib. 10. Epigram. 74.

Nec quæ paludes delicata Pontinas
Ex arce clivi ſpectat uva Setini.

Gallinaria pinus.] Prope Cumas, ſeu ad ſinum Cumanum, ut refert Strabo, lib. 5. erat ſilva *Gallinaria*, prædonum receptaculum.

308. *Sic inde huc omnes, &c.*] Exacti ſilvis graſſatores Romam veniunt, & latrocinantur nocte.

Ad vivaria.] Velut ad locum, ubi paratior ac facilior victus erit. Vivaria loca ſunt, in quibus aluntur ac ſaginantur ad cibos, ſeu aves, ſeu piſces, ſeu feræ, &c.

Qua

Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ, & ſarcula deſint. 311
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam ſub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam. 314
His alias poteram, & plures ſubnectere cauſas:
Sed jumenta vocant, & Sol inclinat; eundum eſt.
Nam mihi commota jamdudum mulio virga
Innuit: ergo vale noſtri memor; & quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino; 319
Me quoq; ad Elvinam Cererem, veſtramq; Dianam
Convelle a Cumis: Satirarum ego (ni pudet illas)
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

Attamen quo camino, quâ incude non fabricantur vincula ponderoſa? Magna certè ferri menſura in catenis adhibetur, adeò ut vereri poſſis, ne deſit aratrum, ne ligones atq; ſarcula deficiant. Fortunatos atavos proavorum, & beata ſæcula vocaveris, quæ ſub Regibus ac Tribunis olim urbi Romanæ conſpexerant unicam ſatis eſſe cuſtodiam. Licebat quidem iſtis alias ac multas rationes adjungere. Verùm jam invitant muli, atque Sol occidit. Oportet diſcedere. Jam enim flagello concuſſo pridem mulorum ductor mihi ſignum dat. Vale igitur; recordare noſtri. Cùm verò te Roma Aquino tuo remittet recreari feſtinantem, tu me etiam à Cumis abſtrahe ad Cererem Helvinam, ac veſtram Dianam. Statim ego caligis indutus in terram frigidulam advolabo Satirarum auxiliator, modò ut mei non eas pigeat.

ANNOTATIONES.

310. *Ne vomer deficiat, &c.*] Ne deſit ferrum quo fiant inſtrumenta agriculturæ neceſſaria.

311. *Vomer.*] In aratri extremitate ferrum eſt quo terra ſcinditur.

Marra, Sarcula.] Ruſtica inſtrumenta, quibus inutiles herbæ reſecantur.

312. *Proavorum atavos.*] *Proavus* eſt avi pater, *atavus* autem quintus pater eſt.

313. *Sub Regibus.*] Hi numerantur ſeptem, Romulus, Numa, Tullus Hoſtilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priſcus, Servius Tullus, Tarquinius Superbus; quorum loco Conſules deinceps imperitavere. Tit. Liv. lib. 1. & 2. Quæ prima fuit ætas Populi Romani prope ducentos & quinquaginta per annos, ſub Regibus, ut ait Florus in prologo.

Atque Tribunis.] Anno urbis trecenteſimo decimo, primum creati Tribuni militares conſulari poteſtate, ut narrat Livius lib. 4. Ne Conſules e plebe crearentur: quod poſtea tamen ei conceſſum. Itaque Tribuni militares identidem & ſubindè Rempub. rexerunt.

314. *Uno contentam carcere.*] Quem Tullus Hoſtilius ædificari juſſit; ut refert Salluſt.

316. *Jumenta.*] A *jungendo* quidam, alii melius, ut videtur, a *juvando* originem trahunt.

318. *Innuit.*] Admonet expedita eſſe ad iter omnia; rhedæ impoſitam ſupellectilem: Umbritium jam expectari. Vide ſupra ver. 10.

319. *Refici properantem.*] Cupientem recreari ex urbis ac tumultus popularis tædio.

Tuo Aquino.] Quoties ibis in patriam tuam ô Juvenalis, *Aquinum* ſcil. Campaniæ civitatem, via Latina.

320. *Me quoque, &c.*] Me pariter a Cumis, quo proficiſcor, accerſere memento ad te. Aquinum ego ſtatim adibo, teque conveniam: & Satiras una conſcribemus.

Elvinam Cererem.] Habebat *Ceres* Fanum ad Aquini ſuburbium, cui *Helvinum* nomen a fonte proximo ejuſdem appellationis. Minus placet quod nonnulli ab *eluendo*, alii vero ab *Helvo* colore, quem flavum eſſe aiunt, ex Varrone etymologias petunt.

Veſtramque Dianam.] Quam nimirum colitis tu Juvenalis populareſque tui Aquinates, in Minturnenſi luco.

321. *Cumis.*] Vide ſupra v. 2. hujus Satiræ.

Ni pudet illas.] Siquidem exiguæ meæ opia ac induſtriæ non pudet ac piget te eximium Vatem ac Satirographum, ipſaſque Satiras.

322. *Adjutor.*] Nonnulli codices habent, *auditor*.

Gelidos in agros.] Ob ſitum. Frigus certe faciunt colles, ſilvæ, flumina.

Caligatus.] More ſtrenui militis inſtructus, certe acer vitiorum hoſtis. *Caligæ* ſunt militaria calceamenta, a quibus denominatus eſt Caligula Imperator, eo quod in caſtris natus: mediam uſque tibiam protegebant, & pars ſuperior caput leonis videbatur, ut patet in antiquis marmoribus.

Digitized by Google

SATIRA IV.

ECce iterùm Criſpinus; & eſt mihi ſæpè vocandus
Ad partes, monſtrum nulla virtute redemptum
A vitiis, æger, ſolaque libidine fortis:
Delicias viduæ tantùm aſpernatur adulter.
Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix, minimè corruptor, & idem
Inceſtus, cum quo nuper vittata jacebat

INTERPRETATIO.

EN rurſùm Criſpinus; à me verò frequenter eſt adducendus ad partes; portentum nullâ virtute à vitiis liberatum. Ad cætera *imbecillis, atq; unâ libidine ſtrenuus. Viduæ voluptates dumtaxat ſpernit mœchus. Ecquid intereſt ergò quàm amplis xyſtis mulos vexet; quam magna in umbra lucorum geſtetur; quot jugera foro proxima, quas domos pretio comparaverit? Nullus improbus beatus. Nequaquam ſtuprator, ipſeque inceſtuoſus,*

ANNOTATIONES.

1. *ECce iterum Criſpinus.*] Jam exagitatus nimirum Sat. 1. v. 26. & ſeq. Porrò Domitianum maxime petit & vellicat Juvenalis hac Satira.

Vocandus ad partes.] Sæpius autem exagitare illum ſtatuit Poëta, & revocare, ut toties in Satiris iſtis partes ſuas agat, quaſi perſonam in Comœdia.

2. *Monſtrum nullâ virtute redemptum.*] Criſpinus eſt adeo nequam, ut nulli non vitio ſerviat. Quam dura porro vitiorum ſervitus, belle exprimit & fuſe Perſius Sat. 5.

3. *Æger, ſolâque libidine fortis.*] Languet ad omnia præterquam ad flagitia ac libidines.

4. *Delicias viduæ tantùm aſpernatur adulter.*] Ignobilem vero contemnit Venerem, adeoque viduas, quas lucri gratia ſectantur uni pauperes. Martial. lib. 11. Epigram. 88. *Nunc ſectaris anus, O quantum cogit egeſtas!* Vel, non ſervit amoribus viduæ opulentæ, ut opimam ejus hæreditatem mereatur, ut dictum de nonnullis Sat. 1. v. 37. & ſeq.

5. *Quid refert igitur.*] Si tam miſer eſt Criſpinus utpote obnoxium vitiis mancipium, quid juvat eum eſſe opulentum? Quid proſunt ei ſuæ divitiæ, quæ beatum illum reddere nequeunt, nec a vitiis redimere?

Quantis jumenta fatiget porticibus.] Quod magnas habeat porticus, in quibus geſtetur quoties pluit, & ſuaviter ambulet: ut eſt in Sat. 7. ver. 179. Plin. lib. 1. Epiſt. 3. *Quid illa porticus verna ſemper? . . . Quid illa mollis geſtatio? &c.*

6. *Quanta nemorum vectetur in umbra.*] Quod in hortis arte magna & ſtudio excultis deportetur lectica. Magnificam villæ deſcriptionem lege apud Plinium lib. 2. Epiſt. 17. ubi ſic loquitur: *Adjacet geſtationi, interiore circuitu, vinea tenera & umbroſa nudiſq; etiam pedibus mollis & cedens, &c.*

7. *Jugera quot, &c.*] Quod novas etiam opes quotidie accumulet; amplaſque habeat ædes in parte urbis optima: vel hortos & ſpatia in ſuburbio; ut ait Vetus Schol.

8. *Minimè corruptor.*] Omnes quidem vitioſi infelices, at præ cæteris flagitioſi. Comitantur enim libidinem multæ graveſque moleſtiæ, juſta peccati pœna. Gaſp. Sciopp. corrigit, ac legit, *mina correptor:* ſed non ſenſui favet.

9. *Inceſtus.*] Sic vocatur qui infandam attentat Venerem atque inconceſſam cum perſona ratione ſanguinis aut propter religionem reverenda. Inceſtum autem dicitur flagitium quod caret ceſtu, id eſt, ſacro Veneris cingulo, quo honeſtæ nuptiæ coercentur ac decorantur. Quaſi ἀνάκεστον, Feſtus, quaſi *incaſtum*, Iſidorus dici volunt.

Cum quo, &c.] Cum Criſpino Veſtalis inceſtum admiſit, & impune quidem; quia carus ille Domitiano.

Vittata.] *Vittæ* erant faſciolæ, quibus religabant crines, aut etiam flores & ſerta circa caput. His utebantur cum Matronæ, tum maxime Sacerdotes in Sacrificiis.

Sanguine

Digitized by Google

quicum nudius tertius cubabat ſacerdos vittis redimita, vivo etiam ſanguine humo ſubmittenda. Verùm de minimis facinoribus modò. Ac nihilominùs ſi alius ſimile quidpiam *perpetrâſſet, obnoxius foret morum Cenſori. Enimverò quicquid infame Titio, & Seio, probis,* id *pulchrum Criſpino. Ecquid facias, quando immanis homo eſt, ac turpior quolibet ſcelere? Barbulum ſex millibus mercatus eſt, adæquantem certè ſeſtertia totidem libellis,*

Sanguine adhuc vivo terram ſubitura ſacerdos. 10
Sed nunc de factis levioribus: & tamen alter
Si feciſſet idem, caderet ſub judice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio, Seioque, decebat
Criſpinum. Quid agas, cùm dira & fœdior omni
Crimine perſona eſt? mullum ſex millibus emit,
Æquantem ſane paribus ſeſtertia libris, 16

ANNOTATIONES.

10. *Sanguine adhuc vivo, &c.*] Viva terræ infodienda, ex Numæ Inſtituto. Liv. lib. 1. Dion. Halicarnaſſ. lib. 2. ubi delinquentes Veſtales & corruptæ referuntur miſerabiliter occidi: viva ſcilicet emittebantur ſuper lecticam latæ, more mortuorum, deflentibus ac præeuntibus cognatis, ac perlatæ uſque ad portam Collinam intra muros, in monumento ſub terra præparato cum ſepulcrali apparatu deponuntur, nullaque ſolita luſtratione potiuntur. Plutarchus autem in vita Numæ Pompilii, rem adhuc clarius explicans, ait: *Prope Portam Collinam, intra urbem, ſubterraneam domum ſeu foveam extitiſſe, in qua lectulus, & lucerna ardens, panis item & aqua, lac etiam atq; oleum parata erant. Illuc Rhea feretro incluſa deferebatur per forum, ac per ſcalas demittebatur, ante a miniſtris ſoluta, gravi & ſummo ubique ſilentio, atque horribili mæſtitia, &c.* Vide etiam, ſi vis, Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12.

Terram ſubitura.] Alioqui punienda ex more, & moritura, ſi acculata & convicta fuiſſet. Quemadmodum Corneliæ contigit, quam quidem ante abſolutam, longo poſt intervallo repetitam Domitianus damnavit. Sueton. *Domit.* cap. 8.

11. *Sed nunc de factis levioribus.*] Supple, *agimus*, vel, *querimur*.

Alter ſi feciſſet idem, caderet, &c.] Si alter quam Criſpinus id feciſſet, non magis impune tuliſſet inceſtum, quam Celer, Eques Romanus, cui Corneliæ Maximillæ ſtuprum objiciebatur, quem in Comitio virgis ad necem cædi juſſit Imperator Domitianus, ut refert Suetonius loco mox citato.

12. *Judice morum.*] Scoptice notat Domitianum, qui ex loco citato Suetonii inceſta Veſtalium virginum ſevere coërcuit: & qui Corneliam abſentem inauditamque damnavit inceſti, ac defodi imperavit, cum ipſe fratris filiam inceſto non polluiſſet ſolum, verum etiam occidiſſet. Nam vidua abortu periit, ut loquitur Plin. lib. 4. Epiſt. 11. quem lege. Martial. lib. 6. Epig. 4. ad Domit.

Cenſor maxime, Principumq; Princeps.

13. *Titio, Scioque.*] Nomina Juriſconſultis frequentia, hic deſignat quoſlibet e vulgo viros bonos.

Decebat Criſpinum.] Ex iniquo Domitiani judicio, qui ſuſpectos dumtaxat alicujus ſceleris ſevere puniebat, ut mox dictum; at connivebat in manifeſtis etiam amicorum flagitiis, & inceſto Criſpino indulgebat.

14. *Quid agas, cum, &c.*] Quam cenſuram & animadverſionem dignam ſatis adhibeas in hominem omni crimine fœdiorem? Nec enim perditæ ſolum eſt laſciviæ, ſed & gulæ Criſpinus; ut mox patebit.

15. *Mullum.*] Piſcem marinum, qui alias *barbo* vel *barbio*, ob geminam barbam, quam habet in inferiori labio. De eo Plin. lib. 9. cap. 17. & 18. & alibi. Barbatos mullos & barbatulos vocant, & in piſcinis ali ſolitos teſtantur Varro lib. 3. de Re Ruſt. cap. 17. Cicero ad Attic. lib. 2. Epiſt. 1. & Parad. 5. apud Athen. lib. 1. cap. 5. *mullus* Dianæ ſacer dicitur. Item lib. 7. cap. 21. ubi & variæ *mulli* dotes afferuntur. Quem tamen in locum vide Caſaubonum multa docte corrigentem. Vide Sat. 5. ver. 92. & quæ nos ibidem.

Sex millibus emit.] Sex millibus nummum. Macrob. lib. 3. cap. 17. mullum unum ſeptem, (Plinius autem octo) millibus nummum ait emptum ab Aſinio Celeri viro Conſulari. Apud Sueton. autem Tib. cap. 34. tres mullos triginta millibus nummum veniſſe, quaſtus refertur Imperator.

16. *Æquantem ſane.*] Quaſi diceret, ſi miraris pretium, diſce pondus, & mirari deſine.

Paribus ſeſtertia libris.] Emptus eſt piſcis ſex millibus, ſex libras pendebat, æquavit igitur pretium pondere ſuo. Macrob. loco mox citato, ex Plinio ait, non repertos olim mullos, qui duas pondo libras excederent; at jam longe majores minoris emi. Horat. lib. 2. Sat. 2. trilibrem memorat. Hoc vero quid, ſi verum eſt quod ex Liciſſio Mutiano narrat Plin. citato lib. 9. cap. 18. captum eſſe in mari Rubro mullum, qui octoginta libras penderet?

Seſtertia.] *Seſtertia* ſex, quæ continent ſingula mille nummos ſeſtertios, de quibus jam ante dixi Sat. 1. ver. 92. & 106. Seſtertia ſex efficiunt ſex millia nummorum. Salmaſ.

Digitized by Google

Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Conſilium laudo artificis, ſi munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram ſenis abſtulit orbi.
Eſt ratio ulterior, magnæ ſi miſit amicæ,
Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.
Nil tale expectes: emit ſibi. Multa videmus,
Quæ miſer & frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patriâ quondam Criſpine papyro?
Hoc pretium ſquamæ? potuit fortaſſe minoris
Piſcator, quam piſcis emi. Provincia tanti
Vendit agros; ſed majores Appulia vendit.

ſicut teſtantur qui de grandibus grandiora jactitant. Opificis mentem approbo, ſi tam gravi dono meruit primas ceras in codicillo vetuli orbati. Accedit cauſa major, ſi potenti donavit amaſiæ, quæ geſtatur operto ſpecu grandibus feneſtris vitreis. Nihil ejuſmodi ſpera. Sibimet-ipſi mercatus eſt. Plurima cernimus quæ non admiſit Apicius infelix & parcus. Id verò tu, Criſpine, veſtitus olim papyro patriâ? Is valor ſquamæ? Forte licuit mercari piſcatorem inferiori pretio *quàm piſcem. Provincia tali* pretio *venumdat campos; at Apulia venumdat ampliores.*

ANNOTATIONES.

17. *Qui de magnis majora loquuntur.*] Ut ſolent adulatores, qui res augere verbis mirum quantum norunt.

18. *Conſilium laudo artificis.*] Toleranda videbitur luxuria Criſpini, ſi, &c.

Munere tanto.] Mullo eximiæ magnitudinis vel miſſo quaſi munere, vel appoſito in cibum ſeni cuipiam opulento.

19. *Præcipuam in tabulis ceram.*] Primas partes in teſtamento, vel unicas meruit, hæres ex aſſe inſtitutus, eo modo quo dictum ſupra Sat. 2. ver. 58.

20. *Magnæ ſi miſit amicæ.*] Ejus vel amorem captans vel hæreditatem. Vide Sat. 1. ver. 37. & ſeq.

21. *Quæ vehitur clauſo, &c.*] Magna & ampla lectica, undique clauſa; ſpecularibus autem pellucida. Sic enim mulieres delicatæ ventos, pulverem, & frigus excludebant, ſanitati pariter & pulchritudini conſulentes. Vide Sat. 1. v. 65.

Specularibus.] Sicut nos e vitro, ſic veteres feneſtras faciebant e ſpeculari lapide, qui tenues in cruſtas facile finditur. Plin. lib. 36. cap. 22. Senec. Epiſt. 90. & de Providentia. J. Lipſ. in Senec Martial. lib. 8. Epigram. 14.

Hybernis objecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles, & ſine face diem.

22. *Nil tale expectes.*] At nihil iſtorum voluit Criſpinus, uni vero ſuæ gulæ indulſit, exquiſitas dapes emendo.

23. *Miſer & frugi.*] Præ Criſpino frugalis & temperans videatur Apicius, quantumvis luxurioſus. Miſer porro ille, cui ſeſtertium centies egeſtas fuit; & qui præ fatuo paupertatis & famis metu ipſe ſe interemit, ut ait Seneca, Lib. *de Conſol. ad Helviam matrem.* Dio Caſſius, 57, &c.

Apicius.] Hic inter gulæ proceres numeratur apud Plin. Lib. 9. cap. 17. & Lib. 10. cap. 48. omnium nepotum altiſſimus gurges nuncupatur. Exemplum gulæ fuit, ſcripſitque de juſculis, ac de condiendis cibis, ut teſtatur vetus Schol. ſcientiam popinæ profeſſus dicitur, ac millies ſeſtertium in culinam impendiſſe, apud Senecam loco mox cit. num 138. *Apicii* quoque velut inſignis helluonis meminit idem Seneca Ep. 95.

Hoc tu.] Audes & perpetras.

24. *Succinctus patria quondam, &c.*] Tu olim ſervus a Niliaca plebe, & verna Canopi, ut eſt Sat. 1. v. 26.

Papyro.] Frutex eſt paluſtris in Ægypto frequens, e cujus libro ſeu cortice fiunt veſtes, funes, tegetes, vela, &c. Vide Plin. Lib. 13. c. 11.

25. *Hoc pretium.*] Alii legunt, *hoc pretio*; Eodem ſenſu. An hoc pretio emuntur ſquamæ, id eſt, piſcis? Synecdoche & Tapinoſis, cum indignatione ſimul & admiratione.

26. *Quàm piſcis.*] Mullus, de quo ſupra, emptus ſex millibus nummum.

Provincia tanti vendit agros.] In regionibus extra Italiam quæſitis, opimis licet & fertilibus, tanti nec majoris emi poſſent agri, e quibus victitaret familia.

27. *Sed majores Appulia vendit.*] In *Apulia* vero Italiæ regione, tanti quoque nec majoris etiam majores agri venduntur, quam iſte piſcis a Criſpino emptus. Quare vero minoris quam alibi venduntur agri Apuliæ? An Poëta reſpicit Apuliæ partem aliquam montibus aſperam ac ſterilem, de qua Horatius loco mox citando: & Seneca Epiſt. 87. ſic loquitur: *Agri ſuburbani tantum poſſidet, quantum invidioſe in deſertis Apuliæ poſſideret?* An quod Apulia infeſtatur Atabulo vento, ut ait idem Seneca Nat. Quæſt. Lib. 5. cap. 17. Hic ventus Apuliæ eſt peculiaris & plantas frigore adurit ac devaſtat. Teſtis Plin. Lib. 17. cap. 24. Ejus meminit & Gell. Lib. 2. cap. 22. Horat. Lib. 1. Sat. 5.

Incipit ex illo montes Appulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Attabulus, & quos
Nunquam erepſerimus, niſi, &c.

Hinc & illi vento Attabulo ἄτην βάλλοντι, id eſt, *noxio*, ſeu *cladem & calamitatem immittenti* Apuli ſacrificabant, ne agros depopularetur. Vide Alex. ab Alex. Lib. 3. cap. 22.

Quales

Digitized by Google

Quas tum dapes credamus ſorbuiſſe ipſum Imperatorem, quando tot ſeſtertia, modica portio ac delibata de extremitate convivii exigui, deglutirentur à ſannione purpurato ſumma aula, nunc autem *Equitum Magiſtro, qui conſueverat alta vociferatione venumdare ſiluros* ſui *municipii, de merce rupta? Auſpicare Calliope, fas eſt iſtic conſiſtere. Non eſt canendum. Res verè* geſta *tractatur. Referte juvencula Pierides. Juvet me* quod *vos appellavi juvenculas. Tempore quo poſtremus Flavius dilaniabat terram jam ſemimortuam, atque Roma Calvo Neroni mancipata erat, è regione templi Veneris,*

Quales tunc epulas ipſum glutiſſe putemus
Induperatorem? cum tot ſeſtertia, partem
Exiguam, & modicæ ſumptam de margine cœnæ
Purpureus magni ructaret ſcurra Palatî
Jam princeps equitum, magna qui voce ſolebat
Vendere municipes fracta de merce ſiluros?
Incipe Calliope, licet hic conſidere: non eſt
Cantandum: res vera agitur. Narrate puellæ
Pierides; proſit mihi vos dixiſſe puellas.
Cum jam ſemianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo ſerviret Roma Neroni,

ANNOTATIONES.

Appulia.] Sita eſt non procul ab oſtio ſinus Adriatici, Dauniam inter & Calabriam. Hodie pars regni Neapolitani, vulgo, *la Puglia.*

28. *Quales tunc epulas,* &c.] Quod ſi Criſpini hominis ſordidi talis fuit gula & luxuria, qualem putas extitiſſe Domitiani Imperatoris? Hunc jam Poëta aggreditur.

29. *Induperatorem.*] Per Epentheſim. Tull. 1. de Divin. n. 107. ex Ennio: *uter eſſet induperator.* Scribendum contendit, *endoperatorem,* Theod. Pulmannus.

Seſtertia.] Supra, ad v. 16.

Partem exiguam & modica ſumptum, &c.] Quæ tamen Criſpini dapes & ſumptuoſa convivia, ſi cum epulis Domitiani conferantur, non erunt niſi pars exigua & ultima dumtaxat, atq; velut margo cœnæ & menſæ Imperatoriæ.

31. *Purpureus.*] Vide Sat. 1. v. 27.

Ructaret.] Adeo cibis ingurgitatus, ut ructus ederet.

Scurra Palati.] Criſpinus aulæ paraſitus, adulator, riſus captator, Imperatori gratioſus. Martial. Lib. 7. Epig. 98.

32. *Jam princeps equitum.*] Primum factus Eques Romanus, ut dictum Sat. 1. v. 27. deinde etiam Equitum Magiſter. Corn. Tac.

33. *Municipes Siluros.*] Ex eadem patria Ægypto, & quaſi Criſpini municipes. Vide Gell. Lib. 16. cap. 13.

Siluros.] Fluviatiles pariter ac marini piſces ſunt, in Nilo frequentes Plin. Lib. 5. cap. 9. porculo marino quoſpiam ſimiles, nullis oſſibus ſpiniſve interſitis, carne prædulci eſſe, idem Plin. teſtatur Lib. 9. cap. 15.

Fracta de merce.] In vaſe ſeu corbe fracto & rupto; quippe nullius pretii Alexandriæ iſti piſces, & quos inopes in Ægypto venditare ſolent. Vetus Schol. Non hæret hic Salmaſius, quin ingenioſe comminiſcatur, & corrigat, *Faria,* pro, *Pharia,* id eſt, Ægyptia.

34. *Incipe Calliope.*] Ironice pariter ac facete Calliopem invocat, quaſi quid arduum ac valde ſerium moliatur: cum tamen rhombi piſcis magnitudinem, & Domitiani gulam dumtaxat ſectari velit.

Calliope.] Scilicet ipſa quæ heroico Carmini præſides, inter Muſas Princeps.

Licet hic conſidere.] In re tam gravi non eſt leviter agendum, aut tranſeundum.

Non eſt cantandum.] Neque more Poëtico hodie fingendum, & verſibus ingenioſe amplificandum.

36. *Pierides.*] a *Pierio,* Theſſaliæ monte Muſis Sacro. Aliter paulo Tullius de Natura Deorum, Lib. 3. n. 54.

Proſit mihi.] Hoc amplius adeſte, & favete mihi.

Puellas.] Adoleſcentulas, puras, virgines, Nymphas. Ita Poëtæ ſolent adulari ſuis Numinibus.

37. *Cum jam ſemianimum,* &c.] Magnificum exordium quaſi grandia narraturi.

Semianimum laceraret Flavius orbem.] Romam orbis dominam Domitiani ſævitia oppreſſam. Is enim crudelitatem non magnam ſolum, ſed & callidam inopinatamque exercebat, ut ſcribit Sueton. Domit. cap. 11.

Flavius ultimus.] Domitianus Imperator, poſtremus e gente Flavia, quæ obſcura quidem, ac ſine ullis majorum imaginibus, at Reipublicæ tamen nequaquam pœnitenda, quod ait Sueton. Veſpaſ. c. 1.

38. *Calvo Neroni.*] Utraque vox invidioſa pro *Domitiano,* qui quidem Calvitio ſic offendebatur, ut in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alii vel joco vel jurgio objectaretur. Ita Sueton. Domit. cap. 18. Deinde, propter vitia paria ſimilemque ſævitiam Nero alter vocatur. Vide Sueton. Domit. cap. 10, 11, 15. Tantum deſciverat ille a placidis moribus Veſpaſiani ac Titi. Unde Martial.

Flavia gens quantum tibi tertius abſtulit hæres!
Pæne fuit tanti non habuiſſe duos.

Digitized by Google

Incidit Adriaci ſpatium admirabile rhombi,
Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon,
Implevitque ſinus: neque enim minor hæſerat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad oſtia Ponti
Deſidia tardos, & longo frigore pingues.
Deſtinat hoc monſtrum cymbæ liniq; magiſter
Pontifici ſummo. Quis enim proponere talem,
Aut emere auderet? Cùm plena & littora multo
Delatore forent; diſperſi protinus algæ

quod fulcit Ancona Dorica, retia incurrit ac replevit ſtupenda magnitudo rhombi Adriatici: Et enim non adhæſit minor iis quos tegit glacies Mæotica, & Sole denique ſoluta ejicit ad ingreſſum pigri maris Euxini, *inertia torpentes, geluque diuturno ſaginatos. Dominus navicula ac linei* retis *ſupremo antiſtiti reſervabat illud prodigium. Nam quis attentaret* aut venum *exponere tantum* piſcem, *vel mercari, quando ripa etiam referta erant plurimo denunciatore?* Quippe *ſtatim exploratores algæ*

ANNOTATIONES.

39. *Incidit Adriaci*, &c.] Regnante, inquam, Domitiano, rhombus ingens a piſcatore captus eſt.

Parturiunt montes, &c.

Adriaci, &c.] Natantis in mari Adriatico, quod eſt inter Italiam, Illyricum & Græciam, hodie, *Sinus Venetus*.

Spatium admirabile rhombi.] Immenſa prope moles piſcis, rhombus ſtupendæ amplitudinis.

Rhombi.] Plin. Lib. 9. cap. 20. *Marinorum piſcium*, inquit, *alii ſunt plani, ut rhombus, cui ſitus dexter reſupinatus eſt*, &c.

40. *Ante domum Veneris quam*, &c.] Locum etiam deſignat accurate, veluti ad rem faciat. Ante urbem Anconam, ubi Veneris templum.

Quam Dorica ſuſtinet Ancon.] Syracuſani a Græcis oriundi Tyrannum Dionyſium fugientes huc navigantes appulere, civitatemque condidere in agro quidem Piceno, opportuno ſitu, atque (ut Mela ſcribit) in anguſto duorum Promontoriorum ex diverſo coëuntium, inflexi cubiti imagine ac figura, unde nomen ἀγκὼν, *cubitus*, ſeu *flexus brachii*; ibidemque inſignem Veneri ædem poſuere.

Dorica.] Synecdoche pro *Græcis*. *Dores* populi gemini fuere, alii in Aſia minore alii in Achaia.

41. *Implevitque ſinus.*] Mole ſua & amplitudine retia implevit rhombus.

Sinus.] Vide Sat. 1. v. 88.

Neque enim minor hæſerat, &c.] Qui enim tum retibus adhæſit captus piſcis non erat inferior magnitudine illis, qui detinentur in fundo Paludis Mæotidis, quandiu conſtricta gelu eſt; at inde exeuntes rupta glacie, poſtea natant & capiuntur in Ponto Euxino, magni & pingues ob longam deſidiam.

42. *Mæotica.*] Palus *Mæotis* excipit Taniam fluvium, inter minorem Tartariam Europæ, & Circaſſiam Aſiæ regiones: cum Euxino mari per Boſphorum Cimmerium, hodie *Fretum Caffa* connectitur. Illuc ſæviens Boreas plurimam convehit glaciem.

43. *Solibus.*] Æſtivi ſolis ardoribus.

Torpentis.] Tarde fluentis. Quidam legunt *torrentis*, quod ibi rheuma quoddam mare trahat. Vetus Schol.

Ponti.] Euxini ſcilicet, qui olim *Axenus* dicebatur, id eſt, *inhoſpitus*, teſte Plinio; Amazonius Claudiano; Scythicus Flacco; Tauricus Feſto; Mare Ponticum Straboni, Tacito, Plutarcho; Cimmerium Herodoto & Oroſio; Caucaſium Appollonio; Colchicum nonnullis; Sarmaticum Ovidio; Phaſianum Ariſtidi; vulgo *Mare Nigrum*; Italis *Mare Maggiore*, &c. Situs ejus eſt inter Thraciam, Sarmatiam, & Aſiam minorem: ambitus continet vicies ſemel centena quinquaginta millia, ut auctor eſt Varro, & fere Veteres, inquit Plin. Lib. 4. cap 12.

45. *Monſtrum.*] Monſtroſum piſcem, rhombum, de quo ante.

Cymbæ linique magiſter.] Piſcator.

46. *Pontifici ſummo.*] Domitiano, qui Albanos ſacerdotes inſtituerat, eorumque ſacrorum erat velut Antiſtes ſummus. Vide Sat. 2. ad v. 83. in hæc verba, *Accipient te*. Vel, quia Veſtalem Virginem Corneliam condemnaturus, Maximi jure Pontificis abuſus, reliquos Pontifices in Albanam villam convocaverat. Quod ſupra jam dictum, atque auctor eſt Plinius Lib. 4. Epiſt. 11. Vel etiam, quia Imperatores hos ſibi titulos ac munera ſæpe vindicabant, Sueton. Tit. cap. 9. Pontificatum Maximum ideo ſe accipere profeſſus, ut puras ſervaret manus.

47. *Cum plena & littora*, &c.] Cum non urbs tantum, ſed omnes Italiæ anguli, ipſaque littora plena forent delatoribus.

48. *Diſperſi inquiſitores.*] Huc & illuc paſſim volitantes, explorantes, inſidiantes.

Alga.] Herba marina eſt. Ponitur vel pro littoribus vel pro vilibus quibuſlibet r bus, quarum tamen erant inquiſitores ac delatores. Proverb. *Vilior Alga*. Virg. Eclog. 7.

Digitized by Google

Inquiſitores agerent cum remige nudo;
Non dubitaturi fugitivum dicere piſcem,
Depaſtumque diu vivaria Cæſaris, inde
Elapſum, veterem ad dominum debere reverti:
Si quid Palphurio, ſi credimus Armillato, (eſt,
Quicquid conſpicuum, pulchrumq; ex æquore toto
Res fiſci eſt, ubicunq; natat: donabitur ergo,
Ne pereat, jam letifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam ſperantibus ægris.
Stridebat deformis hyems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auſter.
Utq; lacus ſuberant, ubi quanquam diruta ſervat

vagabundi accuſarent remigem ſpoliatum, nec ambigerent affirmare elapſum hunc *piſcem, & in Cæſaris dudum vivariis enutritum, ex iis effugiſſe,* atque adeo *redire oportere ad antiquam poſſeſſorem. Si fidem aliquam habemus Palphurio, vel Armillato; quodcunq; eximium eſt & præſtans ex univerſo mari, ubi nat, ad fiſcum id pertinet. Itaq; dabitur, ne deperdatur, lethali Autumno jam jam locum dante glaciei, jam ægrotis quartanam expectantibus. Horrens bruma ſtridorem edebat, &* piſcem *recenter captum conſervabat: attamen feſtinat ille, quaſi inſtet Notus. Et cùm* jam *adeſſent lacus, ubi*

ANNOTATIONES.

49. *Agerent cum remige nudo.*] Pauperem & innoxium piſcatorem reum protinus agerent, ac raperent in jus, atque ad Tribunal ipſius Imperatoris.

51. *Vivaria.*] Vide ſupra Sat. 3. ad v. 308. Vide & Macrob. Lib. 3. cap. 13.

52. *Veterem ad dominum.*] Ad Domitianum Imperatorem.

53. *Palphurio, Armillato.*] Hi Conſulares fuerant viri, qui per delationes Domitiani gratiam captavere. Sueton. Domit. cap. 13. refert *Palphurium* Suram olim Senatu pulſum, pro eo vero in Capitolino certamine de Oratoribus coronato univerſos Imperatori ſupplicaſſe, ut reſtitui placeret. *Armillati* quoque meminit alibi idem Suetonius.

55. *Fiſci.*] *Fiſcus,* inquit Aſcon. Pæd. *eſt ſacculus ad majoris pecuniæ ſummam capiendam, & pecuniam publicam.*

56. *Ne pereat.*] Ne corruptum pereat, quandoquidem vendi non licet, ex Palphurio & Armillato juris ſummis Interpretibus; ergo donandum Imperatori. Ita ſecum miſer is piſcator.

Letifero Autumno.] Tunc enim frequentes morbi, qui pariter acuti & exitiales ea tempeſtate, teſte Hippocr. Lib. 3. Aphor. 9. Item Galen, &c.

57. *Quartanam ſperantibus ægris.*] Timentibus. Ita Virgil.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Contendunt aliqui in propria ſignificatione ſumendum vocem, *ſperantibus:* Celſi auctoritate freti, qui ait quartanas febres neminem jugulare; adeoque ægros ſperare & cupere, tertianam in quartanam mutari. Sed quæ fides?

58. *Stridebat deformis hyems.*] *Hyems* erat, ſæviebat ſibilus ac ſtridor ventorum Aquilonarium, Cic. Tuſc. q. 1. n. 68. *Horrifer Aquilonis ſtridor.*

59. *Servabat.*] A putrefactione tuebatur: frigus nempe & Aquilo corruptionis omne periculum arcebant.

Tamen hic properat.] Piſcator tamen inquiſitorum ſævitiam pertimeſcens, rhombum Imperatori donare feſtinat, non ſecus ac ſi æſtas vel autumnus, & flans in eis Auſter, putredinis metum injicerent.

Auſter.] Ventus meridionalis, quo tepeſcens aër carnes & piſces facile corrumpit. Galen in Aphor. 5. Lib. 3. Hunc ait varias ægritudines invehere. Horat. Lib. 2. Od. 14.

Fruſtra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.

60. *Utque lacus ſuberant.*] Cum prope eſſent lacus Albani: vel, cum piſcator & inquiſitores portentoſum piſcem deferentes Domitiano, colles Albanos in quibus tum erat Imperator, aſcenderent, & lacus, qui ſunt ibi, ſubjectos quaſi ſibi cernerent. Legunt quidam, *ſuperant,* id eſt, cum jam tranſiviſſent illi Albanos lacus, & pergerent ad Domitianum tum forte (ut ſolebat quotannis, ex Sueton.) ibi Quinquatria celebrantem Minervæ; cui collegium inſtituerat Sacerdotum, quibus præerat velut Pontifex Summus. Vide ſupra v. 46. & Sat. 2. v. 83.

Quanquam diruta ſervat ignem Trojanum.] Alba quidem a Tullo Hoſtilio diruta fuerat, tecta ſolo adæquata, unaq; hora quadringentorum annorum opus, exceptis tamen Templis, periit; teſte Livio, Lib. 1. cap. 29. At, cum Albani fortunæ ſubirati patria Sacra neglexiſſent, ac Deorum cultum; prodigia contigere, quibus illa inſtaurari jubebantur. Ita Alba quanquam diruta ſervavit ignem illum inextinctum, quem cum reliquis omnibus Tullus Romam tranſtulerat: (Livius Lib. 1. cap. 31.) antea tamen jam a Numa uſurpatum. Plutarch. Dionyſ. Halic. Lib. 2. Gell. Lib. 1. cap. 12.

Ignem

Digitized by Google

Ignem Trojanum, & Veſtam colit Alba minorem,
Obſtitit intranti miratrix turba parumper.
Ut ceſſit, facili patuerunt cardine valvæ.
Excluſi expectant admiſſa obſonia patres.
Itur ad Atridem: tum Picens, Accipe, dixit,
Privatis majora focis: genialis agatur
Iſte dies; propera ſtomachum laxare ſaginis,
Et tua ſervatum conſume in ſæcula rhombum
Ipſe capi voluit. Quid apertius? & tamen illi
Surgebant criſtæ. Nihil eſt, quod credere de ſe

Alba quamvis deſtructa cuſtodit ignem Trojanum, ac inferiorem Veſtam obſervat, multitudo obſtupeſcens aliquantulam ingreſſuro moram attulit. At, *ubi locum dedit, fores apertæ ſunt volubili cardine: Senatores non admiſſi dapes illatas opperiuntur: pergitur ad Atridem. Mox Picenus ait; ſume quæ ſuperant vulgarem caminum; celebretur hic dies Genio; feſtina ſtomachum aperire pinguedine, atq; comede rhombum ævo tuo reſervatum. Ipſe ſponte irretitus eſt. Quid evidentius? Ac nihilominus is criſtas arrigebat. Nihil eſt quod nequeat exiſtimare de ſe,*

ANNOTATIONES.

Ignem Trojanum.] Cujus perpetui ſervandi in Templo Veſtæ, quod fatale eſſet pignus Imperii, mos invectus ab Ænea Trojaniſque: & hinc a Romanis aſſumptus. Vide Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 12.

Veſtam minorem.] Nam major ea, quæ Romæ religioſius colebatur, habebatque Templum pulchrius a Numa ædificatum. Vide ſupra ad v. 10

Alba.] *Alba* longa nimirum ab Aſcanio condita, diſtans Roma quindecim fere millibus paſſuum. Ex ruderibus illius hæc quondam creverat, & nunc etiam Albanum, urbs adjacens, vulgo, *Albano*, Epiſcopatus tribui ſolitus alicui e ſex Cardinalibus antiquioribus.

62. *Turba.*] Seu populi, ſeu Albanorum Sacerdotum cupiditate videndi tanti piſcis affluentium.

64. *Excluſi expectant.*] Alii codices habent, *ſpectant*, id eſt, cum admiratione contemplantur.

Excluſi expectant admiſſa obſonia Patres.] Patentibus valvis introducti qui munera portabant, excluſis etiam Senatoribus qui Domitianum comitati fuerant, quique interim foris ſtant, & expectant quid inde fiat.

65. *Atridem.*] Domitianum, qui Romanis imperabat, ſicut Græcis Agamemnon Atrei Filius. Adde quod Atrei Atridarumque mentio Domitiani crudelitatem exhibet ac perſtringit. Vide Senecæ Thyeſt. & Agamemn. item Euripidis Oreſtem, &c.

Picens.] Piſcator oriundus e Piceno Italiæ regione, hodie *Marchia Anconitana*, ad ſinum Adriaticum.

66. *Privatis majora focis.*] Adulatorie; una Imperatoris menſa dignum ferculum.

Genialis.] Vide Perſ. Sat. 2. v. 3.

69. *Ipſe capi voluit.*] Quaſi ſciens & gaudens ſe ad te deferendum, atque Imperatorio ſtomacho inſerendum, ac ſepeliendum.

Quid apertius?] Meram hanc eſſe aſſentationem, quis non ſentiat?

Illi ſurgebant criſtæ.] Ex Proverbio, ſeu piſci, ſeu potius Imperatori præ vana alacritate ac ſuperbia. Is enim mirum quantum adulationibus gaudebat, atque illis intumeſcebat. Cæterum, quicquid alii ſentiant, mihi probatur magis alia aliorum locum hunc interpretandi ratio, hoc verior ac melior, quo ſimplicior. Ergo non ſint hæc Poëtæ verba: *Quid apertius?* Sed piſcatoris Domitiano adulari pergentis hoc modo: quid apertius, quam piſcem capi voluiſſe, ut ad Imperatorem deferretur? ut mox ſalſe Poëta ſubjungat: & tamen illi rhombo ſurgebant criſtæ ſpinæque in dorſo, ſatiſque oſtendebat indignationem, quod captus eſſet. Verum Domitianus turpi nihilominus adulatione gaudens facile credebat piſcem capi voluiſſe, Imperatoriæ gulæ & vanitati obſequentem.

70. *Nihil eſt quod credere,* &c.] Suprema auctoritate divinæ ſimili Principes inflati obcœcatiq; nihil non de ſe credere parati ſunt, præſertim ſi adulatores adjuvent. Sic apud Sueton. cap. 22. Calig. *Is divinam ſibi majeſtatem aſſerit; modo Jupiter Latialis ſalutatur: modo Caſtorem inter & Pollucem conſiſtens adorandum ſe præbet; modo Jovis Olympii aliorumque Numinum ſimulacris dempto capite, ſuum imponi mandat.* Sic Domit. cap. 13. ille dictans Epiſtolam ita incipit: *Dominus ac Deus noſter ſic fieri jubet:* unde non alio deinceps nomine appellari inſtitutum. Hinc in Domitianum ſalſe Mart. Lib. 5. Epigr. 8.

Edictum Domini Deique noſtri.

Sic & Alexander ille Magnus per ſubornatos Antiſtites Hammonis filius ſalutatur, ac pro Deo, non pro Rege coli jubetur. Ipſe vero Hammone ſe patre cenſeri imperat. Apud Juſtinum Lib. 11. & Lib. 12. adorari ſe jubet, recuſantes autem Macedonum Principes ſub ſpecie inſidiarum de medio tollit. Sic etiam Antiochus, ſic Diocletianus Dii voluerunt cognominari, &c.

Non

Digitized by Google

quando collaudatur, potentia Numinibus æqualis. At catini amplitudo piſci non aderat par: *itaque in conſultationem accerſuntur Principes, quos is averſabatur; in quorum vultu reſidebat pallor miſerabilis & ſumma familiaritatis. Tùm vociferante Liburno, accedite, jam conſedit; ante alios accurrebat ſumptâ chlamyde Pegaſus, civitati ſtupefacta villicus nuper conſtitutus. Nunquid* enim *aliud tùm* erant *præpoſiti? Inter quos maximè probus ac integer* ille *Juriſconſultus cenſebat* molliter *agenda univerſa jure, ſine armis, licet tempeſtate ſævâ.*

Non poſſit, cùm laudatur diis æqua poteſtas.
Sed deerat piſci patinæ menſura. Vocantur
Ergo in concilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miſeræ, magnæque ſedebat
Pallor amicitiæ. Primus, clamante Liburno,
Currite, jam ſedit, raptâ properabat abollâ
Pegaſus, attonitæ poſitus modò villicus urbi.
Anne aliud tunc præfecti? Quorum optimus, atq;
Interpres legum ſanctiſſimus; omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi

ANNOTATIONES.

71. *Diis æqua poteſtas.*] Quia neminem ſupra ſe vident aut verentur.

72. *Sed deerat piſci patinæ menſura.*] Martial. Lib. 13. Epigr. 81.

Quamvis lata gerat patella rhombum,
Rhombus latior eſt tamen patella.

73. *Vocantur in conſilium proceres.*] Ad deliberandum quo poſſit modo tantus piſcis coqui, condiri, apponi, an conciſus in partes, aut integer.

Quos oderat.] Domitianus Tyrannorum more Nobiles imprimis oderat.

74. *In quorum facie,* &c.] Quorum facies erat pallida præ metu, ne ſimulata ne inſidioſa foret tanta illa Domitiani familiaritas. *Is enim,* ut ait Suetonius, *non magnæ ſolum, ſed etiam callidæ inopinatæque erat ſævitiæ.* Sic, *Aretinum Clementem Conſularem virum, è familiaribus ſuis, capitis condemnaturus, in majore quam ante gratia habuit.* Sic etiam *Auctorem Summarum pridie quam crucifigeret, in cubiculum vocavit, aſſidere juxta coegit, parte cœnæ ſuæ dignatus eſt, denique ſecurum hilaremque dimiſit,* Sueton. Domitian. cap. 11. Vide etiam Sat. 1. v. 33.

75. *Primus properabat.*] Primus Senatorum venit vocatus in concilium.

Clamante.] In concilium advocante, & magnis vocibus inſtante, ne ſedentem jam Imperatorem morarentur.

Liburno.] Is admiſſionibus præerat, inquit Vetus Schol. Alii dicunt præcones peti è Liburnia ſolitos, quod Liburni eſſent ſonora & valida voce. Verum id gratis affirmare videntur. Porro Liburnia regio Illyrici, ubi nunc Croatiæ pars Maritima cum parte Dalmatiæ Occidentalis.

76. *Jam ſedit.*] Jam in concilio ſedit Domitianus.

Rapta.] Veſte raptim ac trepide aſſumpta.

Abolla.] Veſtis erat militaris, ex Nonio; Philoſophica etiam, ſupra Sat. 3. v. 115. necnon Senatoria, ut aiunt quidam, diciturq; quaſi *abulla,* quod undique bullata. Prudent. Epigr. 20. Lib. 1. contra Symmachum.

Adjectus faſtis palmata inſignis abolla.

77. *Pegaſus.*] Is Albanus civis, Juris adeo peritus, ut liber vulgo non homo diceretur. De eo ſcripſit etiam; unde Jus Pegaſianum. Præterea plurimis functus honoribus, multis quoque Provinciis præfuit: ipſique urbi Romæ à Veſpaſiano præfectus. Vetus Schol.

Villicus.] Quod Roma tunc eſſet veluti villa, ſine libertate, ſine privilegiis. Hinc non præfectus Pegaſus appellatur, ſed *Villicus.*

Attonitæ urbi.] Quia non civem Romanum ſibi præpoſitum cernit ſed alienigenam; & quod ſe miſere oppreſſam ſentit, Roma ſtupet.

78. *Anne aliud.*] An tunc præfecti aliud videri poſſunt quam villici Imperatori velut domino ad nutum ſervientes, & de omnibus rationem redditari.

Quorum optimus, &c.] Pegaſus nimirum.

80. *Tractanda putabat inermi juſtitia.*] Patienter ſuſtinendam hanc veluti procellam, ac ſerviendum tempori calamitoſo, quo non jus vigebat ſed injuria; nec ratio, ſed Imperatoris ſævitia ad arbitrium omnia faciebat. Cui tanquam torrenti ſi quis obex opponeretur, non levaret malum, ſed augeret.

Juſtitia.

Digitized by Google

Juſtitia. Venit & Criſpi jucunda ſenectus.
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria, ac terras, populoſque regenti
Quis comes utilior, ſi clade & peſte ſub illa
Sævitiam damnare, & honeſtum afferre liceret
Conſilium? ſed quid violentius aure tyranni?
Cum quo de pluviis, aut æſtibus, aut nimboſo
Vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem. Nec civis erat, qui libera poſſet
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hyemes, atque octogeſima vidit
Solſtitia, his armis, illa quoque tutus in aula.

Advolavit etiam Criſpi hilaris ſenecta, cujus indoles erat ſimilis eloquentiæ, ac lenis animus. Ecquis aſſecla fructuoſior gubernanti mare terramque, & nationes; ſi fas fuiſſet condemnare crudelitatem, & bona dare monita, inter eam calamitatem atque perniciem? Verùm quid iracundius auriculâ Tyranni? Apud quem verba facienti de imbribus, vel de nimiis *caloribus, vel* de *vere nebuloſo, familiari mors imminebat? Is itaq; non intendit unquam lacertos adverſus torrentem. Neq; civis extabat, cui liceret ingenuè ſenſa mentis aperire, ac vitam dare veritati. Ita complures hyemes, & octogeſima ſolſtitia conſpexit, illis armis* inſtructus, *ſecurus etiam in iſtâ aulâ.*

ANNOTATIONES.

81. *Criſpi jucunda ſenectus.*] *Criſpus* in ſenectute non moroſus, ſed hilaris & feſtivus. Intelligunt aliqui Criſpum Paſſienum, Oratorem, bis Conſulem, Agrippina uxore ac Nerone privigno clarum: cujus meminit Plinius Lib. 16. cap. ult. Ego malim cum aliis, Vibium Criſpum, Placentinum, de quo Quintilianus lib. 10. cap. 1. ſub finem ita loquitur: *Vibius Criſpus, compoſitus & jucundus, atq; delectationi natus, privatis tamen cauſis quam publicis melior.* Is interroganti cuidam, eſſetne quis intus cum Cæſare, facete reſpondit, ne muſca quidem: quod ſoleret Domitianus quotidié ſe conclavi ſuo includere, initio quidem Principatus, ubi per id tempus nihil aliud quam muſcas captabat, ac ſtylo præacuto configebat. Suet. Domit. cap. 3.

83. *Regenti.*] Orbem gubernanti Domitiano.

84. *Quis comes utilior.*] Quam Criſpus, ob ingenium mite, quo immitis Tyranni indoles temperari alioqui potuiſſet.

Clade & peſte ſub illa.] Sub Dimitiano qui clades velut & peſtis bonorum omnium.

86. *Quid violentius aure Tyranni.*] Hic enim rapide fertur in vindictam, cædem, ſeu quid loquaris quod ipſi minus placeat, Suet. Domit. cap. 10. ſeu quid adverſus aliquem licet innoxium ei ſuggerant delatores & adulatores. Certe delicatas habet aures quilibet Princeps. Hinc Sapiens monet, Eccleſ. cap. 8. *Ne litiges cum homine potente, &c.* & Proverb. cap. 23. *Quando ſederis cum Principe, diligenter attende. . . . . . Statue cultrum in gutture tuo.* Perſius autem Sat. 1. v. 107.

Sed quid opus teneras mordaci radere vero,
Auriculas? &c.

87. *De pluviis, aut æſtibus, &c.*] De frivolis quibuſvis rebus ſi quid affirmes Tyranni ſententiæ adverſum, quodque, licet jocoſe dictum, eum offendat ultionem ille continuo meditabitur. Sic Domitianus leviſſima de cauſa multos peremit etiam graves viros. Vide Suet. Dom. cap. 10.

88. *Fatum pendebat amici.*] Nemini quippe Tyrannus parcit. Suet. Domit. cap. 11. Neron. paſſim, &c.

89. *Ille igitur nunquam direxit brachia contra torrentem.*] Criſpus igitur prudenter eluctatus eſt mala, nuſquam adverſando tyrannidi; nihil cæteroqui profuturus, ſi ſecus feciſſet. Contra torrentem niti dicitur is qui quidlibet incaſſum tentat.

91. *Vitam impendere vero.*] Mortis adire periculum, animi ſenſa veritatemque libere dicendo, ut fecit Papinianus, quem ferunt occiſum ab Antonino Caracalla, quod huic poſt interfectum fratrem Getam, mandanti ut facinus dilueret cum in ſenatu, cum apud populum, reſpondit, non ita facile parricidium excuſari poſſe, quam fieri. Spartian. in Anton. Caracallo.

92. *Multas hyemes.*] Poëtica locutio, multos annos. Synecdoche.

Octogeſima vidit ſolſtitia.] *Solſtitium* quaſi *ſolis ſtatio*, quæ duplex in anno, hyemalis & æſtivalis, quando Sol Tropicos attingit. Hinc non *octoginta* dixit Juvenalis *Solſtitia*; quæ facerent annos tantum quadraginta, ſed per *octogeſima ſolſtitia*, ſignificavit annos octoginta, quibus jam ſub Nerone, ac deinceps, in media tyrannide tutus vixit Criſpus, Cæſaribus nunquam non gratioſus. Quæ videntur ironice dicta, cum inter claros magis quam inter bonos cenſeatur Criſpus apud Corn. Tacit.

93. *His Armis.*] Aſſentando, connivendo, cedendo tempori, ſibi conſulendo. His artibus.

Illâ quoque tutus in aula.] Etiam ſub Domitiano, qui terribilis cunctis & inviſus. Sueton. Domit. cap. 14.

Digitized by Google

Proximus ejuſdem properabat Acilius ævi
Cum juvene indigno, quem mors tam ſæva maneret,
Et domini gladiis tam feſtinata: ſed olim
Prodigio par eſt in nobilitate ſenectus.
Unde fit, ut malim fraterculus eſſe gigantum.
Profuit ergo nihil miſero, quod cominùs urſos
Figebat Numidas, Albanâ nudus arenâ
Venator. Quis enim jam non intelligat artes
Patricias? Quis priſcum illud miretur acumen,
Brute tuum? Facile eſt barbato imponere regi.
Nec melior vultu quamvis ignobilis ibat

Acilius ſimilis ætatis continuò *feſtinabat cum adoleſcente non merente ut eum mors expectaret adeò crudelis, atque Imperatoris enſibus adeò accelerata. At quondam ſenium in nobilibus erat quid portento ſimile. Hinc efficitur ut ſatius ducam eſſe fratrem gigantum. Nihil igitur infelici contulit, quòd urſos Numidicos propè confodiebat denudatus venator in arenâ Albana. Nam quis modò non comprehendat aſtus Nobilium? Quis admiretur veterem tuam iſtam ſolertiam, ò Brute? Arduum non eſt decipere barbatum regem. Ibat & Rubrius non potior facie,*

ANNOTATIONES.

94. *Proximus.*] Secundus poſt Criſpum.

Acilius.] *Acilius* Glabrio Conſularis, quem Domitianus exulantem interfici juſſit quaſi molitorem rerum novarum. Suet. Dom. cap. 10.

95. *Cum juvene.*] Quis ille, haud conſtat. Quidam juvenem Helvidium, de quo Suet. Dom. cap. 10. Quidam ipſius Acilii filium intelligunt, cum Schol. veteri, qui ſic habet: *Acilius Conſul ſub Domitiano fuit, indignus pati quæ paſſus eſt. Hujus filium juvenem cùm occideret, ipſum Acilium ſervavit, qui pœnas ſentiret orbitatis.*

96. *Tam feſtinata.*] Legunt alii, *jam deſignata:* alii, *jam deſtinata*, repugnante metro, nam *deſtino* mediam ſyllabam corripit.

97. *Prodigio.*] *Prodigia* vocari, quia prædicunt, ſicut oſtenta, monſtra, portenta, quod oſtendunt, monſtrant, portendunt, ſuntque præſenſiones rerum futurarum. Auctor eſt Tullius 2. de Nat. Deor. n. 7. & 1. de Divin. n. 93.

Prodigio par eſt in nobilitate ſenectus.] Nimirum, ut ſupra diximus, Nobilitatem ſemper oderunt Tyranni, & cum licet, peſſumdant. Hinc Eccleſ. cap. 10. *Omnis potentatus brevis vita.*

98. *Malim fraterculus eſſe gigantum.*] Malim humilis eſſe ac obſcurus, & ex genere eorum, qui propterea dicuntur Terræ filii ac gigantes, à γίνεσθαι & γῆ. Vide Perſ. Sat. 6. v. 57. & ſeq. & quæ nos ib. & Ang. Pol. Miſc. cap. 18.

99. *Miſero.*] Juveni Acilio.

Quòd cominùs urſos figebat.] Non ſine magno vitæ periculo, captans gratiam Domitiani, qui gaudebat venationes edere ſcenicoſque ludos, in Albæ Amphitheatro, dum Quinquatria Minervæ quotannis celebrabat, teſte Suet. Dom. c. 4. ubi feras varii generis centenas ipſe conficere arte ſumma induſtriaque ſpectatus eſt. Ibid. cap. 19.

100. *Urſos Numidas.*] Id eſt, leones validos ex ea regione Africæ, quæ hodie *Biledulgerid.* Porro Numidia proprie dicta ſita erat ubi nunc ſunt Bugiæ & Conſtantinæ regna in ditione Algeriana. Magnam hic litem Plinio movent nonnulli, quam tamen ſcite dirimit Juſt. Lipſ. Elect. Lib. 2. cap. 4. ubi Plinium egregie vindicat, expeditque locum ejus Lib. 8. cap. 36. Arido certe calidoque ſolo non gaudent urſi unde nulli ſunt in Africa, aut rari admodum iique minuti ac imbeiles in montana forte aliqua parte. Hic igitur intelligendi leones, quos quidem ubi primum Romani conſpexerunt, noto nomine ac domeſtico appellabant *urſos*, Numidicos autem Libycos, aut Africanos, ad diſtinctionem. Unde & communi ſermone Virgilius Æneid. 5. & 8. dixit, *pellem Libyſtidos urſæ*, pro *leana*. Neque vero quemquam movere debet auctoritas Herodoti, Solini, Strabonis, ut docet ibidem Lipſ. erudite.

Albanâ arenâ.] Vide ſuperiorem Notam.

Nudus venator.] Vel, ſine armis, & ſolo robore corporis feras debellans; vel etiam ſine veſtibus, ut amentiam ſimularet, exemplo Bruti, de quo mox infra.

101. *Artes patricias.*] Jam callet Domitianus artes Nobilium, qui metu mortis ſtoliditatem ſimulant, Junium Brutum imitantes.

102. *Priſcum illud acumen, Brute, tuum.*] Audiens enim Brutus fratrem ſuum cum primoribus civitatis interfectum, Tarquinii Superbi avunculi ſui ſævitiam eluſit, ſtupidum ſe fingens ac bardum: ſicque iram diſſimulans, & ſuæ tum vitæ conſuluit, & ultionis occaſionem tandem eſt conſecutus. Tit. Liv. Lib. 1. c. 56.

103. *Barbato Regi.*] Primis Regibus illis rudibus, nec dum aſtutis, ut eſt jam Domitianus. Priſci quidem Romani per annos quadringentos quadraginta quatuor *barbati* permanſere, ac ſine tonſoribus, donec eos in urbem acceſſivit e Sicilia P. Ticinius Mena: quod Aſſerunt Varro 2. de Re Ruſt. cap. ult. & Plin. Lib. 7. cap. 59. Vide & Gellium lib. 3. cap. 4. & Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 18. & quod nos ad Perſ. Sat. 4. v. 1.

104. *Nec melior vultu.*] Non lætior aut confidentior. Nec enim Domitianus Nobilitati ſolum infeſtus, ſed & cuivis e plebe.

Rubrius

Rubrius, offenſæ veteris reus, atque tacendæ;
Et tamen improbrior Satiram ſcribente cinædo:
Montani quoque venter adeſt abdomine tardus:
Et matutino ſudans Criſpinus amomo;
Quantum vix redolent duo funera: ſævior illo
Pompeius tenui jugulos aperire ſuſurro:
Et qui vulturibus ſervabat viſcera Dacis
Fuſcus, marmoreâ meditatus prælia villâ:
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam viſæ flagrabat amore puellæ,

quanquam plebeius, conſcius autem *priſca culpa & ſilenda: ac nihilominùs pejor * * * Satiras componente. Præſtò etiam fuit Montani alvus ventre lentus: nec non Criſpinus manè diſtillans amomum, quantum vix exhalant duæ funebres* pompæ: tùm *Pompeius eo crudelior incidens guttura levi obmurmuratione. Et Fuſcus, qui bella* animo *volutans in villa è marmore, Daciæ vulturibus inteſtina* ſua *reſervabat: & callidus Veiento cum lethali Catullo, qui ardebat cupidine virginis nunquam aſpectæ;*

ANNOTATIONES.

105. *Rubrius.*] Is e Gallia oriundus, humili genere, Domitiano tamen familiaris; unde & indignatio poëtæ, omnibuſque bonis.

Offenſæ veteris reus.] Quæ illa? Non liquet. Stuprum cum Julia afferunt nonnulli, ſuamque in ſententiam trahere conantur vet. Schol. quaſi Juliam a *Rubrio* corrumptam, non Tibiam ſcripſerit, ut legitur vulgo.

106. *Satiram ſcribente.*] Nerone, qui probroſo carmine Quintianum perſtrinxit velut mollem ac flagitioſum, ſuaque in illo vitia impudenter reprehendit, Corn. Tacit. Annal. 15.

107. *Montani quoq; venter adeſt, &c.*] Adfuit & *Montanus* ventre obeſo ac prominente, hincque tardus inceſſu. Hujus mentio eſt apud Tacit. Annal. Lib. 16. & Hiſt. 4.

Abdomine.] Pars eſt ima ventris.

108. *Matutino ſudans Criſpinus amomo.*] *Criſpinus*, de quo fuſe ſupra, non ante cœnam duntaxat, ut alii, lavans & ungens corpus, ſed mane ſe unguentis perfundens, ſumma luxuria.

Matutino amomo.] *Matutinum amomum* quidam explicant ex Oriente advectum, ubi mane Sol. De *amomo* Plin. Lib. 12. cap. 13. precioſum fit unguentum ex eo frutice.

109. *Quantum vix redolent duo funera.*] Vide Perſ. Sat. 6. v. 35. & ſeq. & quæ nos ibid.

110. *Pompeius.*] *Pompeius* Rufus Criſpino etiam pernicioſior. De illo Plin. Lib. 3. Ep. 9. ſub finem.

Sævior jugulos aperire, &c.] Græciſmus, id eſt, ſævior in afferenda multis pernicie ac morte per ſuas tectas delationes atque ſuſurrationes apud Domitian.

111. *Vulturibus.*] Hi triduo ante vel biduo ſolent volitare, ubi futura præſentiunt cadavera Plin. Lib. 10. cap. 6. Vide Plutarch. Quæſt. cent. Rom. 93. & Cœl. Rhodig. Lib. 8. cap. 18. & Lib. 27. cap. 8.

Dacis.] *Dacia* Europæ regio ſatis ampla, Tranſylvaniam, Moldaviam, & Valachiam comprehendens.

Qui vulturibus ſervabat viſcera Dacis.] Fuſci enim cadaver expoſitum fuit voracitati avium ejuſmodi, cum cæſus eſſet in Dacia, quo bellum intulerat. Mart. Lib. 6. Epigr. 76.

Ille ſacri lateris cuſtos martiſque togati,
Credita cui ſummi caſtra fuere Ducis,
Hic ſitus Fuſcus licet hoc, fortuna, fateri;
Non timet hoſtiles jam lapis iſte minas.
Grande jugum domita [illegible]*s cervice recepit,*
Et famulum victrix p[illegible]*t umbra nemus.*

112. *Fuſcus.*] Cornelius *Fuſcus* Prætorio præfectus, cui licet inexcercitato ſecundam in Dacos expeditionem commiſit Domitianus infelicibus auſpiciis & malo ſuo. Vide Sueton. Domit. cap. 6. Corn. Tacit. Hiſtor. 2. & 3. Eutrop. Lib. 7. in fine.

Marmoreâ meditatus prælia villâ.] Erat enim domi nobilis, ſed otio ac deliciis innutritus parum erat idoneus, cui ſumma belli crederetur, marmoreis ædibus magis aſſueto quam caſtris.

113. *Mortifero.*] Delatore pernicioſo.

Prudens.] Vel, aſtute ſerviens tempori, vel doctus, teſte Cornelio Tacito Annal. 14.

Veiento.] Fabricius *Veiento*, de quo jam ante, Sat. 3. v. 185. & poſt amplius Sat. 6.

Catullo.] Plin. Lib. 4. Epiſt. 22. *Cœnabat*, inquit, *Nerva cum paucis, Veiento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat. Dixi omnia cum hominem nominavi. Incidit ſermo de Catullo Meſſalino, qui luminibus orbatus ingenio ſævo mala cæcitatis addiderat: non verebatur, non erubeſcebat, non miſerebatur; ſæpius a Domitiano non ſecus ac tela, quæ & ipſa cæca & improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur, &c.*

114. *Qui nunquam viſæ flagrabat amore puellæ.*] Senex & cœcus puellas deperibat nunquam viſas, reluctante adagio, ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν.

Grande

Digitized by Google

magnum atque ſpectabile prodigium noſtro etiam ævo, aſſentator oculis orbatus, ac ſævus miniſter à ponte, meritus erogare ſtipem ad axes Ariciæ, atque adulatoria dare oſcula curr ui declivi. Nullus rhombum plus admiratus eſt. Etenim multa locutus eſt ad ſiniſtram verſus, ſed ei tamen *beſtia procumbebat* ad *dextram. Ita Cilicis commendabat certamina, ac percuſſiones, atque pegma, juveneſque hinc elatos ad integumenta. Fabritius haud ei conceſſit: verùm quaſi furens œſtro tuo percitus,*

Grande, & conſpicuum noſtro quoque tempore monſtrum,
Cæcus adulator, diruſque a ponte ſatelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ jactaret baſia rhedæ.
Nemo magis rhombum ſtupuit: nam plurima dixit
In lævum converſus: at illi dextra jacebat
Bellua: ſic pugnas Cilicis laudabat & ictus;
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veiento, ſed ut fanaticus œſtro

ANNOTATIONES.

116. *A ponte ſatelles.*] Qui magis debuerat eſſe miſer & mendicus ponti velut ſatelles aſſiduus, quam Aulæ & Imperatoris aſſecla.

Dirus.] Importunus ac moleſtus in exigenda ſtipe a prætergredientibus.

117. *Aricinos qui mendicaret ad axes.*] Vel ad portam urbis Ariciæ, vel ab iis qui curru vehuntur per Appiam viam in qua eſt Aricia. Frequentes eſſe mendicos ad pontes, ad urbis portas, & ad vias celebres nemo ignorat, & jam ante notavimus ad Sat. 3. v. 296. & alibi.

Aricinos.] Ari[illegible]bs olim Latii, colli impoſita, Hyppolyto [illegible]ditore, & nemore proximo celebris: hodie *la Riccia*, in Campania Romana oppidulum, titulo Ducatus inſignitum.

118. *Devexæ jactaret baſia rhedæ.*] Dignus & ea premi inopia, qua victum quæritans adigeretur ad prenſandas rhedas è clivo Aricino deſcendentes, imo ad extorquendum obolum eas blande ac ſordide oſcularetur extenſa manu. Minus ad rem videtur quod ait vetus Schol. jactare ab eo oſcula ferenti mulierculas rhedæ. Nam ante velut ridiculus amator ille eſt notatus, hic autem ſumma dignus paupertate dicitur.

119. *Nemo magis rhombum ſtupuit.*] Quam Catullus ille Meſſalinus, qui rhombum non viderat tamen, utpote cœcus.

120. *In lævum converſus, at, &c.*] Ea parte indicans & obſtupeſcens magnum & ingentem rhombum, ubi non erat. Hic enim ad dextram, ille ad ſiniſtram ſe vertebat.

121. *Bellua.*] Prodigioſus piſcis.

Sic pugnas Cilicis laudabat.] Sic ille quidem temere laudabat ſingula, & vanas ejus aſſentationes ferebat amabaque Domitianus.

Pugnas Cilicis laudabat, &c.] Quaſi vidiſſet ejus gladiatoris pugnas, ſic eas adulatorie extollebat.

Cilicis] Is erat inſignis gladiator e Cilicia, quæ regio eſt Aſiæ minoris ad mare Cyprium, hodie *Caramania* eſt proprie dicta, non *Turcomania*, ut aliqui perperam ſcripſere.

Ictus.] Vulnera adverſario inflicta.

122. *Et pegma.*] Sic etiam Catullus perinde ac ſi oculatus teſtis extitiſſet, in Theatro admirabatur ac laudabat machinas affabre factas.

Pegma.] Machina e ligno, aliave materia ſuſtentandis ſignis aut ſtatuis idonea ad ornatum ædium Plin. Lib. 33. cap. 3. *Princeps Caius*, inquit, *in Circo pegma extruxit, in quo fuere argenti pondo centum viginti quatuor.* In Theatris autem pegmata machinæ erant αὐτοκίνητοι, ſeu tabulatum αὐτομάτως & per ſe aſſurgens ac ſenſim creſcens, pariter ac decreſcens. Martial. Spectac. Epigr. 2.

Et creſcunt media pegmata celſa via.

Vide Scalig. Poet. 1. c. 21.

Et pueros, &c.] Pegmati nimirum inſidentes, in ſublime raptos, non ſine ſtupore & oblectatione ſpectantium. Claud. de Conſul. Manl. Theod.

Vel qui more avium ſeſe jaculantur in auras,
Corporaque ædificant celeri creſcentia nexu.
Quorum compoſitam puer augmentatus in artem
Emicet, & vinctus plantæ vel cruribus hærens,
Pendula librato figat veſtigia ſaltu.
Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis.

Velaria.] Vela quibus expanſis ſuperne Theatrum integebatur adverſus imbres & Solem.

123. *Non cedit Veiento.*] Catulli adulationibus non ceſſit Fabricius *Veiento*, ſed & majores addidit.

Fanaticus.] Dictus a *fano*, in quo afflatus numine, Entheus, ac divino furore correptus, exagitatur, vaticinatur, &c. eo nomine dicti imprimis Cybelæ Sacerdotes, de quibus Sat. 2. v. 112.

Oeſtro.] Muſcæ genus eſt, quod aliàs aſilius & tabanus, aculeo vexans & infeſtans armenta. Varro 2. de Re Ruſt. cap. 5. Plin. Lib. 9. c. 15. *Animal eſt parvum; ſcorpionis effigie, aranei magnitudine*, inquit. Virg. Georg. 3.

. . . . *Nomen aſilo*
Romanum eſt, Oeſtron Graii vertere vocantes:
Aſper, acerba ſonans, quo tota exterrita ſylvis
Diffugiunt armenta, &c.

Oeſtrum apud Poetas ſumitur pro afflatu divino ac furore, quo homines correpti fatigantur, atq; humano quidpiam majus aut loquuntur aut faciunt. Ejuſmodi *Oeſtro* in pellicem Io Inachi filiam immiſſo, Juno ſe ulta eſt: eo quippe exagitata Io in mare ſe præcipitem dedit.

Percuſſus,

Digitized by Google

Percuſſus, Bellona, tuo divinat; Et ingens
Omne habes, inquit, magni, clariq; triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina eſt bellua. Cernis
Erectas in terga ſudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret, & annos.
Quidnam igitur cenſes? Conciditur? Abſit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait; teſta alta paretur,
Quæ tenui muro ſpatioſum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ ſubituſque Prometheus
Argillam, atq; rotam citius properate: ſed & ex hoc

ô Bellona, ominatus eſt, aitq; inſigne augurium accipis ſummæ & illuſtris victoriæ; captivum habebis quempiam Imperatorem; vel Arviragus dilabetur è curru Britannico. Externa eſt fera. Vides ſpicula in dorſo rigida? Illud ſolum deſideratum eſt Veientoni, ut rhombi patriam ætatemque enarraret. Quid ergo judicas? An diſſecabitur? Probrum iſtud amoveatur ab eo, inquit Montanus; comparetur profunda teſta, quæ exili pariete amplum circulum contineat: Catino huic *opus eſt ſummus ac repentinus Prometheus. Accelerate quamprimùm lutum atq; orbem: ab hac autem hora deinceps,*

ANNOTATIONES.

124. *Bellona.*] Minerva Jove nata, bellorum præſes & inventrix, unde *Bellona* dicta eſt. Varro 4. de Ling. Lat.

Divinat.] Præſagit, vaticinatur, & ex ingenti piſce capto ingentes ominatur triumphos.

126. *Temone Britanno.*] *Temo*, ſignum eſt illud oblongum inter equos currum trahentes, quo & currus regitur. Synecd. pro ipſo curru ponitur. Porro Britanni ex eſſedis ſeu curribus pugnabant, ac per temonem diſcurrebant, &c. Vide Cæſ. de Bello Gall. Lib. 4. cap. 33.

Britanno.] Britannia major nempe, Ptol. Albion; Inſula Europæ maxima, Angliam & Scotiam complectitur. Virgil. Eclog. 1.

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Britannia vero minor pars eſt Galliæ *Aremorica* vel *Armorica* nuncupata, de qua hic mentio non eſt.

127. *Excidet.*] A te dejectus o Domitiane, victus in acie, forſan & regno ſpoliandus.

Arviragus.] Rex Britannorum.

Peregrina eſt bellua.] Rhombus ingens, peregrino captus in mari, portendit illuſtrem victoriam de peregrino hoſte, v. g. de Britannis.

128. *Erectas in terga ſudes.*] Hæc notant infigenda hoſtium tergo tela; pergit Veiento adulator.

Sudes.] Pinnas Rhombi vel ſpinas inſtar ſpiculorum rigentes & arrectas. Proprie *ſudes* telum eſt ruſticum, ſeu paxillus igne torridus ac præacutus, idem quod vallus Servio. *Sudibus concurſum, ac in modum juſtæ pugnæ dimicatum*, ait Livius de Bello Punico.

Hoc defuit.] Ironice. Cum enim ille ſingula perſequeretur adjuncta, quin ætatem piſcis inquirebat, &c.

130. *Quidnam igitur cenſes?*] Inquit Domitianus Veientoni tot præclara ominato: ſed quid tandem de piſce fiet? Totuſne, an in partes conciſus coquetur?

131. *Dedecus hoc.*] Ut ea qua pollet magnitudo violetur. Abſit. Quantus, quantus eſt, integer coquendus atque apponendus.

Teſta alta.] Vas fictile profundum & capax. Tale fuit illud, quod Vitellius, apud Sueton. cap. 13. ob magnitudinem, Minervæ Clypeum dictitabat. Ejus meminit Plin. Lib. 35. cap. 12. His verbis: *Vitellius in Principatu ducentis ſeſtertiis condidit patinam, cui facienda fornax in campis exædificata erat: quoniam eo pervenit luxuria, ut fictilia pluris conſtent quam murrhina.*

132. *Tenui muro ſpatioſum colligat orbem.*] Ejus teſtæ latera quidem haud ſpiſſa, at fundum ſit amplum rotundumq; rhombi figuræ & magnitudini accommodatum.

133. *Debetur magnus patina,* &c.] Fabricandæ huic inſigni patinæ quærendus figulus tam peritus & ingenioſus quam fuit Prometheus, qui hominem è luto finxiſſe dicitur. Metamorph. 1. Fab. 2.

Subituſque.] Artifex operæ celeris, ac promptæ induſtriæ, ne, ſi moretur ille, corrumpatur ac pereat eximius piſcis.

Prometheus.] Is Iapeti filius, dictus ἀπὸ τῆς προμηθείας, a *providentia*, ſeu *ſapientia ſingulari*. Miſſis Fabulis de *Prometheo* bene multis; certum eſt eum Aſtrorum rationem ac motus è Caucaſo obſervaſſe, Aſſyrioſque primum docuiſſe. Vide Cœl. Rhod g. Lib. 7. cap. 19. & ſeq.

134. *Argillam.*] Terram tenacem, è qua finguntur vaſa.

Rotam.] Plin. Lib. 7. cap. 56. *Figlinas*, inquit, *invenit Chorœbus Athenienſis, in iis orbem Anacharſis Scythes, ut alii, Hyperbius Corinthius.* De rota figulina Horat. ad Piſones.

. . . . *Amphora cœpit*
Inſtitui, currente rota, cur urceus exit?

Tempore

ò Caſar, figuli comitentur exercitum tuum. Superavit dictum viro dignum. Is ſciebat priſcum luxum Imperatorum; & noctes Neronis jam dimidias; & eſuriem alteram, quando pulmo flagrabat Falerno. Amplior epulandi peritia fuit nemini, meo tempore. Admorſu primo noverat diſtinguere utrum *oſtrea Circæis eſſent edita, an ad rupem Lucrinam, an profundo Rutupeno procreata: atq; viſi ſtatim echini ripam enarrabat. Exurgitur; ac, cœtu dimiſſo diſcedere mandatur principibus,*

Tempore jam, Cæſar, figuli tua caſtra ſequantur.
Vicit digna viro ſententia: noverat ille
Luxuriam imperii veterem, nocteſque Neronis
Jam medias, aliamque famem, cùm pulmo Falerno
Arderet. Nulli major fuit uſus edendi
Tempeſtate meâ. Circæis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu:
Et ſemel aſpecti littus dicebat echini.
Surgitur & miſſo proceres exire jubentur

ANNOTATIONES.

135. *Figuli tua caſtra ſequantur.*] Compoſitores luti ad bella etiam te ſequantur, o Domitiane, ne illis forte, ut nunc, indigeas. Ironice.

136. *Vicit digna viro ſententia.*] Hæc ventricoſi Montani ſententia ſuperior fuit, vicitq; ut rhombus integer coqueretur.

137. *Noctes Neronis.*] Suet. Ner. cap. 27. *Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus ſæpius calidis piſcinis, ac tempore æſtivo nivatis.*

138. *Aliam famem.*] Irritamenta gulæ, vel ſecundam famem ſeu edacitatem procuratam prioris cibi accelerata coctione per Falernum, aut quid aliud imprimis calidum.

Falerno.] *Falernus* mons in Campania vini ferax generoſiſſimi. Hujus excellentiam narrat Plinius Lib. 14. cap. 6. utilitatem vero ac ſalubritatem, Lib. 22. cap. 1.

139. *Uſus edendi.*] Solertia peritiaq; condiendi ac deligendi cibos, ad laute epulandum.

146. *Tempeſtate mea.*] Ætate quidem mea.

Circæis.] Promontorium *Circæum* dictum a *Circe*, quæ illic habitavit, atq; ſacellum habuit. Situm eſt in Campaniæ littore, ad mare Tyrrhenum, non longe a Terracina. Hor. Lib. 2. Sat. 4.

Oſtrea Circæis, Miſeno oriuntur echini.

141. *Lucrinum ad ſaxum.*] *Lucrinus* lacus Baias inter & Puteolos: unde a Baianus vocatur; piſcoſus admodum. Plin. Lib. 3 cap. 5. Horat. loco mox citato.

Murice Baiano melior Lucrina Peloris.

Rutupino.] *Rutupa*, vel *Rutupi*, oppidum eſt in ora Anglicana; non procul ab urbe Cantuaria, & Sanduico portu. Hinc etiam optimæ oſtreæ afferebantur.

Fundo.] Mari profundo Rutupis proximo.

142. *Oſtrea.*] Tullius de Divin. 2. cap. 33. *Oſtreis*, inquit, *& conchyliis omnibus contingit, ut cum Luna creſcant pariter, pariterque decreſcant.* Gellius lib. 20. cap. 7. *Oſtrea ſeneſcente Luna inuberes, macra, tenues, exucca: creſcente, pingueſcunt.* Citatque Lucilii verſum:

Luna alit oſtrea, & implet echinos.

Horatius citat. Lib. 2. Sat. 4.

Lubrica naſcentes implent conchylia Lunæ;
Sed non omne mare generoſæ fertile teſtæ.

Aſtipulatur Plin. lib. 2. cap. 41. Porro, teſte Athenæo lib. 3. cap. 13. optima ſunt oſtrea marina, ſi quando lacus adjacet aut fluvius; ubi intelligenda monet æſtuaria Caſaubonus. Tarentina imprimis laudat Varro, item Gellius lib. 7. cap. 16. Lucrina vero præfert Seneca Epiſt. 79. & Plin. lib. 9. cap. 54. *Circæis autem oſtreis caro teſtaque nigra ſunt*, inquit Plinius lib. 32. cap. 6. *His autem neq; dulciora neq; teneriora eſſe ulla compertum eſt.* Ibid.

143. *Littus dicebat.*] E quo eſſent advecti littore ſtatim & primo aſpectu dignoſcebat.

Echini.] *Piſcis eſt marinus e genere cancrorum, ſpinis hirſutus, quibus & ſe tuetur, inſtar hericii, qui echinus eſt terreſtris, ſicut echinus marinus eſt hericius. Echino ſpinæ pro pedibus ſunt; ingredi eſt in orbem convolvi; ora in medio corpore ad terram verſa; ſævitiam maris præſagire traditur.* Hæc Plin. lib. 9. cap. 31. & alibi. Athenæus cit. lib. 3. cap. 13. rem lepidam narrat. de Lacone quodam. Hic appoſitis echinis hactenus ipſi inuſitatis, unum arripuit, atq; in os immiſit totum cum ſpinis ac teſta; dentibus autem licet offenſis noluit rejicere: ait vero, O nequam edulium, neq; modo te dimittam præ mollitie animi, neque te unquam poſthac ſumam. *Putavit homo durus ſua conſtantiæ intereſſe, ne vinci ab echini aculeis videretur*, inquit Caſaubonus ibidem.

144. *Surgitur.*] Probata igitur ab omnibus Montani ſententia, Domitianus concilium illud celebre dimittit.

Concilio,

Digitized by Google

Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & feſtinare coactos,
Tanquam de Cattis aliquid, torviſque Sicambris
Dicturus; tanquam diverſis partibus orbis
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola penna.
Atq; utinam his potiùs nugis tota illa dediſſet
Tempora ſævitiæ, claras quibus abſtulit urbi
Illuſtreſque animas impunè, & vindice nullo.
Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
Cœperat, hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

quos ſummus Imperator in caſtellum Albanum convocàrat ſtupefactos atq; properare compulſos, quaſi locuturus quidpiam de Cattis, ac trucibus Sicambris; quaſi ſollicita litera citatâ pinnâ adveniſſent e variis terræ regionibus. Utinam autem ineptiis illis impendiſſet magis integrum iſtud crudelitatis ævum, quo civitati nobiles ac præſtantes animas ademit, ſine pœnâ atq; ultore nemine. At mortuus eſt poſteaquam ſartoribus incepit eſſe formidoloſus. Id verò *damnoſum fuit ſtillanti Lamiarum cruore.*

ANNOTATIONES.

145. *Albanam in arcem.*] Supra, v. 60. & ſeq.

Dux magnus.] Domitianus Imperator.

146. *Traxerat attonitos*, &c.] Supra, v. 73. & ſeq.

147. *Cattis.*] Populi ſunt Germaniæ, hodie *Heſſi.* Sic legit Vet. Schol. Alii tamen codices habent, *Dacis:* de quibus ſupra egimus, v. 111. Alii *Geticis: Getæ* porro ſunt hodie *Moldavi*, ut quidam volunt. Suet. Dom. cap. 6. ſic ait: *Expeditiones partim ſponte ſuſcepit, partim neceſſario: ſponte in Cattos; neceſſario in Sarmatas . . . . in Dacos duas. . . . . . De Cattis Daciſq; poſt varia prælia, duplicem triumphum egit.*

Torvis.] Ferocibus, bellicoſis.

Sicambris.] Hi Gheldriam incoluere, forſan & Zutphaniam, inferioris Germaniæ regiones. Francos ab illis ortos ſaltem conſtat. *Sicambrorum* nomine comprehenſos olim *Uſipetes, Tencteros & Bructeros* ſcribunt aliqui.

149. *Anxia epiſtola.*] Subitum aliquod malum annuncians, ſeu defectionem ſociorum, ſeu hoſtium irruptionem.

Præcipiti penna.] Hæc erat nota caſus & infortunii, ſicut e contra lætitiam laurea indicabat. Nam, ut ait vetus Schol. Si victoria nunciabatur, laurus in Epiſtola figebatur, inferebatur, obvolvebatur, ferebaturve; ſi quid adverſi, pinna. Laureatas certe tabellas populo oſtenſas refert Livius. Laureatos poſtes, faſces, lictores paſſim invenias. Vide Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 27. Epiſtolæ per ſagittam tranſmiſſæ Herodotus meminit lib. 8. n. 319. per aviculas autem, pedibus earum ſcilicet alligatæ. In obſidione quidem Mutinenſi, Plin lib. 10. cap. 37. de Tinnunculo. Sunt qui veredarios accerſant ad hujus loci explicationem. Sed neque hæc, nec illa, ſed prima interpretatio valeat ac vigeat.

150. *His nugis.*] Quale eſt, habuiſſe concilium Optimatum de coquendo piſce.

151. *Claras illuſtreſque animas.*] Inſignes virtute juxta ac natalibus viros, ut ſupra notavimus, ex Sueton. Domit. cap. 10, 11, 15.

152. *Impune & vindice nullo.*] Nemine Patriciorum id auſo, quod fortiter deinde Plebeii fecerunt.

153. *Sed periit.*] Tandem ſævus Imperator interiit, pœnaſque dedit, merita dudum nece mactatus, non per ignavos Nobiles, ſed per ignobiles ſtrenuos, qui ſibi timere incipiebant, cum Domitianus, Nobilium cruore ſatur, in plebeios jam ſævire aggrederetur. Vide Suet. Domit. cap. 14. & 17.

Cerdonibus.] Synecdoche, pro *Plebiis.* Vide Perſ. Sat. 4. v. penult.

154. *Hoc nocuit.*] Sarcaſmus in Patricios ac Nobiles; quaſi diceret, Adhuc viveret ille nequam Tyrannus, & in reliquam Nobilitatem graſſaretur, ſi Plebiis formidoloſum ſe non præbuiſſet ac terribilem, quod ait Sueton. Domit. cap. 14.

Lamiarum.] Horum familia Romæ perilluſtris erat, quippe quæ originem duceret a Rege Læſtrigonum *Lamo*, teſte vel Horatio l. 3. Carminum, Od. 17.

Æli vetuſto nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, &c.

Lamiarum cæde madenti.] Domitiano ſanguine Nobilitatis reſperſo. Ille ſiquidem levi de cauſa multos jugulavit ac ſuſtulit: inter alios autem Nobiles, & *Ælium Lamiam*, duntaxat ob ſuſpicioſos at innoxios jocos, ut enarrat Sueton. Domit. cap. 10.

SATIRA

Digitized by Google

SATIRA V.

SI te propoſiti nondum pudet, atque eadem eſt mens,
Ut bona ſumma putes, alienâ vivere quadrâ;
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet,
Quamvis jurato metuam tibi credere teſti.
Ventre nihil novi frugalius. Hoc tamen ipſum
Defeciſſe puta, quod inani ſufficit alvo.

INTERPRETATIO.

Si non adhuc pudori eſt tibi inſtitutum tuum, *& animus idem conſtat, ut exiſtimes ſupremam* eſſe *felicitatem, veſci aliorum patinâ; ſi vales ea tolerare, quæ nec Sarmentus ad injurioſas Cæſaris menſas, neque ſordidus Galba toleráſſet; verebor tibi fidem habere licèt teſtificanti,* & *jusjurandum adhibenti.* Ego *nihil comperi alvo parcius. Verumtamen illud idem æſtima deeſſe, quod vacuo ventri ſatis eſt:*

ANNOTATIONES.

1. *Si te propoſiti.*] Alloquitur Trebium paraſitum, quem avertere conatur a ſordida ſua vivendi ratione.

Si te propoſiti.] Contra Codices omnes manuſcriptos & excuſos, ut fateturipſe, Lubinus legit, *Sic te propoſiti,* &c. id eſt, *Siccine,* &c. cum interrogatione & indignatione: alias, inquit nulla cohærentia, nulla commoda ſententia. Verumtamen hic ſaltem in ſuo ſenſu abundat vir ad cætera doctus & valde ingenuus.

2. *Quadra.*] Alieno Catino, aliorum ſumptibus ac menſa. Vaſculum modice concavum, ſuper quo cibi convivis apponuntur, vel etiam diſſecantur, quando eſt figuræ quadratæ, *quadra,* ſi rotundæ, *orbis* vocari ſolitum. Virgil. Æneid. 7.

.... *Patulis nec parcere quadris.*

Item *quadra* eſt fruſtum panis, placentæ, caſei, apud Martialem. At præferenda prior interpretatio.

3. *Sarmentus.*] Is fuit Romanus Eques, & ſcurra famoſus tempore Auguſti Cæſaris. Illum probe exagitat Horatius lib. 1. Sat. 5. ejus meminit & Plutarchus in Antonio, Cæſariſque delicias eum appellat.

Iniquas.] Duras, graves, ob injurias & probra quæ ſcurris ibi devoranda.

4. *Cæſaris.*] Ne quidem ad menſam Imperatoris, nedum in privata domo ac menſa, ut tu, Trebi.

Galba.] Nonnulli *Gabba* legunt; perperam tamen ut videtur Apitius *Galba,* ſcurra inſignis, ævo Tiberii, ut ait vetus Schol. vel ipſius Auguſti, ut ſcribunt alii. Mart. lib. 1. Epig. 42.

Qui Galbam ſalibus tuis, & ipſum
Poſſes vincere Sextium Caballum.

Et lib. 10. Epig. 101.

Elyſio redeat ſi forte remiſſus ab agro,
Ille ſuo felix Cæſare Galba vetus.
Qui Capitolinum pariter, Galbamq; jocantes
Audierit, dicet: Ruſtice Galba tace.

5. *Jurato.*] Plaut. Amphitr. Scen. 1. Act. 1. *Injurato plus credet mihi, quam jurato tibi.* Tullius Att. lib. 13. Epiſt. 28. *Jurato mihi crede.* Procem. Act. 1. in Verr. *Neque jurato malim quam injurato committere,* &c.

Quamvis jurato metuam tibi credere teſti.] Non tibi credam etiam juranti, non videri moleſtum iſtud vivendi inſtitutum, in quo tot a divitibus contumeliæ paraſitis ſunt ferendæ.

6. *Ventre nihil novi frugalius.*] Nimirum ſcio naturam parvo eſſe contentam: nec voracem eſſe ventrem, ſed gulam. Hor. lib. 1. Sat. 2.

Dives opis natura ſua; ſi tu modo recte
Diſpenſare velis, &c.

Vide Sen. Epiſt. *Natura minimo nos eſſe contentos jubet,* inquit. Item alibi: *Summa voluptas eſt ad id ſeſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunæ iniquitas poſſit.*

7. *Hoc tamen ipſum defeciſſe puta,* &c.] Verum eſto: deſint ventri neceſſaria, atque parvum illud quod ei ſufficit.

Nulla

Digitized by Google

Nulla crepido vacat? Nuſquam pons, & tegetis pars
Dimidia brevior? tantine injuria cœnæ?
Tam jejuna fames; cum poſſis honeſtius illic
Et tremere, & ſordes farris mordere canini?
Primo fige loco, quod tu diſcumbere juſſus
Mercedem ſolidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ, cibus: imputat hunc rex,
Et quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos poſt
Si libuit menſes neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto,
Unà ſimus ait. Votorum ſumma: quid ultra
Quæris? Habet Trebius propter quod rumpere ſomnum
Debeat, & ligulas dimittere, ſollicitus, ne
Tota ſalutatrix jam turba peregerit orbem

an ripa nulla otioſa eſt? Nullibi pons, ac tegumenti portiò mediâ minor? an tanti eſt contumelia convivii? an *eſuries adeò famelica? Quandoquidem valeas ibi decorè magis & contremiſcere, & mandere ſordidum panem canum. Primo loco ſtatue, quòd tu, invitatus* ad *accumbendum* cœnæ, *recipis fructum omnem antiqui miniſterii. Cœna* eſt *præmium ſummæ familiaritatis. Illam annumerat Princeps, atque licet infrequentem nihilominùs annumerat. Itaque duobus elapſis menſibus, ſi placuit invitare aſſeclam relictum, ne tertius pulvinus vacaret inanì thoro: ſimul, inquit, ſimus.* Hoc *ſupremum* eſt *deſiderium. Quidnam petis inſuper? Trebio* cauſa *eſt, per quam adigatur quietem inter turbare, ac negligere corrigias, anxius ne jam caterva ſalutantium univerſa circulum perfecerit aſtris incertis.*

ANNOTATIONES.

8. *Nulla crepido vacat, &c.*] An idoneus mendicando locus nullus vacuus eſt, ſeu ad ripam fluvii, ſeu ad pontem, ſeu ad viam publicam; in quem te recipere queas ad corrogandam ſtipem a prætereuntibus; quod ſane tolerabilius, quam alienis inhiare dapibus, & miſeram paraſiti vitam agere?

Crepido . . . pons.] Proſeucha, caſa ad pontem aut flumen. Vide Sat. 3. v. 296. & Sat. 4. v. 116. & ſeq. Porro *crepido* dicitur ora terræ, ad quam alluens & allidens aqua cripitat. Vetus Schol.

Tegetis pars.] Pars vel proſeuchæ, vel *tegetis*, floreæ, mattæ, &c. quibus ut plurimum tegunt ſe pauperes & mendici.

9. *Tantine injuria cœnæ.*] Tantine cœnam æſtimas in quà toleras tot probra?

10. *Tam jejuna fames.*] Tamne avida, tam dira te urget fames, ut quidlibet pati malis, quam eam.

Cum poſſis honeſtius illic, &c.] Corrigunt aliqui, *poſcis*; eo quod, *poſſis*, ultimam producit. At ſatius eſt ferre licentiam, quam ſenſum pervertere. Aut certe, cum aliis quibuſdam legendum, *poſſit*, & referendum ad vocem, *fames.*

Illic.] Ad pontem, ad fluvium.

11. *Tremere.*] Frigore horrere, algere.

* *Sordes farris mordere canini.*] Veſci pane hordeaceo, vel furfureo, qualis datur canibus. Vide Sat. 9. v. 122. ad vocem *farre.*

12. *Primò fige loco.*] Alii finge, id eſt, cogita.

14. *Imputat.*] Mercedis loco donat & aſſignat.

Rex.] Dives patronus. Clientibus veluti Rex imperans, Sat. 1. v. 136. *Rex horum.*

16. *Adhibere.*] Vocare te ad cœnam forte rectam. Vide Sat. 1. v. 94. & ſeq.

17. *Tertia ne vacuo, &c.*] Ne vacuus maneret locus in triclinio, ſeu lectis quibus ad menſam diſcumbebatur, more veteri. Addit vero, *tertia:* ad contemptum, quaſi dicat, ultimo loco, & veluti ad ſupplendum dumtaxat numerum. Tres nimirum in conviviis olim diſponebantur lectuli: unde triclini nomen. Et Horat. lib. 1. Sat. 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Cæteros omnes veterum conviviorum ritus lege, ſi vis, apud Juſt. Lipſ. antiq. Lect. l. 3. c. unico.

Culcitra.] *Culcita*, Feſto, & Nonio.

18. *Unà ſimus.*] Una cœnemus. Terent.

Hodie apud me ſis volo.

Votorum ſumma.] Non habes quod ultra petas, aut expectes.

19. *Habet Trebius propter quod, &c.*] Ironice O grandis merces tot officiorum! O juſta cauſa toties abrumpendi ſomni! &c. Vid. Mart. lib. 3. Ep. 36.

Trebius.] Is eſt quem ut amicum dehortatur Juvenalis a paraſitica vita.

20. *Ligulas dimittere.*] Calceorum aut veſtium *ligulas* vix aptatas relinquere, præ ſollicitudine ac feſtinatione. Sumitur etiam *ligula* pro *gladiolo.* Martial. lib. 14. Epigr. 120.

Quamvis me ligulam dicant Equiteſq; Patreſq;
Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.

Nomen plurimi deducunt a *lingua*, imprimiſque Feſtus, at vetus Schol. a *ligando.*

Ne tota ſalutatrix, &c.] Ne venerint alii clientes ante ipſum, jamque diſpoſiti velut in gyrum ſinguli Patronum ſalutarint, priuſquam ipſe Trebius acceſſiſſet. De priſco illo ſalutandi more. Vide Sat. 1. v. 96. 117, 127, 132. & quæ ibidem notavimus.

Sideribus

Digitized by Google

vel eâ horâ, quâ circumvolvit ſe algens plauſtrum tardi Bootæ. Attamen quale convivium? Vinum, quod pinguis lana recuſet admittere. Ex epulante cernes Corybantem. Rixæ præeunt. At ſtatim vulneratus & projicis calices, & plagas abſtergis mantili cruentato, quotieſcunque certamen ardeſcit poculo Saguntino commotum inter vos, & catervam libertorum. Ille ve-

Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo ſe
Frigida circumagunt pigri ſarraca Bootæ.
Qualis cœna tamen? Vinum quod ſuccida nolit
Lana pati: de conviva Corybanta videbis.
Jurgia proludunt; ſed mox & pocula torques
Saucius, & rubra deterges vulnera mappa;
Inter vos quoties, libertorumque cohortem
Pugna Saguntinâ fervet commiſſa lagena,
Ipſe capillato diffuſum conſule potat,

ANNOTATIONES.

22. *Sideribus dubiis.*] Summo mane, luce dubia, cum ſidera ob proximam auroram non plene apparent aut fulgent.

Illo tempore.] Nocte ſcilicet, cum jam perfecte obſervare licet Booten, aliaque ſigna.

23. *Frigida.*] Ob vicinitatem Poli Arctici.

Pigri.] Virgil. Ecloga ultima.

. . . . *Tardi venere bubulci.*

Sarraca.] Vel *Serraca.* Vide Sat. 3. v. 255. Quintilianus lib. 8. cap. 3. *Vim rebus aliquando ipſa verborum humilitas affert,* inquit: *an cum dicit in Piſonem Cicero, cum tibi tota cognatio, in ſarraco advehatur, &c. incidiſſe videtur in ſordidum nomen: non autem eo contemptum hominis auxiſſe?*

Boota.] Sidus eſt Urſæ majori proximum. βοώτης, Latine *bubulcus,* quia ſtella hæc bubulci more plauſtrum inſequitur. Hinc & *Arctophylax* appellatur, quaſi Urſæ cuſtos. Nimirum ſeptem ſtellæ ſunt ita diſpoſitæ, ut priores duæ pares pro bobus habeantur, aliæ quinque plauſtri gerant ſpeciem: proximum vero his ſignum adhæret, quaſi auriga: & propterea vocatur *Bootes.* Vide Gell. lib. 2. cap. 21.

24. *Qualis cœna tamen.*] At qualis tandem ea poſt menſes duos cœna, & quam lauta; cujus nempe gratia tot & tam indigna pateris?

Vinum quod, &c.] Vile omnino vinum ibi propinatur.

Succida.] Sordida, pinguis, nondum lota, dicitur quaſi ſucco adhuc ſudans; vel qualis ſuccisa eſt, ſcilicet plena ſordibus. At Varro aliter, lib. 2. de Re Ruſt. cap. ult. *Tonſuræ tempus inter æquinoctium vernum & ſolſtitium,* inquit, *cum ſudare inceperunt oves; a quo ſudore recens lana tonſa ſuccida eſt appellata.*

Quod ſuccida nolit lana pati.] Tam craſſum, ut lana vix illud imbibat. Vel tam vile, quod vix idoneum ad imbuendam ac præparandam lanam, quo melius recipiat alienum colorem, v. g. purpureum. Varro loco mox cit. *Tonſas recenter eodem die perungunt vino, &c.* Adſtipulatur & Dioſcorides.

25. *De Conviva Corybanta videbis.*] Eo vino mens turbatur, & inſanit, fitque ſimilis *Corybantum* Cybeles Sacerdotum, qui furore correpti caput jactant, ſaltant, alioſque in ſimilem agunt inſaniam.

Corybanta.] *Corybantes* dicti, vel ab ea quam geſtant galea, quæ Græce *κόρυς,* vel a *κορύσσειν,* id eſt *impetu ferri,* & *furere,* apud Apollon. & Theocr. Quidam derivant ab *oculorum pupillis,* quas Græci *κόρας* vocant, eo quod illi apertis ſemper oculis, etiam inter dormiendum, Jovem infantem cuſtodierunt. Quæ poſtrema ſententia minus arridet.

26. *Sed mox.*] Poſt convitia ſuccedunt verbera.

Pocula torques, &c.] Nimirum in famulos petulantes, quos percuſſus repercutis. Tandemq; more Barbarorum utrinque pugnatur ſcyphis in uſum lætitiæ dumtaxat natis; quod damnat Horat. lib. 1. Od. 27.

27. *Rubrâ.*] Tincta ſanguine e plaga.

28. *Inter vos.*] Aſſeclas & clientes paraſitos.

Libertorum cohortem.] Atque inter libertos domini ſeu Patroni cœnam exhibentes. Ergo non cum ipſo domino, ſed cum ejus famulis ad viles epulas admiſſus Trebius. Qualis itaq; cœna?

29. *Saguntinâ lagenâ.*] Aut vino peſſimo ex agris Saguntinis: Vetus Schol vel potius fictili, ex iſta Hiſpaniæ urbe de quo Plin. lib. 35. cap. 12. Et Martial. lib. 14. Epigr. 108.

Sume Saguntino pocula ficta luto.

Porro *Saguntus* oppidum eſt in Regno Valentiæ, hodie, *Morvedre.* *Saguntina fames* in Proverbium abiit, ex quo Saguntini per octo menſes obſeſſi extrema ferre maluerunt, quam ſe Annibali dedere. Tit. Liv. lib. 21. cap. 6. & ſeq.

30. *Ipſe capillato, &c.*] Interea Patronus generoſum bibit ac ſalubre vinum: vetus nempe, & optimo ſolo generatum.

Capillato Conſule.] Dum Romani Conſules erant adhuc intonſi, comamque alebant. Vide Sat. 4. v. 103. ad eam vocem, *Barbato.*

Diffuſum.] In ſerias ac vaſa infuſum.

Calcatamque tenet bellis ſocialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum miſſurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulumque ſenectus
Delevit multa veteris fuligine teſtæ:
Quale coronati Thraſea, Helvidiuſque bibebant,
Brutorum, & Caſsî natalibus. Ipſe capaces

& ſervat racemum bello ſociali preſſum; ne quidem *ſcyphum unquam porrecturus familiari corde dolenti. Alterâ die potabit quiddam è collibus Albanis, vel Setinis, cujus natale ſolum ac inſcriptionem oblitaverit vetuſtas plurimâ nigredine* vaſis *antiqui fictilis: quale potabant Thraſea & Helvidius redimiti,* in die *natali Brutorum & Caſſii. Ipſe Virro habet calices amplos,*

ANNOTATIONES.

311 *Calcatamque tenet bellis ſocialibus uvam.*] Eo tempore quo Sext. Julius Cæſar & M. Philippus Conſules erant, Anno Urbis conditæ 663. Sunt qui Opimianum vinum intelligant, ſcilicet expreſſum Anno Urbis conditæ 633. de quo Plin. lib. 14. cap. 4. & 14. & Cic. *in Bruto* n. 157. *Ut ſi quis Falerno delectetur*, inquit, *ſed eo nec ita novo, ut proximis Conſulibus natum velis; nec rurſus ita vetere, ut Opimium aut Anitium Conſules requirat. Atqui hæ notæ ſunt optimæ, credo, &c.*

Bellis ſocialibus.] De his vide Luc. Flor. lib. 3. cap. 18. & præced. Tit. Liv. lib. 71. Scilicet Latini omnes, aliiq; Italiæ populi, iniquo ferentes animo, quod onerum imperii periculorumq; ſane participes eſſent, at non item munerum atque honoris, a Livio Druſo inſuper ſpe civitatis eluſi, quod jure ſe fruſtra petere intellegebant, armis id conſequi tentârunt. Hinc ipſos Conſules aggreſſi, cum nihil proficerent, vario tamen eventu pugnantes, non parum Romanos fatigarunt, per annos fere quatuor. *Sociale bellum* alias *Marſicum* appellatur; eo quod Marſi moverunt illud primi. Vide Appian. lib. 1. Bell. Civ. Eutrop. lib. 5. Plutarch. *in Sylla*. Oroſ. lib. 5. cap. 18.

32. *Cardiaco.*] Cor, Græce *καρδία*. *Cardiacorum morbo ſpem unicam in vino eſſe certum eſt*, inquit Plin. lib. 23. cap. 1.

Nunquam cyathum miſſuros amico.] Optimi porro illius vini tantillum dare nollet amico etiam laboranti, ne quidem quantum continet cyathus, vas parvulum. Adeo ſibi uni dives conſulit.

33. *Albanis.*] De Alba civitate diximus Satir. 4. v. 61. Albanum autem vinum quam eſſet nobile, diſſerit Plin. lib. 14. cap. 2. & 6. teſtis & Mart. lib. 13. Epig. 109.

34. *Setinis.*] Setia urbs Campaniæ Romanæ hodie, *Sezze*, in colle ſita, non procul a Pomptinis Paludibus. *Setina* vina ciborum coctionem accelerant, teſte Plinio lib. 22. cap. 1. Hinc aliis prælata ab Auguſto ac primoribus. Plin. lib. 14. cap. 6. Mart. lib. 13. Epig. 112.

Pendula Pomptinos quæ ſpectat Setia campos,
Exiguâ vetulos miſit ab urbe cados.

Et lib. 6. Epig. 86.

Setinum, dominæque nives, denſique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?

Patriam, titulumque, &c.] Signabant Antiqui vaſa vinaria, inſcribebantque, qua ex regione vinum, & quo anno, ſeu Conſule conditum. Brod. Miſcel. 1. cap. 3. Horat. ad amphoram lib. 3. Od. 21.

O nata mecum Conſule Manlio, &c.

35. *Multâ fuligine.*] Situ, mucore, plurimis ab annis inducto, quo deleta inſcriptio eſt, aut ita confuſa, ut vix quidquam legi poſſet.

Teſtæ.] In amphoris enim ac teſtis, iiſque gypſatis ac picatis vinum olim ſervabatur. Notabimus ad Perſ. Sat. 5. v. 148.

36. *Coronati.*] Floribus, ſertis, ex hedera, apio, myrto, roſis, coronati veteres epulabantur: ſeu quod flores ſunt lætitiæ ſymbola, ſeu quod vini exhalationes illis comprimi arbitrabantur.

Thraſea, Helvidiuſque.] Pœtus *Thraſea*, & illius gener *Helvidius* Priſcus, libertatis amatores. Horum egregie meminit Cornel. Tacit. lib. 16. & Sueton. Neron. cap. 37. & Domit. c. 10.

Bibebant.] Optimum ſcilicet ob lætitiam ac memoriam reſtitutæ per eos in ſtatu priſtino Reipublicæ.

37. *Brutorum & Caſsî.*] Hi libertatis extitere vindices & aſſertores. L. Junius Brutus primus Rom. Conſul. Tarquin. exegit; deinde M. Brutus cum Caſſio Cæſarem confodit. D. autem Brutus ab Antonio apud Mutinam obſeſſus, a Romanis Conſulibus primum quidem liberatus, at poſtea deſertus a ſuis, pro Republica dimicans occubuit. Vide ſupra Sat. 4. v. 103. ad eam vocem, *Brute*.

Ipſe.] Patronus, potens quilibet ac dives.

G Heliadum

Heliadum cortices, atq; beryllo aſperos. Tibi verò non creditur aureum vas, aut ſi aliquando committitur, illic adhæret obſervator, qui computet lapillos, & ſpeculetur aduncos ungues. Hoc verò *condona: nam ibi commendatur iaſpis eximia. Quippe Virro (ſicut plurimi) à digitis ad calices tranſmittit lapillos, quos adoleſcens Hiarbæ zelotypo antepoſitus conſueverat collocare in capite vaginæ.* At *tu exhauries ſcyphum quatuor narium, cognominatum à ſutore Beneventano, jamque mutilatum, atque fracto vitro petentem ſulphura.*

Heliadum cruſtas, & inæquales beryllo
Virro tenet phialas. Tibi non committitur aurum:
Vel, ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, ungueſque obſervet acutos.
Da veniam: præclara illic laudatur iaſpis:
Nam Virro (ut multi) gemmas ad pocula transfert
A digitis; quas in vaginæ fronte ſolebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ.
Tu Beneventani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor, ac jam
Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulfura vitro.

ANNOTATIONES.

38. *Heliadum cruſtas.*] Pocula ex electro cavata. *Heliades* nimirum filiæ Solis, qui Græce Ἥλιος: Eas autem fabulantur Phaëtonis fratris interitum lugentes contabuiſſe, converſaſq; in alnos ſeu populos arbores, e quibus diſtillat electrum. Vide Plin. lib. 37. cap. 2. & alibi. Ovid. Met. 2.

Inde fluunt lacrymæ, ſtillataq; Sole rigeſcunt
De ramis electra novis.

Cruſtas.] Lacrymas ſororum Phaëtontis in electrum concretas, vel electrum ex arborum ſupradictarum cortice defluens, ac poſtmodum dureſcens.

Inæquales Beryllo.] Phialas e gemmis factas, inquit Vetus Schol. vel potius aureos calices inſertis lapillis aſperos, v.g. *Beryllis*; de quibus Plinius lib. 37. cap. 5. *Poliuntur*, inquit, *figura ſexangula, quoniam hebeſcunt, niſi color ſurdus repercuſſu angulorum excitetur: aliter enim politi non habent fulgorem eundem, &c.* De poculis autem lib. 3. Procem. *Turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices: ac temulentiæ cauſa tenere Indiam juvat, & aurum jam acceſſio eſt.* Salmaſius bene animadvertit hic perperàm legi, *inæquales Beryllos.*

39. *Virro.*] Fictum nomen.

Tibi.] O cliens, vel paraſite.

41. *Gemmas.*] Poculis inſertas.

Ungueſque obſervet acutos.] Ne furtim abraſum ſurripias aliquem e lapillis iſtis.

42. *Da veniam.*] Ironice. Verum ne ægre fer quod cuſtos adhibeatur atque obſervator, dum gemmatum poculum tenes, quodque tuæ fidei minus creditur.

Laudatur iaſpis.] Nam inter eos lapillos fulget *iaſpis* magni quidem pretii, cujus proinde jactura nimium caveri nequit. Vide Plin. lib. 37. cap. 8. & 9. in agro Brixiano ſuo Britannicus reperiri multipſicem ait; optimam autem illam quæ purpuræ quiddam habet; ſecundam, quæ roſæ; tertiam, quæ ſmaragdi.

43. *Transfert à digitis.*] Ab annulis aufert, ut addat poculis. Mart. lib. 14. Epigr. 109.

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aſpice quot digitos exuit iſte calix.

44. *In vaginæ fronte.*] In gladii capulo, ſeu manubrio. Virg. Æneid. 4.

. . . *Stellatus iaſpide fulva*
Enſis erat.

45. *Juvenis prælatus Hiarbæ.*] Æneas Didoni adamatus, ac prælatus *Hiarbæ* Lybiæ Regi, Virg. Æn. 4.

46. *Beneventani ſutoris.*] Is nomine Vatinius, vitreorum artifex, a quo Vatiniani calices appellati. Cornel. Tacit. Annal. 15. *Nero*, inquit, *apud Beneventum conſedit, ubi gladiatorum munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdiſſima ejus aulæ oſtenta fuit; ſutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis ſcurrilibus, &c.*

Beneventani.] Oriundi ex ea urbe Italiæ in regno ſita Neapolitano, quæ *Beneventum* modo, olim *Maleventum* dicebatur.

47. *Naſorum quatuor.*] Vatinius grandi naſo fuit, inquit vetus Schol. Unde aiunt, Vatinianos calices, ob ſimilitudinem dictos, quia roſtra quatuor, velut naſos protendebant. Mart. lib. 14. Epig. 96.

Vilia ſutoris calicem monumenta Vatini
Accipe; ſed naſus longior ille fuit.

Jam quaſſatum.] Neque vero novus ac recens ab opifice tibi calix dabitur, ſed mutilus ac vilis.

48. *Rupto poſcentem ſulfura vitro.*] Hoc dicit quia ſulphure vitrum ſolidatur, id eſt, malthatur, inquit vetus Schol. Quod rejiciunt non immerito; voluntque dictum a Juvenale, quia ſulphuratis fracta vitrea ſolebant permutari; teſte Mart. lib. 1. Epigr. 42.

Qui pallentia ſulfurata fractis
Permutant vitreis.

Et lib. 10. Epigr. 3.

Quæ ſulfurato nolit empta ramento,
Vatiniorum proxeneta fractorum, &c.

Digitized by Google

Si ſtomachus domini fervet vinoque, ciboque ;
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modò vina querebar.
Vos aliam potatis aquam : tibi pocula curſor
Gætulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.
Flos Aſiæ ante ipſum pretio majore paratus,
Quàm fuit & Tulli cenſus pugnacis, & Anci :
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum

Si ſtomachus Patroni & mero & epulis calet, quæritur aqua cocta Getarum nivibus gelidior. Mox dolebam non ſimilia vina propinari vobis : ſed & diſſimilem vos aquam bibitis. Curſor Getulus ſcyphum tibi porriget ; vel manus oſſea Mauri atri, cui etiam nocte concubiâ obvius fieri metueres, quando portaris inter ſepulcra via Latina declivis. Prope illum flos Aſiæ, emptus pluribus pecuniis, quàm extitêre opes vel Hoſtilii Bellatoris, vel Martii : ac, ne te morer, quàm *cuncta vilia Regum Romanorum*

ANNOTATIONES.

50. *Geticis.*] *Getæ* populi Daciæ Scythis affines ; ſunt hodie *Moldavi*, ut placet nonnullis.

Petitur.] Ad refrigerationem paratur.

Decocta.] Plinius lib. 31. cap. 3. *Neronis*, inquit, *Principis inventum eſt decoquere aquam, vitroque demiſſam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit ſine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem eſſe convenit ; item calefactam magis refrigerari.* Vide Suet. Neron. cap. 48. Athen. lib. 3. cap. 34. Decoctæ meminit tanquam veteribus uſitatæ ; ſed eam Neronianæ prorſus abſimilem contendit Caſaubonus eo loci. Porro docet ibid. Athenæus, aquæ perquam frigidæ, pariter & calidæ, uſum fuiſſe in conviviis antiquorum.

Pruinis.] Glacie, nivibus. Cic. 1. de Natura Deor. n. 25. *Terra maximas regiones inhabitabiles & incultas videmus, quod pars earum appulſu Solis exarſerit, pari obriguerit nive pruinaque longinquo Solis abſceſſu.*

51. *Non eadem vobis poni*, &c.] Supra v. 24. & 30.

52. *Curſor Getulus.*] Inter ſervos Mauros, mira pernicitate præditos, atque hinc ad eundum quolibet ac percurrendum deſtinatos, unus tibi pocillator adhibetur niger ac deformis.

Gætulus.] *Gætuli* Libyæ interioris populi ſunt Melæ, a Ptolemæo ; at Mauritaniæ, Plinio & aliis.

53. *Manus oſſea.*] Macilenta & arida, dura, agreſtis, horrida.

Mauri.] Mauritania Africæ regio in Barbaria Occidentali, ubi nunc ſunt regna Algerii, Fezzæ & Marochii.

54. *Per mediam nolis occurrere noctem.*] Tum quia pavore te concuteret, tum quod malum omen videretur. Phantaſma quippe crederes, ac portentum. Sic antequam M. Brutus ultimum ac fatale prælium committeret, inter alia proximæ cladis indicia, Æthiopem vulgo apparuiſſe, narrat Plutarchus in Bruto. Fertur etiam Adrianus Imperator ex occurſu Mauri imminentem ſibi mortem auguratus. Vide Spart. & Cœl. Rhodig. lib. 24. cap. 9.

55. *Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.*] Dum rheda per viam Latinam veheris, inter ſepulchra, quæ hinc & inde plurima illic conſtructa ſunt. Vide Sat. 1. v. ult.

56. *Flos Aſiæ ante ipſum.*] At diviti patrono formoſus adeſt puer ex Aſia, jucundus pincerna & miniſter.

Aſia.] Una eſt e partibus orbis, ſane maxima, vel eo præferenda cæteris, quod in ea primus homo creatus : Deuſque viſus, & cum hominibus converſatus, ibidem morte ſuâ vitam reſtituit lapſis mortalibus.

Pretio majore paratus.] Plin. lib. 7. cap. 12. *Toranius magno*, inquit, *M. Antonio jam Triumviro eximios forma pueros duos vendidit ſeſtertiis ducentis.* Vide ibid. Hiſtor. eorum non infacetam.

57. *Tulli.*] *Tullus* Hoſtilius Rex tertius Romanorum Cenſum inſtituit primus, teſte Eutropio, item ſellam curulem, lictores, togam pictam, atq; prætextam, inſignia Magiſtratuum Romanorum poſt debellatos Hetruſcos Macrob. Saturn. 1. cap. 6.

Cenſus.] Opes, divitiæ, facultates.

Pugnacis.] Tullus enim militarem diſciplinam, artemque bellandi condidit ; atque exercita juventute provocare auſus Albanos, gravem & diu principem populum : tandemque hoſte victo, Albam diruit, ejus incolis atque opibus Romam translatis. Flor. c. 3.

Anci.] *Ancus* Martius, quartus Romanorum Rex, Latinos ſubegit, Romanam ditionem ad mare protulit, atq; Oſtiam urbem in ipſo maris ac Tyberis confinio ædificavit. Tit. Liv. lib. 1.

58. *Romanorum omnia Regum.*] Numero ſeptem, quorum exiguæ opes initio fuere.

Frivola

Frivola. Quod cùm ita ſit, tu Gætulum Ganymedem
Reſpice, cum ſities: neſcit tot millibus emptus
Pauperibus miſcere puer: ſed forma, ſed ætas
Digna ſupercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adeſt calidæ, gelidæque miniſter?
Quippe indignatur veteri parere clienti;
Quodque aliquid poſcas & quòd ſe ſtante recumbas
Maxima quæque domus ſervis eſt plena ſuperbis.

Quæ quoniam ſic ſe habent, quando te ſitis urget, oculos converte in Ganymedem Gætulum. Enim verò *ſervus tot millibus* nummorum *comparatus non novit egenis* potum *temperare: at pulchritudo, at* illa *ætas faſtum merentur. Et quando is ad te accedit? Quandonam accitus præſtò eſt miniſtrator tepidæ & frigidæ. Etenim indignum putat obedire antiquo familiari, & quòd* ab eo *petas quidpiam, quòdque diſcumbas ipſo adſtante. Quælibet ædes ſumma referta ſunt famulis arrogantibus.*

ANONTATIONES.

59. *Frivola.*] Nihili putanda præ divitiis Rom. principum hodiernis; ac præ ea ſumma qua emptus eſt ille Aſianus puer.

Gætulum Ganymedem.] Diſſimilia paſſim jungit. Ironice hic admodum. Scil. *Gætulus* ille fuſcus, deformis, ſervus; e contra *Ganymedes* regius puer, Troïs filius, candidus, & tam eleganti ſpecie, ut a Jove raptus dicatur, & ſibi pocillator aſſumptus. Et hæc quidem fabulatores de *Ganymede*: ſed quid de eo ſentire debeant ſapientes; quidque raptus illius ſignificet, oſtendit Cic. 1. Tuſcul. n. 65. & Tuſcul. 4. n. 71. & ſeq.

60. *Reſpice.*] Innuens ut vinum tibi affundat.

Neſcit.] Non aſſuevit, indignatur.

61. *Miſcere.*] Cœnanti miniſtrare, miſcere potionem, ac infundere poſcenti. Porro temperandi vini rationem ipſum docuiſſe Bacchum, dilutumque bibiſſe, ac ſic mixtum bibentes rectos ambulaſſe homines, cum antea curvi incederent ob meri potum: & Bacchi nutrices Nymphas extitiſſe, ideoq; vinum temperandum, & alia quædam habet Athenæus lib. 2. c 2.

Sed forma, ſed ætas digna ſupercilio.] Toleratur ſuperbia in formoſis, in ætatis præſertim flore.

Ætas.] Juventus, per antonomaſiam.

62. *Supercilio.*] *Hæc enim vulgo faſtui & ſuperbiæ ſedes aſſignatur, quanquam in corde naſcitur*, inquit Plin. lib. 11. c. 37.

63. *Calidæ.*] In quibuſdam, *Caldæ*. Mart. non ſemel *caldam* dicit. Vide infra mox. Quint lib. 1. c. 6. *Auguſtus*, inquit, *in epiſtolis ad C. Cæſarem ſcriptis, emendat quod is calidum dicere quam caldum malit; non quia illud non ſit Latinum, ſed quia ſit odioſum; ac πάρεργον.*

Calidæ gelidæque miniſter.] Frigida gaviſos in conviviis ſuis veteres nemo dubitat: at calidam non tantum uſitatam, ſed & in deliciis fuiſſe, multis probat Juſt. Lipſius contra neſcio quem, ut ait, pugnacem; lib. nim. 1. Elect. cap. 4. Evincunt certe innumera ſcriptorum teſtimonia, inſtar aliorum ſint pauca hæc. Apud Athenæum lib. 2. c. 2. Tripodes alii ἄπυροι pridem vocabantur, in quibus vinum temperabatur; alii ἐμπυριβῆται & λουτροχόοι, in quibus calefiebat aqua. Ac nequis forte de aqua loturis affundenda intelligat; in fine cap. 6. ait, bonæ valetudinis cauſa bibendam vere atque hyeme calidiorem aquam, æſtate vero frigidam, rationemque ibid. ſubjungit. l. 3. c. 6. expendit, an poſt ficus aqua bibenda ſit calida, an frigida. Cap. vero 34. & 35. ejuſdem libri 3. de potione calida copioſe diſſerit. Julius Pollux lib. 9. c. 6. poſt rejecta dubii ſenſus, aliquot Homeri, & Ariſtophanis loca, alia quædam affert potationem calidi certo argumentia. Varro *calicem* a *caldo* dictum ait. Plautus paſſim Thermopolii meminit, id eſt, cauponæ, in qua vendebatur aqua tepens & calida. Errare enim hic Turnebum alioſque interpretes, egregie monet Lipſius loco citato, dum potionem ibi neſcio quam dulcem & arte factam comminiſcuntur. Manifeſta res ex Ammiano, lib. 28. ubi Ampelius urbis rector, cupidus ipſe voluptatum, lætus alias, interdum & rigidus, irritamenta gulæ corrigens ſtatuit, ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neve aquam vulgarium calefaceret quiſquam, &c. Cornel. Tacit. Annal. 13. præcalidæ potionis Britannico oblatæ fit mentio. Plin. lib. 7. cap. 53. calidam potionem ac tepeſcentem diſerte nominat. Martial.

Caldam poſcis aquam, & *tepuiſſe calix*,

ait. Libro vero ult. Epigr. 105.

Frigida non deſit, non deerit calda petenti.

64. *Indignatur.*] Iraſcitur, detractat, vix ſuſtinet, refugit, aſpernatur.

Veteri.] Seu quod vetera quævis evileſcunt; ſeu quod ſenes, ut plurimum, præſertim horriduli ludibrio ſunt juvenibus.

65. *Recumbas.*] Ad menſam accumbas atque ſedeas, ipſo ſtante & miniſtrante.

66. *Maxima quæque domus*, &c.] Induunt enim ſæpe dominorum indolem ac mores ſervuli, & quia magno ſerviunt, magnos ſe reputant aliquando nonnulli.

Ecce

Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, ſolidæ jam mucida fruſta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum,
Sed tener & niveus, mollique ſiligine factus
Servatur domino. Dextram cohibere memento.
Salva ſit Artoptæ reverentia. Finge tamen te
Improbulum; ſupereſt illic qui ponere cogat.
Vin' tu conſuetis audax conviva caniſtris
Impleri, paniſque tui noviſſe colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quòd ſæpè relicta
Conjuge, per montem adverſum, gelidaſque cucurri
Eſquilias, fremeret ſæva cum grandine vernus
Jupiter, & multo ſtillaret penula nimbo.
Aſpice quàm longo diſtendat pectore lancem,

En alter quàm magnâ cum murmuratione tendit tibi *panem difficulter ruptum, fragmenta jam rancida farinæ firmæ, quæ vexent genuinum, nec mandi ſinant. At* panis *mollis atq; candidus, & farre tenero confectus Patrono reſervatur. Memor eſto coercere manum. Verecundia ſervetur erga Artopten. Attamen ſimula te* paululùm *nequam: adeſt ibi qui adigat dimittere. Epulator inverecunde*, inquiet, *viſne ſalutari ſolitis corbibus, & tui panis colorem dignoſcere? Illud nempè fuerat, cujus gratiâ dimittens uxorem frequenter properavi per montem oppoſitum, & Eſquilias frigidas, dum vere ſtrideret Jupiter dirâ grandine, atque lacerna diffluerec imbre plurimo. Vide quàm amplo pectore catinum impleat ſquilla,*

ANNOTATIONES.

67. *Ecce alius quanto.*] Jam vide quam ruſtice quam faſtidioſe ſervus alter panem tibi miniſtrat eumque ſecundarium & corruptum.

68. *Vix fractum.*] Tam veterem ac durum ut vix frangi queat.

Solidæ jam mucida fruſta farinæ.] Maſſam e farina præ vetuſtate ſolidatam & induratam.

69. *Genuinum.*] Dentes fatigent etiam molares & validiſſimos, qualis *genuinus*. Vide Perſ. Sat. 1. ver. 115.

Non admittentia morſum.] Præ nimia duritie.

70. *Tener & niveus.*] Panis ſiligineus, recens, tener, nivis inſtar candidus.

Siligine.] Certum eſt frumenti genus exile quidem, ac delicatum: unde tritici delicias vocat Plin. lib. 18. c. 8. & 9. *e ſiligine* panem fieri lautiſſimum, ait.

71. *Cohibere.*] Ab eo pane ſimilagineo & molli, qui Domino reſervatur.

72. *Salva ſit Artoptæ reverentia.*] Cuſtodi reverentiam *Artoptæ* debitam: atque adeo ne alium panem quære aut ſume, quam eum quem tibi deſtinat & apponit.

Artoptæ.] *Artoptes* hic bene intelligitur panis diſpenſator, ab ἄρτος *panis*, & ὀπτομαι, *video*, ſeu *inſpicio*. Ita quidem legit Vet. Schol. at explicat, piſtor, quaſi ab ὀπτάω, *torreo*, Alias *artopta* vas eſt ſeu inſtrumentum, in quo panes torrebantur & coquebantur: eo ſenſu Plautus uſurpat Aulul. Sc. 12. Plin. lib. 18. c. 11. accipit pro muliere paniſica. Ubi & piſtores Romæ non fuiſſe ante bellum Perſicum, annis ab urbe condita ſuper 580. annot. Quidam legunt *Artocopi*; interpretanturque panem cum labore factum, a κόπος *labor*; ſed parum ad rem.

Finge tamen te improbulum.] Quod ſi fueris paulo audacior, extendaſque manum in panem illum delicatiorem.

73. *Improbulum.*] Minus timidum ac pudentem, inverecundum, importuniorem.

Supereſt illic qui, &c.] Artoptes illic aſtat, qui abſtinere jubebit, increpabitque.

74. *Vin' tu conſuetis*, &c.] Verba ſunt Artoptæ inverecundiam convivæ caſtigantis: an ergo non contentus eris pane tibi conſueto?

Caniſtris.] Pane in cophinis contento. Metonym.

75. *Colorem.*] Subatrum, utpote ſecundarii panis.

76. *Scilicet hoc fuerat.*] Reſpondet cliens indignabundus: an igitur iſtas ob viles epulas tot vigiliis & laboribus perfungor dudum?

Relicta conjuge.] Summo mane ſurgens, & ſomnum interrumpens; ut eſt ſupra, ver. 19.

77. *Montem adverſum.*] Arduum qui toties fuit ſuperandus.

Gelidaſque cucurri Eſquilias.] *Eſquilinum* collem ventis expoſitum, in cujus regione divites habitabant. Vide Sat. 3. ver. 71.

78. *Vernus Jupiter.*] Aër vernæ tempeſtatis ſæpe ventoſus & nimboſus. Aër & cœlum Jupiter vocatur, ex Varrone.

79. *Penula.*] Pallium eſt adverſus pluvias, Cic. pro Milone. *In Rhedâ penulatus*, &c.

Nimbo.] Repentinis imbribus, quales ferme circa æquinoctia.

quæ Patrono apponitur, qualibus etiam aſparagis undequaque circumdata; quali cauda deſpectat dapes, quando affertur elevata manibus famuli proceri. At tibi fertur Cammarus medio ovo concretus, epulæ funebres in parva lance. Ille quidem oleo *Venafrano piſcem aſpergit: verò quæ tibi infelici apponitur pallens braſſica redolebit lychnum. Nam veſtris id lancibus infertur, quod arundo Micipſarum apportavit prorâ acuminatâ: quamobrem Romæ nullus balneum init cum Boccare: quod ab anguibus quoque nigris ſecuros reddit.*

Quæ fertur domino ſquilla; & quibus undique ſepta
Aſparagis, qua deſpiciat convivia cauda,
Cum venit excelſi manibus ſublata miniſtri.
Sed tibi dimidio conſtrictus Cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.
Ipſe Venafrano piſcem perfundit: at hic, qui
Pallidus offertur miſero tibi caulis, olebit
Laternam: illud enim veſtris datur alveolis, quod
Canna Micipſarum prora ſubvexit acuta:
Propter quod Romæ cum Boccare nemo lavatur;
Quod tutos etiam facit à ſerpentibus atris.

ANNOTATIONES.

81. *Squilla.*] Parvus eſt piſcis at ſaporis exquiſiti, alio nomine *pinnotera* & *pinnophylax* dictus Plinio. Cum audiſſet ille famoſus lurco Apicius *ſquillas* in Libya majores quam Romæ reperiri, earum deſiderio & cupiditate illuc navigavit: quod refert Suidas. Horat. lib. 2. Sat. 8.

Affertur ſquillas inter Murana natantes
In patina porrecta, &c.

Martial. lib. 13. Epig. 83.

Cæruleus non Liris amat quem ſylva Maricæ
Protegit: hinc ſquilla maxima turba ſumus.

Vide Cic. de Nat. Deor. 2. n. 123. & Athen. lib. 3. c. 23.

Quibus aſparagis.] Quibus condimentis. Plin. lib. 20. c. 10. *Aſparagi ſtomacho utiles*, inquit, *& cumino quidem addito inflationes ſtomachi colique diſcutiunt, oculis claritatem afferunt*, &c.

82. *Deſpiciat.*] Ab alto aſpiciat dum elata & quaſi ſuperbe fertur.

Convivia.] Alia fercula ipſoſque convivas.

Cauda.] Hanc in deliciis fuiſſe aiunt.

83. *Excelſi.*] Ad majorem pompam & faſtum.

84. *Dimidio conſtrictus.*] Coctus & conditus immixto quidem ovo, ſed tenuiter admodum & parce. Reſpiciunt alii ad naturam Cammari, & qui ſub cauda ova gerit, inſtar cancrorum, & creſcente luna imminuitur & quaſi conſtringitur

Cammarus.] Marinus cancer, vilis cibus. Ejus meminit Plin. lib. 32. c. ult. Et Mart. lib. 2. Epigr. 43.

Concolor in noſtra, Cammare, lance rubes.

Dimidio ovo.] Dimidia vix ovi parte.

85. *Exigua feralis cœna patella.*] Inſtar cœnæ feralis exigua & modica. Vide Perſ. Sat. 6. ver. 33. & quæ nos ibidem fuſe, ad ea verba, *cœnam funeris.*

86. *Ipſe.*] Dominus & Patronus, quem pergit conferre cum cliente.

Venafrano.] Optimo quidem oleo ex agris *Venafri* urbis, in Regno ſitæ Neapol. in terra Laboris. Mart. lib. 13. Epigr. 100.

Hoc tibi Campani ſudavit bacca Venafri,
Unguentum quoties ſumis, & iſtud olet.

Vide Plin. lib. 15. c. 2.

87. *Pallidus.*] Flacceſcens & marcidus, quique pallido colore faſtidium pariat. Mart. lib. 13. Epigr. 17.

Ne tibi pallentes moveant faſtidia caules,
Nitrata viridis braſſica fiat aqua.

Olebit Laternam.] Id eſt, oleum iſtud vile quod lampadibus & lucernis adhibetur.

88. *Alveolis.*] Paropſidibus, patinis.

89. *Canna.*] Vel doliolum, vel navicula a *canna*. Plin. lib. 7. c. 56. *Naves*, inquit, *utiles in Nilo fiunt ex papyro, & ſcirpo, & arundine.* Cap. vero 2. ejuſdem libri ait, in India naſci arundines tantæ proceritatis, ut ſingula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant.

Micipſarum.] Afrorum, Numidarum, quorum fuit Rex *Micipſa* Maſiniſſæ filius. Vide Sall. Jugurth.

Prora.] Pars navis anterior. Synecdoche: *Acuta*, ob figuram.

90. *Boccare.*] *Fuit Boccar*, ſive *Bocchor, ea tempeſtate Rex Maurorum:* inquit Liv. lib. 29. c. 30. ponitur hic pro Numida ſeu Mauro quolibet.

Cum Boccare nemo lavatur.] Delicati ſcilicet Romani non ſuſtinebant tetrum illum odorem olei Africani, quo Afri inungebantur; unde & horum conſortium illi fugiebant in balneis.

91. *Quod tutos etiam*, &c.] Notat Theod. Pulmannus abeſſe verſum hunc a vetuſtiſſimis codicibus.

Tutos etiam facit a ſerpentibus.] Quod etiam oleum fœtore ſuo arcet & fugat ſerpentes. Quam miſeri ergo paraſiti & clientes, qui tam viles cibos & tam male conditos avide ſectantur! Legunt alii, *A ſerpentibus Afros*; id eſt, *Africanos:* perinde eſt.

Mullus

Mullus erit domino, quod miſit Corſica, vel quem
Taurominitanæ rupes, quando omne peractum eſt
Et jam defecit noſtrum mare; dum gula ſævit,
Retibus aſſiduis penitus ſcrutante macello
Proxima; nec patitur Tyrrhenum creſcere piſcem
Inſtruit ergo focum provincia: ſumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam dum ſe continet Auſter

Patronus habebit barbulum, quem Corſica, aut quem ſcopuli Taurominitani præbuërint; cùm univerſum mare noſtrum exhauſtum eſt, jamque deeſt; quando graſſatur ingluvies, continuis caſſibus, macello funditùs maria *vicina inquirente; neque ſinit adoleſcere Tyrrhenos piſces. Munit igitur caminum provincia. Inde petitur quod Lenas inſidiator mercetur,* ac *venumdet Aurelia. Virroni offertur ingens murana, quæ procedit è Siculo vortice. Etenim quando*

ANNOTATIONES.

92. *Mullus.*] Exquiſitus piſcis, dictus ita, quod mollis atq; tenerrimus; cujus cibo tradunt libidinem inhiberi, oculorum autem aciem hebetari, &c. Iſid. Orig. lib. 12. cap. 6. *Mulis nomen a mulleorum calceorum colore Feneſtella datum putat*; inquit Plin. lib. 9. cap. 17. at e contra, & melius quidem, ut videtur, Iſidor. Orig. lib. 19. cap. 34. *mulleos* calceos dici ait a colore purpureo, qualis eſt *mulli* piſcis. Is alias *barbo* vocatur. *Barbus,* Auſonio: in Moſella, Idyll. 10. ſic habet:

Liberior laxos exerces, barbe, natatus.

Vide quæ ad Sat. 4. ver. 15. jam notavi.

Corſica.] Inſula eſt Tyrrheni maris olim *Cyrnus* dicta, Sardiniam inter & mare littuſque Liguſticum.

93. *Taurominitana rupes.*] Proximæ ſcilicet illi urbi. *Taurominium,* vel *Tauromenium,* hodie *Taormina,* oppidum eſt Siciliæ portu incʼytum, ad oram orientalem vallis, ut nunc appellant, Demonæ.

95. *Retibus aſſiduis.*] Aſſidua piſcatione.

Macello.] Locus eſt in quo venduntur obſonia quælibet, dictus a quodam nomine *Macello,* cujus ibi domus publice diruta fuit. Varro 4. de Ling. Lat. cap. 32. Item Feſtus, a *Macello* quodam qui exercebat in urbe latrocinia, quo damnato Cenſores Æmilius & Fulvius ſtatuerunt, ut in domo ejus obſonia venderentur. Minus placent Iſidorus & Donatus originem ducentes quod ibi pecora mactentur. Hic autem ponitur *macellum* pro piſcatoribus in *macello* ſeu foro piſcario degentibus.

96. *Tyrrhenum piſcem.*] Piſcem maris Tyrrheni, quod & inferum & Thuſcum, eſtq; pars maris Mediterranei, inter Italiam, & Sardiniam Corſicam, atque Siciliam inſulas.

97. *Inſtruit ergo focum provincia.*] Externæ regiones culinam Romanorum inſtruunt piſcibus, aliiſque dapibus.

Provincia.] Sic vocatur proprie regio extra Italiam armis ſubacta, & Romanis tributaria.

98. *Captator.*] Vel amicitiæ, vel hæreditatis divitum, per munera. Vide Sat. 4. ver. 18. & ſeq.

Emat.] Donandum ſcilicet ad captandam benevolentiam.

Lenas.] Hæredipeta quidam. Vet. Schol.

Aurelia.] Mulier piſces vendens; vel dives orba, quæ data ſibi munera vendit, ſeu per avaritiam, ſeu ob nimiam copiam, ac ne corrumpantur: habet nimirum plura quam poſſit conſumere.

99. *Virroni.*] Supra ver. 39.

Murana.] Piſcis delicatus, anguillæ ſimilis: huic tamen eſt tergus craſſum magis, illi tenuiſſimum, teſte Plinio, lib. 9. cap. 23. Vide Macrob. lib. 3. cap. 15. ubi ſic habet: *Acceſſebantur murana ad piſcinas noſtra urbis abuſque freto Siculo, quod Rhegium a Meſſana deſpicit. Illic enim optima a prodigis eſſe creduntur, &c.* Athen. lib. 7. c. 18. & Caſaub. ibid. ubi Murænas cum ſerpentibus miſceri aſſeritur, &c. Plin. lib. 32. c. 2. ubi inter alia dicuntur Murænæ fœminini tantum ſexus eſſe, e ſerpentibus concipere, & ob id a piſcatoribus ſibilo evocari, & capi, &c. at loco mox citato idem Plinius retulerat, eam eſſe vulgi dumtaxat opinionem; & ex Ariſtotele, Myrum vocari marem qui generat.

100 *Gurgite de Siculo.*] E freto quod eſt Siciliam inter & oram extremæ Italiæ meridionalem: alias Mamertino, Rhegino, *Scyllæo*; hodie *Faro di Meſſina.* Porro continentem olim cum Italia Siciliam, at maris impetu, ſive terræ motu fuiſſe diſtractus aiunt Strabo lib. 6. Virg. Æneid. 3. &c.

Diſſiluiſſe ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis,
Heſperium Siculo latus abſcidit, arvaque & urbes
Littore diductas anguſto interluit æſtu.

Se continet.] Antro Æolio.

Auſter.] Ventus meridionalis imbrifer & aquoſus, mare Siculum turbare ſolitus. Gellius lib. 2. c. 22. Ovid. Met. 1. Fab. 2.

Digitized by Google

O Libya, tibi ſerva triticum, ait Alledius; ſolve boves, dummodò tubera nobis *tranſmittas.* Ac *ne ulla deſiciat iracundia, interim conſidera ſtructorem* menſæ *ſubſilientem, atque chironomonta, cultro volitante quoaduſque perfecerit præcepta doctoris univerſa. Neque parva certè differentia intereſt, quâ geſticulatione lepores, & quâ gallina concidantur. Pedibus raptaberis, ut Cacus ab Hercule percuſſus, atque ſtatuêris extrà, ſi aliquid auſis unquam mutire, quaſi geras tres appellationes. Ecquando tibi Virro* calicem *porrigit, ac ſcyphum accipit tuis labris admotum? Ecquis inter vos tam imprudens, quis deploratus, ut domino* ſic *loquatur, pota? Multa ſunt, quæ pronuntiare*

O Libye, disjunge boves, dum tubera mittas.
Structorem intereà, ne qua indignatio deſit,
Saltantem ſpectes, & chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magiſtri
Omnia. Nec minimo ſanè diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.
Ducêris planta, velut ictus ab Hercule Cacus;
Et ponêre foris, ſi quid tentaveris unquam
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi, ſumitque tuis contacta labellis
Pocula? Quis veſtrûm temerarius uſq; adeo, quis
Perditus, ut dicat Regi, bibe? Plurima ſunt quæ

ANNOTATIONES.

119. *Libye.*] Hæc Africæ pars ingens, pro ipſa ſæpe, & hic quidem ſumitur.

Disjunge Boves.] Ne ara, ne ſere aut mete frumentum quod Romam tranſmittas, ut ſoles: at deinceps gulæ noſtræ delicias tubera dumtaxat educa.

Tubera mittas.] In Africa *tubera* naſci laudatiſſima, ſicut & in aliis locis æque ſiccis, tabuloſis & frutetoſis, docent Plin. cit. lib. 19. c. 2. & Athen. pariter citato mox loco.

120. *Structorem.*] Struendæ menſæ, ferculorumque diſſecandorum magiſtrum, Apuleio diribitorem, Petronio ſciſſorem, Lipſio & aliis carptorem legimus. Hujus erat munus & ars bene fercula diſponere & collocare, ciboſque eleganter in fruſta concidere. Vide Sat. 9. v. 110.

Ne qua indignatio deſit.] Ut multiplex indignandi cauſa ſuppetat; etiam vero ex iſta in pincernis luxuria & faſtu.

121. *Saltantem.*] Veluti ad numeros corpus moventem, dum erudite altilia diſſecat, & convivis facete miniſtrat ac apponit.

Chironomonta.] Manus artificioſe dirigentem ac geſticulantem tam ſcite, ut gladiolus quo ſcindit, volare videatur, adeo verſatur agiliter. Χείρ, *manus*, & νόμος, *lex*. Metaphora a *Chironomis*, qui certis manuum motibus ac geſtibus ſaltabant.

122. *Magiſtri.*] Trypheti concidendorum ex arte ciborum doctoris, de quo Sat. 11. ver. 137. Erant enim Romæ qui docerent eam artem, in altilibus ligneis, ut poſtea dicetur amplius, Sat. nimirum 11. Plin. lib. 10. c. 50. *Poſtea culinarum artes, ut clunes ſpectentur, ut dividantur in tergora, ut à pede uno dilatata* (gallinæ) *repoſitoria occupent.* Seneca de brevit. vitæ c. 12. *Quanta arte ſcindantur aves in fruſta non enormia, &c.* Idem de Vita beata cap. 17. *Perite ſervitur* (aliis ſtruitur) *& eſt aliquis ſcindendi obſonii magiſter.* Et, ad Lucil. Ep. 47. *Alius pretioſas aves ſcindit, & per pectus & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum, in fruſta excutit.*

124. *Quo geſtu lepores, &c.*] Diverſi quippe ritus concidendi ſingula; & in variis variæ geſticulationes obſervabantur a peritis illis menſæ doctoribus ac miniſtris.

125. *Ducêris plantâ.*] Foras extraheris perinde ac ille Cacus olim ab Hercule.

Cacus.] Gigas, quem clava ictum Hercules interfecit, quod ſuos boves abduxiſſet, & planta arreptum protraxit ex antro in quod furtum ille ſuum compegerat. Virg. Æneid. 8. Liv. lib. 1. Eutrop. Dionyſ.

127. *Hiſcere.*] Obmurmurare & conqueri de facta tibi injuria.

Tanquam habeas tria nomina.] Prænomen, cognomen; ut C. Jul. Cæſar. Publ. Cornel. Scipio, quod Nobilium eſt. Quidam ſic intelligunt, tanquam fur ſis, ut pro tribus literis tria nomina ponantur; ſed melius, tanquam ſis nobilis. Vetus Schol. Aliter explicant alii, nempe quod ſis libertus & Patrono obnoxius, ex Politiano Miſcell. cap. 31. ſed acute magis quam vere, meo judicio.

Quando propinat Virro tibi.] An unquam ſuum tibi calicem offert, aut tuum accipit? Quod ſuperbiam ejus, ac tui contemptum indicat. Vide Martial. lib. 2. Epigr. 15.

130. *Perditus.*] Deſperata fortuna, unde non metuat potentes offendere.

Dicat Regi, bibe.] Propinans ac porrigens ſcyphum Nobili cuipiam.

Non

Digitized by Google

Non audent homines pertuſa dicere læna.
Quadringenta tibi ſi quis Deus, aut ſimilis Dîs
Et melior fatis donaret, homuncio quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
Da Trebio, pone ad Trebium: vis frater ab iſtis
Ilibus? O nummi, vobis hunc præſtat honorem:
Vos eſtis fratres. Dominus tamen, & Domini Rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luſerit Æneas, nec filia dulcior illo.
Jucundum & carum ſterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licet, & pueros tres
In gremium patris fundat, ſimul ipſe loquaci
Gaudebit nido, viridem thoraca jubebit
Afferri, minimaſque nuces, aſſemque rogatum,
Ad menſam quoties paraſitus venerit infans.

non attentant homines pallio perforato. Si quadringenta dederit tibi Numen aliquod, vel quiſpiam *Numinibus æqualis, atque fatis benignior, quam magnus homo è nihilo, quàm intimus Virroni evaderes!* Diceret ſane tunc: *dona Trebio, appone ante Trebium: germane,* an *appetis de his inteſtinis? O nummi, vobis iſtam defert obſervantiam. Vos eſtis germani. Attamen ſi tu cupis eſſe dominus, atq; domino imperare, ne ullus tibi parvus Æneas luſitet* in *aula, neque filia eo carior. Conjux infæcunda familiarem efficit gratum atque dilectum. Verum quamvis* uxor *tua Mycale modò parturiat ac tergeminos infantes in paternum ſinum edat; ille* tamen *unà delectabitur nido garrulo, praſinum thoracem proferri imperabit, ac nuces parvulas; atque petitam ſtipem, quandocunque paraſitus puer acceſſerit ad menſam.*

ANNOTATIONES.

131. *Homines pertuſa læna.*] Ignobiles & pauperculi, quorum tritæ veſtes ac laceræ.

132. *Quadringenta tibi ſi,* &c.] Quod ſi dives repente fias, tum colet te Virro, qui te inopem contemnit.

Quadringenta.] Seſtertia, Equeſtrem cenſum, de quibus vide Sat. 1. ver. 106. & Sat. 2. ver. 117.

Similis Dis.] Princeps ac dives aliquis perinde munificus ut Dii.

133. *Melior fatis.*] Beneficentior erga te quam fata.

135. *Da Trebio.*] Tum certe Virro pincernæ & ſtructori imperaret optima tibi apponere.

Trebio.] Supra ver. 19.

Ab iſtis ilibus.] E partibus delicatioribus, e ſumine, quod quidem erat in cupediis; teſte Plinio lib. 11. c. 37.

136. *O nummi vobis,* &c.] Divitias, non hominem ſpectat aut colit.

137. *Domini Rex ſi vis,* &c.] Atſi Virroni plane vis dominari, ejuſque intimam familiaritatem nanciſci, oportet ut liberis careas; ſic enim ille ſpem concipiet captandæ tuæ hæreditatis. Vide Martial. lib. 11. Epig. 56.

138. *Nullus tibi parvulus,* &c.] Sumptum e quarto Æneidos.

139. *Nec filia dulcior illo.*] Nec videaris plus amare filiam tuam quam Virronem amicum. Vel, ne ita diligas filiam, ut diligeres filium.

140. *Jucundum & carum ſterilis,* &c.] Vir ſine prole placet admodum Virroni aliiſque captoribus avaris.

141. *Sed tua nunc Mycale.*] At quamvis habeas filios & hæredes, ſi tamen dives fueris, Virro ejuſque ſimiles te obſervabunt.

Mycale.] Legunt alii, *Micale,* derivantque a *μίγνυμι.*

Pueros tres.] Tergeminos naſci certum eſt Horatiorum Curatiorumque exemplo, (de quibus Livius lib. 1.) inquit Pliniuslib. 7. c. 3. ubi & quaternos Oſtiæ ſub Auguſto, quinos in Peloponneſo, ſeptenos etiam in Ægypto uno partu editos refert.

142. *Simul.*] Quidam legunt, *ſemel,* alii, *ſimul,* referuntque ad præcedentem ſententiam: at alii ad poſteriorem.

Simul ipſe loquaci, &c.] Adulator iſte quamvis orbum te velit, ſimulabit ſe delectari admodum loquacitate pueruli tui, qui adhuc eſt in cunis.

143. *Nido.*] Metonymia ſimul & Metaphora ab aviculis, Id eſt, parvulo in cunabilis conſtituto, ubi jam garrire geſtit, & conatur loqui.

Viridem thoraca.] Pectoris munimentum, & alia munuſcula donabit puero tuam captans amicitiam, ut morienti forte illi hæres a te ſubſtituatur: vel hunc præſtat nummis tuis ac opibus honorem, ut ſupra.

Viridem.] Viridis nempe coloris veſtes pueris dabantur. Is enim veri dicatus ætati primæ congruit.

144. *Minimaſque nuces.*] Avellanas, poma: &c. quibus capiuntur juvenculi.

Aſſemque rogatum.] Rogitanti quoque (ut fit) parvulo non negabit pecuniam, qua emat crepundia, nuces, & ſimilia.

145. *Ad menſam quoties,* &c.] Quoties eum cœnantem adierit puer, more paraſiti cibum petens, ingeret etiam ultro munera.

Vilibus

Digitized by Google

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino; ſed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, poſt quem nil amplius edit.
Virro ſibi & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum ſolo paſcaris odore,
Qualia perpetuus Phæacum Autumnus habebat;
Credere quæ poſſis ſurrepta ſororibus Afris.
Tu ſcabie frueris mali, quòd in aggere rodit
Qui tegitur parma, & galea, metuenſque flagelli
Diſcit ab hirſuto jaculum torquere Capella.

Familiaribus infimis apponentur fungi dubii, Patrono boletus: at qualem comedit Claudius ante eum conjugis, poſt quem nihil ultrà comedit. Virro ſibi aliiſque Virronibus imperavit ea proferri poma, quorum unicâ fragrantiâ replearis, qualia ferebat continuus Autumnus Corcyrenſium: quæ ſuſpicari queas detracta ſororibus Africanis. Tu pomo uteris ſcabioſo, quale in propugnaculis mandit qui ſcuto protegitur atque caſſide, ac flagrum timens vibrare telum docetur à Capella piloſo.

ANNOTATIONES.

146. *Vilibus ancipites fungi ponentur amicis.*] Vide Plin. lib. 2. Epiſt. 6. cujus locum habes ſupra ver. 112. Annotat. ad hæc verba, *Canes civiliter.*

Ancipites fungi.] Alii enim ſunt boni, alii mortiferi. Plin. lib. 22. c. 22. *quorumdam ex his facile noſcuntur venena, diluto robore, rancido aſpectu, livido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro.* Et cap. 23. *ii ſunt,* inquit, *tutiſſimi quibus rubet caro, magis diluto rubore, quam boleti.* Alii codices habent, *qui rubent callo, minus diluto rubore, quam boleti.* Vide Athen. lib. 2. c. 19. & Sueton. Neron. c. 33. ubi jocatus Nero Deorum cibum *fungos* appellat.

147. *Boletus.*] Species fungorum innocua, eoque rara. Unde Martial. lib. 13. Epigr. 48.

Argentum atque aurum facile eſt, lanamque togamque,
Mittere: Boletos mittere difficile eſt.

Qualem Claudius edit.] Mart. lib. 1. Epig. 21.

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Claudius.] Romanorum quintus Imperator, boletorum appetentiſſimus. Sueton. Tacit.

148. *Ante illum uxoris,* &c.] Ante ultimum illum quem porrexit ei Agrippina uxor venenatum, quo & extinctus eſt. Sueton. Claud. c. 44. Plin. l. 22. c. 22. *Inter ea quæ temere manduntur,* inquit, *Boletos merito poſuerim, optimi quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio Principi per hanc occaſionem a conjuge Agrippina dato: quo facto illa terris venenum alterum, ſibique ante omnes, Neronem ſuum dedit.*

149. *Reliquis Virronibus.*] Sui ſimilibus opulentis.

150. *Quorum ſolo paſcaris odore.*] An reſpicit ad id quod refert Athenæus l. 3. c. 7. Mala quædam Heſperidum vocari, ſuaviter quidem olentia, at parum cibo idonea, &c. An potius innuit ea poma tam exquiſiti odoris eſſe, ut ſua vel fragrantia paſcerent?

151. *Perpetuus Phæacum Autumnus.*] Hortos Alcinoi perpetuis fructibus nobiles intelligit. Vide Hom. Od. 7. & 8. & Mart. l. 7. Epig. 41.

Phæacum,] Corcyra Inſula ſic dicta primum a Nympha cognomine, dein, ejus populi dicti *Phæaces* a *Phæace* Rege, Neptuni & Corcyræ Nymphæ filio. Illa Epiro adjacet, in Ionio mari, vocaturq; hodie *Corfu.*

152. *Surrepta.*] Sicut olim Hercules, ut fabulantur, occiſo pervigili dracone, ea abſtulerat. Hom. Ovid. & alii.

Sororibus Afris.] Hæ ſunt Heſperides tres, Ægle, Arethuſa, Heſperethuſa, aureis malis in horto naſcentibus celebres. Plin. l. 19. c. 4. *Antiquitas,* inquit, *nihil prius mirata eſt, quam Heſperidum hortos ac Regum Adonis & Alcinoi.* Et ſub finem ejuſdem capitis, hortos illos ait ſitos fuiſſe ad Lixum Mauritaniæ oppidum, ducentis paſſibus ab Oceano, juxta delubrum Herculis, antiquius Gaditano, ut ferunt.

153. *In aggere rodit qui,* &c.] Miles tyro, in caſtris deficiente ſæpius commeatu, nullum cibi genus reſpuens. Numquid enim hic intelligenda, quæ refert Plinius, l. 15. c. 14. *Sata in caſtrorum aggeribus mala?*

154. *Parma.*] Breve ſcutum eſt, quale gerebant tyrones. Virgil.

. . . *Parmaque inglorius alba.*

Metuenſque flagelli.] Vapulabant qui exerrabant a ſcopo.

155. *Hirſuto Capella.*] Centurione vel Gladiatore tyrones exercente. Sene Magiſtro, *Capella* campi Doctore, ut habet vetus Schol. aut certe gloſſa interlinearis, ut vult Theod. Pulmannus

Forſitan

Digitized by Google

Forſitan impenſæ Virronem parcere credas:
Hoc agit ut doleas: nam quæ comœdia? Mimus
Quis melior plorante gula? Ergo omnia fiunt,
Si neſcis, ut per lacrymas effundere bilem
Cogaris, preſſoque diu ſtridere molari.
Tu tibi liber homo, & regis conviva videris;
Captum te nidore ſuæ putat ille culinæ:
Nec malè conjectat: quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Hetruſcum puero ſi contigit aurum,
Vel nodus tantùm, & ſignum de paupere loro?
Spes benè cœnandi vos decipit: Ecce dabit jam
Semeſum leporem, atque aliquid de clunibus apri
Ad nos jam veniet minor altilis: inde parato,
Intactoque omnes, & ſtricto pane tacetis.

Fortaſſe putes Virronem ſumptibus temperare. Imò *facit illud ut lugeas. Etenim qualis Comœdia? Ecquis hiſtrio potior edacitate lacrymante? Aguntur itaq; univerſa, ſi ignoras, ut adigaris per fletus bilem ejicere, ac longiùs fremere attrito molari. Tu te credis hominem ingenuum ac domini convictorem. Hic te exiſtimat allectum odore ſua culina. Neque perperàm ſuſpicatur. Enimverò quis adeò ſpoliatus, ut iſtum patiatur ſemel ac iterùm, ſi puer nactus eſt aurum Thuſcum, aut nodum dumtaxat, ac notam ex inope corrigia? Expectatio cœna lautioris vos fallit. En mox donabit leporem dimidiâ* parte *devoratum, & quidpiam è natibus apri. Mox nobis continget altilie tenuior. Hinc ſiletis cuncti appoſito* vobis *pane duro etiam atque illibato.*

ANNOTATIONES.

Sueton. Veſpaſ. cap. 3. meminit Statillii *Capellæ* Equitis Romani, quem hic nonnulli notari volunt.

Hirſuto.] Veſte piloſa cooperto, vel prolixa barba crinibuſque intonſis horrido, quod affectabant bellatores, ut annotavi cum alibi, tum ad Perſii Sat. 3. ver. 77. plurimi legunt, *hirſuta*, explicantes de pharetra quæ caprina pelle integi ſolebat. Alii dicunt poſitam olim capellam pro ſcopo: quod non immerito rejicitur. Lipſius Centur. 2. Ep. 31. quæ Joſiæ Mercero inſcribitur, improbat Scaligerum corrigentem hunc Juvenalis verſum, legentemque *hirſuto capella*: ſed quam ob rem, non explicat.

156. *Impenſæ Virronem parcere.*] Cum parca te excipit menſa.

157. *Mimus*] Hiſtrio dicta aliorum geſtibus exprimens, a *μιμεῖσθαι*, *imitari*.

158. *Quis melior plorante gula.*] Quid jucundius quam videre hominem guloſum Plautino Gelaſimo paraſito ſimilem, cum præſertim non ficte, ſed vere deploret famis & inediæ miſerias? Vide Plaut. Stich. Scen. 3. & alibi.

159. *Effundere bilem.*] Iram & indignationem depromere, ac ringi: quod Virroni ſit pro Comœdia. Unde vides, quo te loco ille deputet, nempe ridiculi.

160. *Stridere.*] Frendere, obmurmurare.

Molari.] *Molares* dentes ſunt ultimi illi ad morſum atterentes cibum ac molentes: unde nomen.

161. *Tu tibi liber homo*, &c.] Tibi quidem videris eſſe aliquid, nobilis ac ingenuus, eo quod adhiberis menſæ hominis opulenti: at ille te ſuæ velut aſſeclam culinæ mancipiumque jure aſpernatur.

163. *Nudus.*] Egens & inops rerum omnium.

Illum.] Patronum, Dominum, Regem, arrogantem ac ſuperbum, qui cibos præbet cum tanta contumelia.

164. *Hetruſcum puero ſi*, &c.] Si liber fuerit, ſeu ingenuo, ſeu libertino genere editus.

Hetruſcum aurum.] Bulla aurea, quam pueri nobiles collo ſuſpenſam ferebant. De ea vide quæ notabimus ad Perſii Sat. 5. v. 31. *Hetruſcam* vocat, ſeu quod ab Hetruſcis morem hunc Romani eſſent mutuati, ſeu quod eum inſtituerit Tarquinius Priſcus in Hetruria natus, qui & filium ſuum annos natum quatuordecim, quod hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudavit, & bulla aurea prætextaque donavit. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6.

165. *Nodus tantum*, &c.] *Nodus* e loro, ſeu bulla coriacea, quam geſtabant tenuiores ac libertini, in ſignum libertatis. Etenim libertinorum quoque filiis ſubinde conceſſum, ut lorum in collo pro bullæ decore geſtarent, quod teſtatur Macrob. loco mox citato.

166. *Ecce dabit jam*, &c.] Sic apud vos cogitatis quidem: at, dum ſperatis venturas ad vos ſaltem reliquias lautitiarum Patroni, hinc fit ut nec attingatis viles cibos vobis propoſitos.

168. *Minor altilis.*] Gallina, anus. Nam anſer major eſt *altilis*.

Inde parato, &c.] Fortaſſe comedendum cum altili panem reſervantes, illum non guſtatis, & cum ſilentio expectatis, ſed fruſtra.

169. *Stricto pane.*] Vel cruſtis cultro abraſis leviter perſtricto; vel ſtrictim ablato e menſa, vel duritie conſtricto & ſolido, quod ſupra innuit, ver. 68.

Tacetis.] Conqueri non audetis, ac juſtam illam indignationem promere, quam habetis in animo.

Ille ſapit, qui te ſic utitur. Omnia ferre
Si potes, & debes; pulſandum vertice raſo
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis, & tali dignus amico.

Is ſapiens eſt, qui te ita tractat. Quandoquidem cuncta vales tolerare, etiam debes, aliquando percutiendum offeres caput ſummitate detonſa; & meritus iſtam cœnam atque tantum familiarem, non metues ferre gravia flagella.

ANNOTATIONES.

170. *Ille ſapit.*] Ille dives bene quidem & ſapienter facit, o Trebi paraſite, qui te ſic abutitur ad omnem injuriam parato, & dummodo ſuppetant ac ſuggerantur cibi quacunq; tandem ratione, nullum ignominiæ genus abhorrente.

171. *Et debes.*] Ex more & merito paraſiticæ conditionis, obligaris ad omnia perferenda.

Pulſandum vertice raſo, &c.] Quinetiam liber cum ſis, ſervilia tamen verbera ſponte excipies ab eo qui te ſua menſa & familiaritate dignatur.

Vertice raſo.] Qui aſſerebantur in libertatem, ii raſum caput habebant, ut fuſe docebimus ad Perſii Sat. 5. ver. 82. & ſeq. Alii ſic interpretantur; tibi etiam per ludibrium abradi verticem ac percuti a ſuperbo divite patieris ultro, ut iſtas epulas ac talem amicum tibi concilies. Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10.

SATIRA VI.

CRedo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris viſamq; diu; cùm frigida parvas
Præberet ſpelunca domos, ignemque Laremque,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbra:
Silveſtrem montana torum cùm ſterneret uxor

INTERPRETATIO.

EXiſtimo caſtitatem regnante Saturno in terris habitâſſe, & aliquandiu conſpectam, quando antrum algens ſuppeditabat ædes modicas, & æquali umbraculo contegebat ignem, & Penates, & greges, & Magiſtros: quando montana conjux nemorenſem parabat lectum foliis & paleâ,

ANNOTATIONES.

1. *CRedo pudicitiam.*] Hac Satira Juvenalis, varia mulierum facinora commemorando, Urſidium Poſthumum ab uxore ducenda diſſuadet.

Saturno rege.] Cum Saturnus Cœli & Veſtæ filius in Latio regnabat; cumq; vigebat virtus & innocentia. Unde & fuiſſe tunc aureum ſæculum fabulantur. Heſiod. Op. 1. Cic. de Nat. Deor. 2. n. 64. Virgil. Eclog. 4. & Æneid. 8. Ovid. Met. 1. Fab. 3. & 4. Lactant. lib. 1. cap. ult. & lib. 5. cap. 5. Sanctus Hieron. Comment. in Iſaiam, lib. 4. cap. 11. & lib. 9. cap. ult. in fine.

3. *Spelunca domos.*] Ovid. Met. 1. Fab. 4.
----Domus antra fuerunt,
Et denſi frutices, & junctæ cortice virgæ.

Domos.] Has quidem lateritias Athenis condidere primi Euryalus & Hyperbius fratres: luteas vero Toxius, ſumpto ab Hirundinum nidis exemplo. Plin. lib. 7. cap. 56.

Larem.] Qui Deus familiaris colebatur in foco.

5. *Silveſtrem montana.*] In montibus educata, ubique vivere ſueta. Hic Horat. *Silveſtres homines*, inquit ad Piſones, v. 391.

Frondibus,

Frondibus, & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus: haud ſimilis tibi Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et ſæpè horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo, cœloque recenti
Vivebant homines; qui rupto robore nati,
Compoſitique luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris veſtigia forſan,
Aut aliqua exſtiterant, & ſub Jove, ſed Jove nondum
Barbato, nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, cum furem nemo timeret
Caulibus, aut pomis, & aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad Superos Aſtræa receſſit,

& propinquarum pelliculis beſtiarum: non tibi par, ô Cynthia; neque tibi, cujus oculos fulgentes conturbavit mortuus paſſerculus: at grandioribus pueris mammas præbens ebibendas, ac interdum agreſtior viro glandem eructante. Nam alio modo in mundo & aëre tùm recenter factis homines victitabant, qui fracto quercu orti, & cœno formati nullos parentes agnoſcebant. Plurima caſtitatis antiquæ ſigna vel pauca fortaſſe reſtabant etiam ſub Jove, at Jove non adhuc barbam habente; Græcis nondum aſſuetis jurare per caput aliorum: quando nullus metuebat prædonem braſſicis vel malis, atque degebat hortulo patente. Poſteà ſenſim ad cœlos evolavit Aſtrea,

ANNOTATIONES.

6. *Ferrarum pellibus.*] Lucret. lib. 5.

Necdum res igni ſcibant tractare, neque uti
Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum.
Sed nemora atque cavos montes ſilvaſque colebant.
Et frutices inter condebant ſqualida membra.
. . . .
Circum ſe foliis ac frondibus involventes.

7. *Haud ſimilis tibi.*] Non æque culta ac tu.

Cynthia.] Propertii amaſia, tot ejus carminibus celebrata. Sic habet Eleg. 1.

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis.

Nec tibi.] O Lesbia Catullo adamata.

8. *Turbavit.*] Fletibus nimiis.

Extinctus paſſer.] Catull. Carm. 2. & 3.

Paſſer deliciæ meæ puellæ, &c.
Paſſer mortuus eſt, &c.
------ *O miſelle paſſer,*
Tuâ nunc operâ meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

9. *Potanda ferens infantibus ubera magnis.*] Primis enim ſæculis grandiores, ut aiunt, naſcebantur infantes aut certe grandiores materno lacte nutritos innuit. Unde Sat. 15. v. 70. ſic habet:

Terra malos homines nunc educat atq; puſillos.

Quanti ſit porro infantes non alieno lacti veſci docet Macrob. lib. 5. c. 11. Gell. lib. 12. c. 1. Plutarch. &c.

10. *Horridior.*] Neglectior, minus culta & ornandi ſe ſtudioſa minus quam vir contra hodiernos mores.

Glandem ructante Marito.] Marito exhalante odorem glandium, quibus tunc veſcebantur homines. Plin. lib. 7. c. 56. & Procem. lib. 16. ejuſdem vero lib. cap. 5. ait e glandium farina panem aliquando factum, & apud Hiſpanias ſecundis menſis glandes adhiberi.

11. *Orbe novo.*] Recenter condito.

12. *Rupto robore nati.*] Egreſſi nimirum e truncis arborum excavatarum, in quibus noctu ſe condebant, inde naſci videbantur. Hinc Virg. Æneid. 8.

Genſque virum truncis, & duro robore nata.

13. *Compoſiti luto.*] A Prometheo ſcilicet, qui dicitur a Poëtis e luto primos homines finxiſſe.

15. *Sub Jove.*] Sub quo fuit ætas argentea, jamque cœperunt omnia fieri deteriora.

Nondum barbato.] Juniore, & nondum tot adulteriis famoſo, quibus ſe poſtea contaminavit.

16. *Nondum Græcis jurare paratis.*] Græcorum enim fides ſuſpecta omni ævo. Senſus eſt, cum nondum perjuria inoleviſſent.

17. *Per caput alterius.*] Jurabant Veteres & per ſuum, & per aliorum caput, v. g. parentum, filiorum, &c. Imo & Deorum. Virg. Æneid. 9.

Per caput hoc juro, per quod pater ante ſolebat.

19. *Aſtræa.*] Aſtræi Principis æquiſſimi, ut ſcribit Aratus; vel, ut aiunt alii, Jovis ac Themidis filia, proinde Juſtitiæ Dea putatur, quam fabulantur in cœlos evolaſſe, cum Terras videret ſceleribus inquinari. Ovid. Metam. 1. Fab. 4.

Ultima Cœleſtium terras Aſtræa reliquit.

Hac

Digitized by Google

illâ comitante; & ambæ ſimul germanæ abſceſſerunt. O Poſthume, priſcum eſt ac vetuſtum turbare thalamum alterius, & ſpernere Genium ſancti columinis. Ferreum continuò ſæculum reliqua flagitia produxit univerſa. Primos adulteros aſpexit ætas argentea. Tu *nihilominùs ævo noſtro moliris cœtus, atque contractus, ac matrimonia. Et modò comeris à tonſore principe: fortè etiam pignus digito præbuiſti. Sapiens extiteras profectò. Conjugem ſumis Poſthume? Loquere ecquâ Tiſiphone, queis ſerpentibus infeſtaris? Vales pati dominatricem aliquam,* cùm *ſuperſunt tot funes? Quando apertæ ſunt feneſtræ ſublimes ac tenebricoſæ? Quando pons Æmilius tibi ſe propinquum offert? Vel, ſi è pluribus nullus finis arridet, an non hoc ſatiùs exiſtimas,* *

Hac comite, atq; duæ pariter fugêre ſorores.
Antiquum & vetus eſt alienum, Poſthume, lectum
Concutere, atque ſacri Genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.
Viderunt primos argentea ſæcula mœchos.
Conventum tamen, & pactum, & ſponſalia, noſtrâ
Tempeſtate paras; jamque à tonſore magiſtro
Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.
Certè ſanus eras. Uxorem, Poſthume, ducis?
Dic quâ Tiſiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam ſalvis tot reſtibus ullam?
Cum pateant altæ caliganteſque feneſtræ?
Cum tibi vicinum ſe præbeat Æmilius pons?
Aut ſi de multis nullus placet exitus; illud
Nonne putas melius, quòd tecum puſio dormit?
Puſio qui noctu non litigat? exigit à te
Nulla jacens illic munuſcula, nec queritur quòd
Et lateri parcas, nec quantum juſſit anheles:

ANNOTATIONES.

20. *Hac comite.*] Pudicitia honeſtatis Dea.

Sorores.] Fides & Pudicitia. Vetus Schol. Horat. lib. 1. Od. 24.

Pudor, & Juſtitiæ ſoror
Incorrupta fides, &c.

21. *Antiquum & vetus.*] Jam dudum flagitia graſſantur, a Jovis tempore nimirum.

22. *Sacri genium contemnere fulcri.*] Violari ſanctitatem fidei conjugalis, ac Religionem matrimonii & thalami, cui Genius præſidet. De Genio vide quæ dicemus ad Perſii Sat. 2. v. 3.

Fulcri.] Synecdoche, pro, *thori fulcris nixi.*

23. *Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.*] Ovid. Met. 1. Fab. 4.

---- *Ætas de duro eſt ultima ferro.*
Protinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas, &c.

24. *Argentea ſæcula.*] Quæ ſecunda fuit ætas regnante Jove.

Mœchos.] Fabuloſos Deos flagitiis celebres, Jovem, Martem, Venerem, Mercurium, Apollinem, &c.

25. *Conventum.*] Vel conventa matrimonialia, vel amicorum & affinium cœtus, ſuper tuis ſponſalibus ac matrimonio.

Noſtrâ tempeſtate.] Qua non fuit ericve corruptior.

26. *Tonſore magiſtro pecteris.*] A tonſore imprimis docto comeris, ut ſponſæ bellus ac nitidus appareas.

27. *Digito pignus.*] Annulum, in futuri mox conjugii fidem ac amoris pignus. Eſt enim vinculum, non geſtamen, quod ait Plin. lib. 33. cap. 1. Macrob. lib. 7. c. 13. & Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

28. *Sanus eras, &c.*] Hactenus ſapuiſti quidem, at jam tum deſipere incipis, cum quæris uxorem. Vide Gell. lib. 1. c. 6.

29. *Tiſiphone.*] Tres Noctis & Acherontis filiæ, vulgo Furiæ cenſentur, Alecto, Megæra, Tiſiphone.

Quibus colubris.] Furiis colubros & ſerpentes pro crinibus affingunt Poëtæ. Virg. Æn. 7.

Huic Dea cæruleis unum de crinibus anguem
Conjicit.

30. *Dominam.*] Uxorem quæ viro dominetur ac imperatur.

Salvis tot reſtibus.] Cum præſto ſint tot laquei, quibus te potius debeas ſtrangulare.

31. *Caligantes feneſtræ.*] E quibus te præcipites noctu, ne forte deterreat earum altitudo. Vel, caligantes, id eſt, præ altitudine facientes caligare oculos.

32. *Æmilius pons.*] Ædificatus a M. Æmilio Scauro Cenſore, in via Flaminia ad unum ab urbe lapidem, unde facile poſſis in Tiberim deſilire, ac ſubmerſus perire, nemine conſcio aut impediente.

33. *Exitus.*] E vita, quâ nondum emigrare velis.

Sed

Sed placet Urſidio lex Julia: tollere dulcem
Cogitat hæredem, cariturus turture magno,
Mullorumque jubis, & captatore macello.
Quid fieri non poſſe putes, ſi jungitur ulla
Urſidio? Si mœchorum turpiſſimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capiſtro,
Quem toties texit perituri ciſta Latini?
Quid, quòd & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur? O Medici mediam pertundite venam.
Delicias hominis! Tarpeium limen adora
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucæ adeò Cereris vittas contingere dignæ;
Quarum non timeat pater oſcula. Necte coronam
Poſtibus, & denſos per limina tende corymbos.

Verùm approbatur Urſidio lex Julia. Jucundum hæredem ſuſcipere meditatur, licet privandus ingenti turture, ac mullorum pilis, atque macello conciliatore. Ecquid credas haud peragi poſſe, ſi aliqua Poſthumo copulatur? Si nunc inſanum os aperit conjugali fræno adulterorum quondam celeberrimus, quem tam ſæpè occultavit arca Latini morituri? Quid, quod etiam inveſtigatur ei conjux è priſca indole? O Medici, mediam venam ſcindite. O voluptas viri! Proſtratus venerare januam Tarpeiam, atque macta Junoni buculam inauratam, ſi tibi evenerit materfamilias capitis caſti. Ita raræ merentur attrectare faſciolas Cereris, quarum baſia genitor haud metuat. Corollas valvis alliga, atque ſpiſſos racemos hederæ intende per fores.

ANNOTATIONES.

38 *Lex Julia.*] *Quæ jubet eos hæreditatem capere qui filios habent,* inquit vetus Schol. Alii vero, eo quod, inquiunt, Urſidius ſatis egit adulterum, probat legem Juliam adulteria prohibentem, jamque uxorem ducit. Vide Sat. 2. v. 37.

39. *Hæredem.*] Legitimum e conjuge filium.

Cariturus turture magno.] Munuſculis licet non donandus deinceps amplius. Orbis divitibus hæredipetæ dona miſſitabant, ut notavimus ad Sat. 4. v. 18. & Sat. 5. v. 137. & ſeq.

Turture.] Vel avi, vel piſce, qui Græcis τρυγὼν, Latinis *paſtinaca marina* dictitatur. Plaut. Moſtell. Act. 1. Scen. 1. v. 44.

Tu tibi iſtos habeas turtures, piſces, aves.

40. *Mullorumque jubis.*] Jubatis mullis. De his fuſe ad Sat. 4. v. 15. & Sat. 5. v. 92.

Captatore macello.] Obſoniis, quæ in macello empta captatores donabant. Vide Sat. 5. v. 95. & 97.

41. *Quid fieri non poſſe putes, &c.*] Sic Virg. Eclog. 8.

Mopſo Niſa datur, quid non ſperemus amantes?
Jungentur jam gryphes equis, &c.

Si jungitur ulla Urſidio.] Si reperiatur quæ velit nubere mœchorum notiſſimo.

43. *Capiſtro.*] Metaphora ab equis.

44. *Quem toties texit.*] Ab ira & vindicta mariti ſupervenientis, cum flagitium perpetraret. Vide Horat. l. 2. Sat. 7. v. 59.

Ciſta Latini.] Inſtar Latini, qui ſimile quid in Scena exhibuit: nimirum ab adultera confeſtim ciſta obtectus, & a morte ſervatus eſt, quam dubio procul intuliſſet ei deprehenſo vir adulterium uxoris injuriamque ſuam ulciſcens. Turneb. l. 20. c. 8.

Latini.] Is Domitiano carus erat mimus. De quo Sat. 1. v. 36. *Is poſtea propter adulterium Meſſalinæ punitus eſt,* inquit vetus Schol. Mart. l. 9. Epig. 29.

Dulce decus Scenæ, ludorum fama Latinus
Ille ego ſum, plauſus, deliciæque tuæ, &c.

45. *Quid, quòd & antiquis.*] Quinetiam tam ſtultus eſt Urſidius, ut caſtam nanciſci uxorem ſperet, qualis aureo ſæculo.

46. *Mediam pertundite venam.*] Quæ ſolet incidi furioſis ac phreneticis, ad medendum furori.

47. *Delicias hominis.*] Ironice, O delicatum nimis ac beatum, cui tam flagitioſo pudica uxor contigerit! Vel, qui ſibi tam fatua ſpe talis inveniendæ adulatur?

Tarpeium limen adora.] Jovem Capitolinum, cujus ædes in arce ac rupe Tarpeia, cole, eique ſacrifica pro tam ſingulari beneficio.

48. *Auratam Junoni cæde juvencam.*] Plin. l. 13. c. 3. *Auratis cornibus,* inquit, *hoſtiæ majores dumtaxat immolabantur.*

Junoni.] Pronubæ, conjugii præſidi, & adulteria acriter vindicanti. Virg. Æn. 4.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

49. *Capitis.*] Corporis. Synecdoche.

50. *Cereris.*] Cujus ſacris non niſi caſtæ mulieres initiari debebant. Dion. Halicarn. l. 1.

Vittas.] Quibus religabantur Sacerdotum crines.

51. *Oſculà.*] Ne forte minus pudica ſint ea, cum inter ſalutandum affinibus & amicis dantur ex conſuetudine; de qua Plin. l. 14. c. 13. & Plutarch. de mulierum virtutibus, & quæſt. Centur. Rom. quæſt. 6.

Necte coronam poſtibus.] Quod fieri ſuetum erat in nuptiis.

Digitized by Google

Unus Iberinæ vir ſufficit? Ocyus illud
Extorquebis, ut hæc oculo contenta ſit uno.
Magna tamen fama eſt cujuſdam rure paterno
Viventis: vivat Gabiis, ut vixit in agro;
Vivat Fidenis, & agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nihil actum in montibus, aut [in
Speluncis? Adeò ſenuerunt Jupiter, & Mars?
Porticibuſne tibi monſtratur fœmina voto
Digna tuo? Cuneis an habent ſpectacula totis
Quòd ſecurus ames quodq; inde excerpere poſſis?
Chironomon Ledam molli ſaltante Batyllo
Tuccia veſicæ non imperat; Appula gannit
Sicut in amplexu: Subitum & miſerabile longum
Attendit Thymele, Thymele tunc ruſtica diſcit.

Unicus Iberinæ maritus ſatis eſt? Hoc potiùs exigas, ut unus illi oculus ſufficiat. Veruntamen ingens eſt exiſtimatio alicujus degentis in parentum domo ruſticâ. Vitam agat apud *Gabios qualem egit ruri, vitam agat apud Fidenas, ac* tùm *concedo* in *agro parentum* caſtam fuiſſe. *Nihilominùs quis aſſeverat perpetratum nihil* eſſe *in montibus, vel in cavernis? Itane vetuſti ſunt Mars ac Jupiter? In xyſtis* autem *an tibi oſtenditur mulier deſiderio tuo non indigna? Theatra* verò *omnibuſne angulis continent quod tutus diligas, & quod illinc queas eligere?* At *Batillo tenero Ledam Chironomon tripudiante, Tuccia * * Appula * * repentinum, atque miſeratione dignum prolixum Thymele conſiderat, Thymele agreſtis tum percipit* repentinum, ac flebile prolixum.

ANNOTATIONES.

53. *Unus Iberinæ vir ſufficit.*] Fortaſſe dices Iberinam tuam ſponſam ſaltem caſtam eſſe, ac uno te viro fore contentam. At quantum erras!

54. *Oculo.*] In formoſis oculi præſertim ſpectantur. Ovid.

Oculi ſunt in amore duces.

55. *Magna tamen fama.*] Reſpondet Urſidius; at celebratur ejus pudicitia, quæ fuit educata ruri, in paterna villa.

56. *Vivat Gabiis, &c.*] Ut probetur ejus animi caſtitas, in urbibus vivat aliquandiu inter adoleſcentes paulo quam ruri comptiores.

Gabiis] Volſcorum fuit oppidum, celebre quidem doloſa illa Sext. Tarquinii expugnatione, de qua Tit. Liv. l. 1. c. 53. & ſeq. Gabienſem agrum equitantium curſu tremere narrat Plin. l. 2. c. 94.

57. *Fidenis.*] Urbs erat Latii Romæ vicina, unde inter utriuſque populos bella ſtatim exorta, quæ refert Livius l. 1. c. 14. & ſeq.

Et agello cedo paterno.] Si quidem in urbibus caſte vixerit, tum ego concedam, & fatebor etiam ruri pudicam extitiſſe.

58. *Quis tamen affirmat.*] Correctio prioris conceſſionis ac ſententiæ.

Nihil actum.] Furtim & flagitioſe.

59. *Adeò ſenuerunt.*] Ut deſint hodieque qui meminerint ac imitentur.

Jupiter & Mars.] Quorum tot ſtupra narrantur in ſilvarum ac montium receſſu perpetrata. Adverte, ſi lubet, quam nec ſuis Diis parcat Satiricus.

60. *Porticibus.*] Pompeia, Livia, Iſidis, quo ſolent convenire mulieres, ad ſpatiandum. Ovid. 1. de Arte.

Tu modo Pompeia lentus ſpatiare ſub umbra,
Cum Sol Herculei terga leonis adit,
Nec tibi vitetur quæ priſcis ſparſa tabellis
Porticus; auctoris Livia nomen habet.

61. *Voto digna tuo.*] Qualem exoptas, caſtam & pudicam.

Cuneis.] Theatri ſedibus, receptaculis; in quibus ſpectant ludos fœminæ.

62. *Securus.*] Nil metuens de ejus fide & caſtimonia.

63. *Chironomon Ledam, &c.*] At num ignoras in ſpectaculis etiam caſtiſſimas depravari.

Chironomon Ledam.] Genus erat & nomen ſaltationis, quæ fiebat manuum certis motibus ac geſtibus, dicta vero a *Leda* ſaltatrice inſigni & geſticulatrice. Vide Sat. 5. ver. 121.

Saltante Batyllo.] Eximio geſticulatore, quem fœminæ ſpectantes in admirationem ſimul & amorem, ut aiunt, rapiebantur. Ejus meminit Tac. Annal. 1. Videque quæ ad Perſ. Sat. 5. v. 23.

64. *Tuccia, Appula.*] Mulieres ruſticæ.

65. *Subitum & miſerabile longum.*] Motus varios ac geſtus a mimo expreſſos, vel etiam voculas nunc ſubito, nunc in longum tractas ad luctum exhibendum.

66. *Attendit Thymele, &c.*] Rudis illa mulier & innocens hactenus totum intendit animum, Batyllo ſaltante; unde & ejus motus ediſcit atque artem. Hinc ad libidinem incitatur & corrumpitur. De Thymele jam Sat. 1. ver. 36. Tertul. *Theatrum,* inquit, *Sacrarium eſt Veneris.* S. Cyprianus Epiſt. ad Donat. *In Theatris,* inquit, *admonetur omnis ætas auditu, fieri poſſe quod factum eſt: exempla ſiunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt. Adulterium dicitur dum videtur; & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum acceſſerat, inde revertitur impudica.* Et paulo poſt. *Movet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem.*

Aſt

Digitized by Google

Aſt aliæ, quoties aulæa recondita ceſſant,
Et vacuo clauſoque ſonant fora ſola theatro,
Atque a plebeiis longè Megaleſia, triſtes
Perſonam, thyrſumque tenent, & ſubligar Accî.
Urbicus exodio riſum movet Atellanæ
Geſtibus Autonoes; hunc diligit Ælia pauper.

Verùm quandocumque tapetia ſubmota deſinunt, ac fora dumtaxat perſtrepunt, Theatro inani atque obducto; & Megaleſia ſunt *diu poſt Plebeios* ludos, tum *cæteræ mœſta ſumunt larvam, ac thyrſum, atq; ſubligaculum Accii.* Quoties *Urbiens exodio Atellanico excitat cachinnos geſticulationibus Autonoes; illum amat inops Ælia.*

ANNOTATIONES.

67. ***Aſt aliæ.***] Aliæ vero mulieres hiſtrionicam etiam exercent, cum nimis diu ceſſant ludi, adeo ſunt luxui ac deliciis deditæ.

Aulæa.] Vela, tapetia, quibus obtenditur, ac decoratur Scena. Iſidor. *Aulæa* dicta ait, quod ea primum ornamenta in Aula Attali Aſiæ Regis inventa ſunt. Horat. ad Piſones, v. 154.

Si plauſoris eges aulæa manentis, &c.

68. *Fora.*] Judiciaria nimirum Tribunalia ac ſubſellia Judicum.

69. *Plebeiis longe Megaleſia.*] Quando poſt ludos Plebeios nimium differuntur Megalenſes.

Plebeiis.] Hi ludi facti ſunt pro lætitia recuperatæ libertatis poſt exactos Reges: vel, ut volunt alii, pro reconciliatione plebis cum Patribus poſt ſeceſſionem in Aventinum, de quibut Liv. l. 2. & 3. de Ludorum ritu ac pompa, vide Dion. Halicarn. l. 7. c. 56. Alex ab Alex. l. 6. c. 19, &c.

Megaleſia.] Ludi Circenſes magnæ Matri Deûm a Junio Bruto conſecrati. Tit. Liv. nomen a *μεγάλης μητρὸς*. Cic. Haruſp. Reſp. *Quid loquar*, ait, *de illis ludis, quos in Palatio noſtri majores ante templum, in ipſo matris magnæ conſpectu, Megalenſibus fieri celebrarique voluerunt? Qui ſunt more inſtitutiſque maxime caſti, ſolemnes, religioſi——— ———qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipſo & appetita religio externa, & matris magnæ nomine ſuſcepta declaretur:——— ———ſervorum Megaleſia fuerunt?*

Triſtes.] Impatientes moræ, ſpectaculorum deſiderio vexatæ ſumunt inſtrumenta hiſtrionum, ac domi ludunt.

70. *Perſonam.*] Faciei tegmen ab Æſchylo inventum, teſte Horatio ad Piſones, v. 278.

Thyrſum.] Haſtam pampinis involutam qualem Bacchæ in Liberi Sacris geſtabant, & hiſtriones in Scena, quæ quidem Baccho primum tota erat dedicata.

Subligar.] *Tragœdi veſtem*, inquit vetus Schol. *περίζωμα* erat quo mimi & hiſtriones partes inferiores velabant, ad cætera nudi. Dion. Halicar. teſtatur. Tull. autem Offic. l. 1. n. 129. *Scenicorum mos*, inquit, *tantam habet a vetere diſciplina verecundiam, ut in Scena ſine ſubligaculo prodeat nemo.*

Acci.] Vel Poetæ nomen eſt, vel potius hiſtrionis cujuſdam.

71. *Urbicus.*] Hiſtrio, vel cantor.

Exodio.] Varro, vitæ & ſervitutis *exodium*: Apuleius rei *exodium*, id eſt, *finem*, appellant. At hic proprie magis accipiendum pro Atellanæ Fabulæ diverbio in fine ludorum fieri ſolito ad recreandos poſt ſeria ſpectatores. Suet. Tib. c. 45. *Nota in Atellanico exodio proximis ludis aſſenſu maximo excepta percrebuit; hircum vetulum capris naturam ligurire.* Vetus Schol. *Exodiarius*, inquit, *in fine ludorum apud Veteres intrabat, quod ridiculus foret; ut quicquid lacrymarum atque triſtitiæ coegiſſent ex tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus detergeret.* Quidam nominis originem ducunt ab *ἔξω ᾠδῆν*, *extra cantum*, vel *ſine cantu*, ſed quia carmen illud ridiculum poſt exitum Chori canebatur, ut vult Jul. Pol. ſeu quod ſine cantu a juvenibus jactabatur. Alii *exodium* putant dictum, quia poſt *exodon* erat, quæ Tragœdiæ pars ultima eſt apud Ariſtot. Voſſ. Inſtit. Poët. l. 2. c. 5.

Atellanæ.] *Atella* urbs Oſcorum in Campania, Capuam inter & Neapolim, hodie, *Averſa*, ubi celebre erat Ampitheatrum. Illic inventæ primum joculares illæ fabulæ, quæ Atellanæ vocatæ ſunt; ſimileſque erant Satiricis Græcorum Dramatibus, ut egregie notant Diomed. & Donat. in Terent. Tit. Liv. l. 7. c. 2. *Juventus*, inquit, *hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare cœpit; quæ inde exodia poſtea appellata, conſertaq; fabellis potiſſimum Atellanis ſunt. Quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit juventus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. Eo inſtitutum manet, ut Actores Atellanarum nec tribu moveantur, & ſtipendia tanquam expertes artis ludicræ faciant.*

72. *Geſtibus Autonoes.*] Geſtibus exprimens verba & actus Autonoes Cadmi filiæ, & matris Actæonis in cervum a Diana mutari, & canibus diſcerpti, de quo Met. 3. vel, agens perſonam Autonoes in Fabula de ipſa Autonoe.

Hunc diligit Ælia pauper.] Actorem exodiarium viliorem diligit Ælia, nobilis quidem, at pauper: adeo libidine feruntur tam inopes quam opulentæ.

Ælia.] Æliæ familæ paupertatem laudat Val. Max. l. 4. c. 4. Art. 8.

Digitized by Google

Iſtis ingenti pretio *laxatur hiſtrionis fibula. Reperiuntur quæ canere impediant Chryſogonum. Hiſpulla delectatur Tragœdo. Speraſne ut diligatur Quintilianus? Aſſumis conjugem è qua parens fiat Echion citharœdus, vel Glaphyrus, & Ambroſius tibicen. Ampla erigamus pulpita per arctas vias. Valvæ foreſq; magnis decorentur, ut illuſtris infantulus camerato tentorio exhibeat tibi gladiatorem Euryalum, ô Lentule. Senatoris uxor Hippia ſecuta eſt ludionem ad Pharum ac Nilum, & inſignes Lagi muros,*

Solvitur his magno comœdi fibula. Sunt quæ
Chryſogonum cantare vetent. Hiſpulla tragœdo
Gaudet: an expectas, ut Quintilianus ametur?
Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambroſiuſque choraules.
Longa per anguſtos figamus pulpita vicos:
Ornentur poſtes, & grandi janua lauro,
Ut teſtudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludium
Ad Pharon, & Nilum, famoſaque mœnia Lagi,

ANNOTATIONES.

73. *Solvitur his magno, &c.*] Aliæ ditiores matronæ magno pretio emunt amorem & concubitum Comœdi.

Fibula.] Circulus, vel filum ex ære vel argento, quo virilia & uſum Veneris coërcet, conſervandæ vocis gratia. Vide Corn. Celſ. l. 7. c. 25. Et Mart. l. 7. Epigr. 81.

74. *Chryſogonum cantare vetent.*] Sunt mulieres quæ Chryſogonum voce canora eximium ad libidinem pellicientes perdiderunt cum ſua voce, cui nempe noxius Veneris uſus.

Hiſpulla.] Matrona pinguis, cujus rurſum meminit Sat. 12. v. 11.

75. *Gaudet.*] Amore capitur.

Quintilianus ametur.] Imo laſcivus hiſtrio diligetur a laſcivis iſtis mulieribus multo magis quam vir ſapiens, doctus, caſtus, qualis Rhetor ille celebris.

77. *Glaphyrus.*] Vox Græca venuſtum & elegantem ſignificans.

Fiat pater.] Per adulterium cum uxore tua.

Choraules.] In choro tibiiscanens, αὐλὸς, *tibia*.

78. *Longa per anguſtos figamus, &c.*] Conceſſio ironica. Ergo, inquit, matrimonium ini, & erige pulpita in quibus agantur nuptiarum ludi, ut, &c.

Per anguſta vicos.] In angiportu.

79. *Ornentur poſtes, &c.*]. Supra v. 51, & 53.

80. *Ut teſtudineo, &c.*] Ut tu vir nobilis adulterinos e conjuge filios ſuſcipias quaſi tuos, qui tamen ſint hiſtrionis, citharœdi, gladiatoris.

Teſtudineo.] In formam teſtudinis extenſo ſuper cunas velo. Minus ad rem videtur quod explicant alii de lecto puerperæ ſegmentis ornato teſtudinis. Ponitur itaque *teſtudineo conopeo*, Synecdochice, pro *cunis puerili*.

Lentule.] Quilibet illuſtris.

Conopeo.] Κώνωψ, *culex*, unde *conopeum* dicitur velum ad arcendos culices, Alexandrinis maxime uſitatum, teſte Valla. Hor. Epod, 9.

Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopeum.

81. *Nobilis infans.*] Qui de te nobili creditur natus, cum tamen patrem habeat mirmillonem uxoris tuæ adulterum.

Mirmillonem.] Componebantur paria gladiatorum, quorum alter *mirmillo*, alter retiarius, ut amplius dictum eſt Sat. 2. ad v. 143. & ſeq.

Exprimat.] Gladiatorem vultu referat patri ſimilis infantulus, ad tuum, o Lentule, pudorem ac dedecus.

82. *Nupta Senatori.*] Exemplis jam probat quod de mulierum effrænata libidine affirmavit.

Senatori.] Fabricio Veientoni, de quo ante Sat. 4. v. 113.

Ludium.] Sergium gladiatorem, Legit Salmaſ. *ludum*; vultque dici pro *ludio*; ut *regna*, pro *regibus*.

83. *Pharon.*] Inſula eſt Alexandriæ urbi ponte conjuncta, in qua de faſtigio turris fax accenſa portum indicat, & dirigit noctu navigantes.

Nilum.] Ægypti flumen inclytum, de quo Sat. 1. v. 26. Oritur Nilus in Æthiopia ſuperiore, fonte duplici: Leucas plus mille perfluit ad mare Mediterraneum; multis auctus fluviis in illud exit per oſtia quandoque plura, nempe cum exundat: quod ſingulis annis contingit circa Solſtitium æſtivum. Cauſas exundationis alii alias comminiſcuntur. Abundantes tunc temporis in Æthiopia imbres non abs re plerique afferunt. Exundans autem Nilus mirum in modum limo ſuo terras fœcundat. Qui ſi creverit ad duodecim vel tredecim cubitos dumtaxat, eſurit Ægyptus, quatuordecim hilaritatem creant, quindecim ſecuritatem, ſedecim delicias, ſi ultra, damnum. Ex Plin. l. 5. c. 9. & aliis. Aquarum Nili bonitatem & ſalubritatem laudant Ariſtot. Galen. &c. Nitro, quod ibi multum, aſſignare licet hujus cauſam. Vide & Herod. l. 2. Sen. Nat. quæſt. l. 4. c. 1. & ſeq. Agel. l. 10. c. 7. Cœl. Rhodig. l. 27. c. 6. &c.

Famoſaque mœnia Lagi.] Alexandriam Ægypti urbem, ubi regnavit *Lagus* Ptolemæi ſucceſſoris Alexandri pater. Hæc famoſa emporio, populorum luxu, & cæde Pompeii.

Pro-

Digitized by Google

Prodigia & mores urbis damnante Canopo.
Immemor illa domus, & conjugis atq; ſororis,
Nil patriæ indulſit, plorantesque improba natos,
Utque magis ſtupeas, ludos, Paridemque reliquit.
Sed quanquam in magnis opibus, plumâq; paterna,
Et ſegmentatis dormîſſet parvula cunis,
Contempſit pelagus: famam contempſerat olim,
Cujus apud molles minima eſt jactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, latèque ſonantem
Pertulit Ionium conſtanti pectore, quamvis
Mutandum toties eſſet mare. Juſta pericli
Si ratio eſt, & honeſta, timent, pavidoq; gelantur
Pectore, nec tremulis poſſunt inſiſtere plantis.
Fortem animum præſtant rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux, durum eſt conſcendere navim.
Tunc ſentina gravis, tunc ſummus vertitur aër.
Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho valet. Illa maritū
Convomit: hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

Canopo execrante portenta moreſque civitatis Romæ. *Ea familia oblita, & mariti, & germana, nequaquam patria pepercit: atq; ſceleſta deſeruit filios lacrymantes, &, quòd plus mirere, ſpectacula & Paridem. At quamvis & plumeâ parentis* culcitra, *& incunabilis ſegmentatis infantula cubuiſſet inter ingentes divitias, aſpernata eſt mare: quondam ſpreverat exiſtimationem, cujus damnum parvi ſtat apud ſellas delicatas. Ergo Tyrrhenos vortices, ac Ionium longe reſonantem perpeſſa eſt corde intrepido, tametſi commutandum erat æquor frequenter. Quando legitima proboque diſcriminis adeſt cauſa, formidant & meticuloſo corde frigent, neque pedibus vacillantibus ſtare queunt.* At *impavidam adhibent mentem fœdis rebus quas attentant. Si vir imperat, grave eſt navim ingredi. Sentina tum moleſta: tum ſupremus æther convolvitur. Quæ* vero *comitatur adulterum pectore firmo eſt. Iſta vomit* in *virum: hæc inter nautas & prandium carpit & ambulat per puppim, graveſque funes contingere oblectatur.*

ANONTATIONES.

84. *Prodigia & mores.*] Prodigioſum imprimis amorem illum matronæ Romanæ in gladiatorem ignobilem: &, ex Hippia, urbis indolem æſtimante.

Canopo.] Urbe quamvis impura, de qua Sat. 1. v. 26. Metonymia pro *Ægyptiis.*

86. *Nil patriæ indulſit.*] Nil curans quod patriæ charitatem ſimul & famam violaret.

87. *Ludos.*] Circenſes, quibus adeo Romani capiebantur, ut notavi Sat. 3. v. 223.

Paridem.] Scenicos etiam ludos, & in iis Pantomimum iſtum Domitiano carum, ab eo tamen poſtea necatum, ob ejus nimiam cum Domitia ſua familiaritatem & adulteria Vet. Schol.

88. *Sed quanquam in magnis, &c.*] Quàmvis autem molliter eſſet educata, utpote domi nobilis ac dives, laſcivus amor audacem fecit & robuſtam, ut longe ſequi adulterum hiſtrionem non vereretur per terras, & maria.

89. *Segmentatis.*] Diſtinctis ornatiſq; multiplice teſſella, vermiculato emblemate, ſegmentis. Porro ſegmenta vetus Schol. explicat vittas intextas auro de veſtibus pendentes. Alii faſciolas aiunt eſſe veſtium oris aſſui conſuetas ornatus gratia. Vide quæ ad Sat. 2. v. 124.

90. *Contempſit pelagus.*] Tempeſtates maris horrendas, variaque diſcrimina non exhorruit.

Famam contempſerat olim.] Abjecto dudum pudore, cum ſui pridem impuri amores vulgarentur.

91. *Cujus apud molles, &c.*] Cujus, parvi jactura penditur a luxurioſis mulieribus, quæ mollibus cathedris ac ſellis uti ſolent.

Cathedras.] Sellas muliebres. Vide quæ notavimus Sat. 1. v. 65.

92. *Tyrrhenos fluctus.*] Mare Thuſcum & Inferum Latinis, Tyrrhenum Græcis.

Sonantem.] Quando fluctus ſcopulis illiduntur cum fragore.

93. *Ionium.*] Ad fauces Adriatici maris, Siciliam inter & Cretam.

94. *Mutandum toties eſſet mare.*] Ex Italiæ trajicientibus in Ægyptum trananda ſunt maria, Tyrrhenum, Ionium, Ægeum.

Juſta pericli ſi, &c.] Cum ſe dat occaſio, urgetque ratio aliqua juſta & honeſta ſubeundi maris & periculi, tum illæ mulieres expaveſcunt: at libidinis explendæ cauſa quidlibet facile moliuntur.

99. *Sentina.*] Navis fundus, in quem fit aquarum & ſordium colluvies, unde graveolens & teter odor emittitur.

Summus vertitur aër.] Tum nauſeæ vertigineſque faciunt, ut cœlum rotari, ejus ſumma pars ima fieri, omnia perturbari videantur.

100. *Stomacho valet.*] Nauſea non tentatur.

Maritum convomit.] Vomitu conſpurcat nauſeabunda. Vide Cœl. Rhodig. l. 26. c. 13.

102. *Rudentes.*] Ita dicuntur, quòd flantibus ventis rudere videantur.

Verùm quâ pulchritudine incenſa eſt; qua juventute rapta eſt Hippia? Ecquid aſpexit, cujus gratiâ toleravit hiſtrionica vocari? Etenim Sergius inceperat jam tondere fauces, & quietem expectare, nervo exciſo. Inſuper non pauca in vultu fœda erant : *velut preſſus caſſide; & magnus tumor in medio naſo; atque gravis morbus oculi nunquam non fluentis. At erat gladiator. Id eos reddit Hyacinthos : id natis & patriæ, id germanæ maritoque iſta præpoſuit. Gladius eſt quem depereunt. Ille ipſe Sergius donatus rude incœpiſſet Fabricius æſtimari.* Scilicet *angeris quid privata familia, quid Hippia egerit? Cerne Deorum æmulos: auſculta quæ ſuſtinuit Claudius. Quando conjux advertebat maritum eſſe ſopitum, non dubitans regali thalamo mattam præponere, & induere noctis cuculeum, meretrix Cæſarea* illam *deſerebat unicâ dumtaxat famulâ comitante,*

Qua tamen exarſit forma? Qua capta juventa eſt
Hippia? Quid vidit propter quòd ludia dici
Suſtinuit? Nam Sergiolus jam radere guttur
Cœperat, & ſecto requiem ſperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia, ſicut
Attritus galeâ, mediiſque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum ſemper ſtillantis ocelli.
Sed gladiator erat. Facit hoc illos Hyacinthos,
Hoc pueris, patriæq; hoc prætulit illa ſorori,
Atq; viro. Ferrum eſt, quod amant. Hic Sergius
Accepta rude cœpiſſet Veiento videri. [idem
Quid privata domus, quid fecerit Hippia, curas?
Reſpice rivales Divorum; Claudius audi
Quæ tulerit : Dormire virum cùm ſenſerat uxor,
Auſa Palatino tegetem præ ferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius una:

ANNOTATIONES.

103. *Qua tamen exarſit formâ.*] At quæ tandem cauſa tam ardentis furoris? An impuberem quemdam ætate florentem, an eleganti raraque forma juvenem deperit, cujus amor aut tolerabilis aut venia dignus æſtimari debeat? Quin imo.

104. *Ludia dici.*] Quippe quæ *ludium* ſectetur, cum ſit uxor Senatoris, & ipſa natalibus clara.

105. *Sergiolus.*] Diminut. ad ironiam.

Radere guttur.] Mentum jam egregie barbatum, quod ætatem arguit provectam.

106. *Secto requiem ſperare lacerto.*] Miſſionem accipiebant gladiatores, ſi quando eſſent membro aliquo mutilati. Minus placet quod affert vetus Schol. Bellonarium forte illum factum eſſe, ſeu e Bellonæ Sacerdotibus, qui ex more lacertos ſibi gladio diſſecantes cruorem ſuum Deæ ſacrificare conſueverat. Vide Alex. ab Alex. l. 3. c. 12.

108. *Attritus galea.*] Frons erat attrita, vibicibuſque notata, ob galeam quam geſtabat mirmillo. Vide quæ notavimus Sat. 2. v. 143. & ſeq.

109. *Gibbus.*] Tumor e percuſſione crebra.

Semper ſtillantis ocelli.] Lippitudine laborantis.

110. *Hyacinthos.*] Tam amabiles, quam formoſus ille Apollinis amaſius, de quo Ovid. Met. 10. Fab. 5.

113. *Accepta rude*] Miſſionis olim & vacationis a gladiatura ſignum erat, ſeu gladius ligneus, ut aiunt quidam, ſeu virga impolita & rudis: unde rudarii dicti, qui non cogebantur amplius ferro decertare, ſed baculis & rudibus tantum batuere. Turneb. l. 25. c. 17. & l. 26. c. 26. Sueton. Tib. c. 7. rudiarios revocatos ait. Calig. c. 32. mirmillonem e ludo rudibus ſecum batuentem ferrea ſica ab eo confoſſum. Claud. c. 21. Eſſedario indultam rudem. Horat. Ep. 1.

-----Donatum jam rude quæris,
Mæcenas, iterum me antiquo includere ludo.

Cœpiſſet Veiento videri.] Tam vilis ei foret quam ſuus vir Fabricius Veiento.

114. *Quid privata domus,* &c.] Tranſitio. Sed ne tam indigne fer libidines privatorum: nam & ſimiles in Principibus reperire eſt; quod multo magis mirare.

115. *Rivales Divorum.*] Imperatorum Romanorum qui Divi appellantur, & poſt mortem in Deorum numerum referuntur.

Claudius.] Romanorum Cæſar quintus, cui Meſſalina uxor tot rivales dedit, tot adulteros admiſit monſtroſæ libidinis mulier. De hac Cornel. Tacit. Annal. 11. Plin. l. 10. c. 63.

117. *Tegetem.*] Mattam centone ſtipatam, quæ in luſtro pro lecto eſt. Vel fornicem & luſtrum *tegetem* vocat quaſi tugurium vile præ domo Imperatoria & Palatio Claudii.

118. *Meretrix Auguſta.*] Meſſalina Claudii Cæſaris uxor, adulteriis famoſa.

Cucullos.] Caput ſcilicet eo tegumento involvebat, ne agnoſceretur. Vide Sat. 8. v. 145.

Et

Digitized by Google

Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque ſuam: tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ,
Oſtenditque tuum, generoſe Britannice, ventrem.
Excepit blanda intrantes, atque æra popoſcit:
Mox lenone ſuas jam dimittente puellas,
Triſtis abit; ſed quod potuit, tamen ultima cellam
Clauſit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit:
Obſcuriſque genis turpis, fumoque lucernæ,
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem
Hippomanes, carmenque loquar, coctumq; vene-[num,

atque flavo galericulo tegente capillos atros, ingreſſa eſt luſtrum detrito centone calens, atque cellam inanem ſuamque. Tum ſimulans inſcriptionem Lyciſcæ, nudata mammis auratis proſtitit, & exhibuit uterum tuum ô nobilis Britannice. Jucunda venientes admiſit, & pecuniam exegit. Deinde ſuo ganeone juvenculas remittente, mœſta diſcedit: veruntamen, quòd licuit, cellam poſtrema concluſit, * * * * * * * * *abiit non adhuc expleta, maliſque denigratis indecora, & deturpata lampadis fumo, luſtri fœtorem portavit ad lectum* Imperatoris. *Referamne hippomanes, & incantamenta, & virus excoctum,*

ANNOTATIONES.

120. *Nigrum flavo crinem abſcondente galero.*] Flava coma adſcititia, quæ pro galero eſt: Crine ſuppoſito rotundo in formam galeæ, quo meretrices utebantur flavo: at nigro dumtaxat matronæ. Vetus Schol. Sed & viris in uſu fuiſſe factitium ejuſmodi capillitium conſtat. Sueton. Id modo galericulum, modo capillamentum nuncupat. Calig. c. 11. capillamento celatus ganeas obire ille dicitur. In. Oth. vero c. 12. galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo cognoſceret, uſus refertur.

121. *Calidum.*] Quia valde frequentatum: vel ob Lyciſcam recenter egreſſam.

Centone.] Operculum eſt e variis pannis & coloribus conflatum.

122. *Cellam vacuam.*] Diſceſſu Lyciſcæ.

Atque ſuam.] Ex pacto, quo Lyciſcæ diurnum, Meſſalinæ vero nocturnum tempus dabatur: ſic enim inter ſe illæ convenerant.

123. *Auratis.*] Ornatis auro.

Titulum mentita Lyciſcæ.] Ut pro Lyciſca haberetur, cellam ejus nocte occupabat Meſſalina. Porro cellis meretricum nomina inſcripta erant. Hinc & titulus falſo additus hic dicitur.

Lyciſca.] Quæ famoſa meretrix erat. Ejus meminit Mart. l. 4. Epig. 17.

124. *Tuum ventrem.*] E quo natus prodiiſti.

Generoſe Britannice.] Ironice, ob genus & patrem incertum illius, & promiſcuos matris Meſſalinæ concubitus. Claudii tamen Imperatoris habebatur filius, & ab eo per caſtra infans circumlatus, ac militibus commendatus, Tacit. l. 13.

125. *Æra.*] Stupri mercedem, ne alia quam ipſa meretrix Lyciſca exiſtimaretur.

126. *Dimittente puellas.*] Sub mediam noctem.

130. *Obſcuriſque genis, &c.*] Obſcuritatis fuligine lucernarum, ad quos proſtabant meretrices.

131. *Ad pulvinar.*] Ad Imperatoris Claudii viri ſui lectum pulvinis ſtipatum. Pulvinaria vocantur proprie lectuli in honorem Deorum ſtrati in templis, in quibus Deorum imagines reclinabantur. Hinc lectiſternia, quorum frequens apud Livium mentio.

132. *Hippomenes carmenque, &c.*] Alia jam perſequitur mulierum ſcelera, quæ flagitiis prioribus ac libidine pejora eſſe affirmat, nimirum propinata philtra, incantationes factas, veneficia.

Hippomanes.] Vox Græca ab *ἵππος, equus,* & *μανία, furor.* Tria ſignificat, primo, quidem herbam quamdam ita vocatam; Secundo carunculam nati recens pulli fronti adhærentem: Tertio, fluentem liquorem quemdam virulentum ex equæ pudendo ad venerem concitatæ, in veneficiis uſitatum. De herba illa, Botanici. De Caruncula equina, Plin. l. 8. c. 42. *Equis innaſci,* ait, *amoris veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro; quod ſtatim edito partu devorat fœtâ, aut partum ad ubera non admittit, ſi quis præreptum habeat.* De veneno denique illo, idem Plin. l. 28. c. 11. *Hippomanes tantus in veneficio vires habet, ut, &c.* Virg. Georg. 3.

Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum diſtillat ab inguine virus.
Hippomanes quod ſæpe malæ legêre novercæ,
Miſcueruntque herbas & non innoxia verba.

Vide Ælian. de Animal. 14. c. 18.

Carmen.] Vide Virgil. Eclog. 8.

Coctum venenum.] Apud Sueton. Ner. c. 33. Nero Locuſtæ jubet coram ſe venenum coquere quam poſſet velociſſimum ac præſentaneum: mox, illud iterum ac ſæpius recoctum dari Britannico, qui ſtatim exanimatus eſt. Tit. Liv. l. 8. c. 18. Complures matronæ per indicem deprehenſæ referuntur venena coquentes. Tumque primum de veneficiis quæſitum: & ad centum ſeptuaginta damnatæ.

atque privigno propinatum? Deteriora perpetrant adactæ dominatione ſui ſexus; minora verò committunt per cupidinem. At cur proba eſt *Ceſennia, affirmante* ſuo *viro? Donavit* ſcilicet talenta *mille. Tali* pretio *is caſtam nuncupat. Neq; macilentus eſt pharetrâ Veneris, nec* ejus *ardet face. Hinc amor caleſcit, à dote procedunt ſpicula. Libertas* pretio *habetur.* Illo *præſente annuere permittitur, ac reſcribere. Quæ dives,* cum *avaro* matrimonium *contraxit, eſt* quaſi *vidua. Quare Sertorius incenſus eſt amore Bibulæ? Si veritatem ſcruteris, vultus, non conjux diligitur. Tres rugæ ſuccedant, & ſicca pellis ſe remittat, dentes atri evadant, & oculi anguſtiores,* tùm *libertus jubebit, corripe ſarcinas, atque abi: modò nobis moleſta es, ac ſæpius* naſum *abſtergis, diſcede quamprimum, atque accelera; aridis alia naribus accedit.*

Privignoque datum? Faciunt graviora coactæ
Imperio ſexûs, minimumque libidine peccant.
Optima ſed quare Ceſennia teſte marito?
Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam;
Nec Veneris pharetris macer eſt; aut lampade fervet:
Inde faces ardent, veniunt à dote ſagittæ.
Libertas emitur: coràm licet innuat, atque
Reſcribat, vidua eſt locuples, quæ nupſit avaro.
Cur deſiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verùm excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculique minores;
Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi;
Jam gravis es nobis, & ſæpè emungeris; exi
Ocyus, & propera; ſicco venit altera naſo.

ANNOTATIONES.

133. *Privignoque datum.*] Mariti ex alia uxore filio porrectum a noverca poculum ſeu amatorium, ſeu venenatum, cum aut libidine aut ira moveretur. Sic Hippolytum Phædra inſectatur, amore primum, deinde odio.

Faciunt graviora coactæ imperio ſexûs.] Dum obſequuntur affectibus, iræ, odio, ſuperbiæ, &c. quæ ſunt in muliebri ſexu vehementiora, tum certe graviora perpetrant, quam cum ſola ducuntur libidine.

135. *Optima ſed quare, &c.*] Objectio ironica.

Ceſennia.] Legunt aliqui *Cæſonia*, quæ uxor Caligulæ. Sed de hac poſtea v. 615. *Ceſennia* cujuſpiam avari uxor.

136. *Bis quingenta dedit.*] Opimam dotem attulit, hinc optima ab Avaro celebratur. Dedit mille vel talenta, vel ſeſtertia. Vide quæ Turneb. l. 18. c. 30. Et Sat. 1. v. 92.

137. *Nec Veneris pharetris, &c.*] Suis eum telis haud Venus aut Cupido filius ejus vulneraunt, nec facibus incenderunt.

Macer eſt.] Virg. Eclog. 3.

Eheu! quàm pingui macer eſt mihi taurus in arvo!
Idem amor exitium eſt pecori, pecoriſque magiſtro.

138. *Inde faces ardent, &c.*] Pecuniæ cupido ſagittis & facibus illum unus impetiit; dotem hinc, non uxorem amat.

139. *Libertas emitur.*] Scilicet nupſit ei dives mulier ad emendam libertatem quidvis impune perpetrandi. Plaut. Aſin. Act. 1. Scen. 1.

Argentum accepi, dote Imperium vendidi.

Et Aul. Scen. 17.

———Multa ſunt in magnis dotibus
Incommoditates, ſumptuſque intolerabiles.
Nam quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri.
Dotatæ mactant, & malo & damno viros.

Coram licet innuat.] Viro etiam præſente mœchis innuere, & reſcribere ad eorum litteras audet, eique licet. Hor. l. 3. Od. 6.

Sed juſſa coràm non ſine conſcio
Surgit marito, ſeu vocat inſtitor,
Seu, &c.

140. *Vidua eſt locuples, quæ, &c.*] Quæ mulier bene dotata avaro nupſit, tam libera eſt in conjugio, imo amplius, quam ſi vidua foret, connivente marito ad uxoris flagitia, aut ejus non audente coërcere licentiam. Vide Sat. 1. v. 56. & ſeq.

141. *Cur deſiderio Bibulæ.*] Altera objectio, cui ſtatim reſpondet, ut priori antea.

Bibulæ Sertorius.] Ficta nomina uxoris & viri.

142. *Facies, non uxor amatur.*] Forma, ſpecies, venuſtas magis quam probitas aut pudicitia.

143. *Tres rugæ ſubeant, &c.*] Quod ſi per morbum aut ſenectutem deturpetur illa pulchritudo, is uxorem repudiabit, & aliam juniorem & forma integra ſibi quæret.

Cutis arida laxet.] Succo deficiente fiat macilentior, ac paulo deformior.

144. *Fiant obſcuri dentes.*] Putreſcentes nigreſcant.

Oculi minores.] Contrahantur, ut fit in ſenectute.

145. *Collige ſarcinulas.*] Supellectilia, res tuas aufer: Metaphora a re militari: tum enim jubentur vaſa & ſarcinæ colligi, cum alio eſt emigrandum ac mutanda ſtatio. Porro ſolemnia repudiationis verba erant: res tuas tibi habeto, res tuas agito.

Libertus.] Dives aliquis e libertino genere.

146. *Sæpè emungeris.*] Mucoſa es & ſordidula; nobiſque jam faſtidio es.

147. *Altera.*] Nova nupta ætate florens & ſpecie.

Digitized by Google

Interea calet, & regnat, poſcitque maritum
Paſtores, & ovem Canuſinam, ulmoſque Falernas.
Quantulum in hoc? Pueros omnes, ergaſtula tota,
Quodque domi non eſt, & habet vicinus, ematur
Menſe quidem brumæ, cum jam mercator Iaſon
Clauſus, & armatis obſtat caſa candida nautis,
Grandia tolluntur cryſtallina, maxima rurſùs
Myrrhina, deinde adamas notiſſimus & Berenices
In digito factus pretioſior. Hunc dedit olim

Interim fervet ac imperitat, & à viro exigit paſtores, atque oves Canuſinas & Falernas ulmos. Quantum autem in ea re? *Cunctos ſervos, ergaſtula integra* depoſcit. *Et quod* in *familia non adeſt, vicinuſque poſſidet* pretio, *comparetur*, jubet. *Etiam hyemali menſe, quando Jaſon mercator jam abditus, atque tugurium albicans retardat nautas expeditos, magna proferuntur è cryſtallo* vaſa, *myrrhina rurſum ingentia*; *mox celebris adamas, ac in digito Berenices carior effectus. Illum quondam*

ANNOTATIONES.

148. *Intereà.*] Dum forma viget ac juventus, ardenter & imperioſe omnia agit, & quodcumque libuerit a viro petit, inſtat, extorquet: in familia regnat.

149. *Paſtores.*] Greges ovium optimarum.

Canuſinam.] *Canuſium* Apuliæ vicus, quem Cannas eſſe nonnulli arbitrantur. Ibi paſcebantur oves exquiſita lana præſtantes. Teſtis Plin. l. 8. c. 48. *Lana*, inquit, *laudatiſſima Apuliæ.——Circa Tarentum Canuſiumque ſummam nobilitatem habet*, Mart. l. 14. Epigr. 155.

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

Ulmoſque Falernas.] Vites ex agro Falerno ulmis ſuſtentatas. Vide Sat. 4. v. 138.

150. *Quantulum in hoc?*] Sed hoc quam parvi eſt momenti præ ſequentibus!

Pueros omnes, &c.] Numeroſam familiam, complures famulos atque opifices, qui ſibi deſerviant & laborent.

Ergaſtula.] Loca in quibus ſervi, item noxii, clauſi vinctique ad opus tenebantur. Etymologia ab ἔργον, *opus*, & στέλλω, *mitto*: vel ab ἔργω, *claudo*. Iſidor. Orig.

151. *Quodque domi non eſt, &c.*] Appetit id omne quod apud vicinos aſpicit.

152. *Menſe quidem brumæ.*] Imperioſa mulier cogit maritum navigare, vel hyemis tempeſtate, ad conquirenda ſibi peregrina ornamenta & ſupellectilia.

Bruma.] Circa ſolſtitium hyemale, Decembri menſe, cum dies eſt breviſſimus, Βραχὺ ἦμαρ, unde nomen. Non deeſt qui legat, *Numæ*, intelligatque menſem Februarium a Numa dicatum Februo, id eſt Plutoni.

Iaſon.] Tam audax & lucri avidus, quam is qui velleris aurei cauſa in Colchidem e Græcia profectus eſt. Primus nave longa Jaſon navigavit, inquit Plin. l. 7. c. 56.

153. *Clauſus.*] Domi ſe continet relicto mari ob hyemem & glaciem.

Armatis.] paratis ad navigandum primo quoque tempore, inſtructis rebus omnibus.

Candida.] Nivibus ac pruinis operta.

Armatis obſtat caſa candida nautis.] Hæc plane aliter explicat vetus Schol. Sed an verius? Vult nempe hæc ideo dicta, quoniam tempore Saturnaliorum, Romæ, in porticu Thermarum Agrippinarum & Trajanarum, mercatores ſigillaria proponentes ſtruebant caſas e linteis quæ obſtabant quidem pictæ illic Argonautarum hiſtoriæ.

154. *Tolluntur.*] Apportantur a longinquis terris vaſa pretioſa, qualia celebrat Plin. l. 37. c. 2.

Cryſtallina.] *Non alibi cryſtallus reperitur, quam ubi maxime hybernæ nives rigent, & glacies. Unde & nomen Græci dedere.——Oriens hanc mittit: ſed Indicæ nulla præfertur.—— Laudata & in Alpium jugis.——In deliciis fæminarum aliquibus de cauſis præcipuum habent locum cryſtallina, & myrrhina, rigidi potus utraque.* Hæc Plin. loco mox citato. Vide Gell. l. 19. c. 5.

155. *Myrrhina.*] Vaſa e murrha, de quibus Plin. loco mox citato. *Murrhina Oriens mittit, præcipue Carmania. Humorem putant ſub terra calore denſari. Splendor his ſine viribus, nitorque verius quam ſplendor: ſed in pretio colorum varietas,——ac repercuſſus, quales in cœleſti arcu ſpectantur,——aliqua & in odore commendatio eſt. Contraria huic cauſa cryſtallum facit, gelu vehementiore concreto.* Vide Agricolam, Foſſil. l. 6. Cœl. Rhodig l. 1. c. 10. de cryſtallo. Murrhina laudat Mart. l. 14. Epigr. 113.

Adamas.] Maximum habens pretium in rebus humanis, non inter gemmas ſolum: diu regibus dumtaxat, iiſque paucis cognitus, &c. quæ multa de eo Plin. l. 37. c. 4.

Notiſſimus.] Ob pretium, & famam de annulis ingentis pretii identidem donatis.

Berenices.] *Berenice* ſeu *Beronice* multiplex ſimiliter flagitioſa. Hinc non patet de qua Juvenalis loquatur.

Bar-

Digitized by Google

Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori.
Obſervant ubi feſta mero pede ſabbata reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formoſa, decens, dives, fœcunda vetuſtos
Porticibus diſponat avos, intactior omni
Crinibus effuſis bellum dirimente Sabinâ:
RARA AVIS IN TERRIS, nigroque ſimillima cygno.
Quis feret uxorem, cui conſtant omnia? Malo,

barbarus inceſta donavit; illum germana donavit Agrippa, ubi Principes nudis plantis ſolemnia colunt Sabbata, & benignitas antiqua parcit vetulis ſuibus. An de tanta multitudine nullà tibi cenſetur idonea? Age verò, *ſit pulchra, honeſta, opulenta, fœcunda; antiquos atriis avos collocet;* ſit *caſtior Sabinis univerſis,* quæ *ſparſis capillis finierunt prælia.* Denique ſit *volucris in orbe infrequens, & par olori atro. Quis tolerabit conjugem cui* ſimul *adſint cuncta* hæc? *Præfero,*

ANNOTATIONES.

157. *Barbarus.*] Vel Ptolemæus Philadelphi filius dedit Berenicæ ſorori ſuæ pariter atque uxori in Ægypto: vel in Judæa Herodes alteri *Berenicæ.* Prius dicit vetus Schol.

Inceſta.] Vide Sat. 4. v. 9. ad vocem, *inceſtus.*

Agrippa ſorori.] Rurſus ambigitur an referenda ſit vox, *barbarus,* ad *Agrippam,* ut ſit unus Herodes Agrippa donator, unus adamas, uni Berenicæ inceſtæ ſorori ab Agrippa fratre donatus: an eidem annulus duplex a duobus datus, primus ab Herode patruo ſimul & marito, nam ei quidem nupta fuerat Berenice neptis; alter ab Agrippa fratre ſuo, qui poſt Herodis morte de inceſtu cum eadem Berenice ſorore ſua ſuſpectus fuiſſe ſcribitur a Joſepho.

158. *Obſervant ubi, &c.*] In Judæa nempè, ubi Sacris operari poterat nemo, nec ipſe Rex quidem niſi nudis pedibus: Sic enim olim Deus præceperat Moſi, Exod. 3. *Solve calceamenta de pedibus tuis, &c.* Hinc Berenice nudipes apud Jeroſolymam vota perſolvere legitur, Joſ. Bell. Jud. l. 2.

Sabbata.] Leg. Corn. Tacit. initio l. 5. Hiſt. Juſtin. l. 36. Perſ. Sat. 5. v. 184. & quæ notavimus ibidem.

159. *Indulget ſenibus clementia porcis.*] Hi ſiquidem impune vivunt ad ſenectutem, quibus veſci non licet apud Judæos. Nam Levit. c. 11. v. 7. ab his aliiſque immundis animalibus abſtinere jubentur. Tacitus Hiſt. 5. inter alia de Hebræis falſa, & hæc habet: *Sue abſtinent,* inquit, *memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.*

160. *Nullane de tantis.*] Hactenus vitia mulierum enarravit: jam bonas earum dotes affert, quas vix inveniri aſſerit; ac ſi quæ ſint in eis virtutes, has vitio quopiam infeſtari, v. g. ſuperbia; qua ſit ut nullam commendationem illæ mereantur.

161. *Sit formoſa, &c.*] Age vero, ſit quædam mulier variis ornamentis clara & eximia; at ſi eſt arrogans & ſuperba propter illas ipſas dotes; quid?

162. *Porticibus diſponat avos.*] Cereas Majorum imagines ordine diſpoſitas, ut ſit, habeat in atrio domus bene multas; adeoque ſit valde nobilis. Vide initio, Sat. 8.

163.] *Crinibus effuſis bellum dirimente Sabinâ.*] Nota hiſtoria de raptis mulieribus Sabinis, ob quas Romanis Bellum atrox: de quo Titus Livius l. 1. Sic autem loquitur c. 13. ejuſdem libri. *Tum Sabinæ mulieres, quarum ex injuria Bellum ortum erat, crinibus paſſis, ſciſſaque veſte, victo malis muliebri pavore, auſæ ſe inter tela volantia inferre, ex tranſverſo impetu facto dirimere infeſtas acies, dirimere iras, hinc patres, hinc viros orantes. - - - - - Movet res tum multitudinem, tum duces. Silentium, & repentina fit quies. Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt: nec pacem modo, ſed & civitatem unam ex duabus faciunt; regnum conſociant: Imperium omne conferunt Romam.* Vide & Ovid. Faſt. 3.

Sabina.] Vide Sat. 3. ver. 169. ad vocem, *Sabellam.*

164. *Rara avis, &c.*] Velut Phœnix. Vide Perſ. Sat. 1. ver. 46. & quæ nos ibid.

Cygno.] Hunc natura candidiſſimum gignit. Adeoque nigrum videre portenti loco eſſet: ſic & uxorem invenire bonam. De *Cygnis* multa refert Athenæus, ex Ariſtotele, pugnaces eſſe, vel adverſus aquilas, numeroſa prole fœcundos, canoros ſub exitum vitæ præſertim, &c. At ibid. Alexander Myndius moribundos cygnos proſecutus multos, ait nullum ſe cantum audiviſſe. Athen. l. 9. c. 11.

165. *Quis feret uxorem?*] Etiamſi præclaris dotibus effulgeat, at ſuperbientem quis uxorem feret?

Malo

Malo Venuſinam, quam te, Cornelia mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Annibalem, victumq; Syphacem
In caſtris; & cum tota Carthagine migra.
Parce, præcor, Pæan, & tu depone ſagittas:
Nil pueri faciunt; ipſam configite matrem:
Amphion clamat. Sed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo gregem natorum, ipſumq; parentem,

potiorem duco Venuſinam, quàm te Cornelia Gracchorum parens, ſi cum ſummis dotibus apportas ingentem faſtum, ac in dote computas triumphos. Aufer quaſo, tuum Annibalem, & Syphacem in exercitu ſuperatum, atque abi cùm univerſa Carthagine. Amphion vociferatur; indulge, quaſo, Phœbe; tuque tela dimitte, Diana. *Filii nihil committunt, ipſam parentem confodite. Verùm Apollo intendit arcum: turbam igitur puerorum interfecit, atque ipſum patrem:*

ANNOTATIONES.

166. *Venuſinam.*] Pauperem ex Apulia ruſticam humilem. Talium enim caſtitas ſimul & modeſtia celebratur. Vide Sat. 1. v. 51. ad voc. *Venuſina.*

Cornelia.] Scipionis Africani filia, Tib. Sempronio Graccho nupta, Tiberii & Caii Gracchorum mater. Huic ſtatuam Romæ poſitam in Metelli publica porticu, auctor eſt Plin. l. 34. c. 6. Quint. l. 1. c. 1. ſic habet: *Gracchorum eloquentia multum contuliſſe accepimus Corneliam matrem; cujus doctiſſimus ſermo in poſteros quoque eſt epiſtolis traditus.*

167. *Gracchorum.*] De his vide Sat. 2. ver. 24. & quæ nos ad vocem, *Gracchos.*

Cum magnis virtutibus.] Nobilitate, opibus, inſigni pudicitia, facundia, ſapientia, fœcunditate. De quibus Plut. & alii. Certe duodecim filios ex uno viro Tib. Sempron. Graccho genuiſſe, & poſt ejus mortem, Ptolemæi regis nuptias reſpuiſſe Cornel. refert Plut. in Gracchis.

168. *Supercilium.*] Faſtum, ſuperbiam, arrogantiam. Vide Sat. 2. ver. 93.

Triumphos.] Suorum laudes ac triumphos jactare conſueverat Cornelia, Plutarcho teſte.

169. *Tolle tuum precor Annibalem.*] Ne mihi importune prædica victos a tuis ingentes ac ſummos quoſque Duces, ipſamque ſubactam ac deletam Carthaginem.

Annibalem.] Carthaginienſium Ducem, juratum Romanorum hoſtem, eiſque per tot annos formidoloſum, vel una Cannenſi victoria celebrem, Campaniæ deliciis fractum, ad Nolam a Marcello ſuperatum, tandem in Africa cæſum & fugatum cum multis Pœnorum millibus obſidente Carthaginem Scipione Africano. De genere mortis non conſtat. Alii dicunt veneno ſe ipſum enecaſſe, ne in Romanorum poteſtatem veniret; alii a Carthaginienſibus ob rem male geſtam lapidibus obrutum; alii cruci affixum. T. Livius. Plut. Eutrop. Oroſ. &c.

Victum Syphacem in caſtris.] Numidiæ regem; cujus & Aſdrubalis caſtra facibus illatis una nocte delevit Scipio Africanus, teſte Floro, l. 2. c. 6. Hic etiam illum poſtea in triumpho duxit. Plut. in vita Scipionis Africani ex Polybio.

170. *Carthagine.*] Hæc urbs ſitu & viribus Romæ dudum æmula, habens in circuitu tria ſupra viginti millia paſſuum, teſte Livio; triplici Bello Romanos fatigavit. Opuſne Didonis fuerit, an Tyriorum, non omnino conſtat. An eſſet delenda Roma deliberatum, ut gloriæ ſeges ac virtutis materia nunquam Romanis deeſſet. At ex Catonis ſententia Senatus Scipionem Æmilianum in Africam miſit cum ingenti exercitu, qui Carthaginem a Scipione Africano vectigalem jam ante factam obſideret, caperet ac ſolo æquaret. Quod factum eſt anno poſtquam erat condita ſeptingenteſimo, Tit. Liv. l. 51.

171. *Parce, precor.*] Proſopopœia, qua exhibetur Amphion, pro filiis deprecans Apollinem & Dianam Niobæ faſtum ulciſcentes. Ejuſque exemplo probat Juvenalis quanta ſit mulierum arrogantia, quæ Deos etiam laceſſat.

Pæan.] Ita vocatur Apollo, ſeu a παίειν, quia radios quaſi ſagittas vibrat, iiſque ferit: ſeu a παύειν τὰς ἀνίας, quia ſua nos luce recreat Sol, & mœrores abigit. Vide Macr. Saturn. l. 1. c. 17.

Tu depone ſagittas.] Alloquitur Dianam, cujus & Apollinis indignatione ac ſagittis Niobæ filii, ob quos ea ſuperbiebat, omnes confixi perierunt. Vide Ovid. Met. 6. Fab. 3.

172. *Nil pueri faciunt.*] Innoxii ſunt, cur luunt noxam Niobæ matris? Hanc ipſam plectite.

173. *Amphion.*] Jovis ex Antiope filius, a Plin. l. 7. c. 56. citharam inveniſſe, primuſque illa cum voce cecíniſſe dicitur. Patriam vero ſuam Thebas lyræ ſono ædificaſſe ait. Hor. ad Piſones ver. 394. quo facundiam ejus ſignificat.

Sed Pæan contrahit arcum.] Nil motus Amphionis patris licet innocentis precibus.

174. *Extulit.*] Quaſi ad ſepulchrum tulit. Vide Sat. 1. ver. 72.

Gregem natorum.] Amphionis & Niobæ filios de quorum numero diſſentiunt admodum ſcriptores. Alii duodecim, alii quatuordecim, alii ad viginti referunt. Vide Gell. l. 20. c. 6. Ælian. Var. Hiſtor. l. 12. c. 36.

Parentem.] Non quod ab Apolline confixus, ſed quod ſuæ ſuorumque calamitatis dolore ſeipſum interfecerit.

Dum

Digitized by Google

quando Niobe ipſaque fertilior candidâ illâ *ſue, præſtantiorem ſe putat Latonæ familiâ. Quæ ſeveritas, quæ pulchritudo tanti* facienda, *ut perpetuò ſe tibi objectet? Etenim ſingularis iſtius & magni commodi oblectatio nulla* eſt, *quandocumque arroganti ingenio depravata plus aloës quam mellis exhibet. Quis verò tam addictus eſt, ut eam quam encomiis extollit non averſetur, ac ſeptem horis quotidie abhorreat.* Præterea *nonnulla* ſunt *exigua certè, at minimè viris ferenda. Ecquid enim putidius, quàm quòd nulla pulchram ſe exiſtimat, niſi quæ ex Hetruſca Græca effecta eſt? E Sulmonenſi pura Cecropis? Cuncta Græcè* loquuntur, *quanquam noſtratibus fœdius eſt ignorare Latinè. Eâ lingua ſtupent, eâ iracundiam, lætitiam, ægritudines, eâ mentis arcana proferunt univerſa. Quid amplius?*

Dum ſibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atque eadem ſcrofa Niobe fœcundior alba.
Quæ tanti gravitas? quæ forma, ut ſe tibi ſemper
Imputet? hujus enim rari, ſummique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta ſuperbo
Plus aloës quàm mellis habet Quis deditus autem
Uſq; adeò eſt, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inque diem ſeptenis oderit horis?
Quædam parva quidem, ſed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quàm quòd ſe non putat ulla
Formoſam, niſi quæ de Tuſca Græcula facta eſt,
De Sulmonenſi mera Cecropis? Omnia Græcè,
Cùm ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè.
Hoc ſermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta affundunt animi ſecreta. Quid ultra?

ANNOTATIONES.

175. *Dum ſibi nobilior.*] Nam tanta fuit ob fœcunditatem atque filiorum numerum arrogantia Niobæ, ut ſibi potius quam Latonæ ſacrificandum jactaret, quæ duos tantum Dianam & Apollinem genuerat, Ovid. loco citato.

Latonæ gente.] Apolline & Diana, Jovis ex Latona filiis, qui matris injuriam ulti ſunt. Hor. l. 4. Od. 6.

Dive quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ———
Senſit

176. *Scrofa.*] Celebri illa ſue, quæ apud Lavinium ab Ænea prægnans mactanda fugit, & mox triginta fœtus uno partu edidit. Vir. Æneid. 3. Dion. Hal. 1.

Alba.] Trigeſimo ſcilicet anno poſtquam Æneas Lavinium condiderat, urbem alteram Aſcanius ædificavit. *Albam*, ex oraculo Æneæ dato, ibidem nimirum ubi candida ſus enixa erat porcellos. Dionyſ. loco mox citato.

Niobe.] Tantali filia. Uxor Amphionis, numeroſa prole ſuperbiens, filiis, ut dictum eſt, occiſis, & ipſa in ſaxum converſa. Cic. Tuſc. 3. n. 63. *Niobe lapidea fingitur*, inquit, *propter æternum in luctu ſilentium.*

177. *Quæ tanti gravitas.*] An vero tanti facias uxorem etiam gravem & pulchram, ut ferre velis quotidianas ejus exprobationes, quibus ſe tibi jactat, ac ſæpius objicit, quod mirum quantum illi debeas, quæ te virum acceperit ſcilicet ita gravis, honeſta, pulchra?

178. *Hujus enim rari, &c.*] Certe plus te ſuperbia ſua infeſtat, quam caſtitate & probitate delectat.

180. *Aloës.*] Herba eſt amari admodum ſucci, de qua multa Plin. l. 27. c. 4. e contra dulcedo mellis omnibus nota eſt.

Quis deditus, &c.] Quis tam uxorius, tam obnoxius quis ſuæ uxori quantumvis pulchræ?

181. *Laudibus effert.*] Propter morum honeſtatem & formam.

182. *Horreat.*] Ob faſtum & arrogantiam.

Septenis oderit horis.] Maxima parte diei, qui horarum duodecim. Vide quæ ad Perſ. Sat. 3. ver. 4.

184. *Rancidius.*] Corruptius, turpius. Perſ. Sat. 1. ver. 33. *rancidulum quiddam.*

185. *De Tuſca Græcula facta eſt.*] Patrium Italiæ & Romæ ſermonem poſtponens, & Græcum affectans, quo blanditur ac venuſtior videatur.

Tuſca.] *Thuſcia* Italiæ regio nobiliſſima, ad Tiberim protenſa, nomen habet a Θύειν, *ſacrificare:* Thuſci quippe religioſi ſemper extitere. Tit. Liv. l. 1. Vide Alex. ab Alex. l. 3. c. ultimo.

Græcula.] Diminut. ad contemptum. *Facta eſt*, lingua & moribus.

186. *Sulmonenſi.*] *Sulmo* Pelignorum oppidum, patria Ovidii Poëtæ. Ponitur pro qualibet Italiæ urbe.

Mera Cecropis.] Tota Attica, tota Athenienſis. Cecrops enim Athenarum primus Rex fuit.

187. *Cum ſit turpe magis, &c.*] Cum tamen multo magis dedeceat Latinas neſcire loqui Latine. Cicero in Bruto. *Non tam præclarum, eſt ſcire Latine, quam turpe neſcire.*

188. *Hoc ſermone pavent, &c.*] Græco ſermone exprimunt pavorem, iram, gaudium, aliosque animi affectus.

Con-

Digitized by Google

Concumbunt græce. Dones tamen iſta puellis:
Tunc etiam, quam ſextus & octogeſimus annus
Pulſat, adhuc græce? Non eſt hic ſermo pudicus
In vetula, quoties laſcivum intervenit illud,
Ζωὴ καὶ ψυχή, modò ſub lodice relictis
Uteris in turba. Quod enim non excitat inguen
Vox blanda, & nequam? digitos habet: ut tamen omnes
Subſidant pennæ. Dicas hæc mollius Æmo
Quanquam & Carpophoro, facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Cauſa; nec eſt quare cœnam, & muſtacea perdas,
Labente officio, crudis donanda; nec illud
Quod prima pro nocte datur, cum lance beata
Dacicus, & ſcripto radiat Germanicus auro.
Si tibi ſimplicitas uxoria, deditus uni,

* * *Hæc nihilominùs juvenculis indulge. An tu quoque, quam annus urget octogeſimus ſextus, etiamnùm græcè* l qui affectas? *Caſta non eſt illa oratio in decrepita, quandocunque adhibetur impudicum iſtud*; atque *in cœtu uſurpas dimiſſas* paulo *antè ſub ſtragula* voces, Ζωὴ καὶ ψυχή. *Nam ſermo illecebroſus ac malus ecquod non movet* * * * *habet digitos, quamvis etiam cuncta pinnæ conquieſcunt.* Verum *licet iſta pronunties teneriùs Æmo atque Carpophoro, vultus tuus annos numerat. Si dilecturus non es deſponſam tibi & copulatam ſcriptis ex lege factis, nulla apparet ratio deſpondendi; & non eſt cur abſumas convivium & muſtaceos non coctis dandos, officio deſinente; neque id quod donatur pro prima nocte, quando* in *patinâ divite rutilat Dacicus ac Germanicus auro inſculpto. Si* vero *tibi eſt ſimplicitas conjugalis,*

ANNOTATIONES.

190. *Dones tamen iſta puellis, &c.*] Apoſtrophe ad anus libidinoſas.

194. *Ζωὴ καὶ ψυχή.*] Vita mea, anima mea; quibus verbis uti ſolebant meretrices. Meminit & Mart. l. 10. Epigr. 68.

Lodice.] Lecti opertorio, Mart. l, 14. Ep. 148.

195. *In turba.*] In publico, ſine ulla verecundia.

196. *Nequam.*] Proprie iners & laſcivus ita dicitur, quod nihil queat boni facere. Gell. l. 7. c. 11. ex Ciceronis. Phil. 2.

Digitos habet, &c.] Sordidula hæc ſuis tenebris damnentur, pudor jubet.

Ut tamen omnes ſubſidant pennæ.] Etſi quieſcat libido, muliebribus excitatur blanditiis ac laſcivis vocibus.

197. *Pennæ.*] Metaphora ab avibus: ſignificat vires & nervos.

Dicas hæc molliùs.] Attamen, o vetula impura, quantumvis imitere juveniles voces & blanditias, tui vultus rugæ amari te vetant jam decrepitam.

Æmo & Carpophoro.] Celebribus mimis muliebres voces egregie imitantibus.

198. *Facies tua computat annos.*] Provectiorem ætatem indicat ac vetulam, decrepitam, obſoletam arguit.

199. *Si tibi legitimis.*] Poſthumum ferit dilemmate; cujus hoc eſt prius membrum: alterum mox adeſt, ubi ait, *ſi tibi ſimplicitas, &c.* Vel amabis uxorem, inquit, vel non. Si amabis certe miſer eris: ſi vero non amabis, non eſt cur ducas, & ſumptus inutiles facias.

Legitimis tabellis.] Inſtrumento & contractu matrimoniali rite & ex legibus confecto.

201. *Muſtacea.*] Dulcia quædam, liba, placentas, e farina ſiliginea muſto conſperſa, admixtis caſeo, aniſo, cumino, adipe, & ramentis lauri. Hæc dari ſolita convivis in fine cœnæ nuptialis, velut apophoreta. Vet. Schol. *Muſtaceos* coquendi modum præſcribit Cato de Re Ruſt. c. 121. meminit & Cic. ad Att. l. 5. Epiſt. 20.

202. *Labente officio.*] Vel ſtomachi non bene coquentis cibos, vel potius amicorum qui ad officium nuptiale convenerant, jamque diſcedere paratorum.

Crudis.] Cruditate laborantibus poſt largiores epulas, danda ad juvandam & accelerandam coctionem.

203. *Quod prima pro nocte datur, &c.*] Munera quæ maritus novæ nuptæ donare ſolet in virginitatis delibatæ præmium, aliquot nempe nummos aureos in lance. Vetus Schol.

204. *Dacicus, & ſcripto radiat, &c.*] Nummus effigie Domitiani ſignatus cum titulis Dacici & Germanici, ob Dacas Germanoſque debellatos.

Dacicus.] Vide Sat. 4. v. 111. ad vocem *Dacis*.

Scripto.] Legunt alii, *ſculpto*, alii corrigunt, *ſcutilo*, id eſt, variegato velut telæ aranearum. Ita Jo. Iſ. Pontan. Annot. in Macrob. & alii quidam. Verum quod operæ pretium; quidve gratiæ debeat utrique Juvenalis, haud mihi ſatis apparet.

205. *Si tibi ſimplicitas uxoria.*] Poſterius cornu dilemmatis. Quod ſi mulieroſus es, & ſim-

Eſt

Eſt animus: ſubmitte caput cervice parata
Ferre jugum: nullam invenies, quæ parcat amanti.
Ardeat ipſa licet, tormentis gaudet amantis,
Et ſpoliis. Igitur longe minùs utilis illi
Uxor, quiſquis erit bonus, optanduſque maritus.
Nil unquam invitâ donabis conjuge: vendes
Hâc obſtante nihil: nihil, hæc ſi nolit, emetur.
Hæc dabit affectus: ille excludetur amicus
Jam ſenior, cujus barbam tua janua vidit.
Teſtandi cùm ſit lenonibus, atque laniſtis
Libertas, & juris idem contingat arenæ,
Non unus tibi rivalis dictabitur hæres.
Pone crucem ſervo: meruit quo crimine ſervus
Supplicium? Quis teſtis adeſt? Quis detulit? Audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.
O demens, ita ſervus homo eſt? Nil fecerit, eſto:
Hoc volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.
Imperat ergò viro: ſed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, & flammea conterit: inde

atque *mens uni addicta; ſubjice caput collo prompto jugum tolerare: nullam* enim *reperies, quæ diligenti indulgeat. Quamvis illa ferveat, diligentis cruciatibus delectatur, atq; exuviis. Itaque multo minus idonea conjux erit ei, quicunq; vir fuerit benignus & cupiendus. Nihil unquam dabis, reluctante uxore: eâ vetante, nihil venum-dabis: nihil mercari* poteris, *ſi illa prohibet. Ipſa motus* animi *ſuggeret. Is expelletur familiaris jam vetulus, cujus pubem aſpexerunt fores tuæ. Quamquam* autem *ganeones & laniſtæ licentiam habent condendi teſtamenta, parque poteſtas arenæ data eſt, multiplex rivalis hæres tibi præcipietur.* Jubebit uxor; *ſervo patibulum ſtatue.* Tu reſpondebis: *Ecquod* ob *ſcelus pœnâ dignus eſt ſervus? Ecquis aſtat teſtis? Quis denunciavit? Auſculta: De hominis nece nulla unquam diuturnior mora eſt.* Tum illa dicet tibi. *O ſtulte, ſiccine mancipium homo eſt: Eſto, nihil perpetrârit:* at *illud cupio, ita edico, pro cauſa ſit arbitrium meum. Itaque Imperium* exercet *in maritum. At paulò poſt, ea regna deſerit, ac mutat ædes, deteritque flammea. Exinde*

ANNOTATIONES.

pliciter uxori amandæ deditus, grave tibi jugum ferendum erit, eritque famulandum more ſervi, atque in omnibus obſequendum.

208. *Ardeat ipſa licet.*] Quamvis ipſa te ardenter amet, gaudebit tamen torquere te ac ſpoliare. Sic enim improba eſt mens mulierum.

209. *Longe minus utilis.*] Quo melior ſit maritus & uxori optabilior, eo gravior ſit ei uxor moleſtiorque.

213. *Dabit affectus.*] Si quem oderit, jubebit te odiſſe; vetabit amare & colere veterem etiam amicum, cum ita libuerit inconſtanti ejus animo, ſuſpicaci, moroſo.

214. *Cujus barbam tua janua vidit.*] Qui domum tuam frequentarit a prima ætate, cum pubes & lanugo genas ac mentum veſtire incipit. Vel quod juvenes non raderent barbam ante annum ætatis vigeſimum primum, ut volunt nonnulli.

215. *Teſtandi cum ſit lenonibus,* &c.] Aliud incommodum ab imperioſa uxore, per quam non licebit viro hæredes inſtituere niſi quos ipſa voluerit.

Laniſtis.] Gladiatoribus, eorumque magiſtris. Vide Sat. 3. ver. 158.

216. *Arenæ.*] In arena decertantibus. Vide quæ ad Sat. 2. ver. 144.

217. *Rivalis.*] Uxoris tuæ mœchus.

Dictabitur.] Suggeretur, ſcribi imperabitur.

218. *Crucem.*] Supplicii genus olim valde uſitatum, a Conſtantino magno poſtea ſublatum, ob reverentiam inſtrumenti noſtræ omnium ſalutis, ac apparentis mirabiliter in aëre ſigni, in quo erat hoſtes victurus, ac reipſa vicit. De variis crucium generibus, vide Senec. conſol. ad Marc. c. 20. & de Vita beata, c. 19. Vide Annot. Sat. 13. ver. 105.

220. *Nulla unquam de morte,* &c.] Apud multas gentes damnatorum pœna differri ſolebat, & apud Romanos quidem, & ex Senatuſconſultis, ad decimum uſque diem.

221. *Servus homo eſt.*] Servi ſunt, imo homines: ſervi ſunt, imo conſervi, & ex iiſdem tecum elementis conſtant aluntur que, atque ſpiritum eundem ab eodem principio carpunt, &c. quæ habent Macrob. l. 1. Saturn. c. 11. Vide & Senec. Epiſt. 47.

222. *Hoc volo, ſic jubeo,* &c.] Tyrannica plane verba.

223. *Hæc regna.*] Viri domum & familiam in qua regnabat, relinquit, novumque maritum ſæpius quærit potens ac dives mulier.

224. *Permutatque domos.*] Ab uno viro ad alium aliumque tranſiens.

Avolat,

Digitized by Google

Avolat, & ſpreti repetit veſtigia lecti.
Ornatas paulò antè fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.
Sic creſcit numerus; ſic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos: titulo res digna ſepulcri.
Deſperanda tibi ſalvâ concordia ſocru:
Illa docet ſpoliis nudi gaudere mariti:
Illa docet miſſis à corruptore tabellis,
Nil rude, nil ſimplex reſcribere: decipit illa
Cuſtodes, aut ære domat: tunc corpore ſano
Advocat Archigenen, oneroſaque pallia jactat.
Abditus intereà latet, & ſecretus adulter,
Impatienſque moræ ſilet, & præputia ducit.
Scilicet expectas, ut tradat mater honeſtos,
Aut alios mores, quam quos habet? Utile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla fere cauſa eſt, in qua non fœmina litem
Moverit. Accuſat Manilia, ſi rea non eſt.
Componunt ipſæ per ſe, formantque libellos,

*recedit atque relegit notas cubilis contempti: dimittit januam nuper decoratam, aulaa in adibus expanſa, ramoſque in foribus etiamnum virentes. Ita numerus augetur: ita ſuccedunt octo viri intra quinque autumnos: res ſanè digna inſcriptione tumuli. Nec ſperanda tibi conſenſio, ſocru ſuperſtite. Hac monſtrat oblectari exuviis ſpoliati viri: hac erudit nihil agreſte, nihil ſimplex reſcribere litteris ab adultero miſſis. Hac obſervatores fallit, vel pecuniâ conciliat. Tum valente corpore accerſit Archigenem, ac opercula gravia imponit. Interim deliteſcit occultus tectuſque mœchus, & tacet vix ferens cunctationem. * * * * * Nimirum ſperas ut parens det bonos mores, vel à ſuis diverſos? Prætereà ſpurca vetula fructuoſum eſt proſtituere impuram filiam. Nulla propemodùm controverſia eſt, in qua litem non intentaverit mulier. Accuſat Manilia, ſi rea non fuerit. Ipſæ per ſe conſcribunt & contexunt libellos,*

ANNOTATIONES.

Flammea conterit.] Toties nuptialia terit velamenta, quoties nubit. De flammeo vide Sat. 2. ad ver. 124.

225. *Avolat.*] Alias *advolat.*

Spreti repetit veſtigia lecti.] Redit ad primum virum.

226. *Ornatas paulò antè fores.*] Vide ſupra ad ver. 79.

228. *Octo mariti.*] Nec enim pluribus quam octo viris nubere licebat, citra notam adulterii. Hinc Martial. lib. 6. Epig. 7.

Nubit decimo jam Teleſina viro.
Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege eſt.

229. *Quinque per autumnos.*] Annis quinque.

Titulo res digna ſepulchri.] Ironice. Quam pulcrum erit ſepulchro talis mulieris inſcripta ex more videre nomina virorum octo, quibus nupſit. Vide Martial. lib. 9. Epig. 16.

230. *Concordia.*] Expectanda tibi non ſunt amor & fides conjugalis ab uxore illa tua, vivente ſocru.

231. *Illa docet.*] Socrus enim ipſa, tuæ uxoris mater, improbis inſtruit eam moribus.

Nudi.] Crebra exigens a viro dona, &c. Multa etiam clam ſurripiens & matri donans.

233. *Nil rude, nil ſimplex reſcribere.*] Docet caute, erudite, callide, blande reſcribere ad mœchos.

234. *Cuſtodes.*] Suſpectæ fidei uxoris cuſtodes a viro commiſſos.

235. *Advocat Archigenen.*] Vocat Medicum ægritudinem ſimulans, quo facilius adulteria perpetret.

Archigenen.] Celebrem eo tempore Medicum. Vetus Schol.

Oneroſaque pallia jactat.] Vel rejicit quaſi nequeat ferre; vel potius, ipſa mater operit multis palliis velut ægram filiam, vocatque Medicum ut locum det mœchis.

237. *Silet.*] Alias *pavet*, quod minus congruit.

239. *Utile porrò.*] Nam turpis mater ex adulteriis filiæ quæſtum facit.

241. *Nulla ferè cauſa.*] Quid, quod & forenſia negotia attentant fœminæ?

In qua non fœmina litem moverit.] In qua litigandi anſam & modum non inveniat.

242. *Accuſat Manilia, ſi rea non eſt.*] Semper aut accuſantis aut defendentis partes agit.

Manilia.] Pro qualibet audaci fœmina ponitur illa meretrix cujus meminit A Gellius l. 4. c. 14. Hæc Aulum Hoſtilium Mancinum Ædilem Curulem, a quo dies ipſi dicta ad populum erat, provocans ad Tribunos Plebis jure dejecit.

243. *Per ſe, formantque libellos.*] Sine virorum auxilio componunt libellos, & ſcripta illa quibus actio inſtituitur & cauſa probatur.

Prin-

Digitized by Google

prompta Celſo præſcribere exordium & locos. Quis ignorat endromidas Tyrias, ac muliebre ceroma? Vel quis non aſpexit ictus paxilli, quem quotidianis fuſtibus perfodit, & clypeo impetit, & cunctas partes exequitur, mulier ſanè digna buccinâ Floralium: præterquàm ſi quidpiam majus volutatur in eo corde, ac veræ arenæ comparatur. Quàm verecundiam exhibere valet fœmina caſſide munita, *quæ abhorret à* ſuo *ſexu, & robuſta ſectatur? Ea nihilominùs ipſa repugnaret fieri vir. Quanta enim oblectatio noſtra?* Porrò, *qualis rerum ſplendor, ſi fiat venditio uxoris: balteus, & manicæ, & pinnæ, & medium lævi cruris armamentum: aut ſi varia tentaverit certamina,* quàm *tu beatus, juvenculâ ocreas venum exponente!*

Principium, atque locos Celſo dictare paratæ.
Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma
Quis neſcit? Vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat aſſiduis ſudibus, ſcutoque laceſſit,
Atque omnes implet numeros; digniſſima prorſùs
Florali matrona tuba: niſi ſi quid in illo
Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à ſexu, vires amat? Hæc tamen ipſa
Vir nollet fieri: nam quantula noſtra voluptas?
Quale decus rerum, ſi conjugis auctio fiat,
Balteus, & manicæ, & criſtæ, cruriſq; ſiniſtri
Dimidium tegmen: vel ſi diverſa movebit
Prælia, tu felix ocreas vendente puellâ.

ANNOTATIONES.

244. *Locos.*] Sedes argumentorum, ut aiunt, rationes probationi aut refutationi idoneas.

Celſo.] Cornelius *Celſus* Orator fuit inſignis & Juriſconſultus, ſub Auguſto. Inſtitutionum libros ſeptem conſcriptos reliquit. Vetus Schol. Ejus meminit Quintilianus pluribus in locis, l. vero 12. c. ult. ait ſcripſiſſe de rebus etiam medicis, ruſticis, militaribus.

Dictare paratæ.] Tam eruditæ, ut tradere queant etiam peritis dicendi præcepta.

245. *Endromedas Tyrias.*] Novum audaciæ muliebris portentum; quod & luctari, & in arenam deſcendere non erubeſcant.

Endromidas.] Vide Sat. 3. ver. 103. *Tyrias* purpureas & molliores vulgaribus. Vide Sat. 1. v. 27.

Ceroma.] Vide Sat. 3. v. 68.

246. *Quis non vidit vulnera pali.*] Quis neſcit mulieres non modo ceromate inungi, ac gymnicas exercitationes ſine verecundia frequentare, ſed etiam gladiatura gaudere, proindeque more tyronum ſe ad palum exercere ſolitas?

248. *Omnes implet numeros.*] Accedit, ferit, recedit rurſum invadit, &c.

Digniſſima prorſùs florali matrona tubâ.] Digniſſima igitur quæ inter meretrices & perfrictæ fœminas frontis, diſcurrat in floralibus nudato corpore; & ad ſignum tubæ poſiliat. Vid. Perſ. Sat. 5. v. 178. ad vocem *Floralia.* Hæc celebrabantur ſub finem Aprilis. Ovid. Faſt. 5.

250. *Veræque paratur arena.*] Ut in amphitheatro palam decertet, more gladiatorum: ac poſt umbratiles pugnas ad verum certamen in arena deſcendat. Vide Martial. Spectac. Epigramm. 6.

252. *Vires amat.*] Muliebres fugit exercitationes; viriles amat, duras, laborioſas.

253. *Quantula noſtra voluptas.*] Quam parva & modica virorum voluptas præ fœminea: ex Ov. Metam. 3. Fab. 4.

254. *Quale decus rerum, &c.*] Quam magnificus erit ille apparatus ac ſplendor armorum tuæ uxoris, ſi hæc illa venum proponere voluerit? Ironice.

Si conjugis auctio fiat.] Si fiat venditio armamentorum tuæ conjugis.

255.] *Balteus.*] Cingulum militare e corio, e quo arma dependent.

Manicæ.] Manuum armamenta ſeu tegmina.

Criſtæ.] Quæ galeis imponuntur ornatus cauſa.

Cruriſque ſiniſtri dimidium tegmen.] Virgil. Æneid. 7. Crus ſiniſtrum nudari ſolitum ab Hernicis ait: contra Juvenalis tegmen ſiniſtri cruris memorat. De his vide Macr. L. 5. c. 18. in fine. Certe crus lævum tegebatur, quod protendebatur adverſus hoſtem. Dimidium vero dicitur tegmen, quia non niſi a pede ad genu perveniebat, ſuperiora tegente clypeo.

256. *Si diverſa movebit prælia.*] Si tam retiarii, quam mirmillonis partes varias exequatur, adeoque geminas habet ocreas, non ſimplices autem ſolum, ut Ætoli populi, de quibus Macr. loco citato.

257. *Tu felix ocreas vendente puellâ.*] Ironice, ut cætera. Quanta tibi gloria, quantum decus, ô vir, uxore tua ancipitem & variam armaturam venum proponente, oſtentante.

Puellâ.] Uxore adoleſcentula.

Hæ

Hæ ſunt, quæ tenui ſudant in cyclade, quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit.
Aſpice quo fremitu monſtratos perferat ictus; 260
Et quanto galeæ curvetur pondere; quanta
Poplitibus ſedeat; quam denſo faſcia libro;
Et ride, ſcaphium poſitis cum ſumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi, cœcive Metelli, 264
Gurgitis aut Fabii, quæ ludia ſumpſerit unquam
Hos habitus? Quando ad palum gemat uxor Aſylli?
Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo.

Ipſa ſunt quæ ſudorem emittunt in levi cyclade, quarum voluptates adurit ſericeum etiam palliolum. Cerne quanto gemitu inferat percuſſiones oſtenſas; quàmque magnâ caſſidis gravitate incurvetur: quanta genibus inſiſtat: quàm ſpiſſo faſcia volumine: atque cachinnare, quando armis depoſitis ſcaphium accipitur. Enarrate vos, o neptes Lepidi ac Metelli oculis orbati, vel Fabii Gurgitis, quamima ẽs unquam veſtes induerit? Quando Aſylli conjux ad paxillum fremuerit? Thalamus in quo uxor cubat nunquam non rixas continet, & mutuas contentiones. In eo ſomnus capitur modiciſſimus.

ANNOTATIONES.

258. *Hæ ſunt quæ tenui.*] Illæ ipſæ quæ virile robur affectant in gladiatoriis exercitationibus, in aliis rebus fœmineam omnino oſtendunt mollitiem.

Cyclade.] Rotunda chlamyde e tenui valde filo, qua ſe gravari tamen delicatulæ queruntur, ac velut aduri.

Quarum delicias, &c.] Quarum molle, tenerum, delicatum corpus vix ferre poteſt bombycinæ veſtis pondus.

259. *Bombycinus.*] E telis araneorum modo textis ad luxum fœminarum, inventis primum in Co Inſula a Pamphila muliere Latoi filia: Ut ait Plin. L. 11. c. 22. ubi de bombycibus.

260. *Quo fremitu.*] Cic. Tuſcul. 2. n. 56. *Vir fortis*, inquit, *ingemiſcit, ut ſe intendat ad firmitatem; ut in ſtadio curſores exclamant, quam maxime poſſunt. Faciunt idem cum exercentur athletæ. Pugiles vero etiam, cum feriunt adverſarium, in jactandis ceſtibus ingemiſcunt, non quod doleant, animove ſuccumbant, ſed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.*

Monſtratos perferat ictus.] Docente laniſta.

Perferat ictus.] Quanta ferocia inſtigat ictus, ac monſtratos geſtus omnes exequatur.

261. *Quanto galea curvetur pondere.*] Quam gravem ferat ultro galeam, utque ſub ejus pondere curvetur, ictus declinando.

262. *Quanto poplitibus ſedeat.*] Quam ſe firmam & quam grandem exhibeat inter digladiandum, crura tibiaſque extendendo, flectendo, agitando, totum corpus genuum flexura innixum agiliter movendo.

Denſo faſcia libro.] Aſpice quam denſis voluminibus replicatas veſtes colligat faſcia, & ſuccingat. Sic enim mulieres pugnabant ſuccinctæ.

Libro.] Inſtar multorum libri voluminum. Olim enim ſcribebant in arborum cortice, qui liber vocatur.

263. *Ride, ſcaphium poſitis, &c.*] Cum videris mulierem eſſe, & muliebre quid attrectare eam, quæ plane virum ſe in gladiatura præſtabat.

Scaphium.] Multiplex & varia prorſus vocis iſtius ſignificatio. Aliquando pro ligone ponitur: alias pro vaſe potorio, ut paſſim apud Plaut. alias pro certo capillitio ſcaphæ ſimilitudinem & formam habente, meretricibus uſitato, ut notat Turneb. L. 2. capite ultimo. Quo ſenſu non abſurde hic accipere licet. Vulgo tamen interpretantur matellam, ſeu vas cui immeiunt mulieres, ipſis proprium, ut laſanum viris. Favet Jul. Pollux L. 10. c. 9. & Turnebus loco citato. Cœl. Rhodig. L. 21. c. 33. pariter ait, laſanum virorum eſſe, fœminarum vero trullam & ſcaphium: veluti Pollux ſcribit, inquit, Eupolidem ſecutus.

264. *Dicite vos neptes.*] O vos honeſtæ filiæ honeſtorum & ſummorum virorum, dicite num ea fuerint olim mulieres impudentia.

Lepidi.] Qui Cenſor, bis Conſul, & Pontifex Maximus fuit.

Metelli.] Is etiam bis Conſul, Cenſor, Dictator, oculos amiſit cum ex incendio ædis Veſtæ Palladium eriperet. De eo jam Sat. 3. ver. 139.

265. *Gurgitis aut Fabii.*] Is Fabii maximi filius, devorato patrimonio, *Gurges* cognominatus, ad meliorem poſtea frugem rediit, multarumque virtutum, imprimiſque abſtinentiæ ſpecimen edidit: ac prioris ætatis vitia inſigni ſecuta virtute compenſavit: ut teſtatur Macrob. L. 3. cap. 13.

266. *Ad palum gemat.*] Dum ſe exercet in arte gladiatoria, anhelitu magno & tremitu, ut paulo ante dictum.

Aſylli.] Gladiatoris.

267. *Semper habet lites, &c.*] Cum conjuge ne quidem noctu quies eſt.

Digitized by Google

Hæc tùm marito moleſta, tùm deterior Tigride orbatâ, quando fingit luctum ſecreti noxia facinoris: vel filios averſatur, vel confictâ dolet concubinâ, fletibus nunquam non copioſis, nunquam non promptis in ſua ſede, & eam opperientibus quâ ratione fluere imperet. Tu exiſtimas amorem. Tum tu tibi curruca arrides, ac labris lacrymis hauris; Quæ verò exarata, & quas epiſtolas lecturæ, ſi tibi aperiatur arcula zelotypæ adulteræ? At cubat in amplexibus famuli vel equitis: eloquere, Quintiliane profer, ſi potes, profer excuſationem quandam. Ambigimus. Ipſa eloquere. Pactum fuerat quondam, ait, ut ageres tu quod placeret, atq; poſſem ego aliquid *mihi concedere. Quantum libet vociferere, ac mare cælo miſceas, homo ſum. Nihil eſt ferocius his interceptis: iracundiam & audaciam trahunt à ſcelere. Attamen quæris unde aut è qua origine* prodeant *ea portenta? Sors abjecta pudicas olim faciebat Latinas, atque exiguas domos ſceleribus inſici non permittebat*

Tunc gravis illa viro, tunc orbâ tigride pejor,
Cùm ſimulat gemitus occulti conſcia facti:
Aut odit pueros, aut fictâ pellice plorat
Uberibus ſemper lacrymis, ſemperque paratis
In ſtatione ſua, atque expectantibus illam,
Quo jubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumq; labellis
Exorbes; quæ ſcripta, & quas lecture tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur ſcrinia mœchæ?
Sed jacet in ſervi complexibus, aut Equitis: dic,
Dic aliquem, ſodes, dic, Quintiliane, colorem.
Hæremus: dic, ipſa. Olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu quod velles; necnon ego poſſem
Indulgere mihi: clames licèt, & mare cœlo
Contundas, homo ſum. Nihil eſt audacius illis
Deprênſis. Iram, atque animos a crimine ſumunt.
Undè hæc monſtra tamen, vel quo de fonte requiris?
Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebat

A N N O T A T I O N E S.

269. *Orbâ tigride.*] Dum catulis ablatis frendet & ſævit in raptorem quem inſectatur. Vide Plin. l. 8. c. 18. ubi ait, Tigrim Indicam feram velocitatis tremendæ eſſe, quæ vacuum reperiens cubile, fertur præceps, odore veſtigans. Raptor, appropinquante fremitu, abjicit unum e catulis. Tollit illa morſu, & pondere etiam ocyor facta reportat, & mox redit, iterumque conſequitur; donec, regreſſo in navem raptore, irrita feritas ſævit in littore.

270. *Cùm ſimulat gemitus.*] Cum viro fictum objicit adulterium plorans, ut celet ſuum.

271. *Odit pueros.*] In odium mariti filios vexat; vel etiam ſervos, quaſi marito in ſuis adulteriis operam navantes.

Fictâ pellice.] Fingens æmulam ſibi datam: ac pellicem a viro, a quo plus illa ametur.

273. *In ſtatione.*] Metaphora a re militari.

Expectantibus.] Dum ſignum det illa ut fluant abundanter.

275. *Tu tibi tunc curruca places.*] Gaudes, & tibi gratularis quod ameris ab uxore tua ad zelotypiam uſque.

Curruca.] Similis iſti aviculæ, quæ pullos alienos fovet, nimirum cuculi, qui in currucæ nido ſæpe ova parit, Ariſtot. L. 6. de Anim. Sic enimvero tu adulterinos educas liberos, quos tibi parit uxor tua quaſi tuos. Vide Plin. l. 10. c. 9.

Fletumque labellis exorbes.] Plorantem deoſculando.

276. *Quæ ſcripta, &c.*] Verum quas & quot amatorias invenires literas a mœchis ſcriptas, ſi tuæ ſcrinium uxoris ſcrutere, quæ ſe zelotypam fingit, ut ſuſpicionem omnem ſuorum flagitiorum amoveat.

278. *Sed jacet in ſervi complexibus.*] At ſi forte deprehenſa fuerit in delicto: an quæ poterit excuſatio prætendi ſuis ſceleribus? Quin imo etſi hæreat ipſe Quintilianus in tali cauſa, ipſa non hærebit, ſed ſtrenue ſe defendet.

279. *Quintiliane.*] Rhetor deſertiſſime, & præceptionum oratoriarum magiſter.

280. *Olim convenerat.*] Verba uxoris adulterium excuſantis apud maritum.

282. *Indulgere mihi.*] Licentiam aliquam arripere, nec ita me fide conjugali aſtringere.

Mare cœlo confundas.] Sat. 2. v. 25.

283. *Homo ſum.*] Sexus me fragilem & errori proximam facit: humana infirmitate lapſa ſum.

284. *Iram atque animos à crimine ſumunt.*] Non verecundia, ſed audacia ſeſe tuentur, cum ſe vident in ſcelere deprehenſas. Quod ſane perditæ eſt improbitatis.

285. *Undè hæc monſtra.*] Unde monſtroſa hæc luxuria? Nimirum ex opulentia & otio.

286. *Humilis fortuna.*] Opes exiguæ.

Tecta

Tecta labor, ſomnique breves, & vellere Thuſco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus urbi
Annibal, & ſtantes Collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: ſævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.
Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. Hinc fluxit ad iſtos
Et Sybaris colles; hinc & Rhodos, & Miletos,
Atque coronatum, & petulans, madidumq; Taren- (tum.
Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis, & capitis quæ ſint diſcrimina, neſcit.

labor, & modicus ſopor, & manus Etruſcâ lanâ fatigata ac indurata, & Annibal civitati imminens, & viri in ſtatione ad turrem Collinam. Jam toleramus incommoda otii diuturni. Premit libido bello crudelior, & mundum ſubactum vindicat. Nullum non graſſatur ſcelus & luxuriæ flagitium ab eo tempore quo deſiit inopia Romana. Inde manavit hos in montes, & Sybaris; inde & Rhodus, & Miletus, & Tarentum redimitum, ac procax atq; humidum. Impura pecunia primum invexit externas conſuetudines, atq; opes effœminatæ corruperunt ævum fœdâ luxuria. Ecquid etenim reveretur temulenta Venus? Quæ ſit inguinis atque capitis differentia

ANNOTATIONES.

288. *Vellere Thuſco.*] Lanificio quod exercebatur in vico Romano, qui Thuſcus dicebatur, vel quod e Thuſcia petitum fuerat.

290. *Annibal*] Vide ſupra v. 169.

Stantes Collinâ.] Excubias agentes in Porta *Collina*, vel etiam in caſtris ad eam portam poſitis, cum infeſto exercitu urbem appeteret Annibal, Tit. L. 26.

Collina in turre.] Ad portam *Collinam* turribus munitam. Hanc ita dictam Varro ſcribit a varietate collium quos habet Quirinalis portæ huic proximus.

291. *Longa pacis mala.*] Per otium enim virtus elangueſcit, gliſcit luxuria.

292. *Victumque ulciſcitur orbem.*] Nos orbis victores domat, expurgat, perdit, quaſi ut illata a nobis orbi victo mala ulciſcatur.

294. *Ad iſtos.*] Aliqui legunt, *Iſtros*, qui populi ſunt in littore Illyrico: ſed minus ad rem.

295. *Colles.*] Romam, quæ ſeptem collibus inædificata.

Et Sybaris colles, &c.] Luxus, libido, vitia iſtarum urbium deliciis perditarum; nam eo nomine male audiebant *Sybaris* urbs Calabriæ, Rhodus civitas & Inſula in mari Carpathio, Miletus in finibus Ioniæ & Cariæ, apud Aſiam minorem; Tarentum in extrema Italia ad ſinum ejuſdem nominis.

Rhodos.] Hæc multo tempore mari dominata eſt, Piratas profligavit, Romanis amica fuit, &c. quæ habet Strabo, L. 14. pulcherrima, & libera, circuitu centum triginta millium paſſuum; aut, ſi Iſidoro credimus, 103. habitata urbibus, inquit Plin. Lib. 5. cap. 31. Clarum Rhodon vocat Horat. L. 1. Od. 7. Mirabilem æque & beatam exhibet Pindar. Olymp. Od. 7. ubi e profundo maris enatam canit, & multum in ea pluiſſe aurum. Caſaub. in cap. 2. Lib. 13. Athenæi. *Solem*, inquit, *apud ſe natum credebant Rhodii, hinc præcipua colebant religione, eique celebrabant Halia*, id eſt, *Feſtum Solis: nam* Ἅλιος *pro* Ἥλιος *Dores dicunt: errant verò qui ab* ἅλς *deducunt, putantque monumentum eſſe veteris* θαλαττοκρατίας. Hæc Caſaub. Coloſſum ſeptuaginta cubitis altum, inter orbis miracula oſtentavit Rhodus, donec terræ motu proſtratum aliquandiu poſtea mercatori vendidit Saracenorum Rex, circa annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum tertium; ab eo Rhodios Coloſſenſes vocatos affirmant Suidas & alii, & ad hos propriam ab Apoſtolo ſcriptam Epiſtolam contendunt nonnulli, ſed plures refragantur. Inſula hæc paruit ſubinde Imperatoribus Conſtantinopolitanis, dein Saracenis; quibus ademptam Equites Sancti Joannis Hieroſolymitani tenuerunt ad annum milleſimum quingenteſimum vigeſimum ſecundum: quo tempore Solimannus Turca expugnavit, concedentibus in Melitam Inſulam Equitibus. Gell. Lib. 7. cap. 3. *Civitas Rhodienſis*, inquit, *& inſulæ opportunitate, & operum nobilitate, & navigandi ſolertia, navalibuſque victoriis celebrata eſt . . . . . Superbiæ crimen incurrit, &c.* Vide Sat. 8. v. 113. & ibid. Annot. ad vocem *Rhodios.*

296. *Coronatum, petulans, madidum.*] Tarentini ſolebant floribus coronati unguentiſque perfuſi compotare, ebrii vero, ut fit, petulantes erant.

297. *Obſcœna pecuniâ.*] Cujus habendæ gratia nihil non obſcœnum admittitur.

Mores.] Vitia flagitia.

299. *Venus ebria.*] Libido etiam vino excitata adjutaque.

300. *Inguinis & capitis.*] Verſum hunc pudoris cauſa non excutimus.

 Grandia

Digitized by Google

ignorat illa *qua comedit ingentes oſtreas, nocte jam mediâ, quando ſpumant unguenta Falerno puro immixta, quando potatur* in *concha, quando jam præ vertigine culmen movetur, & bina lampades in menſa apparent. Jam vade, & ambige quâ ſannâ hauriat aërem Tullia; quid loquatur conſueta Maura Collatia, quando Maura prætergreditur antiquum altare Caſtitatis. Iſtic noctu lecticas deponunt:* * * * * * * * * * * * * * *

4

Cognita ſunt arcana Bonæ Deæ, quando tibia excitat lumbos, ac Priapi Mænades agitantur ſtupefacta cornu æquè ac vino & capillos ſuccutiunt, ac vociferantur. O quàm magnus tum illarum animis fervor * * * * * * * * *

Inter matronas illas *vis adæquat victoriam generis* nobilitati. *Illic nihil fingetur per jocum: cuncta perpetrantur ad verum, quibus excitari queat filius Laomedontis* Priamus *ætate jam* licet *frigeſcens, atque hernioſus Neſtor.* * * * * * * * * *

Tum ex univerſo æqualiter ſpecu vox iteratur.

Grandia quæ mediis jam noctibus oſtrea mordet,
Cum perfuſa mero ſpumant unguenta Falerno,
Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
Ambulat, et geminis exurgit menſa lucernis.
I nunc, & dubita qua ſorbeat aëra ſanna
Tullia, quid dicat notæ Collacia Mauræ?
Maura pudicitiæ veterem cum præterit aram.
Noctibus hîc ponunt lecticas, micturiunt hîc;
Effigiemque Deæ longis ſiphonibus implent;
Inque vices equitant, ac luna teſte moventur.
Inde domos abeunt. Tu calcas, luce reverſa,
Conjugis urinam, magnos viſurus amicos.
Nota Bonæ ſecreta Deæ, cum tibia lumbos
Incitat; & cornu pariter, vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant, ululantq; Priapi
Mænades: o quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! Quæ vox ſaltante libidine! Quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
Lenonum ancillas poſita Laufella corona
Provocat, & tollit pendentis præmia coxæ.
Ipſa Medullina frictum criſſantis adorat,
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum ſimulabitur; omnia fient
Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo
Laomedontiades, & Neſtoris hernia poſſit.
Tunc prurigo moræ impatiens: tunc fœmina ſim-
Et pariter toto repetitur clamor ab antro. (plex

ANNOTATIONES.

301. *Mediis jam noctibus.*] Protracto ad mediam noctem convivio.

Oſtrea.] Ad libidinem provocantia. Vide quæ ad Sat. 4. v. 142.

302. *Spumant.*] Effervescunt.

Perfuſa mero ſpumant unguenta Falerno. Vina exquiſita unguentis mixta, ut odorata fiant luxurioſis hominibus uſitata. Martial. Lib. 14. Epigr. 110. Plin. Lib. 13. cap. 3. Brod. Miſcell. Lib. 4. cap. 4.

Falerno.] Vide quæ ad Sat. 4. v. 138.

303. *Concha.*] Ingenti vaſe & capaci.

Vertigine.] Vini vaporibus nimia copia cerebrum petentibus ac turbantibus.

304. *Ambulat.*] Domus tectum moveri, circumagi, circumvolvi videtur.

Geminis exurgit menſa lucernis.] Quæ obverſantur oculis apparent duplicia, cum debilitatis ac diſtentis oculorum nervis per nimium potum, viſuales, ut aiunt, radii diſtrahuntur.

305. *I nunc, &c.*] Octo ſequentes verſus explanare vetat pudor.

313. *Nota Bonæ ſecreta Deæ.*] Nota ſunt omnibus flagitia in Sacris illis nefandis exerceri ſolita. De his jam Sat. 2. v. 86. &c.

Cum tibia lumbos incitat.] Perſ. Sat. 1. v. 20.
Cum carmina lumbum intrant, &c.

314. *Cornu pariter, &c.*] Vide Sat. 2. v. 90. & ſeq.

315. *Priapi Mænades.*] Id eſt, furioſæ Priapi Sacrificulæ, Bacchantium ſimiles: impuræ illæ mulieres. De Priapo. Sat. 2. v. 95. De *Mænadibus*, Perſ. Sat. 1. v. 101. 105.

316. *O quantus tunc, &c.*] Et hic Verſus aliquot prætermittimus pudoris cauſa.

325. *Laomedontiades.*] Priamus Laomedontis filius, jam ſenior.

Neſtoris hernia.] Neſtor Græcus Princeps, ætate jam tertia confectus, & hernia laborans. Ovid. Metamorphoſ. 12.

Jam

Digitized by Google

Jam fas eſt, admitte viros. Jam dormit adulter?
Illa jubet ſumpto juvenem properare cucullo.
Si nihil eſt; ſervis incurritur: abſtuleris ſpem
Servorum, veniet conductus aquarius: hic ſi
Quæritur, & deſunt homines; mora nulla per ipſam,
Quò minus impoſito clunem ſubmittat aſello.
Atque utinam ritus veteres, & publica ſaltem
His intacta malis agerentur ſacra: ſed omnes
Noverunt Mauri, atque Indi, quæ pſaltria penem
Majorem, quàm ſint duo Cæſaris Anticatones,
Illuc, teſticuli ſibi conſcius undè fugit mus,
Intulerit; ubi velari pictura jubetur,
Quæcunq; alterius ſexûs imitata figuram eſt.
Et quis tunc hominū contemptor numinis: aut quis
Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Auſus erat? Sed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio quid veteres olim moneatis amici.
Pone ſeram, cohibe. Sed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? Cauta eſt, & ab illis incipit uxor.
Jamque eadem ſummis pariter, minimiſq; libido.
Nec melior pedibus ſilicem quæ conterit atrum;

Nunc licet: maſculos introduc: an nunc mœchus dormitat? Hæc adoleſcentem induto cucullo feſtinare imperat. Si nullus eſt; ad ſervulos recurritur. Si adimas ſpem famulorum, properat etiam mercenarius aquarius. Si ille deſideratur, atque abſunt viri, nihil moratur iſta,
* * * * * * * * *
*Utinam verò antiquæ ceremoniæ & publica ſaltem ſacra peragerentur iſtis criminibus impolluta: at univerſi Mauri Indique non ignorant quanam pſaltria * * quam ſint gemini Cæſaris Anticatones*
* * * * * * * * *
* *Ubi tegi mandatur pictura quævis alterius ſexûs effigiem exprimens. Tum verò quis hominum Deos negligere, vel quis deridere attentâſſet Numæ ſympuvium, atque atram patinam, ac lances rumpi faciles è colle Vaticano? Jam verò ad quæ non altaria Clodius* penetrat? *Auſculto quod conſilium datis, o priſci quondam familiares. Adhibe ſeram;* cöerce. *Verùm quis obſervabit ipſos obſervatores? Conjux callida eſt, atque ab iſtis auſpicatur. Et nunc par eſt luxuria magnis æquè ac infimis: neque probior* eſt *quæ ſaxum nigrum calcat plantis,*

ANNOTATIONES.

336. *Quæ pſaltria.*] Loquitur de Clodio, qui habitu Pſaltriæ, Bonæ Deæ templum ingreſſus contra fas, adulterium ſacrilegio addidit. Vetus Schol. Plutarch. in Cæſare.

337. *Duo Cæſaris Anticatones.*] Libellos duos intelligit a Cæſare conſcriptos adverſus Catonem Uticenſem, quem Cicero laudaverat ſuo illo de Senectute Dialogo. Vetus Schol. *Anticatonum* meminit Sueton. Cæſar. cap. 56. Plutarch. in Cæſare: ipſeq; Cic. ad Attic. lib. 12. Epiſt. 39. & lib. 13. Epiſt. 48. Item Top. 94.

342. *Sympuvium.*] Legunt alii *Simpulum* vel *Simpullum*; quidam *Sympinium*, quaſi a *συμπίνειν*. Conſtat vas fuiſſe potorium cyatho ſimile & parvum; ſive ligneum, ſeu fictile. Hujus erat uſus in Sacris ad fundendum guttatim vinum. Unde Plin. lib. 35. c. 12. *In fictilibus*, inquit, *prolibatur ſympuviis*: ubi alii legunt *ſimpullis*. Ejuſmodi vaſorum meminit & Cicero lib. 3. de Legibus n. 36. & Apuleius Apolog. *Paupertas Imperium Populo Romano fundavit a primordio, proque eo in hodiernum diem Diis immortalibus ſimpuvio & catino fictili ſacrificat.* Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. & Turneb. lib. 22. cap. 30.

Numa.] Qui ſacra & cæremonias, omnemque Deorum cultum coluit, &c. Flor. lib. 1. cap. 2.

Nigrum catinum.] Fictile vas e terra nigra.

343. *Vaticano.*] Unus hic erat e collibus Romanis, ita dictus a vaticiniis ibi dari ſolitis, ut ait Gell. lib. 16. cap. 17. ſeu quod eo potiti Romani fuerint ex Vatum reſponſo, pulſis Hetruſcis; ut vult Feſtus. In ea urbis regione fiebant fictilia.

Hinc Martial.
In vaticanis condita muſta cadis.

344. *Ad quas non Clodius aras?*] Quæ ſacra non polluuntur a flagitioſis Clodii ſimilibus?

346. *Pone ſeram, cohibe.*] Uxorem domi claude, & contine, adhibitis etiam cuſtodibus.

347. *Ab illis incipit.*] Primos omnium uxor corrumpit & ſibi conciliat quos ſibi cuſtodes norit adhibitos.

349. *Pedibus ſilicem quæ conterit atram.*] Ignobilis & paupercula nudis pedibus incedens per vias cœnoſas ſilice ſtratas.

Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut ſpectet ludos, conducit. Ogulnia veſtem,
Conducit comites, ſellam; cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.
Hæc tamen argenti ſupereſt quodcumque paterni
Lævibus athletis, ac vaſa noviſſima donat.
Multis res anguſta domi eſt: ſed nulla pudorem
Paupertatis habet; nec ſe metitur ad illum,
Quem dedit hæc poſuitque, modum. Tamen utile quid ſit,
Proſpiciunt aliquando viri; friguſque, famemque,
Formicâ tandem quidam expavêre magiſtrâ.
Prodiga non ſentit pereuntem fœmina cenſum;
At velut exhauſtâ redivivus pullulet arcâ
Nummus, & è pleno ſemper tollatur acervo,
Non unquam reputat, quanti ſibi gaudia conſtent.
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ,
Et quòd abortivo non eſt opus. Illa voluptas
Summa tamen, quòd jam calida & matura juventa
Inguina traduntur Medicis, jam pectine nigro.
Ergo expectatos ac juſſos creſcere primùm
Teſticulos, poſtquam cœperunt eſſe bilibres,
Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conſpicuus longè, cunctiſque notabilis intrat
Balnea, nec dubiè cuſtodem vitis & horti
Provocat, à domina factus ſpado: dormiat ille
Cum domina: ſed tu jam durum, Poſthume, iamq;

quàm quæ portantur collo Syrorum procerorum. Ut ſpectet ludos Ogulnia mutuatur veſtimenta, mutuatur pediſſequas, cathedram, pulvinum, familiares, altricem, & juvenculam flavis capillis, *cui juſſa committat. Nihilominùs dat illa certatoribus glabris quicquid reſtat argenti è patrimonio, atquè ultima ſupellectilia. Plurimis* quidem *facultates arctæ ſunt* in *ædibus; at nulla verecundiam inopiæ tenet, neque ſe definit ad eum terminum, quem illa præſcripſit ac ſtatuit. Attamen viri provident interdum quid ſit fructuoſum; ac nonnulli, docente formicâ, timuerunt aliquando gelu & eſuriem. Mulier* autem *profuſa non advertit evaneſcentem pecuniam Sed, quaſi nummus evacuatâ ciſtulâ renaſcens multiplicetur, atque auferatur è cumulo ſemper integro, non conſiderat unquam quanto ſibi* pretio *ſtent oblectamenta. Extant quæ gaudeant ſpadonibus impotentibus & lævibus perpetuò baſiis, ac barbâ non ſperatâ: tum quia neceſſarium non eſt abortivum. Attamen ea gaudia maxima* ſunt, *cùm fervente jam & adultâ juventute,* jamque *nigreſcente pube committuntur Medicis* * * * * * * * * * * * * *tonſoris detrimento duntaxat abradit Heliodorus. Præclarus imprimis atque omnibus ſpectabilis ingreditur balnea: Et dubio procul eunuchus à matrona comparatus laceſſit vinearum atque hortulorum præſidem. Is cum matrona cubabit: At tu, Poſthume, ne velis ſpadoni* ejuſmodi

ANNOTATIONES.

350. *Quæ longorum vehitur cervice Syrorum.*] Fœmina primariæ nobilitatis ac dives, quæ lectica & ſella vehi ſolet.

Syrorum.] Servorum e Syria. Vide Sat. 1. v. 64. & quæ nos ibidem, & ad ſequentem verſum.

351. *Ludos.*] Aut Circenſes, aut Theatrales.

Ogulnia.] Ambitioſa matrona, ſed inops, & tamen libidinoſa, atque in libidines prodiga.

352. *Sellam.*] Vide Sat. 1. v. 65.

353. *Flavam, cui det mandata, puellam.*] Velut ſibi fidam, & conſiliorum arcanorumque participem, qualem habere ſolent Magnates.

355. *Lævibus.*] Imberbibus, comptis, formoſis.

Vaſa noviſſima donat.] Nihil plane ſibi reſervans, adeo excœcavit eam impurus amor.

360. *Formica.*] Horat. Sat. 1.

Exemplo eſt magni formica laboris, &c.

364. *Gaudia.*] Voluptates, libidines, propter quas effundunt ac prodigunt omnia.

365. *Sunt quas eunuchi, &c.*] Multa hic & in ſequentibus obſcuriuſcula relinquere non pigebit, verecundiæ interim litantes.

367. *Abortivo.*] Pharmaco abortum faciente.

372. *Tonſoris damno.*] Barba deficiente.

Heliodorus.] Chirurgus, ſeu Medicus, ut mox nominavit; caſtrator.

374. *Cuſtodem vitis & horti*] Priapum. De quo ante, & Sat. 2. v. 95.

Tondendum

Digitized by Google

Tondendum eunucho Bromium committere noli.
Si gaudet cantu, nullius fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus; organa ſemper
In manibus; denſi radiant teſtudine tota
Sardonyches: criſpo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operam dedit: hunc tenet, hoc ſe
Solatur, gratoque indulget baſia plectro.
Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti
Cum farre & vino Janum, Veſtamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere. Quid faceret plus
Ægrotante viro? Medicis quid triſtibus erga
Filiolum? Stetit ante aram, nec turpe putavit

Bromium tradere jam firmum, & jam tondendum. Si delectatur cantu, neminis fibula ſtat locantis vocem Prætoribus: nunquam non inſtrumenta in manibus tenet, *per univerſam citharam ſpiſſi rutilant ſardoniches: fides pulſantur plectro criſpato, quo laborem impendit mollis Hedymeles: illud contrectat, eo ſeſe recreat, ac jucundo pectini oſcula impertitur. Nonnulla è numero Lamiarum, & appellationis excelſæ, cum farre atque vino Janum ac Veſtam interrogabat, utrum Pollio deberet expectare & chordis polliceri quercum Capitolinam. Ecquid præſtaret amplius, marito ægro: quid mæſtis de puerulo Medicis? Conſtitit ad altare, neque pudendum exiſtimavit*

ANNOTATIONES.

377. *Bromium.*] Juvenem Baccho ſimilem, comatum, delicatum, quem amas, O Urſidi Poſthume, ætate jam paulo firmiore & provecta, adeoque tonſoris opera egentem. Porro Bacchus ita dictus a Βρόμυ, *ſtrepitu* ſeu *fremitu*, quia fulminante Jove, utero materno exemptus eſt, ut narrat Ovid. Metamorph. 3. Fab. 3.

378. *Si gaudet cantu, &c.*] Si mulier fuerit cantus & Muſicæ ſtudioſa, cantores & citharœdos deperit, & in adulterium vel reluctantes provocat.

Fibula.] Vide ſupra, v. 73.

379. *Vocem vendentis Prætoribus.*] Ludos edens Prætor adoleſcentes canendi peritos conducebat.

380. *Denſi radiant teſtudine totâ Sardonyches.*] Crebri rutilant lapilli ſeu in teſtudine quam ornant, ſeu in annulis quos ludens habet in manibus.

381. *Sardonyches.*] Vide Perſ. Sat. 1. v. 16.

Criſpo.] Agitante & criſpante chordas quas percutit.

Numerantur.] Scite pulſantur, numero, & ordine.

382. *Quo tener Hedymeles operam dedit.*] Eo nimirum pectine uſus ille citharœdus, cujus fictum videtur nomen ab ἡδὺ, *ſuave*, & μέλ☉, *cantus*.

Hoc ſe ſolatur.] Abſente citharœdo, quem amat, ejus plectrum & citharam gaudet poſſidere, tangere, oſculari.

384. *Quædam de numero Lamiarum.*] Nobilis imprimis. Vide Sat. 4. v. ult.

Nominis alti.] In quibuſdam codicibus legitur, *Appi.* Quod Romæ celebre nomen, & genus.

385. *Cum farre & vino.*] Hæc adhibebantur in ſacrificiis. Vide Sat. 9. v. 122.

Janum.] Cicero Lib. 2. de Nat. Deor. c. 67. *Cum in omnibus rebus vim habeant maximam prima & extrema, Principem in ſacrificando Janum eſſe voluerunt, &c.* Vide Alex. ab Alex. Lib. 4. cap. 17.

Veſtam.] Cicero loco mox citato, ita pergit: *Veſta nomen a Græcis, Ea eſt enim quæ ab illis ἑςία dicitur. Vis autem ejus ad aras & focos pertinet. Itaque in ea Dea, quæ eſt rerum cuſtos intimarum, omnis & precatio & ſacrificatio extrema eſt.* Dionyſ. Halicarnaſſ. Lib. 2. quam religioſe coleretur a Romanis *Veſta*, fuſe docet.

386. *Capitolinam quercum.*] In agone Capitolino victores coronam e quercu accipiebant. Vetus Schol. Suet. Domit. cap. 4. ſic habet: *Inſtituit & quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, Muſicum, Equeſtre, Gymnicum —— ac præter Citharœdos Chorocithariſtæ quoque certabant, &c.*

Martial. Lib. 4. Epigram. 54.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus.

De corona querna, aliiſque, vide Gell. Lib. 5. cap. 6. Plin. Lib. 16. cap. 4. &c.

Pollio.] Citharœdus illuſtri illi matronæ adamatus.

388. *Medicis quid triſtibus.*] Ob conclamatam puerulí ſalutem, de qua jam deſperat,

Digitized by Google

Pro cithara velare caput; dictataqua verba
Protulit, ut mos eſt, & aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quæſo, dic antiquiſſime Divûm;
Reſpondes his, Jane pater? Magna ocia cœli.
Non eſt (ut video) non eſt, quid agatur apud vos.
Hæc de Comœdis te conſulit: illa Tragœdum
Commendare volet; varicoſus fiet haruſpex.
Sed cantet potius, quam totam pervolet urbem
Audax, & cœtus poſſit quam ferre virorum,
Cumque paludatis ducibus, præſente marito,
Ipſa loqui, recta facie, ſtrictiſque mamillis.
Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe:
Quid Seres, quid Thraces agant: ſecreta novercæ,
Et pueri: quis amet; quis decipiatur adulter.
Dicet quis viduam prægnantem fecerit, & quo

obtegere caput pro lyra, & præceptas voces pronunciare, ſicut eſt conſuetudo, atque expalluit diſſectâ agnâ. Jam mihi loquere, precor; fare Deorum vetuſtiſſime, an *reſponſum das iſtis, ô Jane parens? Ingens ocium cœlo. Deeſt, ſicut cerno, deeſt quod fiat inter vos. Illa te rogat de hiſtrionibus, iſta cupiet Tragœdum tibi gratum reddere, haruſpex efficietur varicoſus. Verùm canat potiùs quàm civitatem univerſam pervagetur impudens, quámque ſuſtinere queat virorum conventicula, & erecto illa vultu atque exertis papillis confabulari cum ductoribus chlamydatis, coram* ſuo *conjuge.* Scit *ea ipſa quid agatur in univerſo mundo; quid Seres, quid Thraces gerant.* Scit *arcana novercæ cum privigno.* Scit *quis diligat, quis fallatur mœchus. Enarrabit quis gravidam effecerit viduam, quoque*

ANNOTATIONES.

390. *Pro cithara.*] Pro Citharœdo vota & ſacra facere, capite velato; ex more.

Velare caput.] Hujus inſtituti rationem excutit Plutarch. quæſt. Centur. Rom. q. 10. ne mortalibus & potentioribus hominibus par honos deferri videatur, ac Diis ipſis immortalibus; illis reverendis caput aperiunt, his autem obnubunt ac velant.

Dictata verba.] Docente & præeunte Sacerdote, Plin. Lib. 28. cap. 2. *Victimas cædi ſine precatione non videtur referre, neque Deos rite coli. Præterea alia ſunt verba impetrantis,* (alias impetrientis; id eſt, inquirentis per exta; Valer. Maxim. L. 1. c. 1.) *Alia depulſoris alia commendationis. Vidimus certis precationibus obſecraſſe ſummos Magiſtratus: & ne quid verborum prætereatur, aut præpoſterum dicatur, de ſcripto præire aliquem, ——— memoria inſigni, quoties precatio erraverit,* &c. quæ ibidem lege.

391. *Aperta palluit agna.*] Dum conſulerentur exta victimæ, e quorum ſitu & ſtatu divinabant futura Sacerdotes, mulier anxia expalleſcebat, ne quid ſiniſtri portenderetur amaſio ſuo, pro quo Sacra faciebat, ac Deos interrogabat. Plin. loco mox citato, *Sic repente extis adimi capita, vel corda, aut geminari, victima ſtante, viſa ſunt.* Apud. Liv. *Caput jecinoris a familiari parte (id eſt, interiori) cæſum aruſpex oſtendit.* Cic. L. 1. de Divin. c. 16. *Quid fiſſum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ cauſa ſit, neſcio. Atque horum plena vita eſt. Extis enim omnes fere utuntur.* Et. Lib. 2. c. 29. *Si eſt in extis aliqua vis, quæ declaret futura —— — gallinaceum fel —— Tauri optimi jecur, aut cor, aut pulmo quid habet naturale, quod declarare poſſit, quid futurum ſit?* &c. & cap. 32. *Caput jecinoris diligentiſſime conſiderant; ſi vero id non eſt inventum, nihil putant accidere potuiſſe triſtius,* &c. Vide Alex. ab Alex. L. 5. cap. 25.

392. *Antiquiſſime Divum.*] Janus in Italia ante Saturnum regnavit, eumque extorrem & regno pulſum excepit.

393. *Jane Pater.*] Macrob. Saturnal. L. 1. c. 9. *In Sacris,* inquit, *invocamus Janum geminum, Janum patrem —— quaſi Deorum Deum,* &c.

Magna ocia cœli.] Deos ſuos irridet egregie.

396. *Varicoſus fiet haruſpex.*] Dum inſtantibus importunis ejuſmodi mulieribus, *haruſpex* Deos conſulendo, & Sacris operando, pedibus inſiſtit diutius, ſane fiet *varicoſus,* delabente copioſius in pedum venas ſanguine craſſiori & melancholico. Vide Perſ. Sat. 5. v. 189.

Haruſpex.] Quis, & unde ſic appelletur notavimus Sat. 2. v. 121.

397. *Sed cantet potius.*] Melius tamen eſt ut cantu ſeſe oblectet, & muſicis, ut dictum eſt, inſtrumentis, quam rumores avida excipiat, ac paſſim cum viris confabuletur, abſque ullo pudore.

399. *Paludatis ducibus.*] Viris militaribus. Proprie paludamentum eſt ea veſtis, quam induunt Imperatores ad bellum proficiſcentes.

402. *Seres.*] Scythæ Aſiatici, a quibus ſerica dicta & apportata in alias regiones. Vide Ammian. Marcel. Lib. 23. ſub finem.

Thraces.] Thracia Europæ regio Macedoniæ finitima, hodie *Romania,* ad Pontū Euxinū late porrecta, urbe primaria Conſtantinopolī gloriatur.

Secreta novercæ, & pueri.] Secretos amores.

Menſe,

Menſe, quibus verbis concumbat quæq; modis quot.
Inſtantem regi Armenio, Parthoque cometen
Prima videt: famam, rumoreſque illa recentes
Excipit ad portas: quoſdam facit: iſſe Niphatem
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio: nutare urbes, ſubſidere terras,
Quocumque in trivio, cuicumque eſt obvia, narrat.
Nec tamen id vitium magis intolerabile, quam quod
Vicinos humiles rapere, & concidere loris
Exorata ſolet: nam ſi latratibus alti
Rumpuntur ſomni; Fuſtes huc ocyus, inquit,
Afferte, atque illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem: gravis occurſu, & teterrima vultu,
Balnea nocte ſubit: conchas, & caſtra moveri
Nocte jubet; magno gaudet ſudare tumultu,
Cùm laſſata gravi ceciderunt brachia maſſa.

menſe: * * * * * * * * *Prima animadvertit Cometam minitantem regi Armenio & Parthico. Ad portas urbis ipſa famam ſuſcipit ac noves ſermones; nonnullos etiam confingit: Niphatem in plebem irrupiſſe, atque ibi ingenti eluvione occupari univerſos agros: tremere civitates, hiare terras, commemorat cuilibet occurrerit, quavis in platea. Nihilominus ea noxa magis eſt ferenda, quam quod etſi rogata conſuevit raptare vicinos pauperes, & ſcuticis lacerare. Si enim profundus* ejus *ſopor turbetur latratibus: ait, iſtuc cito baculos apportate: & iis herum priorem imperat verberari, poſtea canem. Moleſta obviam, terribilis facie intrat noctu balnea: noctu imperat tranſportari vaſa & caſtra: ingenti ſtrepitu ſudorem emittere delectatur, quando lacerti lapſi ſunt maſſa ponderoſa fatigati.*

ANNOTATIONES.

405. *Quibus verbis.*] Græcis an Latinis. Supra v. 194. Ζωὴ καὶ ψυχή.

406. *Regi Armenio, Parthoque.*] Hoſtibus populi Romani. Armenia porro & Parthia ſunt Aſiæ regiones Tauro monti vicinæ. In illa regnavit Tigranes qui Mithridati opem tulit. De hac ad Perſ. Sat. 5. v. 4.

Cometen.] Plin. Lib. 2. cap. 25. *Cometas Græci vocant*, inquit, *noſtri crinitas; horrentes crine ſanguineo & comarum modo in vertice hiſpidas*, &c. Suet. Ner. c. 36. *Stella crinita quæ ſummis Poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur*, &c. Vide Cic. Lib. 2. de Natur. Deor. n. 14. Senec. Nat. quæſt. Lib. 7. ubi de Cometis copioſe diſſerit. Plutarch. 3. de Placit. Philoſ. cap. 2. &c. Cæterum quod Ariſtoteles aliique tradiderunt, Cometas eſſe meteora, nuper experientia diſcuſſit. Siquidem ea cœli parte, ad quam non pertingunt exhalationes, cometæ viſi ſunt, nimirum ſupra Lunæ Spheram. Et hoc ſaltem inter alia multa manifeſte compertum jam aliquoties; evidens certe fuit in eo Cometa, qui per duos menſes apparuit, Decemb. 1664, & Jan. 1665. & nuper in altero, ſub finem anni 1670.

408. *Niphatem.*]. Armeniæ fluvium hunc exundaſſe, & vaſtitatem agris inferre.

410. *Nutare urbès.*] Terræ motu concuſſas. Ex his ſatis apparet Juvenalem ad Trajani perveniſſe Imperium, ut notat Lipſ. Epiſtolic. quæſt. Lib. 4. Epiſt. 20. Nam videtur omnino reſpicere hic ingentem illum terræ motum, de quo Xiphilinus in Trajano. Nempe hic cum Antiochiæ eſſet, & urbs illa & aliæ pleræque graviter labefactæ ſunt: immugiit terra, infremuit mare: ſubſedere Coraſius mons, aliique; loca infima attolli, ſublimia conquaſſari & ruere viſa, &c.

Subſidere terras.] De his vide Plin. Lib. 2. cap. 69. & 70.

413. *Concidere loris exorata ſolet.*] Innoxios interdum loris cædi jubet, nec exorari ſe aut flecti ſinit a deprecantibus immeritam pœnam.

416. *Dominum.*] Herum canis, cujus nocturno allatratu quies interturbata fuerit.

417. *Gravis occurſu, teterrima vultu.* Erga famulantes aſpera.

418. *Balnea nocte ſubit.*] Lavabant enim Veteres ante cœnam, ut diximus alibi.

Conchas, & caſtra.] Ingentia vaſa & balnearia inſtrumenta tanto deferuntur, inſtante domina, tumultu, quanto ſolent moveri caſtra & exercitus.

420. *Cum laſſata gravi, &c.*] Poſtquam gravi aliqua exercitatione corpus agitando, & pondera ferendo aut movendo, ſudorem elicuit, ac ſeſe defatigavit.

Maſſa.] Plumbeas aliquot maſſas in balneis agitari ſolitas, antequam lavarent, docet cum aliis Seneca, Ep. 15. *Sunt*, inquit, *exercitationes & faciles & breves, quæ corpus ſine mora laxent (alias laſſent)——curſus, & cum pondere aliquo manus mota, & ſaltus*, &c. Epiſt. vero 56. ſic habet: *Supra balneum habito——cum fortiores exercentur, & manus plumbo graves jactant, gemitus audio——audio crepitum illiſæ manus humeris*, &c. Lipſius in Sen. ibid. halteres ait notari, quibus & ad ſaltandum uſi, ſeque veluti librandum, & iiſdem ſed gravioribus ad exercendum, ac ſine magno motu ſudorem evocandum, ſublatis depreſſiſque manibus, aut huc illuc jactatis. Idem teſtatur hic & Vetus Schol.

Calli-

Digitized by Google

* * * * * 2 * * * * *

Interim infelices convivæ premuntur & ſopore & eſurie. Denique prodit hæc ſubrubens integrum appetens œnophorum, quod repleto vaſe intenditur pedibus appoſitum; è quo geminus hauritur ſextarius rabioſum creaturus ante epulas appetitum, quando revertitur, ac intimis ablutis terram percutit. Defluunt rivuli marmoreo pavimento, *vel catinum amplum redolet Falernum. Ita enim potat ac rejicit, velut anguis oblongus in dolium profundum lapſus fuerit. Itaque maritus nauſeam patitur, & obtectis oculis bilem coërcet. Attamen intolerabilior ea, quæ, poſtquàm incœpit* menſæ *accumbere, celebrat Maronem, condonat Didoni morituræ,*

Callidus & criſtæ digitos impreſſit aliptes,
Ac ſummum dominæ femur exclamare coëgit.
Convivæ miſeri intereà ſomnoque, fameque
Urgentur. Tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum ſitiens, plenâ quod tenditur urnâ
Admotum pedibus, de quo ſextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,
Dum redit, & terram loto ferit inteſtino.
Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum
Pelvis olet. Nam ſic tanquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit, & vomit. Ergo maritus
Nauſeat, atque oculis bilem ſubſtringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ, cùm diſcumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoſcit Eliſſæ:

ANNOTATIONES.

421. *Callidus & criſtæ.*] Duos hic verſiculos pudori mactamus.

Aliptes.] Unctor, cujus officium erat oleo corpora perungere poſt ſudorem.

422. *Exclamare.*] Reſonare, crepare, illiſa unctoris manu; ut expreſſit Seneca cit. mox Epiſt. 56.

423. *Convivæ miſeri intereà, &c.*] Expectantes dum laverit Domina.

425. *Oenophorum.*] Vas vinarium.

Tenditur.] Vel redundat, vel quod porrigitur a famulis ac miniſtris.

426. *Sextarius.*] Pars congii ſexta: menſuræ genus quoddam.

428. *Dum redit.*] Cum evomitur, & purgato ſtomacho projicitur vel in terram vel in pelvim.

429. *Falernum.*] Hinc refellitur eorum opinio qui dicunt porrigi Dominæ vinum peſſimum, quo nauſea concitetur: nam duo ſextarii vini cujuſlibet ſine eſculentis & cibo ſumpti, præſertim calidi, quo utebantur Romani frequenter (ut aſſerit Lipſ. Elect. 1. cap. 4.) ſatis erant idonei ad concitandum mulieri vomitum.

431. *Serpens.*] Plin. Lib. 10. cap. 72. *Serpentes,* inquit, *cum occaſio eſt, vinum præcipue appetunt, cum alioqui exiguo indigeant potu.*

Maritus nauſeat.] Ob fœdum uxoris vomitum.

432. *Bilem.*] Vel nauſeam, vel indignationem evitaturus oculos inde avertit.

433. *Illa tamen gravior, &c.*] *Statiliam Meſſalinam inſectatur, quæ poſt quatuor Matrimonia diverſo exitu ſoluta, poſtremo Neroni nupſit: poſt quem interemptum, & opibus, & forma, & ingenio plurimum viguit; conſectata uſum eloquentiæ uſque ad ſtudium declamandi. Eo tempore duæ Meſſalinæ fuerunt; hæc, & Valeria, de qua Claudius Britannicum filium ſuſtulit.* Ita loquitur Vetus Schol. hic.

Cùm diſcumbere cœpit.] Vide Perſ. Sat. 1. ver. 30.

434. *Periture ignoſcit Eliſſæ.*] Id eſt, Didoni quod ab Ænea ſe deſertam videret, mortem ſibi conſciſcenti veniam dat, & nefas alioquin perpetranti ignoſcendum cenſet, legens moriendi cauſas tam ſcite deſcriptas a Virgilio. 4. Æneid. in quo ſummam artem & ingenium Poëtæ commendat, qui ſic rebus dare colorem novit. Vid. S. Aug. Lib. 1. Confeſſ. c. 13, & 14.

Periture ignoſcit Eliſſæ.] Quod amoris impatientiæ tribuit Virgilius, honeſtiorem habet cauſam apud graves Auctores. Nempe ut ſecundas Iarbæ proci nuptias inſtantis armata manu declinaret, voluntaria morte occumbere Didonem maluiſſe quam datam priori viro fidem violare, affirmant. Hi certe hiſtorica veritate, ille Poëtica licentia, ſcripſerunt.

Eliſſæ.] *Eliſa* Beli Tyriorum regis filia, ob virile animi robur Dido cognominata, Herculis Sacerdoti Sichæo primum nupta, eo per fratris ſcelus interempto, in Africam nave conſcenſa fugit, ubi Carthaginem condidit. (meminit Sueton. Ner. cap. 31.) Tum Iarbas Getuliæ rex nuptias illius appetens, armis etiam extorquere ſed fruſtra niſus, ut mox dictum.

Hinc Auſonius Epigr. 111.

Illa ego ſum Dido, & vultu quam conſpicis, hoſpes,
Aſſimilata Modis, pulchraque mirificis.
Talis eram: ſed non Maro quam mihi finxit, erat mens:
Vita nec inceſtis læta cupidinibus:
Namque nec Æneas vidit me Troius unquam;
Nec Lybiam advenit claſſibus Iliacis.
Sed furias fugiens atque arma procacis Iarbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo, &c.

Com-

Digitized by Google

Committit vates, & comparat inde Maronem,
Atque alia parte in trutina ſuſpendit Homerum.
Cedunt Grammatici, vincuntur Rhetores, omnis
Turba tacet, nec cauſidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis.
Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulſari. Jam nemo tubas atque æra fatiget:
Una laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.
Imponit finem ſapiens & rebus honeſtis.
Nam quæ docta nimis cupit & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas ſuccingere debet,
Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes:

confert Poëtas, ac deinde Virgilium componit, & aliundè Homerum in libra examinat. Concedunt Grammatiſtæ, ſuperantur Oratores, ſilet univerſa multitudo, neque cauſarum actor, neque præco, neque alia fœmina verba faciat: adeò magnus orationis impetus profluit. Affirmares patellas totidem & crepitacula ſimul percuti. Ne quis deinceps exagitet buccinas, & vaſa ærea: ſola hæc opitulari queat Lunæ deficienti. Rebus etiam probis limites docta præſcribit. Enimverò quæ vult apparere nimiùm eloquens & erudita, eam oportet veſtes colligere ad dimidiam uſque tibiam, ſuem mactare Sylvano, atque inire balnea pro *quadrante. Fœmina quæ tibi copulata accubat, ne teneat loquendi rationem, vel breve enthymema jaculetur oratione circumactâ, neque hiſtorias calleat univerſas;*

ANNOTATIONES.

435. *Maronem, Homerum.*] Horum Poëticæ rei Principum Elogia, & comparationem, apud Auctores paſſim invenies. Quintil. Lib. 10. c. 1. Plutarch. Opuſc. multis locis, præſertim vero Lib. de Homero. Macrob. tum alibi, tum maxime L. 5. & 6. Gell. Lib. 3. cap. 11. Lib. 9, cap. 9. L. 17. cap. 10. & alibi. Jul. Scal. Poët. &c.

441. *Tubas atque æra fatiget.*] Quorum tinnitu laborantem Lunam ſublevari credebant ſuperſtitioſi veteres. Vulgus enim, Eclipſeωs cauſam ignorans, aiebat Veneficarum incantationibus Lunam in terras detrahi, cogique virus aliquod in eas effundere herbas, quibus uti volebant ad magica. Quapropter ne carmina & incantationes audiret Luna, ululatus horriſonos atque ſtrepitus illi excitabant. Vide Virg. Ecl. 8. Sen. Med. v. 794. & Hippol. v. 787. Lucan. Lib. 6. Apul. Lib. 1. Aſin. Aur. ubi *deſpumare Lunam vocat*, id quod mox diximus, Plin. Lib. 2. c. 12. *In Luna*, inquit, *veneficia arguente mortalitate; & ob id crepitu diſſono auxiliante.*

443. *Imponit finem ſapiens.*] Sed & philoſophari mulieres videas, ac diſputare de ſummo bono, & de honeſta vivendi ratione.

445. *Crure tenus, &c.*] Virilem etiam habitum quin aſſumit? Vetus Schol. Quintil. Lib. 11. cap. ultimo ſic Oratori præſcribit veſtium formam: *Tunicæ prioribus oris infra genua paulum, poſterioribus ad medios poplites uſque perveniant. Nam infra mulierum eſt, ſupra Centurionum——Togæ pars anterior mediis cruribus optime terminatur, &c.*

446. *Cædere Sylvano porcum.*] Debet etiam non ut mulier, Cereri; ſed, ut vir, Sylvano ſacrificare. *Sylvanus* Agrorum & pecoris Deus; cui Sacra facere mulieribus interdictum: teſte vet. Schol. Quod autem Juvenalis ait *porcum*, notat fortaſſe Epicuream Sectam ac diſciplinam, quam ea mulier amplexa ſit.

Quadrante lavari.] Adinſtar pauperum Philoſophorum, qui lavantes quartam aſſis partem Balneatori ſolvebant, ſicut & omnes e vulgo. Cic. pro Cœlio: *Niſi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat Balneatori.* Horat. 1. Sat. 3.
Quadrante lavatum Rex ibis.

447. *Tibi juncta.*] Per matrimonium.

448. *Dicendi genus.*] Id eſt, ne uxor tua doctior ſit. Ne Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, ſcire velit: nec proinde obſervet varia dicendi genera, ſublime, humile, mediocre, pro diverſitate rerum quas loquitur.

Aut curtum ſermone rotato, &c.] Ne affectet artem Dialecticam, ejuſque præcepta.

Curtum enthymema.] Genus argumentationis duabus conſtans propoſitionibus, tertia ſubintellecta, & in animo retenta, ἐν θυμῷ unde nomen. Paulo aliter Cicero Topicor. 5. *Sententia quævis acuta, quæ ex contrariis conficitur, enthymema eſt, ut, quod ſcis prodeſt nihil, id quod neſcis obeſt*, & n. 56. *Hoc diſſerendi genus attingit omnino veſtras quoque in reſpondendo diſputationes, ſed Philoſophorum magis, quibus eſt cum Oratoribus illa ex repugnantibus ſententiis communis concluſio, quæ a Dialecticis tertius modus, a Rhetoribus enthymema nuncupatur.* Vide Quintil. Lib. 5. cap. 14.

Sermone rotato.] Volubili, vel converſione concluſo.

Sed

Digitized by Google

Sed quædam ex libris, & non intelligat. Odi
Hanc ego, quæ repetit volvitq; Palæmonis artem,
Servatâ ſemper lege, & ratione loquendi,
Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus,
Nec curanda viris Opicæ caſtigat amicæ
Verba. Soloeciſmum liceat feciſſe marito.
Nil non permittit mulier ſibi: turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.
Intolerabilius nihil eſt quàm fœmina dives.
Intereà fœda aſpectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, & hinc miſeri viſcantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lotâ cute: quando videri
Vult formoſa domi? mœchis foliata parantur.
His emitur quicquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit;
Incipit agnoſci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod ſecum comites educit aſellas,
Exul Hyperboreum ſi dimittatur ad axem.

verùm è codicibus nonnulla, nec penitùs *capiat. Averſor ego illam quæ recolit ac verſat Palemonis diſciplinam, cuſtoditâ perpetuò regulâ, dicendique genere* obſervato: *& quæ vetuſtatis amans ſcit verſiculos mihi non notos; ac redarguit vocabula* ſuæ *familiaris Opica viris negligenda. Fas viro ſit commiſiſſe ſolœcon. Indulget ſibi fœmina quidlibet, nihil fœdum exiſtimat, quando cinxit collum lapillis virentibus, & quando porrectis auriculis tradidit grandes inaures. Non eſt gravius quidquam opulentâ muliere. Vultus interim horridus viſu, ac ſubſannandus intumeſcit plurimo pane, vel redolet unguenta Poppæa, atque inde conglutinantur labia viri infelicis.* Illa *perget ad adulterum pelle ablutâ. Ecquando cupit apparere pulchra* in *ædibus* ſuis? *Adulteris nardina præparantur.* Pro *illis mercatur quodcunq; iſtuc tranſmittitis,* ô *Indi tenues. Deniq; faciem detegit, prioremque ſolvit incruſtationem. Incipit diſcerni, eoq; lacte imbuitur. Quapropter aſellas ſecum trahit aſſeclas, ſi relegetur extorris ad cardinem Aquilonarem.*

ANNOTATIONES.

451. *Palæmonis artem.*] Sueton. de Illuſtr. Grammat. cap. 23. ait Remmium Palæmonem Vicentinum ſub Tiberio & Claudio Imperatoribus principem tenuiſſe locum inter Grammaticos: cæterum arrogantia tanta fuiſſe, ut M. Varronem porcum appellaret: ſecum & natas & morituras literas jactaret, &c.

453. *Antiquaria.*] Sectatrix antiquarum vocum & locutionum.

454. *Opicæ.*] Barbare loquentis & indocte, more Opicorum. Vide Sat. 3. v. 207.

455. *Solœciſmum.*] *Solœciſmus eſt cum pluribus verbis conſequens verbum ſuperiori non accommodatur*, inquit Cicero 4. ad Heren. 18. Vide Gell. L. 5. c. 20. Porro *Solæ* vel *Solus* urbs fuit Ciliciæ, in quam piratæ Pompeii juſſu tranſportati: hi vero linguam Atticam inquinantes & corrumpentes, & exinde quivis barbare loquentes, & male, *ſolœciſſare* dicti ſunt.

457. *Virides gemmas.*] Ut ſmaragdos.

458. *Elenchos.*] Uniones in pyri formam turbinatos, Plin. L. 9. c. 35. Vide cit. ejus locum Sat. 2. v. 61. ad vocem *Cylindros.*

461. *Pane tumet facies.*] Vide Sat. 2. v. 107.

Poppæana.] Inventa a *Poppæa*, Neronis uxore, cultus & munditiæ ſtudioſiſſima. Vet. Schol.

462. *Hinc.*] Iſtis pinguibus, fucis, unguentis.

464. *Mœchis.*] Ut mœchis placeat mulier, exquiſitis ſe perfundit odoribus, & nitidam ſe illis nunquam non objicit, non ita vero ſtudet viro placere.

Foliata.] Unguenta e foliis odoratis, Plin. L. 13. c. 1. *Nardinum ſive foliatum*, inquit, *conſtat omphacio, balanino, junco, coſto, nardo, amomo, myrrha, balſamo.* Et. cap. 2. *Eſt*, inquit, *unguentorum ſumma commendatio, ut tranſeunte fœmina odor invitet etiam aliud agentes.*

465. *Emitur quicquid, &c.*] Aromata varia.

Graciles Indi.] Minus corpulenti ob æſtum & ardorem Solis præſertim matutini. Vid. Her. L. 3.

Indi.] Hi ſunt Aſiæ populi valde Orientales, ab Indo fluvio dicti: omni frugum genere, cœli temperie, amœno ſolo, gemmis, aliiſque opibus beati. Apud Indos vetita eſt regi temulentia, teſte Athenæo L. 10. c. 10.

466. *Aperit vultum.*] Ablatis tectoriis, fucis, incruſtamentis e mica panis aſinino lacte macerati, de quo mox.

467. *Fovetur.*] Illinitur, abluitur, curatur.

468. *Comites educit aſellas.*] Velut Poppæa, Vide Sat. 2. v. 107. & quæ nos ibi.

469. *Hyperboreum ad axem.*] Ad Polum Arcticum, & extremas illas regiones, quæ ſunt ſupra vel ultra Boream & Aquilonem. Unde nomen, Solin.

Axem.] Fingunt Geographi terræ orbem duobus inniti volvique cardinibus ſeu Polis, traducto per centrum axe.

Sed

Digitized by Google

Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit & madidæ; facies dicetur, an ulcus?
Eſt operæ pretium penitus cognoſcere toto
Quid faciant agitentque die. Si nocte maritus
Averſus jacuit, periit libraria, ponunt
Coſmetæ tunicas, tarde veniſſe Liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere ſomni
Cogitur: hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic ſcutica; ſunt quæ tortoribus annua præſtent.
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum;
Et cædens longi relegit tranſacta diurni.
Et cædit, donec laſſis cædentibus, exi,
Intonet horrendum, jam cognitione peracta:
Præfectura domus Sicula non mitior aula.

At quæ variis tot fomentis incruſtatur & curatur, ac ſumit fruſtula excocti humidique tritici, vocabitur ne facies, an ulcus? Juvat intelligere prorſus quid integro die agant ac molliantur. Si noctu vir cubuit averſus, interiit lanipendia, veſtimenta deponunt ornatrices, ſerius acceſſiſſe Liburnus increpatur, adigiturq; luere punitionem ſoporis alterius. Hic rumpit ferulas, ille flagris rubeſcit; iſte ſcuticis. Extant quæ carnificibus ſtipendia *tribuant in annum. Cædit ac vultum* quaſi *prateriens fovet, familiares auſcultat, vel aurum amplum togæ pictæ contemplatur; atque verberans recognoſcit peracta prolixi quotidiani. Et verberat quoadusque fatigatis percuſſoribus, animadverſione completâ, terribilem in modum vociferatur, diſcede. Ædium adminiſtratio non clementior aulâ Siciliæ.*

ANNOTATIONES.

471. *Coctæque ſiliginis offas.*] Panis ſiliginei maxime candidi & mollis. Vide Sat. 5. v. 70.

472. *Facies dicetur an ulcus?*] Certe putidum ac fœdum ulcus dicendum potius eſt, quam facies mulieris pura, munda, nitida, formoſa.

475. *Averſus.*] Averſo ab uxore vultu dormiens, nec ſatisfecit muliebri deſiderio.

Periit libraria.] Actum eſt de *libraria* & aliis famulantibus, in quos mulier impotens iram exonerat quam in maritum concepit.

Libraria.] Ancilla quæ aliis penſa librat, ac diſtribuit ſingulis, ad opus diurnum.

476. *Coſmetæ.*] Ancillæ ab ornamentis. Ita vulgo, κόσμῳ, *ornamentum*, κοσμέω, *orno*. Reclamat Salmaſius, & ornatores vult intelligi. Accedit vetus Schol. & ſic habet: *Eos dicit qui ornamentis præſunt, non tamen & ornatrices. Ponunt tamen & tunicas, ut vapulent.* At ſeipſum Juvenalis numquid explicat v. 489. & ſeq. Quin & vetus Schol. Ornatrices paulo poſt affert non ſemel, textu adigente.

Ponunt tunicas.] Ad excipiendas plagas, ita jubente domina.

Liburnus.] Vel nuncius, vel lecticæ gerulus, e Liburnia. Vide Sat. 3. v. 240.

477. *Dicitur.*] Accuſatur, damnatur.

Pœnas alieni pendere ſomni cogitur.] Heri, qui dormivit averſus ab uxore.

478. *Frangit ferulas, &c.*] Franguntur ferulæ huic ſervo acrius impactæ: alius cæditur & cruentatur flagris, &c.

Ferulas.] Vide Sat. 1. v. 15.

479. *Tortoribus.*] Qui plectant ac cædant ſervos quoties libet iratæ mulieri.

480. *Obiter.*] Dum aliud agit otioſe crudelis. Vide quæ notavimus ad Sat. 3. v. 241.

Audit amicas.] Confabulantes ſecum.

481. *Latum pictæ veſtis conſiderat aurum.*] Veſtem acu pictam Phrygio opere, & auro intextam, Plin. Lib. 8. cap. 48. *Accipio*, inquit, *pictas veſtes jam apud Homerum fuiſſe, unde triumphales natæ. Acu facere id Phryges——— aurum intexere Attalus Rex, invenerunt*, &c.

482. *Longi.*] Dum vapulat innocens.

Relegit tranſacta.] Præteritæ diei rationes examinat ſcriptas in Libro, cui inde nomen.

Tranſacta.] Vet. Schol. legit, *tranſverſa*, & explicat *ratiocinium diurnum in tranſverſa charta deſcriptum.* Adſtipulatur Cœl. Rhod. L. 12. c. 21.

Diurni.] Libri continentis ſingulorum dierum rationes. Quidam legunt, *diei.*

483. *Exi, intonet.*] Jam abi, furcifer, &c.

484. *Cognitione peracta.*] Vel recognitis rationibus, vel ſumpto de famulis ſupplicio.

485. *Præfectura.*] Sunt qui legant, *profectura domo*, id eſt, antequam domo proficiſcatur: ſed præterquam quod repugnat metrum, ſenſus parum cohæret. Melius igitur hic verſus ſeparatur, ut ſit epiphonema.

Præfectura domus, &c.] Hæc mulier in familia tam eſt crudelis, quam in aula & Regno fuerunt Siculi Tyranni, Phalaris, Dionyſii, Agathocles. de quibus vide Perſ. Sat. 3. v. 39. Cic. Tuſcul. 5. n. 57. Juſtin. lib. 20. 21. 22, &c.

Sicula.] *Sicilia* Tyrrheni maris Inſula, amplitudine & fama nobilis. De hac vide quæ notavimus Sat. 5. v. 99.

Digitized by Google

Etenim ſi condixit, & cupit decorari ſplendidiùs conſueto, atque feſtinat, & jam in hortulis eam opperiuntur, *vel ad ædem potiùs Iſidis lenocinantis capillos* ejus *aptat miſera Pſecas vulſis ipſa trinibus, denudatis humeris & papillis. Cur iſte cirrus eminentior?* inquiet. *Statim ſcutica vindicat noxam & ſcelus crinis detorti. Ecquid peccavit Pſecas? Quod illic eſt facinus ancillæ, ſi te offendunt nares tuæ: Alia ſiniſtrum expandit, & capillos comit, atque in gyrum torquet. In conſultationem vocatur Domina, & lanificio adhibita, quæ vacat, acu veterana. Prior hac feret judicium: poſt eam judicabunt annis & peritia inferiores; quaſi verſetur periculum exiſtimationis ac vitæ. Adeò magna eſt ſollicitudo parandæ venuſtatis. Tot ordinibus ſtipat, tot etiam connexionibus exſtruit celſum verticem,* ut *Andromacham cerneres à fronte, à tergo brevior extat:* atque *alteram exiſtimares. Da, ſi nacta eſt curti lateris parvam*

Nam ſi conſtituit, ſolitoque decentiùs optat
Ornari; & properat, jamque expectatur in hortis,
Aut apud Iſiacæ potiùs ſacraria lenæ;
Componit crinem laceratis ipſa capillis, 489
Nuda humeros Pſecas infelix, nudiſq; mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuò flexi crinem facinuſque capilli.
Quid Pſecas admiſit? Quænam eſt hîc culpa puellæ,
Si tibi diſplicuit naſus tuus? Altera lævum
Extendit, pectitq; comas. & volvit in orbem. 495
Eſt in conſilio matrona, admotaque lanis
Emerita quæ ceſſat acu: ſententia prima
Hujus erit; poſt hanc ætate, atque arte minores
Cenſebunt: tanquam famæ diſcrimen agatur,
Aut animæ: tanta eſt quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus, altum
Ædificat caput: Andromachen à fronte videbis,
Pòſt minor eſt: aliam credas. Cedo, ſi breve parvi

ANNOTATIONES.

486. *Si conſtituit.*] Si conveniendi locum & horam indixit Mœcho.

488. *Apud Iſiaca potius ſacraria lenæ.*] Iſidis Sacra locum ſæpe dabant adulteriis, & eo prætextu flagitia multa perpetrabantur, Joſeph. Ant. l. 18. c. 10. Alex. ab Alex. L. 6. c. 8. Vide Plut. Com. de Iſid. & Oſir.

489. *Componit crinem, &c.*] Dominæ comam aptat ancilla infelix, verberibus obnoxia, poſitis tunicis, ut ante dictum.

Laceratis.] Ab irata hera, quoties aberrat ornatricis manus, aut alia de cauſa, ut ſupra.

490. *Pſecas.*] Nomen unius e Dianæ comitibus & ancillis, apud Ovidium Metamorphoſ. Vetus Schol. ψεκάζειν, inquit, *Græce dicunt, quando rarum pluit & minutum, Ornatrices igitur componentes, atq; rarum ac parvum ſolent mittere, ac velut ψεκάζειν. Ergo nominis etymologiam ab arte* Poëta *ſumpſit.*

491. *Altior hic quare, &c.*] Increpatio Dominæ ad ancillam ornatricem.

Taurea.] Scutica e corio bubulo.

Punit.] Vide Mart. L. 2. Epigram. 66.

494. *Si tibi diſplicuit naſus tuus.*] Utpote deformis. An famulæ culpa eſt, ſi naſus tibi tuus non videtur ſat venuſtus? Cur igitur eam cædis taurea?

Altera lævum extendit, &c.] Lævam comæ partem altera componit, dum Pſecas vapulat.

496. *Eſt in conſilio.*] De ornatu & venuſtate, de compoſitione capillorum.

Matrona.] Senior quædam & fida famula. Legunt alii, *materna*, & explicant, nutrix a matre data.

Admotaque.] Quidam legunt *amota*.

Lanis.] Vel diſpenſandis, vel nendis.

497. *Emeritâ acu.*] Hac dudum ſcite operata, quandiu viguit oculorum acies: bene his laboribus perfuncta jam quieſcit.

Ceſſat.] Emeritis quaſi ſtipendiis vacationem obtinuit a tenuiore ac difficiliori opera, nimirum a ſuendo, vel acu pingendo, vel etiam comendo heram.

501. *Tot ordinibus.*] Capillorum tricis.

Compagibus.] Commiſſuris, faſciis, tiara. Suggeſtum comæ vocat Papinius.

502. *Ædificat.*] Subſtructionibus velut exaggerat, auget, effert.

Andromachen, &c.] Crederes uxorem Hectoris, ſtatura grandi & magna conſpicuam.

503. *Pòſt minor eſt.*] Ubi nullæ ſunt capillorum ſubſtructiones, quæ grandiorem exhibeant.

Cedo ſi breve, &c.] Hoc vero breviori illi indulge, ut altior videatur, ac videri velit. Vel, quæſo dic an non alia prorſus ac diverſa appareret videnti a fronte & a tergo?

Sortita

Digitized by Google

Sortita eſt lateris ſpatium, breviorque videtur
Virgine Pygmæâ, nullis adjuta cothurnis;
Et levis erectâ conſurgit ad oſcula plantâ.
Nulla viri cura intereà, nec mentio fiet
Damnorum: vivit tanquam vicina mariti;
Hoc ſolo propior, quòd amicos conjugis odit,
Et ſervos. Gravis eſt rationibus. Ecce furentis
Bellonæ, matriſq; Deûm chorus intrat: & ingens
Semivir obſcœno facies reverenda minori,
Mollia qui ruptâ ſecuit genitalia teſtâ,
Jam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, & Phrygia veſtitur bucca tiara.
Grande ſonat, metuiq; jubet Septembris, & Auſtri
Adventum, niſi ſe centum luſtraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit ipſi;

extenſionem, & apparet minor puellâ Pygmea, quando *nullis* eſt *cothurnis innixa, atque pede ſublevato ad baſia agilis ſubrigitur. Nullum interim mariti ſtudium, neque memoria eſt detrimentorum: vitam agit velut viri vicina, hoc uno propinquior, quòd averſatur mariti intimos atque famulos:* & *computationibus moleſta eſt. En ingreditur cœtus Bellonæ ſævientis, ac parentis Deorum, atque magnus dimidius vir, vultus colendus juniori impudico, qui fractâ teſtâ dudum abſcidit * * * * cui caterva rauca, cui tympana vulgaria concedunt: atque maxilla operitur inſulâ Phrygiâ. Ingentem ſonum edit, & imperat formidari reditum Septembris ac Noti, niſi centenis ſe ovis expiaverit, atque dederit ei xerampelinas antiquas;*

ANNOTATIONES.

505. ***Pygmæa.***] Puſilla & cubitalis inſtar Pygmæorum Indiæ montana colentium. De quibus vide Plin. L. 7. c. 2. Agell. L. 9. c. 4. Athen. L. 9. c. 11. & quæ nos infra ad Sat. 13. v. 167. ac ſeq.

Cothurnis.] Calceamentis ſublimioribus ſubere confertis quorum uſus erat apud Tragœdos.

508. *Damnorum.*] Quibus exhaurit maritum per cultus ſumptuoſiores.

510. *Gravis eſt rationibus.*] Quando computantur impenſæ quibus rem familiarem afficit, ipſa gravis eſt marito; vel ſæva eſt in famulos ac diſpenſatores accepti & expenſi rationem reddentes. Poſterior hæc interpretatio magis placet.

Ecce furentis, &c.] Jam ſuperſtitioſas mulierum obſervationes notat.

511. *Bellonæ, matriſque Deûm.*] *Bellonæ & Cybeles* Sacerdotes. De quibus Sat. 2. v. 111. & Sat. 4. v. 124. Lactant. L. 1. c. 21.

512. *Semivir.*] Venerandus Antiſtes Eunuchus.

514. *Rauca.*] Ob nimiam vociferationem, unde mox ait, *grande ſonat.* Nec audiendi qui interpretantur de voce acutiori, qualem habent eunuchi.

Tympana.] Metonymia. Sacerdotes tympana pulſantes, qui quidem inferioris erant ordinis, quapropter addit, *plebeia.*

515. *Phrygiâ veſtitur bucca tiarâ.*] Uſitata Phrygiis ac Perſis tiara Pileus erat e byſſo rotundus, quaſi ſphæra media; caput tegens Sacerdotale, in occipitio vitta conſtrictus. Iſid.

Veſtitur bucca.] Tiaræ lobi maxillas operiebant, & ſub mento conſtringebantur.

Tiara.] S. Hieron. Comment. in Dan. c. 3. *Tiara,* inquit, *verbum græcum eſt, uſu verſum in latinum, de quo & Virgilius. Sceptrumque, ſacerque tiaras: genus pileoli, quo Perſarum & Chaldæorum gens utitur.* Et, de Veſtitu Sacerdotum, ad Fabiolam, ſic habet: *quartum veſtimenti genus eſt rotundum pileolum, quale pictum in Ulyſſeo conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite. Hoc Græci τιάραν, nonnulli galerum vocant ——— non habet acumen in ſummo, nec totum uſque ad comam caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit, atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, ut non facilè labatur ex capite. Eſt autem byſſinum & ſic fabrè opertum linteolo, ut nulla acus veſtigia extrinſecus appareant.* Hactenus S. Hieronym.

516. *Septembris, & Auſtri adventum.*] Meridionalem ventum Septembri menſe flantem. & febres alioſque morbos procreantem.

517. *Luſtraverit ovis.*] In ſacris Iſidis præſertim ad luſtrationes, ova adhibebantur. Cœl. Rhodig. L. 27. c. 17. Brod. Miſcell. L. 1. c. 25. &c.

518. *Xerampelinas.*] Utebantur matronæ veſtibus coloris ſiccæ roſæ, ſeu pampini areſcentis. Unde nomen factum ξηρὸς, *ſiccus,* ἄμπελος, *pampinus.* Vetus Schol. Eas in templo Iſidis ſuſpendebant. Hoc autem invenerat avaritia Sacerdotum, ut donis ita diteſcerent. Simile quid Chriſtus Dominus exprobat Phariſæis, Mat. 15. De quo vide St. Hieron. l. 2. Comment. in dictum caput Matthæi. *Ita fiebat,* inquit, *ut oblationes & vota ſub occaſione Templi & Dei in Sacerdotum lucra cederent.*

Donaverit ipſi.] Matrona ſuperſtitioſa aſtuto Sacerdoti.

Ut

Digitized by Google

ut quodcumque imminet repentini ingentiſque periculi, in veſtes abeat, ac integrum ſemel annum expurget. Inibit fluvium hyemalem rupto gelu, manè ter abluetur Tiberi, & ipſo in gurgite lavabit meticuloſum caput. Deinde ſpoliata ac tremens ſanguinolentis genibus reptabit per *omnem Superbi regis campum. Si alba Io imperaverit, perget ad terminos Ægypti, & hauſtas ab ardenti Meroë undas afferet, quas effundat in Templo Iſidis, quod erectum eſt prope veterem caulam. Nam putat ſe incitari verbis ipſius Deæ. Ecce animam & mentem cum qua noctu Numina ſermonem habeant.*

Ut quicquid ſubiti & magni diſcriminis inſtat,
In tunicas eat, & totum ſemel expiet annum.
Hybernum fractâ glacie deſcendit in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipſis
Vorticibus timidum caput abluet. Inde Superbi
Totum regis agrum, nuda, ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. Si candida juſſerit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidaque petitas
A Meroë portabit aquas, ut ſpargat in æde
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ovili.
Credit enim ipſius dominæ ſe voce moneri.
En animam, & mentem, cum qua Dii nocte loquantur.

ANNOTATIONES.

520. *In tunicas eat.*] In oblatas Iſidi & donatas Antiſtiti Sacrorum xerampelinas veteres, quibus credebant adhæreſcere mala impendentia totum per annum.

521. *Hybernum fractâ glacie, &c.*] Nihil non ſuadet ſuperſtitio mulieri improbitate ſacrificulorum adjuta.

522. *Ter matutino Tiberi mergetur.*] Vide Perſ. Sat. 2. v. 15. & ſeq.
Horat. Lib. 2. Sat. 3.

Frigida ſi puerum quartana reliquerit, illo
Mane die; quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi ſtabit. Caſus medicuſve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concuſſa? Timore Deorum.

523. *Timidum.*] Injecit enim ſuperſtitionem Sacerdos paulo ante, ac metuere juſſit.

Superbi totum regis agrum.] Campum Martium qui prius fuerat Tarquinii Superbi Tit. Liv. L. 2. 5.

524. *Nuda.*] Ovid. Faſt. 6.

Huc pede matronam nudo deſcendere vidi.

Cruentis genibus.] Nimirum læſis offendiculo, in via. Cruentabant & ipſi ſe cultro ſtolidi illi Iſiaci & Cybelæ Antiſtites. Sic & Lib. 3. Regum cap. 18. v. 28. *Sacerdotes Baal incidebant ſe, juxta ritum ſuum, cultris & lanceolis; donec perfunderentur ſanguine.* Vide Senec. de Vita beata cap. 27. ubi & ſic habet: *cum aliqua genibus per viam repens ululat, &c.*

525. *Juſſerit.*] Per Sacerdotem.

Candida Io.] Nota ex Ovid. Metamorph. 1. Fab. 10. Nimirum Io Inachi filia in candidam vaccam a Jove mutata, poſt recuperavit formam priorem in Ægypto, ubi nupſit Oſiridi Regi: Ægyptiis deinde tam cara, ut poſt mortem in Deam conſecrata ab eis fuerit, atque Iſis appellata, inſtitutis in ejus honorem Sacris, quæ Iſiaca dicta ſunt.

526. *Ægypti.*] Hæc Africæ regio literis & ſacris & profanis decantata, ac vel uno flumine Nilo celebris. Adde, ſi vis, Memphim, & Pyramidum miracula. Martial.

Calidâque.] Sub Zona torrida, ubi Meroë.

527. *Meroë.*] Hæc hodie *Gueguere*. Inſula omnium quas Nilus ambit, maxima; clypei figuram exhibet, metallis dives eſt, nomen accepit a ſorore Cambyſis Regis Perſarum ibi fato functa. Ita Herodot. Strabo, Diodorus Siculus, &c. Attamen recentiores longe diſſentiunt ab antiquis illis: contenduntque nullam in Æthiopia a Nilo Inſulam effici. Neque vero ſatis conſtat quid modo ſit *Meroë*.

Æde Iſidis.] Vetus Schol. *In Martio campo Templum Iſidis vetuſtum.*

528. *Iſidis.*] Vide Plutarch. de Iſide & Oſir. Diod. Sicul. l. 1. c. 2. Cœl. Rhodig. l. 5. c. 12.

Proxima ſurgit ovili.] Prope eum locum, *ubi Romulus, & paſtores aſſueverant pecora paſcere; aut Regiam dicit Romuli, & Palatium.* Quæ quidem ait vetus Schol. Dicunt alii Tarquiniorum ovilia ibi fuiſſe. Malim ego cum aliis intelligere Septa, id eſt, loca in Campo Martio tabulis circumcincta, ob ſimilitudinem Ovilia dicta; in quibus Populus Romanus ad ferenda ſuffragia claudebatur. Vide Tit. Liv. Lib. 26. cap. 22. ubi ſic habet: *datum ſecreto in ovili cum his colloquendi tempus.* Septa hæc poſtea excellenti cultu marmorea facta ſunt; habueruntque porticus egregias. Vide Alex. ab Alex. l. 2. c. 18.

529. *Dominæ.*] *Iſidis.*

530. *En animam & mentem.*] Ironia valde ſalſa. Scilicet cum impuris Dii colloquuntur; aut per ſomnium præmonſtrant futura, aut ſuam indicant voluntatem. Porro anima vocatur, qua vivimus; mens vel animus, quo intelligimus & ſapimus.

Ergo

Digitized by Google

Ergo hîc præcipuum ſummumq; meretur honorem
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abſtinet uxor
Concubitu ſacris obſervandiſque diebus:
Magnaque debetur violato pœna cadurco:
Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.
Illius lacrymæ meditataque murmura præſtant,
Ut veniam culpæ non abnuat, anſere magno
Scilicet & tenui popano corruptus Oſiris.
Cum dedit ille locum, cophino ſœnoque relicto,

*Illic igitur primam ac ſupremam venerationem adipiſcitur qui turbâ linum ſerente cinctus, atque turbâ capite raſo plebis lugentis vagatur Anubis irriſor. Hic indulgentiam precatur quotieſcunq; non temperat conjux * diebus ſanctis & colendis. Atque ſupplicium ingens infligendum, cùm ſtragulum temeratur: anguiſque argentea conſpecta eſt caput concuſſiſſe. Fletus ejus & præparatæ ſuſurrationes faciunt ut indulgentiam noxæ non deneget, Oſiris pingui nimirùm anſere, exignaque placentâ conciliatus. Quando hic loco ceſſit,*

ANNOTATIONES.

532. *Qui grege linigero.*] Summus antiſtes.

Grege linigero circumdatus.] Choro Sacerdotum Iſidis indutorum lineis veſtibus, Sueton. Othon. cap. 12. *Sacra etiam Iſidis ſæpe in lintea religioſaque veſte propalam celebravit.* Vide Apul. Metam. ult.

Grege calvo plangentis populi.] Plin. Lib. 8. cap. 46. *Bos*, inquit, *in Ægypto Numinis vice colitur. Apim vocant . . . . . Non eſt fas eum certos vitæ excedere annos, merſumque in Sacerdotum fonte enecant quæſituri luctu alium, quem ſubſtituant; & donec invenerint, mœrent; deraſis etiam capitibus, &c. Inſigne ei, in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ creſcere incipientis; & nodus ſub lingua, quem cantharum appellant.* Ibid. Vid. & Diodor. Sicul. Lib. 2. c. 4. &c. Cicer. de nat. Deor. n. 83. Macrob. Lib. 1. Saturn. cap. 22, &c.

533. *Currit.*] Ad quærendum Apim bovem, ut mox dictum eſt. Vide etiam Ammian. Marcell. Lib. 22, &c.

Deriſor.] Credulas populi mentes illudens.

Anubis.] Summus Sacerdos perſonam exhibens ipſius Anubidis, quem Oſiridis filium Ægyptii colebant ut nuncium Superos inter ac Inferos, ſub canina quidem ſpecie & effigie, eo quod ille canem pro inſignibus habuiſſet. Citat. mox Diod. Sicul. Plutarch. de Oſir. Cœl. Rhodig. Lib. 5. Propertius.

Auſa Jovi noſtro latrantem opponere Anubim. Virg. Æneid. 8.

* * * * * * * * * * * *Latrator Anubis.*

534. *Ille petit veniam, quoties*, &c.] Dum Sacra Iſidis peragebantur novem per dies, nefas erat uxoribus uti conjugio: debebant ſiquidem ipſo in templo ſtramentis incubare, ibique pervigilia celebrare. Ergo quæ præſcriptum violaverat, tenebatur adire Sacerdotem, ut pro ipſa veniam impetraret. Vel ipſe maritus pro uxore deprecabatur, ut placet quibuſdam.

536. *Cadurco.*] Culcitra linea a Cadurcis Galliæ populis texta, ex Plin. Lib. 19. cap. 1. Metonym. pro lecto, vel ſtramento, ut mox dictum. Legunt quidam, *Caduceo*, quanquam repugnat metri lex; intelliguntque Anubim, qui læva caduceum gerens deſcribitur ab Appuleio Lib. 11.

537. *Viſa eſt argentea ſerpens.*] Tum illuſor Antiſtes ut religionem ac metum injiciat, mentitur viſam a ſe argenteam ſerpentem, quæ eſt in Iſidis Templo, quaſſantem caput præ ira, ob violata Sacra, & caſtitatem a mulieribus non ſervatam. Alii, moviſſe caput, interpretantur, annuiſſe precibus Sacerdotis pro ſuperſtitioſo uxore intercedentis, & culpæ veniam rogantis.

538. *Meditata murmura.*] Conceptæ Sacerdotis preces.

539. *Anſere magno.* &c.] Anſere & popano placari ſolebant Iſis & Oſiris.

540. *Oſiris.*] Vide ſupra, ad voces *Io & Iſidis.* Item Herodot. Lib. 2. & Macrob. Saturn. Lib. 1. cap. 20. & 21.

541. *Cum dedit ille locum.*] Poſtquam receſſit Antiſtes Iſidis, ſuccedunt alii ſuperſtitionis artifices.

Cophino fœnoque relicto.] Solita ſupellectile, de qua jam Sat. 3. v. 14. has nimirum Judæi circumferebant ſuæ paupertatis notas, aut certe monimenta ſervitutis in Ægypto duriſſimæ, de qua Pſal. 80. *Manus ejus in cophino ſervierunt.* Quem in locum ſanctus Auguſtinus. *Cophinus*, inquit, *ſignificat opera ſervilia, ut mundare ſtercora, terram portare, ad quæ uti ſolent cophino.* in hoc etiam ſtipulas colligebant ad coquendos lateres. De his amplius Joſeph. Bell. Judaic. Lib. 7. cap. 7.

Digitized by Google

Judæa mulier *conſulta juris Jeroſólymæ, ſummaq; arboris Antiſtes, & ſupremi cœli fidelis Interpres, dimiſſo corbe & fœno, tremebunda* ſtipem *rogat ſecretò, in auriculam. Hæc etiam replet manum, at parva & modicâ pecuniâ. Judæi venundant inſomnia qualibet cupies.* Porrò *Hariolus* ex *Armenia aut Comagene,* poſtquam *palpavit pulmonem calentis columbæ, pollicetur mollem amaſiam, aut pingue teſtamentum orbati opulenti. Scrutatur exta pullorum, atque inteſtina catuli, aliquando etiam infantis. Perpetrabit quod ipſe denuntiaret. Verùm amplior dabitur fides Chaldæis. Quodcumque Aſtrologus loquetur, æſtimabunt profectum à ſcaturigine* Jovis *Ammonii, quandoquidem reſponſa Delphica deſiêre; atque eventurorum ignoratio condemnat hominum naturam.*

Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuncia cœli.
Implet & illa manum, ſed parciùs ære minuto.
Qualiacumque voles Judæi ſomnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Comagenus haruſpex.
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri. Faciet quod deferat ipſe.
Chaldæis ſed major erit fiducia: quicquid
Dixerit Aſtrologus, credent à fonte relatum
Ammonis: quoniam Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

ANNOTATIONES.

542. *Arcanum mendicat in aurem.*] Clam; Suſpecta enim Romæ erat conſuetudo cum Judæis; & quidem Judaïcam religionem profeſſi deterebantur, & tributa pendebant. Teſtis eſt Sueton. Domit. cap. 12.

543. *Legum Solymarum.*] Judaïcarum legum per Moyſen traditarum. Porro Solyma, dicta poſt Hieroſolyma, longe clariſſima fuit urbium Orientis, non Judææ modo, vel Plinio teſte lib. 5. cap. 14.

Sacerdos arboris.] In ſilva Aricina, ut dictum ſupra Sat. 3. ad v. 15, & 16. alludit Juvenalis ad reſponſa dari ſolita ſub quercu in nemore Dodoneo per Jovis Sacerdotes, apud Epirum.

545. *Sed parcius.*] Quam Iſidis Sacerdotes. His enim pecuniam liberaliter donant Romanæ matronæ: at iſtis Judæis mulieribus parce, & clam.

546. *Judæi.*] Dilectus olim Deo populus a Juda quarto Jacobi filio dictus, deinde vero ob ſcelera per orbem diſperſus, miſere victitans, & cunctis odioſus. Opimam Syriæ coluit regionem, quæ ab ipſis Judæa nuncupata eſt.

548. *Teſtamentum ingens.*] Legatum pingue, vel hæreditatem univerſam, & ex aſſe.

Calidæ.] Modo jugulatæ.

549. *Armenius.*] Supra ad v. 406.

Comagenus.] Oriundus ex illa Syriæ parte, quæ Orientem ſpectat.

Haruſpex.] Sat. 2. v. 121.

550. *Pectora pullorum rimatur.*] Spirantia conſulit exta, & ex his divinat & vaticinatur.

551. *Interdum & pueris.*] Infantes etiam ſuperſtitio mactabat Pſal. 105. v. 37. *Et immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis,* &c. Vide Plutarch. de Herodoti malign. non longe ab initio. Macrob. lib. 3. c. 7. Cœl. Rhodig. lib. 13. c. 23. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. ult.

Faciet quod deferat ipſe.] Vetus Schol. ait hic notari Egnatium Philoſophum, qui filiam Bareæ Sorani ad magicam hortatus ipſe poſtea Neroni detulit: quamob rem mori cum patre juſſa eſt. Delationem hanc jam damnavit Juvenalis Sat. 3. v. 116.

552. *Chaldæis.*] Hi mirum in modum Aſtrologiæ dediti in ea diſciplina claruerunt. Cic. 1. de Divin. n. 2. & 92. Gell. lib. 1. c. 9. & lib. 14. c. 1. Diodor. Sicul. lib. 2. cap. 3. lib. 3. c. 8. & lib. 17. c. 11, & 12. Babyloniæ regionem tenuerunt. Ibi Templum Beli Sideralis ſcientiæ Inventoris, teſte Plin. lib. 6. c. 26.

553. *A fonte relatum Ammonis.*] Ab ἄμμω *arena,* dictus Jupiter, cui fertur Bacchus Templum condidiſſe, propter inventum fontem in Libyæ deſertis, apud Cyrenaicam regionem, Plin. lib. 5. c. 5. & lib. 6. c. 29. Diodor. Sicul. lib. 17. c. 5. & alibi. De Templo & oraculo Jovis Ammonii varia variis locis lib. 2. narrat Herodotus. Ammonis porro nomen ſunt qui deducant à Chamo Noachi filio, cui in terrarum diſtributione Africa obtigit.

554. *Delphis.*] Urbs erat in Bœotia, Apollinis inclyta reſponſis, quorum illud fuit ultimum, nato Chriſto.

Me puer Hebræus Divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, &c.

Oracula ceſſant.] Vide Plutarchum de oraculorum defectu.

555. *Damnat.*] Vel damno afficit, vel propter noxas & ſcelera arguit & punit, ita Diis ulciſcentibus, ad hominum interrogata non amplius reſpondendo.

Præcipuus

Præcipuus tamen eſt horum qui ſæpius exul,
Cujus amicitia, conducendâque tabellâ
Magnus civis obit, & formidatus Othoni.
Inde fides arti, ſonuit ſi dextera ferro,
Lævaq; ſi longo caſtrorum in carcere manſit.
Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit:
Sed qui penè perit, cui vix in Cyclada mitti
Contingit, & parva tandem caruiſſe Seripho.
Conſulit ictericæ lento de funere matris,
Antè tamen de te, Tanaquil tua; quando ſororem
Efferat, & patruos: an ſit victurus adulter
Poſt ipſam. Quid enim majus dare Numina poſſunt?
Hæc tamen ignorat quid ſidus triſte minetur
Saturni; quo læta Venus ſe proferat aſtro;
Qui menſis damno, quæ dentur tempora lucro

Iſtorum nihilominùs princeps eſt qui frequenter extorris, cujus familiaritate & emendis commentariis moritur civis præclarus atque Othoni metuendus. Hinc peritiæ exiſtimatio, ſi dextra & ſiniſtra ferreis manicis *reſonuerint, ſi in exercitus cuſtodia diutiſſime ſit detentus. Nullus Aſtrologus ingenio valebit non damnatus, at qui propemodum interiit, cui difficulter conceſſum eſt ad Cycladas relegari, ac Seripho anguſta aliquando receſſiſſe. Tanaquil tua interrogat de tarda morte parentis ictero affecta, prius tamen de te; quando ſepeliat germanam ac patruos; utrum mœchus ſuperſtes ipſi futurus ſit. Enimvero quid excellentius donare queant Dii? Nihilominus iſta neſcit quid portendat mæſtus Saturni planeta; quo ſidere fauſta Venus progrediatur; qui menſis detrimento, quæ tempeſtas quæſtui aſſignetur.*

ANNOTATIONES.

556. *Qui ſæpius exul.*] Seleucum inſignem Mathematicum intelligit, de quo Sueton. Othon. cap. 4.

557. *Tabella.*] Obſervationibus Aſtrologicis, per quas Othonem Neroni fore ſuperſtitem prædixerat Seleucus, ac ſubinde ultro & inopinatus ipſe adveniens imperaturum brevi repromiſit, Sueton. citato loco.

558. *Magnus civis.*] Galba, cui vitam & Imperium Otho ademit. Porro Galbæ etiam imminens exitium portenderat Haruſpex. Suet. Galb. c. 19.

559. *Inde fides arti.*] Tum vero creſcet Mathematici fama, cum in vincula ſæpe conjectus fuerit, propter judicia ex arte facta. Illi enim a Principibus detinebantur, donec probaretur veritas vaticiniorum, quæ ſi falſa reperiebantur, mortis periculum impendebat: ſi vera, ingens exiſtimatio & munera. Vide Suet. Tib. c. 14.

561. *Mathematicus.*] Gell. lib. 1. cap. 9. *Quos Gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos vulgus appellat,* inquit.

Habebit.] Id eſt, habere putabitur vim & peritiam divinandi.

562. *Vix in Cyclada mitti.*] Qui tantum non morti addictus, & vix pro capitali ſententia exilii pœnam obtinuit.

Cyclada.] In unam e Cycladibus, quæ ſunt Ægei maris Inſulæ, velut in orbem diſpoſitæ: unde vocabulum.

563. *Caruiſſe Seripho.*] Revocari ab ea Inſula Cycladum una, quo nocentes relegari ſolebant. Plin. lib. 4. c. 12. & lib. 8. c. 58.

564. *Conſulit icterica, &c.*] Inſignes ejuſmodi Mathematicos.

Icterica.] Laborantis arquato morbo, qui Græce dicitur ἴκτερος, eſtque bilis ſuffuſio per totum corpus. Plin. lib. 30. cap. 11. *Avis icterus dicta,* inquit, *a colore* (flavo) *id malum ſanat, ut tradunt, ſi ſpectetur, avis autem ipſa moritur.*

565. *De te.*] Sed ante omnia, de tua morte.

Tanaquil tua.] Uxor tua cognoſcendi futuri perinde cupida ut Tanaquil Tarquinii Priſci conjux, quæ viro ſummum principatum augurata eſt, Tit. Liv. lib. 1. cap. 34. & ſeq. *Et Mathematicam artem callebat.* Vetus Schol.

567. *Quid enim majus.*] Quid optabilius, quam longam amaſii ſui vitam?

568. *Hæc tamen ignorat.*] Hæc mulier Aſtronomiam ignorat; at ſunt aliæ quæ eam artem affectant.

569. *Saturni.*] Unus e ſeptem Planetis eſt, ideo triſtis & damnoſus, quia ſiccus & frigidus. Tull. de Nat. Deor. & de Divin. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. c. 19. Plin. lib. 2. c. 8. & ſeq.

Quo læta Venus.] Quo ſidere gaudeat conjungi Venus, & conjuncta faveat. Hæc nimirum Lunæ juncta ſalutaris creditur. Cicero. Macrobius, Plinius cit. loc.

Se proferat.] Procedat, aſcendat, proficiat.

570. *Qui menſis damno, &c.*] Quibus anni temporibus aſtra proſint, quibus noceant. Quando v. g. dominatur Mercurius lucri Deus, &c.

Digitized by Google

Memor quoque eſto cavere ne incidas in eam, in cujus manibus ephemeridas aſpicis detritas velut uncta ſuccina, quæ neminem interrogat, jamque interrogatur: quæ marito ad militiam & patriam eunte, non perget ſimul retardata ſupputationibus Thraſilii. Quando libuerit ferri ad primum lapidem, hora e codice accipitur. Si prurit angulus oculi ſcalptus, petit collyria poſt conſideratam nativitatem. Quamvis decumbat ægrota, hora nulla ſumendis alimentis magis idonea putabitur, quam quæ præſcripta fuerit a Petoſiri. Si paupercula fuerit, decurret ambo intervalla terminorum, ac ſortes extrahet; & frequens blandimentum dabit ariolo frontem ac manum ſcrutanti.	Illius occurſus etiam vitare memento, In cujus manibus ceu pinguia ſuccina tritas Cernis ephemeridas, quæ nullum conſulit, & jam Conſulitur: quæ caſtra viro patriamque petente, Non ibit pariter, numeris revocata Thraſilli. Ad primum lapidem vectari cum placet, hora Sumitur ex libro: ſi prurit frictus ocelli Angulus, inſpecta geneſi collyria poſcit. Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris. Si mediocris erit, ſpatium luſtrabit utrumque Metarum, & ſortes ducet; frontemq; manumque Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.

ANNOTATIONES.

571. *Illius occurſus,* &c.] At imprimis devita illas mulieres quæ Aſtrologiam ipſæ callent, & futura inde rimantur.

572. *Ceu pinguia ſuccina.*] Tam ſæpe contrectatas ab ipſa, quam ſua ex electro monilia; vel, tam ab ea tritas quam ſuccinum, quod ex aſſidua manuum contrectatione & ſudore unctum & pingue omnino eſt.

Succina] Electrum Græci vocant, Plin. l. 37. cap. 3. *Naſcitur,* inquit, *defluente medulla pinei generis arboribus, ut gummi in ceraſis, reſina pineis erumpit humoris abundantia, denſatur rigore vel tepore autumnali:———--arboris ſuccum priſci credidere, ob id ſuccinum appellantes,* &c. at bis errat Plinius in iſtis. Nec enim ex arboribus, ſed e ſaxis emanat ſuccinum: deinde nec reſinam ferunt arbores in iis regionibus e quibus electrum advehitur. Eſt ergo ſuccinum bituminis genus concretum & condenſatum.

573. *Ephemeridas.*] Libellum Mathematicum in quo notatur quæ ſingulis diebus cœli conſtitutio.

575. *Numeris revocata Thraſilli.*] Vel quod prævidet ex Aſtris periculum, ſi marito comes eat; vel præ nimio artis illius, ut fit, ſtudio: & quod tunc ſupputando ſpeculandove intenta incumberet.

Thraſilli.] Celebris Mathematici Imperatori Tiberio familiaris. De eo Sueton. Tiber. cap. 14. & Cornel. Tacit. Annal. 6.

576. *Primum lapidem.*] Caius nempe Gracchus Tribunus plebis ſingulis milliariis columnas lapideas diſponi juſſerat, quibus viarum ſpatia ſignarentur. Plut. in Gracch.

577. *Ex libro.*] Ex Ephemeride, cavens ne tum noxia dominentur aſtra, cum ad ambulationem procedit, aut quidvis aliud frivolum molitur.

578. *Inſpecta geneſi.*] Genitura, hora natali, horoſcopo.

Collyria.] Oculorum medicamina. Horat. lib. 1. Sat. 5.

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere.

580. *Petoſiris.*] Aſtrologus Ægyptius, cujus meminere Suidas, & Plin. lib. 7. c. 49.

581. *Si mediocris erit,* &c.] Mediocris mulier mediocres ariolos conſulet mediocri pretio.

Spatium luſtrabit utrumque.] Circum nempe adibit, in quo Divinatores & Sortilegi viliores aderant multi. Hinc fallacem circum vocari ab Horatio aſſerit Turnebus lib. 5. c. 23.

Spatium luſtrabit utrumque metarum.] Suet. Cæſar. cap. 39. *quo laxius dimicaretur,* inquit, *ſublata meta, inque earum locum bina caſtra ex adverſo conſtituta.* Et Claud. cap. 21. Circum maximum ait marmoreis carceribus auratiſque metis excultum, cum prius utraque tophina & lignea fuiſſent. Acron porro viles ariolos circa metas illas conſidere ſolitos affirmat. Aliter autem vetus Schol. locum hunc expedit. *Circulatores,* inquit, *conſueverant duo ſibi loca deligere, quæ luſtrabant & circumibant, ac per ea deinde jactitare ſortes ſeu taxillos, ut exinde quod ſuæ geneſeos ſignum ſe accommodaverit inſpiciatur, numquid vivet & quando: tumque paucis ex verbis ibidem conſcriptis ſortes edocebant.*

582. *Sortes ducet.*] Cic. de Divin. paſſim de more illo ſortes miſcendi, tollendi, educendi. lib. 2. n. 85. Numerius Suffetius inventor earum dicitur: ibid. Sortes mittere idem eſt quod talos jacere vel teſſeras.————& tota res inventa fallaciis aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem, &c. Vide Suet. Tiber. cap. 14. & Ner. cap. 21. Porro ſortes erant teſte hs quædam aut taleolæ inſcriptas

Divitibus

Divitibus reſponſa dabit Phryx augur, & inde
Conductus dabit aſtrorum mundiq; peritus:
Atque aliquis ſenior, qui publica fulgura condit.
Plebeium in circo poſitum eſt, & in aggere fatum.
Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum.
Conſulit ante Phalas, Delphinorumq; columnas;
An ſaga vendenti nubat, caupone relicto.
Hæ tamen & partus ſubeunt diſcrimen, & omnes
Nutricis tolerant, fortuna urgente, labores.
Sed jacet aurato vix ulla puerpura lecto.
Tantum artes hujus, tantum medicamina poſſunt,
Quæ ſteriles facit, atq; homines in ventre necandos
Conducit. Gaude infelix, atq; ipſe bibendum
Porrige quidquid erit: nam ſi diſtendere vellet,

At opulentis vaticinia proferet Phrygius Vates, proferet quoque illinc mercede accerſitus ſidera & mundum cognoſcens, quidam etiam vetulus, qui abſcondit fulmina communia. Plebis fatum ſtat in circo atque in aggere. Quæ nudato collo oblongum oſtentat aurum, conſilium capit ante Phalas & columnas Delphinorum, utrum debeat cum ſagario conjugium inire dimiſſo tabernario. Nihilominus iſtæ & pariendi periculum incurrunt, & cunctas altricis moleſtias ferunt, premente fortuna. At aurato cubili aliqua raro puerpera decumbit. Adeo valent artes, adeo medicamenta illius quæ reddit infœcundas, hominesque in utero perimendos comparat. Tu vero *miſer lætare, ipſeque potandum* uxori *propina quodcunque fuerit.*

ANNOTATIONES.

habentes ſententias, aliæ felicitatem, calamitatem aliæ denuntiantes mittebantur aut in urnam, aut in ſitellam, aut in galeam, &c. Verſabantur & educebantur manu pueri. Teſtis Cic. de Divin. Vid. Turneb. lib. 5. c. 21. & 23. & lib. 28. c. 16. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 13, &c.

Frontemque manumque.] Siſtet ſe coram Metopoſcopis & Chiroſcopis, qui e frontis & manuum inſpectione divinant; & iis abblandietur, ut futura ſibi aperiant: nec rogantibus pro mercede poppyſma denegabit.

583. *Poppyſma.*] Græca vox proprie ſignificans eum ſonitum qui fit colliſis labris, ut & cupide oſculando, & hoc ſenſu poni hic videtur: adulationem etiam deſignat.

584. *Phryx augur.*] Cicer. 1. de Divin. n. 92. Phryges, Piſidæ, Cilices, & Arabum natio avium ſignificationibus plurimum obtemperant.

Et inde.] Alias, *Indus*, id eſt, Bracmanes & Gymnoſophiſta, ſeu Indorum Sapiens.

585. *Aſtrorum mundique peritus.*] Mathematicus & Aſtrologus.

586. *Qui publica fulgura condit.*] Fulgurum expiator, ea terræ infodiens & humi condens. Vide Perſ. Sat. 2. v. 26. & quæ nos ibid.

587. *Plebeium in circo, &c.*] Plebeiæ mulieres ariolos illos e trivio & e circo, vel ſedentes ad aggerem Tarquinii dumtaxat conſulunt.

Circo.] Vide Sat. 3. ad v. 65. & 223.

In aggere.] Urbs clauditur ab Oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opera mirabili; namque eum muris æquavit, qua maxime patebat, aditu plano. Plin. lib. 3. c. 5. Romam deſcribens.

588. *Quæ nudis longum, &c.*] Meretrix ſine pudore collum nudare ſolita, & illud exornans aureis monilibus, ariolatur, & conſulentibus reſpondet etiam in circo. Quod autem meretrices id quoque præſtarent, patet ex Plin. lib. 30. cap. 2. ubi ſic de Nerone loquitur: *Utinam & Inferos, & quoſcumque de ſuſpicionibus ſuis Deos conſuluiſſet potius quam lupanaribus & proſtitutis mandaſſet inquiſitiones eas*, &c. Sortilegarum etiam apud Germanos mulierum meminit Plutarchus in vita C. Cæſaris. Ita vulgo. At certe non male quidam legunt, *Quæ nullis*, &c ut notetur mulier plebeia.

589 *Ante Phalas.*] Turres ligneas erectas in circo pro ſpectatoribus. Turneb. lib. 5. c. 23. & lib. 18. c. 33. Ennius.

Malos diffindunt, fiunt tabulata Phalæque.

Delphinorumque columnas.] Et huic loco dabit lucem Plin. lib. 36. cap. 5. ubi ſic habet: *In magna dignatione Cn. Domitii delubro in circo Flaminio erant Neptunus ipſe, & Thetis, & Nereides, ſupra Delphinos ſedentes*, ſcilicet ex marmore.

590. *Saga.*] Veſtimenta ſunt militaria.

Caupone.] Vel proco, vel priore marito.

591. *Hæ tamen & partus ſubeunt diſcrimen.*] Mediocris fortunæ mulieres & dolores parturiendo & vitæ periculum ſubeunt, editoſque infantes ipſæ alunt non ſine magnis laboribus. Divites autem (proh nefas) abigendo partum his incommodis ſe liberant.

594. *Hujus.*] Veneficæ, vel obſtetricis improbæ.

596. *Gaude infelix.*] Marite.

597. *Porrige.*] Potionem quamlibet abortum faciendo idoneam.

Si diſtendere, &c.] Si ferre uterum vellet ac parere.

Et vexare uterum pueris ſalientibus, eſſes
Æthiopis fortaſſe pater: mox decolor hæres
Impleret tabulas, nunquam tibi manè videndus.
Tranſeo ſuppoſitos, & gaudia, votaque ſæpe
Ad ſpurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices, Salios, Scaurorum nomina falſo
Corpore laturos. Stat fortuna improba noctu,
Arridens nudis infantibus. Hos fovet omnes,
Involvitque ſinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretumque ſibi mimum parat: hos amat, his ſe
Ingerit, atque ſuos ridens producit alumnos.
Hic magicos affert cantus, hic Theſſala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,

Etenim ſi cuperet ventrem dilatare atque torquere, infantulis exilientibus, forſitan Æthiopis fores parens. Jam codicillis contineretur hæres diſcolor nunquam tibi conſpiciendus matutino tempore. *Prætereo ſubſtitutos, atque lætitiam & deſideria frequenter defraudata apud lacus impuros; & vocatos illinc Salios, Antiſtites, ſuppoſito corpore Scaurorum appellationem habituros. Aſtat nocte ſors mala, ſpoliatis favens puerulis. Eos gremio* ſuo *complectitur & educat univerſos: mox ædibus excelſis offert, atque arcanum ſibi hiſtrionem aptat. Illos diligit; iis ſe inſerit: ſuoſque ludens promovet alumnos. Ille magorum incantamenta profert, iſte venundat philtra Theſſalica, quibus* uxores *poſſint animum viri cruciare,*

ANNOTATIONES.

598. *Pueris ſalientibus.*] In lucem ex utero prodeuntibus; vel ſe moventibus in ventre matris.

Eſſes Æthiopis fortaſſe pater.] Uxor tua pareret Æthiopis mœchi filium, cujus te patrem gerere oporteret tamen, & adulterino bona tradere per teſtamentum, dictante nimirum illum hæredem uxore: ut ſupra dictum v. 218.

599. *Æthiopis.*] Servi tui fortaſſe, advecti ex ea Africæ parte, quæ nunc Abyſſinis occupatur, & Zonæ torridæ ſubjecta eſt.

Decolor.] Niger nempe, cum tu ſis albus.

600. *Nunquam tibi mane videndus.*] Cujus tibi mane conſpectus & occurſus foret evitandus, velut malum omen, ex ſuperſtitione Veterum; De qua jam Sat. 5. 54. Sic Bruto & Caſſio in aciem proſilientibus occurrens Æthiops cladem, & Adriano Imperatori Maurus obvius mortem, præſignaſſe fertur. Vide Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 13, &c.

601. *Tranſeo ſuppoſitos.*] Nihil dicam de pueris ſubdititiis, quos maritis uxores quaſi ſuos obtrudunt, cum tamen ipſæ partum abegerint, ut dictum eſt, ac proprios enecarint.

Gaudia votaque.] Patrum deceptorum, qui prolem alienam pro ſua fovent ac educant.

602. *Ad ſpurcos decepta lacus.*] Prope montem Aventinum, ad lacum Velabrenſem, cœnoſum & immundum, quo deferebantur exponebanturque ſpurii. Hos enim interdum aſſumebant uxores primæ nobilitatis, ac velut editos a ſe proferebant. Sicque fiebant e ſpuriis nobiles, Magiſtratus, Pontifices, ludente fortuna.

Atque inde petitos.] Taceo quod & inde ſunt Pontifices, Salii, &c.

603. *Salios.*] Martis Sacerdotes, de quibus Sat. 2. v. 124. & ſeq.

Scaurorum.] Quorumlibet nobilium, Sat. 2. v. 35.

604. *Stat.*] Velut imperans ac præſidens.

Fortuna improba.] Quæ immeritos auget honoribus, & indignos divitiis beat.

Noctu.] Tunc enim clam exponebantur pueri.

606. *Domibus tunc porrigit altis.*] In familias nobiles intrudit.

607. *Mimum.*] Ludum, jocum. Sat. 3. v. 39.

608. *Suos.*] Hinc bene vocantur fortunæ filii.

Producit.] Ad honores provehit, ad opes & potentiam.

609. *Hic Magicos affert cantus, &c.*] Homines paſſim videas ſceleratos improbis mulieribus ſuppeditantes materiam ſcelerum per philtra, per magicas incantationes.

Magicos affert cantus.] Horum vim deſcribit Virgil. Eclog. 8. vanitatem etiam explicat ac deridet Plin. lib. 24. cap. 17. lib. 25. cap. 9. lib. 26. cap. 4. lib. 28. cap. 2. & ſeq. lib. 30. cap. 1. & ſeq. &c.

Theſſala Philtra.] Theſſali Græciæ populi veneficiis, incantationibus, præſtigiis dudum famoſi. Horat. in fine Epiſt. 2. lib. 2. portenta vocat & miracula Theſſala. Plaut. Amphitr. Act. 4. Scen. ult. *Ego pol illum ulciſcar hodie Theſſalum veneficum, qui perverſe perturbavit familiæ mentem meæ.* Vide Apul. Flor. 1.

610. *Philtra.* Amatoria pocula Ovid.
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Vexare.] Amore ſuo accendere, torquere, ad inſaniam uſque nonnunquam Tacit. Annal. 12. ſub finem. *Agrippina veneni genus exquiſitum optabat, quo mens Claudii turbaretur, mors differretur.*

Digitized by Google

Et ſolea pulſare nates. Quod deſipis, inde eſt,
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modo geſſiſti. Tamen hoc tolerabile, ſi non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæſonia pulli
Infudit. Quæ non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta, & fracta compage ruebant,
Non aliter, quam ſi feciſſet Juno maritum
Inſanum. Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: ſi quidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cœlum, & longa manantia labra ſaliva.
Hæc poſcit ferrum atque ignes, hæc potio torquet:
Hæc lacerat mixtos equitum cum ſanguine Patres.
Tanti partus equæ, quanti una venefica conſtat.

& crepidâ clunes percutere. Hinc venit quòd inſanis; hinc tenebræ mentis, et ingens oblivio eorum quæ mox feciſti. Nihilominus id ferendum videa*tur, ſi non cœperis etiam inſanire, ſicut ille Neronis avunculus, cui Cæſonia ingeſſit frontem integram pulli trementis. Quæ* mulier *non aget* idem *quod Imperatoris conjux? flagrabant omnia, & rupta commiſſura concidebant; haud ſeciùs ac ſi Juno conjugem dementem reddidiſſet. Minùs itaque ſceleratus erat Agrippinæ fungus. Is enim unus vetuli viſcera oppreſſit, atque ad Cœlum deduci fecit titubans caput & labia defluentia perenni ſalivâ. Illud* autem *poculum petit ferrum ac flammam, illud cruciat, illud diſcerpit Senatores permixtos equitum cruori. Tantùm valet equæ fœtus, quantùm una ſaga!*

ANNOTATIONES.

611. *Solea pulſare nates.*] Indigne tractare, ad libitum. Vide quæ ad Perſ. Sat. 5. v. 169.

Quod deſipis.] Ovid. cit. Sueton. Calig. cap. 50. mox citand.

612. *Oblivio.*] Claudii ſtultitiam, oblivionem, inconſiderantiam narrat Sueton. Claud. cap. 31, 39. 40.

614. *Avunculus ille Neronis.*] Caius Caligula quem uxor Cæſonia amatorio medicamento in ſui amorem illexiſſe creditur, ſed quod in furorem verterit. Suet. Calig. cap. 50. Porro is Neronis avunculus. Siquidem Nero matrem habuit Agrippinam, cujus frater Caligula: amborum vero pater Germanicus. Suet. Calig. cap. 7.

615. *Frontem pulli.*] Hippomanes, de quo ante, cap. 133.

Tremuli.] Recens nati & frigore trementis.

Cæſonia.] Quam neque facie inſigni, neque ætate integra, jamque matrem ex alio, & projectæ laſciviæ uxorem Caligulæ perdite amavit, ab ea, ut creditur, potionatus. Hanc & chlamyde, peltaque & galea ornatam, & juxta adequitantem militibus oſtentavit, &c. Sueton. Calig. cap. 25. 33. 50.

616. *Infudit.*] In potione ſeu philtro.

617. *Ardebant cuncta.*] Quaſi furentis Imperatoris igne & furore correpta.

Fracta Compage.] Metaphora ab ædium ruentium lapſu, id eſt, ordine perturbato, ſubverſa ratione.

618. *Quam ſi Juno maritum, &c.*] Sic tota Reſpublica peſſum ibat furente Principe, ut totus orbis periret rectore deficiente, ſi Jovem zelotypa Juno per ſimile philtrum ad inſaniam egiſſet.

619. *Minùs ergo nocens.*] Agrippina quam Cæſonia, quarum ſcelus comparat hic Juvenalis.

Agrippinæ boletus.] Venenatus fungus, quo virum ſuum Claudium imperatorem ſuſtulit. Vide Tacit. Annal. 12. ad finem. Et Sat. 5. v. 146.

621. *Ille ſenis tremulumque, &c.*] Boletus Claudii, annum ſuperantis ſexageſimum quartum, & cui jam tremulum caput, ſpumans rictus, &c. Sueton. Claud. cap. 30.

Deſcendere juſſit in Cœlum.] *Apotheoſim deridet,* inquit Vetus Schol. Alii ſimpliciter intelligi volunt deſcenſum ejus ad Campos Elyſios. Alii reſpiciunt ad Senecæ ludum de Claudii Cæſaris morte, vel potius Apocolocyntoſin, ubi poſtulantem inter Deos recipi Claudium Imperatorem, agitata in Concilio Deorum cauſa, accuſante D. Auguſto, conſpirantibus ſtatim univerſis damnatum invadit Mercurius, atque obtorto collo, raptat ad Inferos.

623. *Hæc poſcit ferrum, &c.*] At immanis illa Cæſoniæ potio Caligulam reddens furioſum, in quanta mala præcipitavit ferro flammaque in omnes ſævientem?

624. *Hæc lacerat.*] Sueton. Caligul. cap. 28. *diſcerpi Senatorem concupivit,* &c.

Miſtos equitum cum ſanguine Patres.] Nec enim Equeſtri pepercit Ordini aut Senatorio, Sueton. paſſim in Calig. præſertim vero c. 26, 27, 28, 30.

625. *Tanti partus equæ, &c.*] Hippomanes notat, de quo ſupra.

Quanti una venefica.] Quantum arte pollet venefica. Legunt quidam, *tanti,* iterum; quod certe magis placet.

Oderunt

Digitized by Google

Averſantur genitos è concubina: nullus contradicat: nullus prohibeat. Modò licet privignum interficere. O pupilli qui majores habetis opes, ego vobis auctor ſum, ſervate vitam, neque ulli menſæ confidite. Livida pinguia efferveſcunt matris toxico. Quiſpiam prius comedat quodcunque obtulerit ea quæ genuit: pappas meticuloſus calices antè delibet. At iſta comminiſcimur, Satirâ nimirùm induente cothurnum ſublimem: atque prætergreſſi terminos ac normam præcedentium ore Sophoclis, verſus magnificos debacchamur Rutulis collibus & æri Latino incognitos! Utinam nos eſſemus futiles! at exclamat Pontia: fateor, perpetravi talia, *& propriis filiis porrexi venenum, quod evulgatum innotuit: nihilominus ipſa patravi ſcelus.*

Oderunt natos de pellice: nemo repugnet,
Nemo vetet. Jamjam privignum occidere fas eſt.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior eſt res,
Cuſtodite animas, & nulli credite menſæ.
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat antè aliquis quicquid porrexerit illa
Quæ peperit: timidus prægustet pocula pappas.
Fingimus hæc, altum Satirâ ſumente cothurnum
Scilicet? Et finem egreſſi legemque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis, cœloque Latino?
Nos utinam vani: ſed clamat Pontia, feci,
Confiteor, pueriſque meis aconita paravi,
Quæ deprenſa patent: facinus tamen ipſa peregi.

ANNOTATIONES.

626. *Oderunt natos de pellice.*] Oderint ſane ſpurios viri ſui filios: ut Juno Herculem. At minime ferendum quod & privignis mortem moliantur, imo & propriis aliquando filiis.

Pellice.] Supra ad v. 272.

627. *Jamjam privignum occidere, &c.*] Impune committitur id ſceleris. Sic Britannicum viri ſui Claudii filium e Meſſalina priori uxore Agrippina veneno ſuſtulit, ut Neroni filio ſuo pararet Imperium. Cornel. Tacit.

629. *Cuſtodite animas.*] Seu a noverca, ſeu a matre etiam veſtra, ſi novo marito nupſerit, aut nubere cupiat. Sic Pontia ut nuberet mæcho, ſuos filios interemit duos.

630. *Livida.*] Quia lividi fiunt veneno enecti.

Fervent.] Redundant, plena ſunt.

Adipata.] Succulentæ dapes, opima edulia, adipe veluti condita. Vel, *dulcia placenta*, ut interpretatur vetus Schol. qui & ſequentes verſus duos in aliis codicibus deeſſe notat ibidem.

631. *Mordeat ante aliquis.*] Ad explorandas præcavendaſque materni veneni inſidias.

632. *Quæ peperit.*] Noverca vel e novo vel e priore marito filios habens, vel ex utroque. Alterutris enim necem parabit, ut aliis faveat, & ſecundo præſertim viro deterat hæreditatem.

Pappas.] Senex veneratione dignus, pater; alumnus etiam, tutor, pædagogus.

633. *Fingimus hæc.*] An vero mulieribus Romanis affingimus eadem quæ leguntur apud Græcos & Tragicos de Progne, de Medea? Imo vero.

Satira.] Vide Sat. 1. v. 30. & quæ nos ibi.

Cothurnum.] Calceus erat Tragœdorum materiæ ſublimi reſpondens & majeſtati rerum, ideoque altus, & magnificus. Hinc metaphorice ponitur pro ſtylo gravi & excelſo. Virg. Eclog. 8.

*Sola Sophocl*æ*o tua carmina digna cothurno.*

634. *Priorum.*] Satirographorum, Lucilii, Horatii, Perſii communia dumtaxat argumenta notaque tractantium.

635. *Sophocl*æ*o.*] Quale ſcripſit Sophocles celebris ille Tragicus Athenienſis. Is a ſuavitate orationis Apis vocatus; exhibuit fabulas plus centum & viginti; e quibus omnibus ſeptem dumtaxat ad nos pervenerunt. Annos natus prope centum. Oedipum Coloneum ſcripſit, qua vel una, cæteris ejuſdem ſtudii Poëtis gloriam præripit. Vicies & ter adeptus victoriam, in poſtrema ex inſperato gaudio expiraſſe dicitur. Vide Valer. Maxim. Lib. 8. cap. 7. & lib. 9. cap. 12.

Bacchamur.] Magna voce ac ſtrepitu bacchantium inſtar furentes eructamus.

636. *Rutulis, cœloque Latino.*] Italiæ, in qua Latium, in Latio vero Rutuli veteres populi.

637. *Pontia.*] Uxor Vectii Bolani, filia vero Pub. Petronii. *Hæc velut rea conjurationis a Nerone damnata, filios inſuper veneno enecaſſe convicta largis ſe epulis oneravit, ac vino: inciſiſque venis ſaltans, quo maxime ſtudio oblectabatur, extincta eſt.* Ita vetus Schol. Martial. lib. 2. Epigram 34. ad Gallam.

O mater, qua nec Pontia deterior.

638. *Aconita.*] Sat 1. v. 158.

639. *Facinus tamen ipſa peregi.*] Legendumne potius, *tantum*; pro *tamen*, dubitat Gujetus.

Digitized by Google

Tune duos unâ ſæviſſima vipera cœnâ,
Tune duos? Septem, ſi ſeptem forte fuiſſent.
Credamus tragicis quicquid de Colchide torva
Dicitur, & Progne. Nil contra conor: & illæ
Grandia monſtra ſuis audebant temporibus; ſed
Non propter nummos. Minor admiratio ſummis
Debetur monſtris, quoties facit ira nocentem
Hunc ſexum; & rabie jecur incendente feruntur
Præcipites: ut ſaxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit. (gens
Illam ego non tulerim, quæ computat, & ſcelus in-
Sana facit. Spectant ſubeuntem fata mariti
Alceſtim: & ſimilis ſi permutatio detur,
Morte viri cupiant animam ſervare catellæ.

O vipera crudeliſſima, an tu duos unis epulis, an tu duos occidiſti? Imò *ſeptenos* occidiſſem, *ſi caſu ſepteni adfuiſſent.* Fidem habeamus tragicis, quodcunque narratur de terra Colchide, ac de Progne: *minimè nitor adverſùm. Iſta verò magna* quidem *avo ſuo prodigia moliebantur, ac nequaquam pecuniæ causâ. Nec tantùm demirari oportet ingentia portenta, quandocumque ſexum iſtum* muliebrem *iracundia ſceleratum efficit; atque prona abripiuntur furore hepar inflammante: quemadmodùm rupes abſciſſæ cacumini, quo ſubducitur mons, & ſeparatur latus declivi ſuſpenſo. Ego non eam toleravero, quæ numerat, ac mentis compos exequitur grande facinus. Conſiderant Alceſtim,* quæ *viri ſortem accipit: ac ſi par offeratur commutatio,* iſtæ *mariti nece velint cuſtodire vitam catelli.*

ANNOTATIONES.

640. *Vipera.*] Improbas illas uxores comparat cum viperis, quas aiunt vulgo ſævas, & marem quidem a fœmina arroſo capite, fœminam autem a catulis latera ventremque matris perrumpentibus enecari. Vel Plin. teſte lib. 10. cap. 62. Hæc tamen velut fabuloſa docti rejiciunt; & Ariſtoteles aliter explicat, lib. 5. cap. ult. Vide Cœl. Rhodig. lib. 6. cap. 13. Philoſtrat. &c.

641. *Septem, ſi ſeptem, &c.*] Eſt reſponſio nefandæ Pontiæ.

642. *Tragicis.*] Sophocli, Euripidi, Senecæ, & aliis, multa ſæpe fabuloſa tractantibus argumenta.

De Colchide torva.] Medea Ætæ regis Colchorum filia, quæ liberos coram infido Jaſone diſcerpſit. Porro Colchis Aſiæ eſt regio Ponto vicina, venenorum ferax. Unde tot veneficiorum artifex Medea celebratur. Hiſtoria nota de Jaſone cum Argonautis illuc profecto, & artibus Medeæ amore ſuo irretitæ vellus aureum conſecuto. Vid. Juſtin. Lib. 42. Diodor. Sic. lib. 5. cap. 3. Item Euripid. & Senec. in Medea. Ov. Metamorph. 7. Fab. 2. & ſeq.

643. *Progne.*] Filia Pandionis Athenienſium regis, quæ Ityn filium Tereo Thracum regi viro ſuo comedendum appoſuit, ſororis ſuæ Philomelæ vindicandæ cauſa. Ovid Metamorph. 6. Fab. 7.

Illa.] Medea, Progne, monſtroſa quidem facinora ſunt agreſſæ: verum quod nunc fit, deterius eſt.

645. *Non propter nummos.*] Illæ amoris impatientia, juſtaque ira incenſæ & abreptæ; at noſtræ per avaritiam, quæ ſanam mentem relinquit, flagitia exequuntur.

648. *Præcipites: ut ſaxa jugis, &c.*] Quanto impetu ſaxum jugo montis abruptum, aut pars ejus avulſa delabitur & præceps ruit.

650. *Computat.*] Vel, quæ numerat ac reputat promiſſam ſibi pro ſcelere mercedem, ut Eriphyle: vel potius, quæ otioſe deliberat, in animo rem patrandam revolvit, examinat, providet, ſtatuit. Hæc profecto eſt peſſima. Cic. 1. Off. n. 27. *Permultum,* inquit, *intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt, & ad tempus; an conſulto & cogitato fiat injuria. Leviora enim ſunt ea quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea quæ meditata & præparata inferuntur.*

651. *Sana.*] Prudens, ac ſciens, perſpectis omnibus ac proſpectis rei adjunctis.

Spectant.] In Theatro, ac ludis.

Subeuntem fata mariti Alceſtim.] Admetus Rex Theſſaliæ gravi morbo tenebatur: de eo conſultum reſpondit oraculum, ſpem vitæ nullam ſupereſſe, præterquam ſi quis pro illo fatum ſubiret: refugientibus autem cæteris omnibus, Alceſtis uxor ultro ſe morti obtulit. Vide Platon. Dial. de Amore. Euripid. in Alceſte, &c.

652. *Similis ſi permutatio detur.*] Romanis uxoribus permultis ſi daretur optio perdendi vel catulum vel maritum, ſane hujus morte vitam illius redimerent. Quam longe abſunt ab amore conjugali illarum Indiæ mulierum, quæ cum viro ſepeliri certatim cupiunt. Quod refert Cicero Tuſc. 5. n. 78.

Occurrunt

Digitized by Google

Plurima tibi reperiuntur Belides & Eriphilæ. Matutino tempore *qualibet regio Clytemneſtram exhibebit. Id ſolùm intereſt, quòd hæc Tyndaris dexterâ & ſiniſtrâ gerebat ſecurim rudem atque obtuſam; jam verò patratur ſcelus exiguo rubetæ inteſtino? at nihilominus etiam gladius* adhibere-tur, *ſi Atrides callidus ſumeret antidota Pontici regis tertiò ſubacti.*

Occurrunt multæ tibi Belides, atque Eriphylæ.
Mane Clytemneſtram nullus non vicꝰ habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Inſulſam & fatuam dextra lævaque tenebat.
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ:
Sed tamen & ferro, ſi prægustaret Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina Regis.

ANNOTATIONES.

654. *Occurrunt multa tibi Belides.*] Paſſim Romæ videas Belidum & Eriphylæ ſimiles.

Belides.] Hæ vocantur alias *Danaïdes*, Belo avo, patre Danao, puellæ quinquaginta, quæ ſuum quæque virum (una excepta) prima nocte nuptiarum interfecere. Quapropter apud Inferos pertuſum dolium aqua implere coguntur.

Eriphyla.] *Eriphyla* Vatem Amphiaraum virum ſuum, latentem ne duceretur ad bellum Thebarum, ubi ſe moriturum prævidebat, ipſa prodidit, aureo monili corrupta. Is igitur eo perductus terræ hiatu abſorptus periit. Unde Horatius lib. 3. Od. 16.

———Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demerſa excidio.

655. *Mane Clytemneſtram.*] Plures modo fœminæ Clytemneſtram imitantur. Illa Ægiſtho adultero adjuta redeuntem e bello Trojano Agamemnonem maritum bipenni obtruncavit. Vide Sophocl. in Electra, Euripid. in Oreſte, Senec. in Agamemnone.

656. *Tyndaris.*] Clytemneſtra Tyndari Regis & Ledæ filia, Agamemnonis uxor.

657. *Inſulſam & fatuam.*] Bipenni uſa Clytemneſtra parum ſolers & callida: at noſtræ viros caute, & artificioſo mortis genere circumveniunt, venenatis ſcilicet epulis.

Dextra levaque tenebat.] Magno conatu & niſu, eoque rudi & agreſti.

658. *Pulmone.*] Metonymia. Species pro genere.

Rubeta.] Vide Sat. 1. v. 70.

659. *Si prægustaret.*] Si noſſent virum antidoto munitum, ferro aggrederentur etiam.

Atrides.] Agamemnon Atrei filius Clytemneſtræ maritus.

660. *Ter victi reges.*] Mithridatis Regis Ponti, à Sylla primum, deinde a Lucullo, tertio a Pompeio debellati. Vide Cic. pro Lege Manilia.

Pontica.] *Pontus* Aſiæ regio venenis inclyta. Virgil. Eclog. 8.

Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima Ponto.

Medicamina.] Antidotum adverſus venena, a Mithridate inventum, & ab ejus nomine Mithridation appellatum, cujus meminit Plinius pluribus locis, lib. 23. cap. 8. componi dicitur e duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano; ut qui hoc jejunus ſumat, nullum ei venenum nociturum ſit eo die. lib. 29. cap. 1. antidotum illud e rebus quinquaginta conſtare ait. lib. vero 25. cap. 2. idem habet quod & Gellius lib. 17. cap. 16. ſic ſcribens, *Anates Ponticas dicunt edendis vulgo venenis victitare: ſcriptum etiam a Lenæo Cn. Pompeii liberto, Mithridatem illum Ponti regem medicæ rei & remediorum id genus ſolertem fuiſſe, ſolitumque earum ſanguinem miſcere medicamentis, quæ digerendis venenis valeant,* &c. porro idem Mithridates ita ſumendo veneno aſſueverat, ut jam mori volens illud impune & incaſſum hauriret, Ibid. Hinc Martial. lib. 5. Epigr. 77.

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

SATIRA

Digitized by Google

Satira VII.

ET ſpes, & ratio ſtudiorum in Cæſare tantum:
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit, cum jam celebres notique Poëtæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent; nec fœdum alii nec turpe putarent
Præcones fieri; cum deſertis Aganippes
Vallibus, eſuriens migraret in atria Clio.

INTERPRETATIO.

ET expectatio & modus ſtudiorum duntaxat in Cæſare conſiſtunt. *Unus etenim conjecit oculos in Muſas hoc tempore afflictas, quando vates inſignes & famoſi jam niterentur* pretio *comparare balneum* apud *Gabios*, & *Romæ furnos: neque pudendum, nec indecorum cæteri arbitrarentur eſſe proclamatores, quando relictis Aganippes vallibus Clio famelica recederet in veſtibula.*

ANNOTATIONES.

1. *ET ſpes, & ratio.*] Ad Teleſinum Poëtam ait artes & ſtudia Romæ a cæteris contemni, jacere, ſteriles eſſe: ab uno vero Cæſare foveri.

Cæſare.] Quis ille, pugna non mediocris. Neronem intelligit vetus Schol. abſurde quidem. Nervam, Trajanum, Adrianum alii volunt: certe aliis ego adſtipulor qui Domitianum. Nec vetat quod Sat. 4. ſalſe proſciderit. Duo me movent; Paridis hiſtrionis mentio in hac Satira; & quod Sueton. Domit. c. 9. teſtatur eum initio principatus liberalem, atque omnes circa ſe largiſſime proſecutum, &c. Adde Quintil. in Prol. lib. 4. ubi Domitianum invocat velut maxime præſens ac propitium ſtudiis numen. Quidni ergo Juvenalis pariter aut adulatus ſit, aut quid ab Imperatore factum oporteret, docuerit? At Sat. 4. mortuum illum indicat, & Sat. 1. in fine mortuos ſe tantum aggredi profitetur. Scilicet vivum neminem expreſſo nomine exagitat, mutato vero, hoc liberius inſectatur. Hanc porro Satiram primis Domitiani temporibus ſcriptam cum aliquibus crediderim. Sed quoniam ad Trajanum aut Adrianum etiam perveniſſe dixi Juvenalem, & ab eo hic alterutrum merito laudari quibuſdam videtur, rem in medio relinquimus, nec adverſus illos pugnare libet.

3. *Reſpexit.*] Conſolatus eſt, adjuvit, erexit, Virgil. Eclog. 1.
Libertas, quæ ſera tamen reſpexit inertem.

4. *Balneolum Gabiis, &c.*] Ad vilia quæque miniſteria paupertate adigerentur: atque adeo balneariam aut furnariam exercerent, aut certe balneatoribus ac furnariis operam locarent ſuam: ſicut victus habendi cauſa Cleanthes pridem noctu aquam hauriebat hortulano, piſtori vero ſeu mulieri cuidam farinas pinſebat: ut interdiu Philoſophiæ vacaret. Diogen. Laërt. lib. 7.

Gabiis.] In hoc Volſcorum oppido, ad viam Præneſtinam ſito. Vide Sat. 3. v. 192. & Sat. 6. v. 56.

6. *Deſertis Aganippes vallibus.*] Abjecto literarum ſtudio, & Muſis valere juſſis.

Aganippes.] Apollini Muſiſque ſacer locus in Bœotia, vel fons Permeſſi fluminis. Vetus Schol. Erat & mons ibidem ejuſdem nominis: quo videtur Juvenalis reſpexiſſe, quod ait, *vallibus.*

7. *In atria.*] Fiebat cuſtos atrienſis & oſtiarius qui Poëta erat antea: vel ibi ſtipem, victum, ſportulas emendicabat. Forte & deſignantur atria Cicinii in foro ſita, ubi fiebant auctiones, & quo proinde ad eas præcones conveniebant. Cic. pro Quintio. n. 12. *Tollitur ab atriis Liciniis atque a præconum conceſſu in Galliam Nævius.* Et. n. 25. *Ab atriis Liciniis ſuos neceſſarios corrogat.* Idem. 1. contra Rullum n. 7. *Ut in atriis auctionariis potius quam in triviis & compitis auctionentur.*

Clio.] E Muſis una ἀπὸ τῦ κλέυς dicta, id eſt, a gloria, quam viris fortibus procurat per hiſtorias, quibus illa ſcribendis præeſt. Hic ponitur pro quolibet ſtudioſo & literato.

Nam

Si enim in umbra Pieriâ quadrans tibi nullus exhibeatur, dilige appellationem & vitam Machæræ, atque venumda potiùs quod aſtantibus venumdat, auctio tradita, vas vinarium, tripodes, armariola, capſas, Alcithoen Pacci, Thebaida atque Tereum Fauſti. Id meliùs quàm ſi coram judice affirmes, aſpexi, quod non aſpexiſti: quamvis hoc agant Equites ex Aſia, item Cappadoces agant, & Equites è Bithynia, quos denudato calcaneo tranſmiſit altera Gallia. Attamen nullus deinceps adigetur ſuſtinere laborem Muſis indecorum, quiſquis ſonantem facundiam jungit argutis numeris, atque lauream apprehendit.

Nam ſi Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Oſtendatur, ames nomen victumque Machæræ;
Et vendas potius, commiſſa quod actio vendit
Stantibus, œnophorum, tripodes, armaria, ciſtas,
Alcithoen Pacci, Thebas & Terea Fauſti.
Hoc ſatius, quam ſi dicas, ſub judice, vidi.
Quod non vidiſti. Faciant Equites Aſiani,
Quamquam & Cappadoces faciant, Equiteſq; Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen ſtudiis indignum ferre laborem
Cogetur poſthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

ANNOTATIONES.

8. *Nam ſi Pieria quadrans, &c.*] Si per literas & eruditionem nihil lucri obveniat, aliunde victum quærito & e qualibet arte humili.

Pieria.] *Locus erat ad radices Olympi montis in Theſſalia, cui nomen dedit Vates Pierus, qui primus ſacrificaſſe dicitur Muſis, quæ Pierides inde vocatæ ſunt.* Vet. Schol. Vide quæ ad Sat. 4. v. 36.

Quadrans.] Nummus, pecunia. Vide Sat. 1. verſum 121. & Sat. 6. v. 447.

In umbra.] Alii Codices habent, *in arca.*

9. *Ames nomen victumque Machæræ.*] Ama & ſequere victum & inſtitutum Machæræ, & ſicut ille, præco fias.

10. *Commiſſa auctio.*] Vendendi cura & provincia tibi commiſſa a Magiſtratu, & a dominis rerum venalium.

11. *Stantibus.*] Circumſtanti ad emendum turbæ & licitanti.

Tripodes.] Vel menſas, vel ænea vaſa ad calefaciendam aquam.

Armaria.] Forte pluteos in quibus libri reponuntur.

12. *Alcithoen Pacci.*] *Nomina fabularum, aut malorum Poëtarum qui eas ſcripſerunt.* Vet. Schol. Porro magna legendi varietas eo loci. Vetus Schol. habet *Alcitheon*, nec explicat amplius. Alii, *Alcinoum*, alii, *Alcinoen*: plures, *Alcyonen*; &, *Bacchi*, pro, *Pacci*, legunt. De *Alcithoe* muliere Thebana, quæ contemptis Orgiis Bacchi, in veſpertilionem ab eo mutata eſt, Ovid. Metamorph. 4. Fab. 1. 7. 12. De *Alcyone* vero Neptuni filia, Ceycis uxore, in avem ſui nominis converſa, idem, Metamorphoſ. 11. Fab. 10. De *Alcinoo* Homer. Odyſ. 7. Virgil. Georgic. 1. Ovid. &c. *Alcinoe* denique, quæ *Alcyone*, Pleiadum una extitit.

Thebas & Terea Fauſti.] Tragœdiam aliquam de Thebarum Regibus, Laio, Oedipo, &c. Vel de Tereo, de quo Satira præcedenti ſub finem. *Fauſti*, poëtaſtri cujuſpiam.

13. *Dicas ſub judice, vidi, &c.*] Falſus teſtis exiſtas, & perjuriis vitam ſuſtentes, rem augeas forte & Cenſum Equeſtrem nanciſcaris, ut alii nonnulli.

14. *Faciant Equites Aſiani.*] His enimvero liceat eſſe ſceleratis, qui e ſervis Equites fiunt. Vide Perſ. Sat. 5. v. 79. & ſeq. & quæ nos ibidem annotavimus.

Equites Aſiani.] Equites Romani jam, at ſervi pridem ex Aſia traducti.

15. *Cappadoces.*] Ex ea Aſiæ Regione, quæ Galatiam inter & Armeniam poſita eſt. Proverb. apud Suid. τρία κάππα κάκιστα: *Peſſima Cappa tria hæc*; nimirum Cappadocia, Cilicia, Creta.

Bithyni.] Ex ea pariter Aſiæ minoris parte, quæ Pontum attingit.

16. *Altera Gallia.*] Galatia, vel Gallo Græcia, quæ e Græcis mixta & reliquiis Græcorum, qui Brenno duce vaſtarunt Græciam, mox Orientem ſecuti in media Aſiæ parte conſederunt: teſte Floro, lib. 2. c. 11.

Nudo traducit Gallia talo.] Pedibus nudis & albis, more pauperum, & mancipiorum venalium ac tranſmarinorum. Vide Sat. 1. v. 111.

17. *Nemo tamen ſtudiis, &c.*] Studioſorum nemo deinceps inopia conflictabitur: nemo literatus furnos aut balnea conducere, aut victus cauſa vile opus moliri cogetur, Cæſare jam reſpiciente.

19. *Laurumque momordit.*] Verus ac bonus Poëta, qui victor fuerit coronatus lauro Apollini ſacra: vel qui tali gloria dignum ſe probaverit: vel δαφνηφάγος, & hinc afflatus numine Apollinis. Vide Cœl. Rhodig. lib. 5. c. 7.

Hoc

Digitized by Google

Hoc agite, o juvenes: circumſpicit, & ſtimulat vos,
Materiamque ſibi Ducis indulgentia quærit.
Si qua aliunde putas rerum expectanda tuarum
Præſidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur; lignorum aliquid poſce ocyus, & quæ
Componis, dona Veneris, Teleſine, marito:
Aut clude, & poſitos tinea pertunde libellos.
Frange miſer calamos, vigilataque prælia dele,
Qui facis in parva ſublimia carmina cella,
Ut dignus venias hederis, & imagine macra.
Spes nulla ulterior: didicit jam dives avaros
Tantum admirari, tantum laudare diſertos,
Ut pueri Junonis avem. Sed defluit ætas,
Et Pelagi patiens, & caſſidis, atque ligonis.
Tædia tunc ſubeunt animos, tunc ſeque, ſuamque
Terpſichoren odit facunda & nuda ſenectus.

Illud ſuſcipite, o adoleſcentes: benignitas Principis circum intuetur, ac vos incitat, & ſibi poſcit materiam. Si ex alia parte credis ſperandum tuis rebus columen aliquod, ac propterea repletur papyrus codicis flavi, quære citius ligna quædam, o Teleſine, & Veneris conjugi trade quæ ſcribis; vel include, atque abjectos commentarios blattis vellica. Infelix rumpe pennas & elucubratas pugnas oblitera, qui excelſus condis, ut merearis hederam ac effigiem macilentam. Nihil ultra expectandum. Nunc enim *opulentos parcus aſſuevit duntaxat mirari, duntaxat encomiis facundos extollere; ſicut juvenes volucrem Junonis. At elabitur ætas apta ſuſtinere & mare, & galeam & bipalium: tum* vero *faſtidia mentem penetrant, tum ſenecta eloquens ac denudata & ſe & ſuam Terpſichoren deteſtatur.*

ANNOTATIONES.

21. *Materiamque ſibi Ducis, &c.*] Exercendæ munificentiæ dignam quærit occaſionem Cæſar, adeoque eximiæ tantum eruditionis viros, & ingenii non mediocris Poëtas inveſtigat.

22. *Aliunde.*] Quam a Cæſare.

23. *Atque ideo crocea membrana, &c.*] Libros ſcribis operoſe.

Crocea membrana tabellæ.] Vide quæ ad Perſii Sat. 3. v. 10.

24. *Lignorum aliquid poſce.*] Quibus accenſo igne libellos inutiles conſumas, nec perdas amplius oleum & operam.

25. *Veneris, Teleſine, marito.*] Vulcano ignis præſidi. Plaut. Amphitryon. Scen. 1.

Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu
Concluſum geris? Id eſt, qui laterna facem accenſam portas.

26. *Tinea pertunde libellos.*] Id eſt, tineis ac vermibus pertundendos & abſumendos permitte.

27. *Frange miſer calamos.*] Martial. lib. 9. Epigr. 75.

Frange leves calamos, & ſcinde Thalia libellos,
Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

Vigilata prælia.] Carmina quæ vigilando elaboraſti ad bellatorum gloriam, &c.

28. *Qui facis in parva, &c.*] Tu Poëta ſublimis at inops, & in anguſta cella habitans.

29. *Hederis.*] Corona ex hedera quæ Poëtis eximiis & victoribus dari conſueverat. Virgil. Eclog. 7.

Paſtores, hedera creſcentem ornate Poëtam.

Imagine macra.] Statua tibi erigenda apud Apollinem Palatinum, qua tu adumbreris chartis impalleſcens, & labore ſtudioque pertinaci & improbo macer factus. Vide quæ ſunt notanda ad Perſ. Prolog. v. 5.

31. *Tantum admirari.*] Et nihil largiri.

32. *Ut pueri Junonis avem.*] Pavonem, cujus cauda Argi oculis exornata a Junone, teſte Ovid. Metamorph. 1. Fab. 12. Pavonis autem caudæ tot luminibus fulgenti laudes quidem pueri tribuunt; at nedum quid aliud conferant, imo ſi poſſint, pennas detrahunt.

Defluit ætas, &c.] Senſim tranſit ætas juvenilis idonea variis laboribus, ut Agriculturæ, Militiæ, negotiationi apud tranſmarinas gentes.

34. *Tunc ſeque ſuamque Terpſichoren, &c.*] Eruditi ſenio & inopia oppreſſi dolent ſe Muſis ſterilibus juventutem dediſſe, vellentque aliis artibus ætatem impendiſſe, e quibus lucrum proveniſſet, & ſenectuti ac infirmitati præſidium.

35. *Terpſichoren.*] Muſarum hæc una eſt, dicta quod oblectet choreas, nimirum per citharam, cujus inventrix habetur. Τέρψις, *delectatio*, & χόρος.

Accipe

Jam audi aſtus, ut nihil tibi tribuat is quem obſervas. Et Muſarum & Phœbi dimiſſo templo, ipſe condit carmina, & Homero ſoli concedit ob annos millenos. Quod ſi recites provocatus exiſtimationis ſuavitate, domum dabit mutuo Maculonus, edeſque valde ferro munitas imperabit eſſe utiles, in quibus oſtium æmulatur fores anxias. Novit ſuppeditare libertos in ultima ſedium collocatos ſerie, atque altas aſſeclarum procurabit acclamationes. At Patronorum nemo tribuet, quanti conduxeris ſcamna, & gradus tignis pretio comparatis ſuſtentatos, & orcheſtram ſedibus remittendis contextam. At tamen nos id molimur, & pulverem exiguum ſulcamus, ac ripam infructuoſo vertimus aratro.

Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iſte,
Quem colis, & Muſarum & Apollinis æde relictâ
Ipſe facit verſus, atque uni cedit Homero,
Propter mille annos. At ſi dulcedine famæ
Succenſus recites, Maculonus commodat ædes;
Ac longe ferrata domus ſervire jubetur,
In qua ſollicitas imitatur janua portas.
Scit dare libertos extrema in parte ſedentes
Ordinis, & magnas comitum diſponere voces.
Nemo dabit regum, quanti ſubſellia conſtent.
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.
Nos tamen hoc agimus, tenuiq; in pulvere ſulcos
Ducimus, & littus ſterili verſamus aratro.

ANNOTATIONES.

36. *Accipe nunc artes.*] Audi jam quantis artibus illudant Poëtis divites Patroni, ne quid opis & pecuniæ illis impertiantur.

37. *Et Muſarum & Apollinis, &c.*] Hæc jungunt alii cum præcedentibus, alii cum ſequentibus.

Muſarum & Apollinis æde.] Ædem Muſis extruxit Martius Philippus, Apollini in ſuo Palatio Auguſtus Cæſar: Teſte Sueton. Octav. Auguſt. cap. 29.

38. *Ipſe facit verſus.*] Patronus dives Poëtarum verſibus indigere ſe negat ipſe meliores faciens, ſuo quidem judicio: verum invita facit Minerva, & adverſantibus Muſis & Apolline, quorum ædem reliquit & ſprevit. Hinc tamen ille ſumit anſam & occaſionem nihil nummorum colentibus ſe bonis Vatibus dandi: aut certe verſibus eorum laudabiles ſuis qualibuſcumque verſibus compenſat tantum. Ad rem facit quod Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 4. refert de Auguſto, qui Græculo cuidam Epigrammata ſibi frequenter offerenti reddidit Epigramma: at paucos denarios caſlide ſtatim porrigenti ſummam ingentem numerari juſſit.

Homero.] Vide Sat. 6. v. 437.

39. *Propter mille annos.*] Ob antiquitatem dumtaxat: cætera non conceſſurus: adeo fatuus eſt. De Homeri ætate apud auctores non convenit. Vetus autem Scholiaſtes hic ita loquitur: *dinumerato fortaſſe tempore ad ætatem uſque ſuam, Poëta dixit mille annos fluxiſſe ab Homero, qui fuit annis ante urbem conditam centum & ſexaginta, poſt Ilium captum ducentis ſexaginta.*

Si dulcedine famæ ſuccenſus recites.] Si famæ tantum & honoris captandi cauſa verſus facis.

40. *Recites.*] Recitandi conſuetudinem & apparatum olim ſane magnum explicabimus ad Perſ. Sat. 1. v. 15. & ſeq.

Maculonus.] Dives quidam, ut ille Fronto, de quo Sat. 1. v. 12.

Commodat ædes.] At cæteras impenſas minime ſuppeditabit.

41. *Ferrata domus.*] Ad exhibendam opulentiam, ornata ferro & ære janua. Plin. lib. 34. c. 3. refert Carvilium Quæſtorem inter alia crimina Camillo objeciſſe, quod ærata oſtia in domo haberet.

Servire jubetur.] Uti jubet ad recitandum.

42. *Sollicitas portas.*] Urbis portas belli tempore, & in metu hoſtili.

43. *Dare libertos.*] Qui applaudant: & clientes qui acclament.

45. *Regum.*] Optimatum & divitum.

Quanti ſubſellia conſtent, &c.] Sumptus factos conducendis & diſponendis ſubſelliis, & auditorio præparando, nemo compenſabit.

46. *Anabathra.*] Ἀναβαίνω, *aſcendo*, ἀνάβαθρον, ſcala, pulpitum, ſubſellium.

47. *Reportandis.*] Quæ conducuntur, ad tempus elocata reportari neceſſe eſt, & pretium ſolvi ex convento.

Orcheſtra.] Metonymia. Tabulata. Vide Sat. 3. v. 178.

48. *Nos tamen hoc agimus, &c.*] Nihilo ſegnius laboramus, quam ſi magna ſpes emolumenti incitaret.

In pulvere ſulcos ducimus.] Proverbium. Id eſt, inutiliter defatigamur verſus condendo, perinde ac ſi arenoſum littus ac ſterile ſolum araremus.

Nam

Nam ſi diſcedas, laqueo tenet ambitioſi
Conſuetudo mali; tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit.
Sed Vatem egregium, cui non ſit publica vena,
Qui nihil expoſitum ſoleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta;
Hunc, qualem nequeo monſtrare, & ſentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus ſilvarum, aptuſque bibendis
Fontibus Aonidum. Neque enim cantare ſub antro
Pierio, thyrſumve poteſt contingere ſana
Paupertas, atque æris inops, quo nocte, dieque

Etenim ſi recedas vinculis coercet mos vitii cupidi: plurimos occupat immedicabilis ſcribendi conſuetudo prava, atque in mente malè affectâ inveteraſcit. At Poëtam eximium, qui non habeat ingenium vulgare, qui commune nihil proferre aſſueverit, quique notâ publicâ non percutiat verſus è trivio, iſtum qualem oſtendere non poſſum, & percipio dumtaxat, præſtat mens ſolicitudinis expers, amans nemorum, atque idonea potandis Aonidum aquis. Etenim inopia ſapiens, & carens pecuniâ, quâ noctu atque interdiu corpus indiget, nequit canere in ſpelunca Pieria,

ANNOTATIONES

50. *Si diſcedas.*] Si velis ac tentes diſcedere a mala conſuetudine.

Ambitioſi conſuetudo mali.] Ambitio honoris, gloriæ cupiditas, quæ te ad ſcribendum impellit.

52. *Cacoëthes.*] Apud Medicos eſt ulceris genus curatu difficile. Cornel. Celſ. lib. 5. ubi de carcinom. Plin. lib. 22. cap. 25. &c. alibi, &c. Metaphorice eſt ſcribendi libido. Κακὸν *malum*, ἔθος, *mos* & *conſuetudo*, ἦθος, *indoles.*

Seneſcit.] Diuturnitate invaleſcit, unde & fit inſanabile.

53. *Vatem egregium.*] Horat. lib. 1. Sat. 4. v. 43.

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum; des nominis hujus honorem.

Vena.] Facultas Poëtica. Horat. ad Piſon. v. 409.

Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium.

54. *Expoſitum.*] Abjectum, vile, cuivis notum, pervium, facile.

55. *Carmen triviale.*] Inconditum, plebeium. Virgil. Eclog. 3.

—Non tu in triviis, indocte, ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.

In compitis mali Poëtæ ſua carmina recitare & venditare conſueverant.

Communi feriat moneta.] Stylo vulgari plebeio, rudi, inconcinno, ſcribens. Metaphora a moneta, quæ nota ſignatur omnibus perſpecta, uſitata, ſemperque ſimili. Horat. ad Piſon. v. 58.

—— Licuit ſemperque licebit
Signatum præſente notâ producere nomen.

Apuleius 1. Apol. Græcas voces ait a ſe Latina moneta percuſſas.

56. *Sentio tantum.*] Concipio mente, intelligo, qualis ſit & eſſe debeat Vates ille egregius, vix autem verbis adumbrare queo.

58. *Cupidus ſilvarum.*] Horat. lib. 2. Epiſt. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes,
Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis & umbra.

Ovid.

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

Aptuſque bibendis fontibus Aonidum.] Mens enim niſi ſit expers curarum, non afflatur numine Muſarum & Apollinis, id eſt, nobile carmen nullum concipit aut parit. Vide Perſ. Prolog. v. 1.

59. *Aonidum.*] Muſarum, quibus in Aonia Bœotiæ regione ſacra quædam loca, fons Hippocrene, mons Helicon, ſeu Aganippe. Vide ſupra v. 6.

Cantare ſub antro Pierio.] Dignum aliquid Muſis & Phœbo promere.

60. *Pierio.*] Vide ſupra v. 8.

Thyrſumve poteſt contingere.] Bacchi patrocinium mereri, inſeri inter veros Poëtas, adeoque eſſe rite cliens Bacchi, ut ait Horat. lib. 2. Epiſt. 2. mox cit. Poëticum furorem concipere, inſtar Bacchantium armatarum thyrſo, id eſt, haſta pampinis involuta.

Sana.] Sui compos, ſobria, non furens, Horat. ad Piſon. v. 296.

—— Excludit ſanos Helicone Poëtas
Democritus.

61. *Æris.*] Plin. lib. 18. cap. 3. *Servius Rex*, inquit, *ovium boumque effigie primus æs ſignavit.* Et lib. 33. cap. 3. *Servius Rex primus ſignavit æs. Antea rudi uſos Romæ Timæus tradit. Signatum eſt nota pecudum: unde & pecunia appellata*, &c. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 7. Æs a Jano refert ſignatum ex una parte, capite Saturni, ex altera, navi, qua ille ad eum pervectus fuerat. Unde ludentes pueri denarios in ſublime jactantes, caput, aut navim, exclamant; luſu teſte vetuſtatis. Vide & Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 15. & 24.

Corpus

Digitized by Google

Satiatus eſt Horatius, quoties ait, Euhoë. Ecquis locus ingenio, niſi quando noſter animus duplicis haud patiens ſollicitudinis, torquet ſe verſibus tantùm, ac duobus magiſtris Cirrha & Nyſa abripitur? Summi ingenii neque de comparando ſtragulo ſtupentis molitio eſt, intueri currus & equos & vultus Deorum, & qua Erinnys Rutulum perturbet. Enim ſi Maro egeat famulo & qualicumque domo, cuncti ſerpentes elaberentur e capillis: tuba rauca nihil grande ſtreperet. Petimus ut

Corpus eget. Satur eſt, cùm dicit Horatius, Euhoë.
Quis locus ingenio: niſi cùm ſe carmine ſolo
Vexant, & dominis Cirrhæ Niſæque feruntur
Pectora noſtra duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus & equos, facieſque Deorum
Aſpicere & qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam ſi Virgilio puer & tolerabile deſit
Hoſpitium, caderent omnes a crinibus hydri:
Surda nihil gemeret grave buccina. Poſcimus ut ſit

ANNOTATIONES.

62. *Corpus eget.*] Ad comparandum victum ac veſtitum.

Euhoë.] Vox qua bacchantes furentes utebantur. Horat. Lib. 3. Od. 15.

Euhoë, recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore, turgidum
Lætatur Euhoë, parce Liber,
Parce, gravi metuende thyrſo.

Quod egregium carmen dum Horatius fundebat, ſatur erat.

63. *Quis locus ingenio.*] Exercendo, & promendæ induſtriæ ac venæ diviti.

Se carmine ſolo vexant.] Niſi cum uni vacatur Poeticæ ſtudio.

64. *Et dominis Cirrhæ Niſæque feruntur.*] Inſtinctu & afflatu Apollinis & Bacchi.

Cirrha.] Urbs erat ad radicem Parnaſſi montis, Phœbi Sacris & cultu nominata. Martial. Lib. 1. Epigram. 77. ad Flaccum.

Quid tibi cum Cirrha? Quid cum Permeſſidis unda?
Romanum propius divitiſque forum eſt.

Niſa.] Urbs Arabiæ, apud quam Bacchus a Nymphis educatus dicitur, indeq; vocatus Dionyſius. Eſt & *Nyſa* mons ac civitas in India ab eodem Baccho extructa, teſte Strab. Lib. 15. Hoc etiam nomine appellantur aliæ quædam urbes in diverſis regionibus, ubi colitur Liber pater, eidemque ſacer unus e Parnaſſi verticibus. *Nyſa* quoque dictus. Vide Diod. Sic. Lib. 4. c. 5. & Lib. 5. cap. 1. Martial. Lib. 4. Epigr. 44.

Hæc juga, quam Nyſæ colles, plus Bacchus amavit.

65. *Duas non admittentia curas.*] Hinc rei domeſticæ & victus conquirendi: illinc Poetices, ſtudii literarum, & elaborandi carminis.

67. *Attonitæ.*] Valde ſolicitæ unde comparare queat cibos & veſtimenta, aliaque neceſſaria ad victum.

Currus & equos, &c.] Ingenioſa mente complecti & nobili verſu deſcribere Deorum actiones & majeſtatem: ut facit Virg. in Æn. paſſim.

68. *Qualis Rutulum confundat Erinnys.*] Recte depingere Alecto Furiam Rutulorum Regem Turnum terrore complentem, ferentemq; bella Trojanos inter & Latinos. Quod belle exequitur Virg. Æneid. 7.

Rutulum.] Vide Sat. 6. v. 636.

Erinnys.] Ita vocatur Furia, quod ἔρρει τὸν νοῦν *corrumpat mentem*, vel, ut aiunt quidam, ἐρύω, id eſt, *trahat, diſtrahat*: quæ ſi valeret etymologia; ſcribendum foret *Erynnis*. Triplex autem numeratur, Alecto, Tiſiphone, Megæra. Et his angues pro capillis affingunt Poëtæ: unde mox noſter ait cum Virgilio, *caderent a crinibus hydri*.

70. *Caderent omnes a crinibus hydri.*] Alludit ad Virgilii verſus Æneid. 7. mox citandos. Senſus eſt: omnis illa vis Poëtica, & majeſtas carminis Virgilio excideret & periret, ſi neceſſariis & victui caruiſſet. Talis enim ſolicitudo mentem diſtrahit, ingeniumque enervat. Virg. Æneid. 7. ſic habet:

Luctificam Alecto dirarum ab ſede Sororum
Infernique ciet tenebris; cui triſtia bella,
Iræ, inſidiæque, & crimina noxia cordi, &c.

Et poſt:

Talibus Alecto dictis exarſit in iras.
At juveni oranti ſubitus tremor occupat artus.
Diriguere oculi: tot Erynnis ſibilat hydris.
. . . . Et geminos erexit crinibus angues
Verbereque inſonuit, &c.

Hydri.] *Hydrus*, vel *hydra*, ſerpens aquaticus.

71. *Surda nihil gemeret grave buccina.*] Id eſt, nihil grave ſcriberet Virgilius, cum Alecto exhibet populos ad arma excitantem. Æneid 7.

Paſtorale canit ſignum, cornuque recurvo.
Tartaream intendit vocem, qua protinus omnes
Contremuit nemus, & ſilvæ intonuere profundæ.

Poſcimus ut ſit, &c.] Scilicet vellemus & exigimus ab inope Rubreno, ut tam ſolerter, tanta diligentia, tam diſerte ſcribat Tragœdias, quam veteres illi Tragici Æſchylus, Sophocles, Euripides, qui opibus & honoribus affluebant, atque incitabantur.

Non

Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cujus & alveolos & lænam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor quod mittat amico;
Quintillæ quod donet habet: nec defuit illi
Undè emeret multâ paſcendum carne leonem
Jam domitum. Conſtat leviori bellua ſumptu
Nimirùm; & capiunt plus inteſtina Poëtæ.
Contentus famâ jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis. At Sarrano, tenuique Saleio
Gloria quantalibet, quid erit, ſi gloria tantùm eſt?
Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaïdos, lætam fecit cum Statius urbem,

cothurno veterum inferior non ſit Rubrenus Lappa, cujus lances atque pallium Atreus oppignerat. Miſero Numitori non eſt quod mittat familiari, eſt quod det Quintillæ: habuitque is quo jam ſubactum leonem compararet plurimâ carne alendum. Fera ſcilicet minori ſtat impenſa; et vatis plus venter devorat. In hortis marmore exornatis *quieſcat Lucanus exiſtimationem ſatis habens. Sed quid honos quantuſcunque Serrano proderit, ac pauperi Saleio, ſi dumtaxat honos adeſt? Properatur ad vocem gratam, & dilecta poëma Thebaïdis, quando civitatem Statius hilarem effecit,*

ANNOTATIONES.

72. *Rubrenus Lappa.*] Ingenioſus Poëta Tragicus, ſed egens tempore Juvenalis vivebat. Vetus Scholiaſtes.

Cothurno.] Gravi ſtylo. Vide Sat. 6. v. 634. in ſimili voce.

73. *Cujus & alveolos, &c.*] Qui dum vacat Fabulæ de Atreo ſcribendæ premitur inopia, & cogitur oppignerare ſupellectilem, ut cibos emat. Comminiſcuntur alii Aureum fœneratorem pignoris titulo Rubreni res tenentem. Quod non placet.

Alveolos.] Paropſides, & variam ſupellectilem. Synecdoche. Vide Sat. 5. v. 88. Item Turneb. lib. 24. cap. 4.

Lænam.] Χλαῖναν penulam, & alia veſtimenta. Synecdoche. Vide Sat. 3. v. 283. & Sat. 5. v. 131.

Atreus.] Pelopis & Hippodamiæ filius, Mycenarum Rex, qui Thyeſti fratri comedendos appoſuit filios ex adulterio ejus cum uxore ſua genitos. Cujus horrore convivii, ſolem aiunt retroceſſiſſe. Vide Sen. Tragic. in Thyeſte.

74. *Non habet infelix Numitor.*] Ironice. Infelix ſane is qui divitias effundit in luxum ac voluptates, parcus autem eſt ac ſordidus in clientes, amicos, honeſtos viros.

75. *Quintilla.*] Amicæ, meretrici.

76. *Emeret multa paſcendum carne leonem.*] Et hoc erat in deliciis divitum feras manſuefactas alere. Vide Lampr. in Heliogab. Plin. lib. 8. cap. 8, 9, 16. 17, 52. Gell. lib. 5. cap. 14. Martial. Spectac. Epigram. 10. & Lib. 2. Epigr. 75, &c.

77. *Conſtat leviori bellua ſumpto, &c.*] Ironice. Poëta nimirum plus devorat quam leo, & majores ſumptus facit.

79. *Contentus fama jaceat, &c.*] Lucano quidem rebus omnibus affluenti facile eſt unam ſectari gloriam ſcribendo carmine.

Lucanus.] M. Annæus Lucanus Cordubenſis, Senecæ Tragici nepos, Saleii Baſſi & Perſii condiſcipulus ac familiaris, de bello Pharſalico ſcripſit carmen, & alia quædam. Oratoribus magis quam poëtis annumerandus, teſte Quintiliano L. 10. c. 1. Neroni primum gratioſus, mox ab eo juſſus occidi in ætatis flore. Plura lege apud Petrum Crinitum, Vide & Cornel. Tacit. L. 15.

In hortis marmoreis.] Columnis ac ſtatuis marmoreis ædes & hortos exornari pridem inſtitutum. Vide Plin. L. 36. c. 1, 2, & ſeq.

80. *Serano tenuique Saleio.*] Hi quidem valebant ingenio, cætera egentes, ut vulgo Poëtæ, tempore Juvenalis vivebant. Saleii Baſſi meminit Tacitus ſeſtertiis quingentis a Veſpaſiano donati. Quintil. L. 10. c. 1. vehemens illius & poëticum affirmat ingenium fuiſſe, nec ipſum ſenectute maturum. Petr. Crinit. cap. 62. *Laudatur*, inquit, *ab antiquis magnopere Saleius, non tantum ut vir optimus, ſed etiam ut Poëta egregius atque abſolutiſſimus. Valde nobilis quidem, at exiguo et tenui cenſu fuiſſe traditur.*

82. *Curritur ad vocem jucundam, &c.*] Magnus fit populi Romani concurſus ad audiendum Statium Poëma recitantem ſonora & ſuavi, qua pollet, voce: at nemo dat unde vitam ſuſtentet egregius Vates.

83. *Thebaïdos.*] De bello Thebano, Polynicen inter ac Eteoclen fratres Oedipi filios, carmen Epicum Papinius Statius, item Ponticus Poëta, teſte Propertio. L. 1. Eleg. 7. at Æſchylus & Seneca Tragicum ſcripſere.

Statius.] Is Neapoli natus nobili genere, Thebaida Libris duodecim complexus, Domitiano Cæſari conſecravit; a quo & dilectus & inſigni corona donatus aliiſque muneribus. Scripſit & quædam alia. Vide Petrum Crinitum L. 4. c. 1.

L Pro-

Digitized by Google

ac diem pollicitus eſt. Tantâ ſuavitate affectas mentes is delectat, ac tanta plebis cupiditate auſcultatur. At poſtquàm rupit ſedilia carminis recitatione, *fame* prèmitur, *niſi Agaven illibatam Paridi venundet. Is & belli dignitates plurimis tribuit: Poëtarum digitos auro ſex menſium circumvolvit. Quod non donant Optimates mimus largietur. Tu* poſteà *Camerinos & Bareas, in ſumma colis illuſtrium veſtibula? Pelopea creat Præpòſitos, Tribunos Philomela. Nihilominùs ne invideas Poëta, quem ſuggeſta nutriunt. Ecquis tibi Mecænas? Quis erit modò vel Proculeius,*

Promiſitque diem: tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: ſed cùm fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.
Ille & militiæ multis largitur honorem.
Semeſtri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit hiſtrio. Tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita paſcunt.
Quis tibi Mecænas? Quis nunc erit aut Proculeius,

ANNOTATIONES.

84. *Diem.*] Qua recitaret ſuum Poëma.

86. *Sed cum fregit ſubſellia verſu.*] Poſt ingentes eos applauſus, eſurit, Procerum nemine ſe patronum ei præbente vel munificum.

Fregit ſubſellia verſu.] Vehementi recitatione & facundia, Hyperbol. vel cauſa fuit cur ſcamna frangantur præ nimio applauſu. Vide Sat. 1. v. 13.

87. *Intactam.*] Non evulgatum carmen offert hiſtrioni Paridi, quem unum invenit beneficum ac remuneratorem.

Paridi.] Pantomimus Paris duplex fuiſſe videtur: alter ſub Nerone, cujus meminit Suet. Ner. cap. 54. alter ſub Domitiano de quo Suet. Domit. c. 3. Martial. lib. 11. Epigr. 14. & noſter Sat. 6. v. 87.

Agaven.] Tragœdiam de Agave Panthei matre, de qua Perſ. Sat. 1. v. 100. & ſeq.

88. *Ille & militiæ, &c.*] Paris Domitiano charus, adeo ut eo permittente præfecturas venderet. Hos verſus cauſam exilii fuiſſe Juvenali ait vetus Scholiaſtes. Vide Suidam, & Leipſ. qu. lib. 4. Epiſt. 20.

Semeſtri vatum digitos circumligat auro.] Id eſt, Equites Romanos facit, quorum inſigne annulus aureus: hic autem erat duplex, levior alter æſtate, alter gravior hyeme geſtari ſolitus, ut notavi ad Sat. 1. v. 28. & ſeq. Vide Turneb. lib. 20. c. 2. Forte & Juvenalis reſpicit ad ſemeſtres Tribunatus, de quibus Plin. lib. 4. Epiſt. 4. ubi ſic habet: *Calviſium Nepotem valde diligo. ——— ——— —— hunc rogo ſemeſtri Tribunatu ſplendidiorem & ſibi & avunculo ſuo facias.———*

90. *Quod non dant proceres, dabit hiſtrio.*] Hic verſiculus exilio Juvenalis occaſionem præbuit.

Quod non dant proceres.] Præmia, dignitates.

Hiſtrio.] Ab Hiſtria dictus: inde enim petiti olim hiſtriones ac ludii. Feſtus. Aliter tamen Liv. lib. 7. c. 2. & Valer. Maxim. lib. 2. c. 4. qui Tuſco verbo hiſtriones dici, & ex Hetruria vocatos affirmant ludiones.

Tu Camerinos, &c.] Et tu nobilium favorem deinceps credes ambiundum? Scilicet. His liberalior eſt Paris erga Poëtas & Literatos.

Camerinos.] Horum maxime illuſtris Sulpitius Camerinus, qui Athenas miſſus ad Solonis leges perquirendas.

91. *Bareas.*] Vide Sat. 3. v. 116.

92. *Præfectos Pelopea facit.*] Paris facit Præfectos in mercedem oblati ſibi Poëmatis de Pelopea.

Pelopea.] Hæc Thyeſtis erat filia, e qua ipſe genuit Ægiſthum Clitemneſtræ mœchum & Agamemnonis interfectorem. Vide ſupra v. 73. ad vocem, *Atreus.*

Philomela.] Carmen de *Philomela*, de qua Sat. 6. v. 644. ad vocem, *Progne.*

Tribunos.] Militares nimirum. Vide Sat. 3. v. 313. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 5. &c.

93. *Vati.*] Ipſi fortaſſe Satio, quem a Juvenale carpi volunt quidam, eo quod nimium gloriaretur a Domitiano ſe laurea coronatum, quem tamen honorem ab Imperatore nactus eſſet potius ob Paridem ipſo Imperatori dilectum, Statii fautorem.

Quem pulpita paſcunt.] Qui victitat e Poëmatis, quæ recitat e pulpito, vel e Tragœdiis, quas hiſtrionibus vendit in Theatro exhibendas. Horat. ad Piſon. v. 279.

Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis.

94. *Quis tibi Mecænas.*] Ubi nunc patronos quales pridem, invenias?

Mecænas.] Is Horatio decantatus, in ipſum aliosque Literatos adeo munificus, ut Mecænates dicantur exinde omnes ſtudioſorum patroni.

Proculeius.] De eo jam Sat. 1. v. 40.

Aut

Digitized by Google

Aut Fabius? Quis Cotta iterum? Quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium. Nunc utile multis
Pallere, & vinum toto neſcire Decembri.
Veſter porro labor fœcundior, hiſtoriarum
Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus.
Namque oblita modi milleſima pagina ſurgit
Omnibus, & creſcit multa damnoſa papyro.
Sic ingens rerum numerus jubet, atq; operum lex.

vel Fabius? Quis Cotta rurſum? Quis ſecundus Lentulus? Tum erat *merces æqualis ingenio.* At *modo fructuoſum plurimis impalleſcere, atque merum ignorare integro Decembri. At veſtra opera fertilior eſt, o Hiſtorici: hæc plus mora pluſque olei depoſcit. Etenim cunctis accreſcit pagella milleſima limitis immemor, ac multiplicatur pernicioſa* ob *chartam plurimam. Ita vult magna rerum copia, & ſcriptionis regula.*

ANNOTATIONES.

95. *Fabius.*] De Fabiis, Sat. 2. verſ. 146. & Sat. 6. v. 266. Q. Fabii Maxim. liberalem animum commendat Valerius Max. Lib. 4. c. 8. Alii hic intelligunt Fabium illum Maxim. ad quem Ovid. Lib. de Ponto plures Elegias inſcribit.

Cotta.] Sat. 5. v. 109. Ovid. de Ponto, Lib. 2. Eleg. 8. & Lib. 3. Eleg. 2. & 5.

Lentulus.] Lentulorum dignitatem ac virtutes paſſim Tullius commemorat.

96. *Tunc par ingenio pretium.*] Olim ingenioſi Poëtæ muneribus cumulabantur. Plin. lib. 3. Epiſt. ult. ſic loquitur: *Fuit moris antiqui, eos qui vel ſingulorum laudes, vel urbium ſcripſerant, aut honoribus, aut pecunia ornare: noſtris vero temporibus, ut alia ſpecioſa & egregia, ita hoc imprimis exolevit. Nam poſtquam deſiimus laudanda facere, laudari quoque ineptum putamus.*

Nunc utile multis.] Legunt nonnulli, *tunc*, iterum, ut ſit expolitio prioris ſententiæ. Alii, *nunc*, ut ſit antitheſis, hoc fere ſenſu: nunc autem alia non eſt utilitas ſtudioſis, præter ipſum ſtudium, ac ſtudii incommoda, quæ ſunt pallere, & genium defraudare.

97. *Pallere.*] Vide Perſ. Sat. 5. v. 62.

Vinum neſcire.] Ad vacandum ſcriptioni liberius. Cicer. Tuſc. 5. n. 100. *Quid quod, ne mente quidem recte uti poſſumus multo cibo & potione completi?* Contrarium ſtatuit Horatius Lib. 1. Epiſt. 19. ubi vinoſum Homerum, Enniumque & alios Poëtas ſimiliter vinoſos eſſe debere affirmat.

Toto Decembri.] Seu cum dies breviores, atque longiores lucubrationes fiunt; ſeu ipſo tempore Saturnalium, quo vel continentiſſimi genio pluſculum indulgent. Erat enim December Saturno ſacer, & Saturnalia celebrabantur eo menſe per triduum, ſeu per dies ſeptem, addendo Sigillaria. Initium ſumebatur 16. Kal. Januarii, id eſt, 17. Decemb. In his Feriis epulantibus ſervis famulabantur ac miniſtrabant domini: & quiſque vino dapibuſque liberius ſe recreabat. Vide Macrob. Lib. 1. cap. 7. & 10. Senec. Epiſt. 18. & 47. Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 22. at præ cæteris Athen. Lib. 14. cap. 10. ubi morem ac celebritatem Saturnalium a Græcis ad Romanos fluxiſſe egregie aſſerit, ac diſerte explicat. Sueton. Claud. cap. 5. *quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria miſſos*, refert. Et Calig. cap. 17. *Diem Saturnalibus adjecit, appellavitque Juvenalem*, inquit.

98. *Veſter porro labor, &c.*] Ironice. At hiſtoriarum Scriptoribus major fortaſſe utilitas, majuſque e labore lucrum.

99. *Petit hic plus, &c.*] Alii legunt, *petitur plus*, &c. id eſt, ad ſcribendam hiſtoriam plus temporis in perquirenda rerum veritate deſideratur, & plus olei in lychno ad lucubrandum atque vigilandum.

100. *Oblita modi milleſima, &c.*] Sine menſura & modo creſcit volumen multiplicibus paginis conſcriptum.

101. *Multa damnoſa papyro.*] Unde & pecuniæ multum impenditis, emendo plurimum papyri ad hiſtoriæ volumen ſcribendum multiplex.

Papyro.] Plin. lib. 13. cap. 11. chartæ uſum non fuiſſe ante Alexandri Magni victoriam ex Varrone, affirmat. At doctiores ſic interpretantur, ut velit tantum Plinius, uſum chartæ communem & publicum tunc ſolum fuiſſe, antea tamen inventum. Ibid. Plin. ita pergit: *In palmarum foliis* (alii legunt *malvarum*) *primo ſcriptitatum: deinde quarundam arborum libris. Poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris* —————— *poſtea promiſcue patuit uſus rei qua conſtat immortalitas hominum. Papyrus ergo naſcitur in paluſtribus Ægypti* —— —— ---- *præparantur ex ea chartæ, diviſo acu in prætenues ſed quam latiſſimas fiſſuras.* Vide citat. Plin. Lib. cap. ſeq.

102. *Rerum.*] Scribendarum.

Operum lex.] Vide Cic. 3. de Oratore, ubi de hiſtoria, ejuſque legibus.

Quæ

Digitized by Google

Quæ tamen inde ſeges? Terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit hiſtorico quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod tecto gaudet & umbra:
Dic igitur quid cauſidicis civilia præſtent
Officia, & magno comites in faſce libelli?
Ipſi magna ſonant; ſed tunc cum creditor audit
Præcipue, vel ſi tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.
Tunc immenſa cavi ſpirant mendacia folles,
Conſpuiturque ſinus. Veram deprendere meſſem
Si libet: hinc centum patrimonia cauſidicorum,

Attamen quis exinde fructus? Qua utilitas humum proſcidiſſe? Ecquis hiſtoriarum ſcriptori largiretur, quantum donaret acta perlegenti! At gens eſt pigra, qua delectatur domo atque umbra. Eloquere ergo quid cauſarum actoribus afferant lucri *civilia miniſteria, & comitantes in grandi congerie commentarii? Illi multum vociferantur, tum vero præſertim, quando creditor auſcultat, aut ſi latus pulſaverit* alius *eo vehementior, qui magno cum volumine accedit ad incertum debitum. Tum folles concavi exhalant falſa ingentia, & ſinus ſputis aſpergitur. Veram frugem ſi placet cognoſcere; inde centenorum rabularum,*

ANNOTATIONES.

103. *Terra quis fructus aperta.*] Terram proſcidiſſe, araſſe, coluiſſe. Metaphora. Id eſt, deſudaſſe in perquirenda ſcribendaque diligenter rerum veritate.

104. *Acta legenti.*] Vel actuario e commentariis publicis decreta legenti & recitanti, vel Juriſconſulto evolventi leges, & ſcripta ad litem pertinentia.

105. *Sed genus ignavum.*] Dicet forſan aliquis, nihil dari Hiſtorico, quippe qui videatur iners, domi ſedens, & otioſe ſcribere hiſtoriam. Et Juvenalis reſpondet: ergo actuoſis cauſidicis multum dari debet: hi enim in foro magna vocis & laterum exagitatione & contentione cauſas agunt.

Tecto.] Plures codices habent *lecto*: in quo ſtudebant, & ſcribebant ſæpe Veteres. Senec. Epiſt. 67. *Gratias*, inquit, *ago ſenectuti, quod lectulo me affixit: lucubratorio*, non, *dormitorio*, inquit Lipſius ibid. ubi & affert hunc Juvenalis locum, legitque, *lecto gaudet, &c.* Et Epiſt. 72. *Quædam & inciſio ſcribere poſſis: quædam lectum & otium & ſecretum deſiderant.* Perſ. Sat. 1. verſ. 53.

Lectis ſcribitur in citreis.

Umbra.] Id eſt, quiete, otio, ſeceſſu.

106. *Civilia officia.*] Civibus præſtita per actiones forenſes, & cauſas civiles, quas perorant.

107. *Comites in faſce libelli.*] Colligati in faſciculum libelli, quos in forum ad rem probandam deferunt.

108. *Cum creditor audit.*] Tum contendit vocem maxime cauſidicus, cum adeſt & audit is pro quo dicit.

109. *Si tetigit latus.*] Si urgeat & inſtet.

110. *Qui venit.*] Vel ipſe creditor debitum repoſcens, vel debitor refellens, vel alter advocatus, vel pragmaticus cauſidico verba legis ſuppeditans, ut volunt Calderinus, & Mancinellus, aliique.

Codice.] Vel juris ac legum; vel accepti & expenſi tabulis.

Nomen.] Ita vocatur id omne quod in tabulas refertur, in ſcripto ejus, cui vel acceptum, vel expenſum fertur, nomine. Cicero pro Q. Roſc. Com. n. 4. *Non refert parva nomina in codicem? Imo omnes ſummas. Leve & tenue hoc nomen?* CCCIↃↃↃ *ſunt, &c.* Ver. 3. n. 28. *nomina ſua exegiſſe.* Verr. 7. n. 17. *Pecuniam ſibi eſſe in nominibus, numeratam in præſentia non habere.*

111. *Immenſa ſpirant mendacia.*] Rabularum iniquam impudentiam notat, qui per fas & nefas conantur vincere.

Folles.] Buccas explicat vetus Schol. alii, pulmones ſpirandi vim habentes. Sic clamoſam & contentioſam exprimit orationem Juvenalis poſt Horatium & Perſium, quem vide Satiræ quintæ verſu decimo & ſeq. & quæ nos ibidem.

112. *Conſpuiturque ſinus.*] Cauſidicus fervide perorans ſalivam deſpuit in ſuas veſtes ſinuoſe convolutas.

Veram deprendere meſſem.] Paulo ante dixit: *Quæ tamen inde ſeges?* Hic ergo reſpondet: *Veram deprendere meſſem, &c.* unde minus ſapiunt qui legunt, *verum deprendere, &c.*

Veram deprendere meſſem ſi libet, &c.] Si forenſis iſtius laboris quæ ſit merces, quæras; Lacertam unum reperies tantumdem lucrari, quantum cauſidicos centum.

113. *Hinc centum patrimonia cauſidicorum, &c.*] Velut in libra expendens, hinc in lance una pone bona centum rabularum, illinc in altera ſolius Lacertæ divitias, & vide illa ab his adæquari, vel ſuperari.

Parte alia ſolum Ruſſati pone Lacertæ.
Conſedere Duces: ſurgis tu pallidus Ajax,
Dicturus dubia pro libertate, Bubulco
Judice. Rumpe miſer tenſum jecur, ut tibi laſſo
Figantur virides ſcalarum gloria palmæ.
Quod vocis pretium? Siccus petaſunculus, & vas
Pelamidum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi;
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ

aliunde Rubri Lacertæ dumtaxat bona ſtatue. Conſedere Duces; exurgis tu pallens Ajax, oraturus pro ancipite libertate, arbitro Bubulco. Infelix diſrumpe extenſum hepar, ut feſſo tibi virentes palmæ graduum ornamenta appendantur. Ecquæ merces orationis? Arida perna, & vas pelamidum: vel bulbi vetuſti, Africanorum menſtrua munera; *vel merum* Tiberi *deportatum, quinæ lagenæ,*

ANNOTATIONES.

114. *Ruſſati.*] Induti veſte Ruſſa, id eſt, rubra, vel purpurea.

Ruſſati pone Lacertæ.] Magna certe hic legendi varietas. Emendant quidem: *rus Sati pone Lacertæ:* ut dives fuerit quidam nomine *Satus Lacerta*, cujus villa tanti ſit, quanti bona centum cauſidicorum. Alii dicunt *Lacertam eſſe* militis fictum nomen: porro militibus in uſu fuiſſe veſtes rubras, ut per coloris ſimilitudinem ſanguis e vulneribus defluens minus appareret. Alii cum vet. Schol. legunt, *Lacernæ*, quem aiunt ſub Domitiano ex aurigandi peritia divitem factum, & hinc purpureis veſtibus indui.

115. *Conſedere Duces.*] Sumptum ex Ovid. Metam. 13. Fab. 1. ubi de armis Achillis Ajax cum Ulyſſe diſcepat coram Ducibus Græcorum. Hic *Duces* pro Judicibus, & mox, *Ajax*, pro Cauſidico ponuntur.

Pallidus.] Præ timore, ne perinde ut Ajax olim, ita modo tu cauſa cadas & vincaris.

Ajax.] Telamonis erat filius, Græcorum poſt Achillem fortiſſimus, quod ab Ulyſſe victus in judicio fuiſſet, ira percitus ad inſaniam uſque: quod autem furens egerat, mente reſtituta reſciens, præ verecundia & dolore, ſeipſum interemit. Vide Sophoclis Ajacem flagellif.

116. *Dubia pro libertate.*] Pro homine, de quo quæritur, ſitne ſervus an liber exiſtimandus. Sicut Tullius pro Archia dicens jus ei civitatis aſſeruit.

Bubulco.] Vel intelligit C. illum Atilium Bubulcum, qui fuit Conſul cum T. Manlio Torquato; vel per contemptum Judicem notat agreſtem & imperitum bubulci ſimilem, reſpiciens ad morem Judices eligendi tres e ſingulis Tribubus perinde ruſticanis ac urbanis, Aſcon. Ped. in 2. Verrin. vel denique meminerat Juvenalis, quod refert Sueton. Jul. cap. 80. *Peregrinas a Cæſare in Senatum allectos:* unde & Auguſtus *correxit numerum affluentem deformi & incondita turba Senatorum, inter quos erant etiam indigniſſimi, quos vulgus abortivos, ſive Orcinos vocabat*, teſte Sueton. Octav. cap. 35.

117. *Rumpe miſer tenſum jecur.*] Tu jam lacera, pulmones, & jecur bili plenum & accenſum fatiga vociferando, & vanæ gloriæ pluſculum ſerviendo, aut lucello tenui.

118. *Figantur virides ſcalarum gloria palmæ.*] Ex more palmis exornetur vel janua tuæ domus, vel gradus pulpiti e quo dixeris cauſam, atque viceris. Martial. Lib. 7. Epigr. 27.

Sic fora mirentur, ſic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

Scalarum gloria.] *Apud veteres advocatorum armaria ſcalas habebant*, inquit vet. Schol. Alii pauperiem cauſidicorum hinc aiunt notari, qui habitarent in cœnaculis, ad quæ non niſi per ſcalas aſcendebatur: quas proinde in victoriæ ſignum palmis integerent.

119. *Siccus petaſunculus.*] Exiguus petaſo, vetuſtate exuccus. Vide Mart. Lib. 3. Epigr. 55.

Vas Pelamidum.] Plenum piſciculis iſtis, qui ſunt minores thynni, dicti a πηλὸς, *limo*. De his vide Athen. Lib. 1. cap. 14. Plin. Lib. 9. c. 15. & Lib. 32. cap. 11.

120. *Afrorum.*] Alias *Maurorum*.

Epimenia.] Vox Græca, quaſi penſi menſtrua, id eſt, xenia vel dona, quæ Afri miſſitabant Romanis quot menſibus ad conciliandos eos ſibi. Sunt qui legant, *ormenia*, id eſt, caules, alii *epimendia*, ſed iſtos egregie ſuggilat Caſaubonus in Athen. Lib. 2. cap. 22.

Bulbi.] Tubera, alia, cepæ, ſquillæ, omneſque radices rotundæ & tunicatæ. Athen. Lib. 2. c. 23. de *bulbis* multa & varia; ubi & Proverbium, *Bulbum ſi expetis, qua impenſa gloriam ſis adepturus, cogita.* Theophr. Hiſt. Lib. 7. c. 13. & ex his Plin. L. 19. cap. 3. dulces adeo bulbos in Taurica Cherſoneſo naſci refert, ut crudi mandantur: poſt quos optimi ſint in Africa, deinde in Apulia. Quidam legunt, *bulli*, id eſt, piſciculi viliores ut interpretatur e veteri gloſſa Lipſius Epiſt. queſt. Lib. 4. Epiſt. 25. ubi ſperni vetat lectionem de bulbis vulgatam.

121. *Vinum Tiberi devectum.*] Quinque lagenæ vini parum laudati, nempe Romam advecti ſecundo flumine ex Hetruria, ſeu Veiis, &c. non autem quod ſit adverſo Tiberi deportatum vel e tranſmarinis regionibus, vel etiam e Campania, exquiſitum.

 Si

Digitized by Google

ſi quater peroraſti. Quod *ſi obvenerit nummus unus aureus, ex eo detrahuntur portiones pragmaticorum, ſecundum pactum. Æmilio donabitur quantum poſtulabit: at nos perite magis peroravimus. Nam illius in atrio eſt currus ex ære, proceri quadrijuges, ipſeque generoſo* ad *bellum* equo *inſidens telum inflexum procul intentat, ac effigie coclite molitur certamina. Ita Pedo commiſcet, Matho ſuccumbit: ille eſt finis Tongilli, qui grandi cum rhinocerote lavari conſuevit, & cœnoſa multitudine cruciat balnea, & oblongo palo Medos adoleſcentes per forum onerat,*

Si quater egiſti; ſi contigit aureus unus,
Inde cadunt partes, ex fœdere pragmaticorum.
Æmilio dabitur quantum petet: & melius nos
Egimus. Hujus enim ſtat currus aheneus, alti
Quadrijuges in veſtibulis, atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curvatum haſtile minatur
Eminus, & ſtatua meditatur prælia luſca.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit; exitus hic eſt
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui ſolet, & vexat lutulenta balnea turba,
Perque forum juvenes longo premit aſſere Medos,

ANNOTATIONES.

123. *Inde cadunt partes, &c.*] Si detur cauſidico nummus aureus, hunc non habet integrum ſibi, ſed ex fœdere partiri debet cum pragmaticis, pro collocata ſibi opera.

Pragmaticorum.] Hi juris & legum admodum periti, cauſidicis aderant, & verba ſolemnia, formulaſque ſuggerere ſatagebant. Cicero de Oratore 1. eorum meminit, aitque viles fuiſſe homines, qui mercede conducti oratoribus ſe miniſtros præbebant in judiciis. Vide & Quint. Lib. 11. cap. 3.

124. *Æmilio.*] Illuſtri diviti cauſidico.

Melius nos egimus.] Atqui nos pauperes melius cauſam diximus: cur igitur non æquam mercedem accipimus?

125. *Hujus enim ſtat, &c.*] Verum enimvero Æmilius in porticu oſtentat inſignia nobilitatis, æreum currum, quo majorum aliquis triumphavit, imo & ſtatuam equeſtrem ſibi erectam.

126. *Quadrijuges.*] Equi ad currum quatuor. Vide initium Sat. 8.

Ipſe feroci, &c.] Ipſis etiam cauſidicis ponebantur ſtatuæ Equeſtres. Mart. Lib. 9. Epigr. 70.

Tam grave percuſſis incudibus æra reſultant,
Cauſidicum medio cum faber aptat equo.

107. *Curvatum.*] Tam affabre ſtatua effecta eſt, ut haſtile quod intentat ac minatur, videatur tremere, adeoq; curvari, & mox jactandum.

128. *Meditatur prælia luſca.*] Sive quod obliquum caput alterum dumtaxat oculum oſtendebat: ſive quod effigies exhiberet virum altero clauſo oculo certius ictum dirigentem. Vid. Perſ. Sat. 1. v. 66.

129. *Sic Pedo conturbat, &c.*] Quoniam divitibus cauſidicis quamvis inferioris meriti merces amplior tribuitur; hinc tenuiores ſimulant ſe opulentos. Qua fit ut ære ſe alieno obruant.

Pedo.] Cauſidicus quiſpiam.

Conturbat.] Verbum Juris, id eſt, decoquit, dilapidat: æs alienum vetus non ſolvit, & novum contrahit: rationes debitorum congerit, commiſcet, conturbat. Cic. pro Cn. Plancio. *Verum fac me multis debere, & in iis Plancio: utrum igitur me conturbare oportet: an hoc nomen, quod urget, nunc cum petitur diſſolvere?*

Matho.] Alius cauſidicus, de quo Sat. 1.

Deficit.] Legunt aliqui, *dejicit*, perperam, videtur.

Exitus hic eſt Tongilli.] Ut Pedo, Mathoque, perinde ſuccumbentis, dum vult opes oſtentare ut plus lucretur.

130. *Rhinocerote.*] Vaſe oleum guttatim fundente; gutto, quo in balneis utebantur e cornu tauri pauperes, at divites e cornu rhinocerotis. Vide Sat. 3. v. 263. Porro *Rhinoceros* a ῥὶν & κέρας dicitur animal unius in nare cornu, ut ait Plin. Lib. 8. cap. 20. & Diod. Sic. Lib. 4. cap. 3. ubi *rhinocerotis* naturam, & ad vincendum elephantum induſtriam uterque referunt.

131. *Vexat lutulenta balnea turba.*] Servis plurimis, qui per cœnoſa dominum ſecuti ad balnea, magno ſtrepitu jam ei famulantur, quod moleſtiam creat iis qui ſimul lavantur.

132. *Perque forum juvenes, &c.*] Dum lectica per forum vehitur, oneratque lecticarios.

Aſſere.] Pertica duplice, qua ſuſtinetur ac deportatur ſella ſeu lectica. Vide Satiram 3. v. 245.

Medos.] Servos e Media, lecticarios, legunt alii *Mœſos*. Hi quidem a Romanis ſubacti, non ita vero Medi. Mœſa Europæ regio Euxino mari proxima. Media Aſiæ pars Aſſyriæ juncta, ampla valde & nominata pridem ob diuturnum ejus per annos plus trecentos imperium, Aſſyriis quidem ereptum per Arbacem Sardanapali interfectorem, & ſub aliis octo ſequentibus Medorum regibus continuatum, poſteaque tranſlatum ad Perſas.

Empturus

Empturus pueros, argentum, myrrhina, villas.
Spondet enim Tyrio ſtlataria purpura filo.
Et tamen hoc ipſis eſt utile: purpura vendit
Cauſidicum, vendunt amethyſtina: convenit illis
Et ſtrepitu, & facie majoris vivere cenſus.
Sed finem impenſæ non ſervat prodiga Roma.
Ut redeant veteres, Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, niſi fulſerit annulus ingens.
Reſpicit hoc primum qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, poſt te an ſit ſella, togati
Ante pedes. Ideo conducta Paulus agebat

empturus ſervos, argentum, myrrhina, prædia. Nam fidem facit ampla purpura Tyrio filo. Ac nihilominùs id eis fructuoſum eſt: purpura venumdat cauſarum actorem, venumdant amethyſtina. Prodeſt ipſis vitam agere & ſonitu, & ſpecie majorum opum. At profuſa Roma modum ſumptibus non ponit. Si priſci reviviſcant, Tullio nullus donaret nummos ducentos, niſi micaret magnus annulus. Id imprimis obſervat qui litem habet, utrùm habeas *tu ſervos octo, aſſeclas decem, utrùm poſt te ſit lectica, ante pedes* verò *togati. Idcircò Paulus dicebat Sardonyche conductâ,*

ANNOTATIONES.

133. *Empturus pueros*, &c.] Ut divitias oſtentet.

Argentum.] Argentea vaſa.

Myrrhina.] Vide Sat. 6. v. 156. & quæ nos ibid.

134. *Spondet enim*, &c.] Pretioſa Tongilli veſtis ipſi pro ſponſore eſt.

Tyrio.] Vide Sat. 1. v. 27.

Stlataria purpura.] Quaſi ſenatoria veſtis, latus e purpura clavus. Vide Sat. 1. v. 106. & quæ notavimus ibid. Porro *ſtlatum* pro *latum*, ſicut & *ſtlotum* pro *lotum*, *ſtlitem* pro *litem* veteres dixere, teſte Feſto; apud quem etiam *ſtlata* eſt navigium latum magis quam altum: unde *ſtlataria purpura* hic intelligi poſſet mari advecta e Tyro. Alii a *ſtlata* rate pyratica, per *ſtlatariam* purpuram, intelligunt veſtem purpuream quaſi fallentem ac deprædantem clientes, qui ambiunt cauſidicos ſumptuoſe veſtitos, eiſq; magnam ſponte mercedem tribuunt.

Purpura.] Plin. lib. 9. c. 36. & ſeq. de purpuræ natura, uſu, pretio, antiquitate, variis denique generibus multa.

135. *Hoc ipſis utile eſt.*] Lucrum eis affert ambitioſa oſtentatio divitiarum.

Purpura vendit Cauſidicum.] Tanti locabit ac vendet operam ſuam cauſidicus, quantum faſtus & ſplendoris habuerit in veſtibus, & quantum ſe jactaverit.

136. *Amethyſtina.*] Veſtimenta violacei coloris, qualis eſt in amethyſto lapillo, de quo Plin. lib. 21. c. 8. & lib. 37. c. 6, & 9.

137. *Et ſtrepitu & facie*, &c.] Conducit illis exhibere ſe ditiores quam ſint, alias enim non conducerentur, atque egerent.

Strepitu.] Celebritatem ſuam ac famam ventitando.

Cenſus.] Bonorum æſtimatio, ipſaque bona cenſus appellantur paſſim apud Auctores. Cic. Verr. 4. num. 131. *Siculi ex cenſu quotannis tributa conferunt*, &c.

138. *Sed finem impenſæ*, &c.] Ambitioni, vapitati luxui tam dedita Roma, ut jaceat quiſquis non ſplendet. Hinc Seneca Epiſt. 50. *Erramus*, inquit, *& dicimus: non ego ſum ambitioſus, ſed nemo Romæ poteſt aliter vivere; non ego ſumptuoſus: ſed urbs ipſa magnas impenſas exigit.*

139. *Ut redeant veteres.*] Nonnulli Codices loco iſtarum vocum, habent *fidimus eloquio?*

Veteres.] Inſignes illi Oratores, Cicero, Craſſus, Hortenſius, &c. vel, e Græcis Demoſthenes, Æſchines, Iſocrates, &c.

140. *Niſi fulſerit.*] Niſi dives fuerit, aut ſaltem opes oſtentarit, quantumvis peritus, erit deſpectui.

Annulus.] In digito. Vide Sat. 1. v. 28.

141. *An tibi ſervi*, &c.] An ſumptuoſus adſit oratori comitatus, potius quam quæ facundia.

Servi octo.] Lecticarii octophoron geſtantes, ad pompam & faſtum. Vide Sat. 1. v. 64.

142. *Comites.*] Clientes officioſe deducentes ad forum. Vide Sat. 1. v. 96. 119. 132.

Sella.] Vel lectica per vias ſubſequens; vel ſedile, ſeu ſella, quaſi pulpitum, in foro, e quo magnifice dicas & perores, & in quo, cum libuerit ſedeas.

Togati ante pedes.] Clientes, vel amici, honoris cauſa præeuntes, Anteambulones vocat Martialis. Ejus vide Epigr. 7. & 46. lib. 3. & Juvenal. Sat. 1. v. 96. & quæ nos ibid.

143. *Ante pedes.*] *Circum pedes ſunt obſequia ſervorum, ante pedes amicorum:* ait Turneb. lib. 3. c. ult.

Conductâ.] Caute, ut dives appareret, pluſque mercedis acciperet.

Paulus.] Is cauſidicus, pariter ut Coſſus, & Baſilus. Sed hi minus celebres, quia pauperiores.

Digitized by Google

Sardonyche, atq; ideò pluris, quàm Coſſus agebat,
Quàm Baſilus. Rara in tenui facundia panno.
Quando licet flentem Baſilo producere matrem?
Quis benè dicentem Baſilum ferat? Accipiat te
Gallia, vel potius nutricula cauſidicorum
Africa, ſi placuit mercedem imponere linguæ.
Declamare dóces, ô ferrea pectora Vectî,
Cum perimit ſævos claſſis numeroſa Tyrannos?
Nam quæcunq; ſedens modò legerat, hæc eadem ſtans
Proferet, atque eadem cantabit verſibus iiſdem.
Occîdit miſeros crambe repetita magiſtros.

& idcircò pretio *majori dicebat, quàm Coſſus, quàm Baſilus. Infrequens eloquentia ſub paupere veſtimento. Ecquando fas eſt Baſilo matrem exhibere lacrymantem? E. quis Baſilum toleret diſertè perorantem? Te ſuſpiciat Gallia, aut magis oratorum altrix Africa, ſi vis dare pretium linguæ. O Vetti, cor ferreum, inſtituis* ad benè *pronuntiandum, quando ſchola copioſa diros Tyrannos enecat? Etenim quælibet mox prælegerat ſedens, ea ipſa ſtans pronunciabit, et eadem iiſdem verſiculis repetet. ngeminatâ braſſica perimit infelices præceptores.*

ANNOTATIONES.

144. *Sardonyche.*] Annulo, in quo pretioſa gemma ſardonyx. Vide Perſ. Sat. 1. v. 16.

145 *Rara in tenui facundia panno.*] Ex opinione vulgi, cui averſatur illud Cæcilianum; *Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.* Cic. Tuſcul. 3. n. 56.

146. *Quando licet flentem Baſilo, &c.*] Quis tenui cauſidico gravem cauſam committit, in qua liceat v, g matrem producere pro ſalute filii ſupplicantem apud Judices. Vide Cic. Verr. 3. pro Fonteio in perorat. &c.

147. *Accipiat te Gallia, &c.*] Perge in Galliam vel Africam, ibique vendita oratoriam facultatem: nam Romæ non facundia tam ſpectatur in cauſidico, quam faſtus & pompa veſtium atque comitatus.

148. *Gallia.*] Europæ nobiliſſima portio, Rheno, Oceano, Alpibus ac Pyrenæis clauſa, Romanis primum, deinde Francis domita. De hac ſatius erit non plura, quam non ſat magna dicere. At quod facit ad rem præſentem, in ea, Lugduni ſcilicet, facundiæ certamen, de quo vide Sat. 1. v. 44. Unde & facundam vocat Sat. 15. v. 111. optimorum ingeniorum feracem ignorat nemo: etiam oratores inſignes habuiſſe dicemus alibi, & teſtis Quintil. loco mox citando,

Nutricula cauſidicorum.] Seu quod litigioſæ regiones illæ Gallia & Africa, ſeu quod eximios oratores tulerint Quint. L. 10. c. 1. præſtantiſſimos ait fuiſſe Jul. Africanum & Domit. Afrum. At hic Nemauſenſis erat, & florebat ſub Nerone. Et cap. 3. *Julius Florus*, inquit, *in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioqui inter paucos diſertus, &c.*

149, *Africa.*] Hæc Romanis ampla ſeges & terroris & gloriæ, vel ob unam Carthaginem; unumque Annibalem: Nobis autem Chriſtianis valde memorabilis, quod tot præclara Religionis noſtræ lumina genuerit, Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinum, &c,

Mercedem imponere linguæ.] Si vis æſtimari ob eloquentiam, & ex ea quæſtum facere.

150. *Declamare doces, &c.*] Jam ad Rhetores tranſit, expenditque num digna merces iis detur, ac magnis eorum laboribus æqualis.

Ferrea pectora.] Quippe quæ moleſtam admodum puerorum inſtitutionem ſuſcipiant & exequantur ſine ullo fere lucro.

Vecti.] *Vectius* ſeu *Vettius*, celebris Rhetor. Ejus meminit Plin. Lib. 29. cap. 1. ponitur hic pro quolibet declamandi magiſtro.

151. *Cum perimit ſævos, &c.*] Ingens numerus diſcipulorum recitat ſuam quiſque compoſitionem & orationem de perimendis tyrannis. Quod ſane præceptoris patientiam exhaurit. Alii ſic interpretantur: *O Vetti, ſane tu ferreus, quem non frangit durus ille docendi labor, ad quem velut ad ſummum tormenti genus Dii vindices compulerunt Dionyſium Siciliæ Tyrannum.* Is enimvero Imperio exutus in ludo literario Corinthi conſenuit.

Claſſis.] Quintil. Lib. 1. cap. 2. *Pueros, inquit, Magiſtri in claſſes diſtribuebant, et iis brdinem dicendi ſecundum vires ingenii dabant, &c.*

152. *Quæcunque ſedens modo legerat.*] Præceptor nimirum.

Hæc eadem ſtans.] Nempe diſcipulus.

153. *Eadem cantabit verſibus iiſdem.*] Recitabit ſtatim formans ſe diſcipulus ad exemplum Magiſtri prælegentis & declamare docentis. Huc pertinet quod ait Quintil. L. 5. c. 4. *Dicere quæ audierint, utile eſt pueris ad loquendi facultatem.*

Verſibus iiſdem.] Totidem inciſis & commatis.

154. *Occidit miſeros, &c.*] Crebræ illæ diſcipulorum exercitationes eadem recinentium, caput obtundunt Magiſtri, ejuſque mentem excarnificant; ſicut braſſica ſæpius appoſita nauſeam ſtomacho facit,

Crambe repetita.] Prov. δὶς κράμβη θάνατος. Vide Polit. Miſcel. c. 33. Veteres μὰ τὴν κράμβην jurare ſolitos auctor eſt Athenæus. L. 9. c. 2,

Quis

Digitized by Google

Quis color, & quod ſit cauſæ genus, atque ubi ſumma
Quæſtio, quæ veniant diverſâ parte ſagittæ,
Scire volunt omnes, mercedem ſolvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim ſcio? culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil ſalit Arcadico juveni, cujus mihi ſextâ
Quâque die miſerum dirus caput Annibal implet.
Quicquid id eſt, de quo deliberat; an petat urbem
A Cannis; an poſt nimbos & fulmina cautus
Circumagat madidas à tempeſtate cohortes.
Quantumvis ſtipulare, & protinus accipe quod do,
Ut toties illum pater audiat. Aſt alii ſex

Qua ratio, & qua ſpecies argumenti, & ubi præcipua controverſia, qua tela procedant variis lateribus, cuncti diſcere cupiunt, pretium nullus pendere vult. An pretium vocas? Nam quid didici? Magiſtri nimirum noxa reprehenditur, quia in ſiniſtro mammæ latere nihil palpitat Arcadico adoleſcenti, cujus ferox Annibal mihi caput infortunatum replet ſexta quâq; die: quodcumque eſt illud, de quo conſultat; ſive utrum a Cannis Romam contendat; ſive utrum poſt procellas & fulgura prudens circunducat phalanges nimbis madefactas. Poſtula quantumcumque libuerit, ſtatimque ſume quod trado, ut tot vicibus eum genitor auſcultet. Sed alii ſex,

ANNOTATIONES.

155. *Quis color.*] Quis modus ſtabiliendi cauſam, & crimen repellendi. Sat. 6. v. 280. *Dic, Quintiliane, colorem.*

Cauſa genus.] An demonſtrativum, an judiciale, an deliberativum, &c. Vide Quintil. Lib. 3. cap. 4.

Summa quæſtio.] Quis ſtatus, an conjecturalis, an definitivus, &c. Quint. cit. Lib. 3. cap. 6.

156. *Quæ veniant diverſa parte ſagittæ.*] Quænam ab adverſario objici, & qua ratione poſſint refutari.

158. *Mercedem appellas?*] Proſopopœia diſcipuli imperiti Magiſtro dicentis; ſcilicet, petis mercedem, cum nihil a te didicerim.

Culpa docentis arguitur.] Reſponſio magiſtri, in qua notatur quam ſit miſera conditio docentium: in hos enim culpa refunditur, ſi negligens alioqui, vel obtuſo diſcipulus ingenio nihil in ſtudio proficiat.

159. *Læva in parte mamillæ.*] Plinius Lib. 11. cap. 37. *Cor animalibus cæteris in medio pectore eſt; homini tantum infra lævam papillam*, inquit. Cor igitur hic & apud alios Poëtas non rarò ponitur pro ingenio & ſapientia: unde & vecors dicitur, qui eſt ſtupidus & inſipiens.

160. *Nil ſalit.*] Nihil emicat ingenii, nihil induſtriæ vel ſolertiæ.

Arcadico juveni.] Ignavo, bardo, ſimili vel Arcadibus, qui hebetes ab aliquibus referuntur, vel pecori Arcadico, id eſt, aſinis. Vide Perſ. Sat. 3. v. 9.

161. *Caput implet.*] obtundit, gravat, ac tædio afficit.

Annibal.] Declamatio de Annibale deliberante. Vide Sat. 6. v. 169.

162. *An petat urbem.*] An poſt Cannenſem victoriam continuo Romam pergat, an fatigatis militibus reſpirandi ſpatium dare debeat. Vide Tit. Liv. Lib. 22. cap. 51. ubi Annibali ad penſandum conſilium opus eſſe tempus dicenti, reſpondet egregie Maharbal: *non omnia nimirum eidem Dii dedere. Vincere ſcis, Annibal, victoria uti neſcis.* Additque Liv. ibid. *miram ejus diei ſaluti fuiſſe urbi atque Imperio.*

136. *Cannis.*] Is vicus Apuliæ prius ignobilis, aſt poſtea non mediocriter celebratus clade Romanorum. Vide Sat. 2. v. 155.

An poſt nimbos, &c.] Lege Liv. Lib. 26. cap. 11.

Cautus.] Timens ne infeſtis ſibi Numinibus victorem perdat exercitum.

164. *Circumagat madidas, &c.*] Poſita ſuper Anienem fluvium, ad tertium ab urbe lapidem, caſtra moveat, abducatque copias religione perculſas, ob tempeſtatem acies jam ſemel ac iterum dirimentem. Tunc enim Annibal erupit in has voces: *Potiundæ ſibi urbis Romæ modo mentem non dari, modo fortunam.* Tit. Liv. cit. Lib. 26. cap. 11.

105. *Quantumvis ſtipulare, &c.*] Atque ut intelligas quantum ſit tædium eadem ſæpius audienti, ego tantum tibi promitto quantum petieris, ſi pater ipſe diſcipuli tam patiens fuerit, quam ego declamandi magiſter; ſique toties filium declamantem libenter audire ſuſtineat, quoties ego alienum, & quidem ſine mercede.

Stipulare.] *Stipulo* vel *ſtipulor*, idem eſt atque poſtulo mihi promitti quidpiam ſolemni formula v. g. viſ ne promittere centum nummos, ac dare? cui reſpondet alter; promitto & dabo.

166. *Pater audiat.*] Vide Perſ. Sat. 3. v. 47. & quæ nos ibidem notabimus.

Aſt alii ſex, &c.] At prudenter omnino plurimi Rhetores ad forenſes ac veras actiones tranſiere, dimiſſis fictis illis & Scholaſticis.

Et

imò plures ſophiſtæ pari voce clamant; atque veras controverſias tractant, dimiſſo abductore; tacent admixta toxica, conjux nequam & ingratus, atque mortaria quæ curant cæcos jam antiquos. Itaque ſi noſtrum valebit conſilium, is qui ex umbra Rhetorica venit ad certamen, ipſe ſibi miſſionem largietur, inibitque aliud vivendi inſtitutum, ut non deſit ei parva *ſumma, quâ venumdatur modica triciti teſſerula. Etenim ea compenſatio maxima. Experire quanto* pretio *Chryſogenus, aut quanto Pollio erudiat filios divitum, diſtribuens Theodori diſciplinam.*

Et plures uno conclamant ore ſophiſtæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto:
Fuſa venena ſilent, malus ingratuſque maritus,
Et quæ jam veteres ſanant mortaria cœcos.
Ergo ſibi dabit ipſe rudem, ſi noſtra movebunt
Conſilia, & vitæ diverſum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetoricâ deſcendit ab umbra,
Summula ne pereat, qua vilis teſſera vænit
Frumenti. Quippe hæc merces lautiſſima. Tenta
Chryſogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem ſcindens Theodori.

ANNOTATIONES.

167. *Conclamant.*] Vel, in foro clamoſo agant cauſas; vel declamatorum atque Rhetorum vitam intolerabilem vociferantur deſerendam.

Sophiſtæ.] Ita pridem Rhetores appellati, teſte Philoſtrato. Aliis Rhetor eſt qui tradit eloquentiæ præcepta, Sophiſta vero qui ad dicendum exercet. Victorin. Prolog. in Rhetor. Cic.

168. *Veras agitant lites.*] Non amplius fictas, ut prius in ſcholis, ſed veras in foro, paulo majori mercede.

Raptore relicto, &c.] Relictis fictis argumentis, qualia legere eſt apud Quintil. & Senecam, in Controverſ.

Raptore relicto.] Declamandi materia de eo qui fœminam rapuerit. v. g. de Paride qui Helenam, de Jaſone qui Medeam abduxit, &c. Vid. Senec. Controv.

169. *Fuſa venena ſilent.*] Non jam tractatur fictum thema de veneno dato vel pellici, vel conjugi, &c. nec de marito ingrato, &c.

Malus ingratuſque maritus.] Vel Jaſon qui deſeruit Medeam, cujus ope vellus aureum abſtulerat, atque aliam uxorem duxit: vel quilibet ſimilis illius perfidi in fideliſſimam conjugem viri, de quo Senec. lib. 2. Controv. 5. Erit igitur vel accuſatio ingrati mariti, pro uxore, vel ejus defenſio adverſus uxorem.

170. *Et quæ jam veteres, &c.*] Declamatio de filio conterente pharmaca in mortario ad ſanandos cœci patris oculos, quæ venena eſſe affirmatur a noverca: unde credulus pater filium hæreditate pellit, &c.

171. *Sibi dabit ipſe rudem.*] Si mihi credit Sophiſta, ſterile docendi munus abjiciet, & ſe conferret ad forum, ubi ſaltem aliquod lucellum eſt.

Rudem.] Libertatem & vacationem a docendo. Metaphor. a gladiatoribus. Vide quæ ad Sat. 6. v. 113.

173. *Ad pugnam.*] Ad veras in foro actiones.

Ab umbra.] Relicta ſchola, in qua privatæ & umbratiles duntaxat actiones, & falſæ controverſiæ.

174. *Summula ne pereat.*] Ut exigua ſaltem habeatur merces, quâ ematur panis.

Teſſera.] Juſt. Lipſius Elect. 1. c. 8. Multa de frumentationis antiquitate, ac frumenti diſtributione primum ab Ædilibus, dein ab annonæ Curatoribus facta, & quidem per teſſeras ſeu ſymbola e ligno vel plumbo, quibus inſtructi pergebant ad horrea publica, & ſingulis menſibus frumentum accipiebant, &c. Vide quæ ad Perſ. Sat. 5. v. 74.

Vænit.] Acceptam etenim teſſeram frumentariam vendere licebat, & vendebant qui victum habentes aliunde, frumento non indigebant. Lipſ. cit. loco.

175. *Tenta Chryſogonus, &c.*] Si mihi fidem non habes, inquire quam vili pretio doceant Chryſogonus & Pollio, & quam exiguam capiant mercedem etiam a nobilibus atque opulentis, quorum filios inſtituunt.

176. *Chryſogonus, Pollio.*] Sophiſtæ ſeu Rhetores. Citharœdos eſſe volunt alii, quos Juvenalis affirmet plus multo quam Rhetores lucrari.

177. *Artem ſcindens.*] Rhetoricam, cujus præcepta minutatim quaſi diſpertit, diſſipat, diſperdit, nulla prope mercede, nullo fructu.

Scindens.] Quidam interpretantur, vituperans, proſcindens: ſed minus id probem.

Theodori.] Is Gadara urbe Syriæ oriundus, inſignis Rhetor fuit, Tiberii Cæſaris præceptor, qui ſævam ejus indolem perſpexit primus, ac notavit in puero, Suetonio teſte, Tib. c. 57. De eodem Quintilian. Lib. 3. c. 1. ſic loquitur: *Theodorus Gadareus, qui ſe dici maluit Rhodium, quem ſtudioſe audiſſe, cum in eam Inſulam ſeceſſiſſet, dicitur Tiberius Cæſar:* additque illum & plura ſcripſiſſe, & ejus diſcipulos veluti novæ ſectæ addictos *Theodoreos* appellatos fuiſſe, quos inter fuit *Hermagoras.*

Balnea

Balnea ſexcentis, & pluris porticus, in qua
Geſtetur dominus quoties pluit; anne ſerenum
Expectet, ſpargatque luto jumenta recenti?
Hic potius: namq; hic mundæ nitet ungula mulæ.
Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio ſolem.
Quanticumque domus, veniet qui fercula docte
Componit, veniet qui pulmentaria condit.
Hos inter ſumptus ſeſtertia Quintiliano,
Ut multum, duo ſufficient: res nulla minoris
Conſtabit patri, quam filius. Unde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus? Exempla novorum
Fatorum tranſi: felix & pulcher & acer,
Felix & ſapiens & nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ:

Extruuntur *balnea ſexcentis, & majori* ſumptu *xyſtus, in quo vehatur herus, quandocumque pluit. Sudumne præſtoletur, aut jumento novo cœno inficiat? Illic magis; etenim ibi fulget unguis mulæ nitidæ. Aliunde cœnaculum erigatur altis e Numidia fulcris ſubnixum, atque frigentem ſolem excipiat. Quantivis ædes* conſtent; *accedet qui ſcite dapes ſtruit: accedet qui obſonia præparat. Illis in impenſis ad ſummum duo ſeſtertia ſatis erunt Quintiliano. Nihil minoris conſtabit patri quam natus. Unde ergo tot nemora poſſidet Quintilianus? Fortunæ inſolitæ exempla omitte. Fortunatus & formoſus & fortis, fortunatus & prudens & clarus & illuſtris aſſutam atræ pelliculæ lunulam adhibet;*

ANNOTATIONES.

178. *Balnea ſexcentis.*] Sumptuoſi quidem ſunt in ædificando epulandoque Romani, at parci nimium in educandis docendiſque liberis.

Sexcentis.] Nummis, vel ſeſtertiis.

Porticus in qua geſtetur dominus.] Vide Sat. 4. verſ. 5.

179. *Anne ſerenum expectet.*] Quod ſi ambulare cupiat, an putas expectandum ei ſerenum tempus? Imo porticum habet ad id ſemper idoneam.

180. *Spargatque luto jumenta recenti.*] An poſt pluviam velit agi currum, & vehi per cœnoſas plateas, ubi mulorum pedes luto inquinentur?

181. *Hic potius.*] Quin potius in porticu ambulabit, ubi mulæ vehiculum trahentes nitidis incedant pedibus & ungulis. Ironice.

182. *Numidarum.*] Numidia pars Africæ, hodie *Biledulgerid.* Inde lapides optimi & exquiſita marmora excidendis columnis idonea Romam deportabantur. Meminit Plin. L. 36. c. 6. & alibi.

183. *Algentem rapiat cœnatio ſolem.*] Columella Lib. 1. præcipit ædium feneſtras ſpectare Ortum & Septentrionem.

Cœnatio.] Triclinium, locus in ſuperiori domus parte ad cœnandum aptus.

Algentem rapiat cœnatio ſolem.] Vel hyberno tempore, dum oritur, frigidum: vel orientem æſtate, verſus Septentrionem. Huic enim hilarior ſitus & commodior dat umbram quando calet, & cum friget, teporem.

184. *Quanticumque domus, &c.*] Neque ſolum profundunt opes in ſubſtructionibus, ſed etiam in ſumptuoſis conviviis.

Qui fercula docte componit.] Structor menſæ peritus.

185. *Qui pulmentaria condit.*] Coquus.

Pulmentaria.] Quævis obſonia. Nomen a pulte, qua pro pane diu Romani uſi ſunt. Cic. Tuſc. 5. n. 90. *Anacharſi Philoſopho cubile terra, pulmentum fames, &c.* Vide Perſ. Sat. 6. v. 40. & quæ ibidem notabo.

186. *Seſtertia.*] Vide Sat. 1. v. 92. & 106.

Quintiliano.] Summo Rhetori ac præceptori cuilibet.

187. *Sufficient.*] Loco penſionis annuæ & ſalarii pro puerorum inſtitutione.

189. *Saltus.*] Villas, prædia.

Exempla novorum fatorum tranſi.] Ne utere inaudito exemplo unius qui præter ſolitum morem ditatus fuerit, aſpirante fato & fortuna, non ex hominum liberalitate. Fuit quidem Quintilianus locuples, at poſt illum quot alii? Imo quis ſecundus?

190. *Felix & pulcher, &c.*] Id eſt, ſi cui faverint fata, & felicem eſſe dederint, huic affluunt omnia continuo bona & corporis & animi & fortunæ; erit formoſus & valens, erit ſapiens, nobilis, doctus, *&c.*

192. *Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.*] Lunatos induit calceos, nobilitatis indices. Nam lunula calceis aſſuta Patricius diſcernitur, inquit vetus Scholiaſtes: geſtabant nempe effigiem Lunæ creſcentis, vel potius literam C. ad monimentum numeri Senatorum centenarii, ex Numæ, ut aiunt, inſtituto. De moris iſtius origine diſputat Plutarchus in Quæſt. Centur. Rom. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 20. cap. 28. & Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 18.

Nigræ alutæ.] Sic Horat. Lib. 1. Sat. 6.
Nam ut quiſq; inſanus nigris medium impedit crus Pellibus, &c.

Alutæ.] Calceo ex aluta, ſeu molli & ſubtili corio.

Digitized by Google

fortunatus Rhetor, etiam ſummus & argumentator, & quamvis præſixerit nihilominus *bene canit. Nam intereſt quæ te aſtra ſuſcipiant ſtatim primum exordientem emittere ploratus, ac etiamnum a parente rubicundum. Si juſſerit ſors, ex Oratore Conſul evades: ſi juſſerit ea ipſa, Orator evades e Conſule. Etenim quid Ventidius? Quid Tullius? Utrum quidquam præter aſtrum, atque ſtupendam vim ſortis recondita! Fortuna Imperium vernæ, triumphum vincto attribuet.*

Felix, orator quoque maximus, & jaculator,
Et ſi perfrixit, cantat bene. Diſtat enim, quæ
Sidera te excipiant, modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc a matre rubentem.
Si FORTUNA volet, fies de Rhetore Conſul:
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.
Ventidius quid enim? Quid Tullius? Anne aliud quam
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.

ANNOTATIONES.

193. *Jaculator.*] Dialecticus & Sophiſta, qui norit argumenta in adverſarium jaculari atque enthymema torquere, ut eſt, Sat. 6. v. 449.

194. *Et ſi perfrixit, cantat bene.*] Etſi frigus occuparit, vel non rauceſcet, aut nihilo pejus cantabit: aut certe excuſatur facile, imo bene cantare putabitur & dicetur. Martial. Lib. 3. Epigram. 18.

Perfixiſſe tuas queſta eſt præfatio fauces.

Diſtat enim, quæ ſidera, &c.] Magni intereſt an benigna tibi naſcenti ſidera, an maligna affulſerint. Vide Sat. 6. verſ. 569. & Perſ. Sat. 5. v. 45. & ſequent.

196. *A matre rubentem.*] Totus rubet infans recens natus, ob tenuitatem cutis ac venarum.

197. *Fies de Rhetore Conſul.*] Ut contigit Ciceroni: (de quo lege Alex. ab Alex. Lib. 1. cap. 23.) & Quintiliano quoque, ut placet quibuſdam fretis auctoritate Auſonii ad Gratianum ita loquentis, & pro Conſulatu gratias agentis: *Dives Seneca, nec tamen Conſul. . . . . Quintilianum conſularia per Clementem ornamenta ſortitus, honeſtamenta nominis potius videtur quam inſignia poteſtatis habuiſſe.* Adde Frontonem Antonini præceptorem, de Conſulatu cujus ib. Auſon.

198. *De Conſule Rhetor.*] Sicut Dionyſius ille Tyrannus, de quo ſupra ad verſ. 151. hujus Satiræ. Ut Valer. Licinianus, *Exul de Senatore. Rhetor de Oratore factus*, inquit. Plin. L. 4. Ep. 11. ubi & ait ipſum Licinianum in Sicilia profitentem ita ſortem ſuam in præfatione deploraſſe: *Quos tibi, fortuna, ludos facis? Facis enim ex Profeſſoribus Senatores, ex Senatoribus Profeſſores, &c.*

199. *Ventidius, quid enim? Quid Tullius?*] Quid enimvero felices reddidit Ventidium, ac Tullium? Nonne fati vis, & benignus ſiderum aſpectus?

Ventidius.] Pub. Ventidius Baſſus humili genere in Piceno ortus, Aſculo ſubacto captus infans, & in ſinu matris vectus ante currum triumphantis Pompeii Strabonis: cum adoleviſſet rhedarius ac mulio. Deinde vero C. Cæſari notus & familiaris adeo, ut mox Tribunus Plebis & Prætor creatus ſit. Poſtea junctis cum Antonio partibus Pontificatum adeptus & Conſulatum, indignante licet ac tremente Populo Romano. Agel. Lib. 15. cap. 4. Vide Plin. Lib. 7. cap. 43. Plutarch. in Vita M. Antonii, a quo miſſus ad reprimendos Parthos Ventidius, de illis poſtea triumphum egit, (teſte etiam Plin. mox cit.) celſi vir animi & rerum magnarum cupidus. Plutarch. ibid. Alterius etiam Ventidii meminit Tacit. Lib. 12.

Tullius.] Non Cicero, ſed Servius Tullius Rex Romanorum ſextus, quem ſerva matre creatum ad Urbis Regimen evexit indoles eximia, nec obſcuritas inhibuit. Flor. Lib. 1. cap. 6. Vide Tit. Liv. Lib. 1. c. 39. & ſeq. ubi Servii Tullii natales apud Corniculum urbem captam, educatio apud Tarquinium Priſcum, augurium regni per Tanaquil, & prodigium, &c. narrantur. Eutropius ait ordinatum ab eo primo Cenſum, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat.

200. *Sidus.*] Naſcenti proſperum. Vide ſupra.

Miranda potentia fati.] Vide Cic. de Fato, &c.

201. *Servis regna dabunt.*] Ut Servio Tullio nobili quidem fœmina, captiva tamen & ancilla genito. Eutrop.

Captivis fata triumphos.] Ut Ventidio, de quo Valer. Max. L. 6. c. 9. ſic habet: *P. Ventidius ex Parthis, & per Parthos de Craſſi manibus in hoſtili ſolo miſerabiliter jacentibus triumphum duxit: & qui captivus carcerem exhorruerat, victor Capitolium felicitate celebravit. In eodem etiam illud eximium, quod eodem anno Prætor & Conſul eſt factus.* Et Plin. citat. L. 7. c. 43. *Fortuna*, inquit, *triumphare Pub. Ventidium de Parthis voluit, quidem ſolum, ſed eundem in triumpho Aſculano Cn. Pompeii Strabonis duxit puerum, &c.*

Felix

Felix ille tamen, corvo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ ſterilisque cathedræ,
Sicut Thraſymachi probat exitus, atque Secundi
Carrinatis: & hunc inopem vidiſtis, Athenæ,
Nil præter gelidas auſæ conferre cicutas.
Dii majorū umbris tenuem & ſine pondere terram,
Spiranteſque crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco. Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus: & cui non tunc

Nihilominus iſte fortunatus infrequentior eſt corvo candido. Piguit complures futilis & infructuoſi pulpiti, ut oſtendit finis Thraſymachi & Secundi Carrinatis. Atque iſtum egentem aſpexiſtis, o Athenæ, nihil dignatæ tribuere niſi frigidam cicutam. Tellurem levem & minime oneroſam & crocum fragrans, & ver in urna continuum, o Numina, date *manibus avorum, qui juſſerant magiſtrum venerandi patris dignitatem habere. Adultus jam Achilles virgam formidans canebat in Patriæ collibus: cui vero tum cachinnos,*

ANNOTATIONES.

202. *Felix ille.*] Quintiliano ſimilis, cui divitias Ars Rhetorica pepererit.

Corvo quoque rarior albo.] Proverb. ut ante Sat. 6. v. 164.

Rara avis in terris nigroque ſimillima cygno.
Cæterum corvos nonnunquam albos reperiri ex Ariſtotelis teſtimonio: unumque corvum candido nitore conſpicuum ad Alphonſum Siciliæ Regem aliquando a Britannorum Rege dono miſſum: inſuper & cornicem albam a ſe viſam, affirmat Cœlius Rhodiginus, lib. 17. cap. 11.

103. *Cathedra.*] Profeſſionis Rhetoricæ. Mart.
. . . . *Circum pulpita noſtra*
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

204. *Thraſymachi probat exitus.*] Is enim Carthaginenſis origine, apud Athenas Rhetor, preſſus inopia vel profeſſione deſtitit, vel etiam ſuſpendio periit, ut affirmant alii. Platonis & Iſocratis diſcipulus fuiſſe dicitur. Vetus Schol. Philoſtr.

Secundi Carrinatis.] Hic urgente paupertate Athenis Romam demigravit: at cum exercitationis cauſa in Tyrannos dixiſſet, ab Imperatore Caligula miſſus in exilium refertur. Dio.

205. *Athenæ.*] Hac urbe & Republica quid magis celebratum? Alter Græciæ oculus vocatur Juſtino lib. 5. Fons omnium doctrinarum, ubi ſumma dicendi vis & inventa eſt & perfecta. Cic. 1. de Orat. & pro L. Flacco, *Ab Athenis* inquit, *humanitas, doctrina, religio, fruges, Jura, leges ortæ, & in omnes terras diſtributæ putantur: de urbis vero poſitione, propter pulchritudinem, etiam inter Deos certamen fuiſſe proditum eſt, &c.* Vide Thucyd. *&c.*

206. *Gelidas auſa conferre cicutas.*] Sarcaſtice in Athenienſes, quorum Edicto Socrates hauſta cicuta interiit. Vide Perſ. Sat. 4. verſ. 2. & Annotat. ib.

207. *Majorum.*] Priſcorum nempe, tam Græcorum quam Romanorum.

Tenuem & ſine pondere terram.] Sic Veteres ſuis mortuis bene precabantur; inſcribebantque tumulo S. T. T. L. id eſt, *Sit tibi terra levis,* quaſi ut mollius quieſcerent: quibus autem erant infenſi, terram gravem optabant. Ita Sen. Hippol. ad calcem: *Iſtam* (Phædram) *terra defoſſam premat, graviſq; tellus impio capiti incubet.* Vide Perſ. Sat. 1. v. 37. & ſeq. & ib. annotata.

208. *Spiranteſque crocos.*] Croci flores odoriferi naſcantur ex eorum tumulis: vel aromata in ſepulturam illorum effundantur. De his vide Perſ. Sat. 1. v. 35. & ſeq.

Crocos.] Plin. lib. 21. cap. 6. *Herba eſt anguſto folio pene in capillamenti modum: mire vino congruit; folio florem expellit; viret bruma & colligitur. Gaudet calcari & atteri, pereundoque melius provenit.*

Urna.] Qua defunctorum cineres continentur. Vide Perſ. Sat. 7. v. 34. ad vocem, *urnæ.*

Perpetuum ver.] Naſcentibus ibi floribus, ut mox notatum.

209. *Qui præceptores ſancti, &c.*] Quintil. Lib. 2. cap. 9. *Diſcipulos id unum moneo,* inquit, *ut præceptores ſuos non minus quam ipſa ſtudia ament, & parentes eſſe non quidem corporum, ſed mentium credant.*

210. *Metuens virgæ.*] Diſciplinæ ſubditus. Ovidius:

Qui toties ſocios, toties perterruit hoſtes
Dicitur annoſum pertimuiſſe ſenem.
Quas Hector ſenſurus erat, poſcente Magiſtro,
Verberibus juſſas præbuit ille manus.

211. *Cantabat.*] Diſcebat canere fidibus, ac cithara ludere.

Patriis in montibus.] In Pelio Theſſaliæ monte, ubi educatus Achiles & inſtitutus a Chirone.

Cui non tunc.] Vel ſine interrogatione legitur & refertur ad Achillem, qui jam grandior non contemnebat magiſtri præcepta. Vel cum interroganti, hoc ſenſu: cui vero riſum non moviſſet præceptor Centaurus, equus ab umbilico & inferiori corpore, ac proinde caudatus? ex fabula.

Eliceret

non moveret cauda præceptoris Cithariſta? At Ruffum & cæteros verberant ſui quemque adoleſcentes; Ruffum qui tam ſæpe vocavit Ciceronem Allobroga. Ecquis in *ſinum Enceladi & eruditi Palæmonis* tantum *ingerit, quantum digna eſt opera Grammatiſta? Ac nihilominus ex eo, quantulum eſt (inferius vero eſt quam Rhetoris pecunia) Acœnitus ipſe pædagogus arrodit, reſcindit etiam ſibi diſpenſator. Concede, Palæmon,*

Eliceret riſum citharœdi cauda magiſtri?
Sed Ruffum atque alios cædit ſua quæque juventus:
Ruffum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert
Quantum Grammaticus meruit labor? Et tamen ex hoc, 216
Quodcumque eſt (minus eſt autem, quam rhetoris æra)
Diſcipuli cuſtos præmordet Acœnitus ipſe,
Et qui diſpenſat frangit ſibi. Cede, Palæmon,

ANNOTATIONES.

212. *Citharœdi cauda magiſtri.*] Chironis, de quo jam Sat. 3. ver. 205. & Horat. Epod. 13.

Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno.

213. *Sed Ruffum, &c.*] At nunc præceptorem minores diſcipuli & derident, & cædunt ſine ullo pudore.

214. *Ruffum qui.*] *Ruffum*, inquam, excellentem licet Rhetorem, & Ciceronis æmulum, Gallum natione, valde quidem diſeitum. Vet. Schol.

Qui toties Ciceronem, &c.] Legunt alii: *Quem toties Ciceronem, &c.* & ſic explicant: quem Ruffum juventus, id eſt, ſui diſcipuli per contemptum vocant Ciceronem Allobroga: alii vero ſic: *Qui*, id e.t, Ruffus tantum ſibi arrogat, ut ſe præferat Ciceroni, ejus errores [illegible]et, & hominem eloquentiæ Gallicæ & Barbaræ appellet. Neque id inauditum. Nam ut eſt in Dialog. de Orat. apud Tacit. *Satis conſtat nec Ciceroni quidem obtrectatores defuiſſe, quibus inflatus & tumens, nec ſatis preſſus, ſupra modum exultans & ſuperfluens videretur.* Et Calvus eum dicebat *ſolutum & enervem*, Brutus, *elumbem & fractum, &c.* Vide Agellii Lib. 17. cap. 1. ubi Ciceronem vindicat. Quidam aiunt hic alludi ad hiſtoriam, nempe ad conſenſum Ciceronis cum Allobrogibus, de quo Salluſt. Bell. Catilinar.

Allobroga.] Allobroges Galliæ populi, non longe a Rhodano, hodie, Sabaudienſes, & Delphinates: Metropolim habebant Viennam.

215. *Quis gremio Enceladi.*] Jam de Grammaticis denique: Quis peritis licet iis & excellentibus dignam pendit mercedem?

Gremio.] In gremium ſedentis ac docentis.

Enceladi.] Is Grammaticus, ut & Palæmon.

Palæmonis.] De eo jam Sat. 6. v. 452.

216. *Grammaticus.*] Is ſane magnus, & multa complectitur incommoda, ſeu ſpecies rerum legendarum, ſeu intelligendarum multitudinem, ſeu denique diſcipulos juvenes. Quanta ſit tertia hæc moleſtia dictum eſt ubi de Rhetoribus v. 150. & ſeq. quanquam & major eſt in Grammaticis, ob rudiores diſcipulorum animos. At inſuper duplex iis labor; alter quod legiſſe hiſtorias, auctoreſque omnes, eoſque noſſe tanquam ungues ac digitos ſuos, ut mox ait Juvenalis; alter, quod oportet Scriptorum ſenſum diligenter inveſtigaſſe, locoſque, vel difficillimos penitus excuſſiſſe. In hoc vero quam improba ſit opera & patientia, nemo neſcit: quandoquidem ipſi ſeſe incaſſum non raro diſcrutient, ac diu torqueant. Teſtis unus ſit Virgilius quodam loco ſe crucem fixiſſe Grammaticis ingenue pariter ac lepide confeſſus. Vid. Petr. Crinit. L. 3. hon. Diſcip. cap. 8. ut non abs re Athenæus dicat lib. 15. c. 1. *Grammaticis nihil eſſe ſtultius*: nolim ego addere, quod ille ibid. *exceptis Medicis, εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν οὐδὲ ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν μωρότερον.* Vide Quintil. lib. 1. cap. 4. Agell. lib. 14. cap. 5, &c.

Ex hoc.] E tantula tamen iſta mercede Grammaticis attributa, ſunt qui deradant ac ſurripiant.

217. *Æra.*] Salarium, merces.

218. *Acœnitus.*] Legunt quidam *Acœnetus*. Nomen eſt vel proprium, vel a Poëta fictum ab ἀ privativo & κοινὸς, vel κοινῶτος, fortaſſe ad indicandum hominem privatæ ſuæ utilitati nimium, communi parum ſtudentem.

219. *Qui diſpenſat.*] Oeconomus.

Frangit ſibi.] Inde ſubtrahit quod ſibi perperam attribuat.

Cede, Palæmon.] O Grammaticorum arrogantiſſime, cede tamen jure tuo, & aliquid ſponte deperde, ne totum tibi pereat.

Et

Et patere inde aliquid decreſcere; non aliter, quàm
Inſtitor hybernæ tegetis, niveique cadurci:
Dummodò non pereat, mediæ quòd noctis ab hora
Sediſti, qua nemo faber, qua nemo ſedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro:
Dummodò non pereat totidem olfeciſſe lucernas,
Quot ſtabánt pueri, cùm totus decolor eſſet
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione Tribuni
Non egeat. Sed vos ſævas imponite leges,
Ut præceptori verborum regula conſtet;
Ut legat hiſtorias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues digitoſq; ſuos, ut forte rogatus

& ſine quidpiam ex eo diminui (haud ſecùs ac negotiator hyemalis lodicis, atq; albæ culcitræ) ut ne perdas quod ſediſti à tempore mediæ noctis, quo nullus opifex, quo nullus ſedebat, qui monſtrat lanam trahere ferro curvato: ut ne perdas quòd tot lampades odoratus es, quot aſſiſtebant adoleſcentuli, quando univerſus Horatius erat decoloratus, atque fuligo adhærebat atro Virgilio. Infrequens eſt nihilominùs penſio, quæ Tribuni judicio non indigeat. At vos duras conditiones indicite; ut magiſter vocabulorum normam teneat, ut evolvat hiſtorias, cunctos ſcriptores perſpectos habeat, velut ungues ac digitos ſuos; ut fortaſſe interrogatus,

ANNOTATIONES.

220. *Non aliter, quam.* &c.] Sicut inſtitor de indicto majori pretio nonnihil remittit, ut merces vendat, ac cito diſtrahat.

221. *Cadurci.*] Plin. lib. 19. cap. 1. *In culcitris* (e lino) *præcipuam gloriam Cadurci obtinent Gallorum hoc, & tomenta pariter inventum.* Porro *Cadurci* Aquitaniæ ſunt populi. Vernacule *le Quercy.*

222. *Dummodo non pereat.*] Ne vanus omnino ſit tuus labor tam gravis & moleſtus, nempe quod, &c.

Media quod noctis ab hora.] Quod dum fabri & artifices quieſcunt, tu cogeris in ludo eſſe, & Scholam aperire, teque, ut fit, defatigare. Porro, quod ipſa nocte ſcholæ & ludi frequentari ſolerent, teſtatur vetus Schol. & indicat Martial. lib. 9. Epigram. 70.

Quid tibi nobiſcum ludi ſcelerate magiſter,
Inviſum pueris virginibuſque caput?
Nondum criſtati rupere ſilentia Galli:
Murmure jam ſævo, verberibuſque tonas,
&c.

223. *Sediſti.*] Vel dictanda meditans, vel potius in ſchola meditata præcipiens, tradens lectiones, penſa exigens.

Sedebat.] In officinis laborans reſidebat.

224. *Qui docet obliquo*, &c.] Lanarum carminator.

Obliquo lanam deducere ferro.] Hamis ferreis oblique in tabula defixis, per quos deducta lana attenuatur.

225. *Olfeciſſe lucernas.*] Gravem tot lychnorum fumum & odorem pertuliſſe, quot diſcipuli aderant in ludo, in eam nocte convenientes, ut mox notatum eſt.

226. *Decolor Flaccus.*] Horatii codex & Virgilii, puerorum manibus attritus, maculatus, deformis, deturpatus uſu & contrectatione continua.

Fuligo.] Multiplici tot e lampadibus vapore & fumo creata.

227. *Maroni.*] Codici Virgiliano. Ex quo patet ipſis Romanis ſtudioſe legi ſolitos, cum nunc Poëtarum Romanorum Principem, tum Vatem Venuſinum, Lyricorum delicias, quem ut terſum imprimis ac purum & ad notandos hominum mores præcipuum, commendat Quintil. lib. 10. c. 1.

228. *Rara tamen merces*, &c.] Sed nec ſine lite mercedem obtinent Grammatici. Jure eſt agendum adverſus Romanos, ut ſolvant.

Tribuni.] Ærarii nempe, qui jus habebat cognoſcendi & judicandi de levioribus cauſis. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. c. 24.

229. *Sed vos ſævas imponite leges.*] Quamvis autem adeo parce & improbe magiſtris mercedem exſolvatis, o Romani; iis nihilominus ſeveras leges imponite, ut & perfectam eruditionem, & liberorum veſtrorum ſummam habeant curam.

230. *Verborum regula conſtet.*] Nota ſit verborum vis & analogia, &c. ut ſermo adſit purus.

231. *Legat hiſtorias*, &c.] Deinde, ut multiplex adſit eruditio, *non ſatis eſt Poëtas legiſſe, excutiendum omne ſcriptorum genus, non propter hiſtorias modò, ſed & verba, quæ frequenter jus ab auctoribus ſumunt*, ut ait Quintilianus lib. 1. cap. 4. additque, *ſola Grammatica omni ſtudiorum genere plus habet operis quam oſtentationis.*

232. *Tanquam ungues*, &c.] Vulgaris locutio & Proverbium.

Dum

Digitized by Google

dum Thermas adit, vel Phœbi balnea, commemoret altricem Anchiſæ, appellationem & natale ſolum novercæ Anchemoli, referat quot annos Aceſtes in vivis fuerit, quot vini cados Siculus iſte Rex *Phrygibus dederit. Poſtulate ut mollem indolem formet, quaſi pollice, quemadmodum ſi aliquis faciem cerâ effingat. Poſtulate ut ſe gerat parentem ipſius turmæ, ne fœda colludant,* * * * * * *Grave eſt ſpeculari manus tot juvenum & oculos ſub finem tremulos. Iſta exequere, ait, & quando ſe annus volverit, ſume aurum quod victori depoſcit populus.*

Dum petit aut Thermas aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen patriamque novercæ
Archemori; dicat quot Aceſtes vixerit annos.
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut ſi quis cera vultum facit: exigite ut ſit
Et pater ipſius cœtûs, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. Non eſt leve tot puerorum
Obſervare manus, oculoſque in fine trementes.
Hæc, inquit, cures; & cùm ſe verterit annus,
Accipe victori populus quod poſtulat aurum.

ANNOTATIONES.

233. *Thermas.*] A θέρω *calefacio*, & θερμὸς *calidus*. *Thermæ* dicuntur loca vel aquis natura ferventibus, vel arte & igne calentia, ad lavandum ac ſudandum apta & ſalubria. Hæc deſcribit egregie Auſon. in Moſella. Ob ejuſmodi Thermas celebratæ olim Baiæ, Puteoli, &c. Hinc etiamnum frequentata tot variis in regionibus loca. Vide Plin. Lib. 31. cap. 2, &c.

Phœbi balnea.] Hunc aiunt fuiſſe balneatorem quemdam ita nominatum. Vetus Schol. ſic habet: *Privata ſunt balnea, quæ Daphnes appellantur.* Sunt & qui *Phœbi balnea*, interpretantur, rivos, ſtagna, flumina Phœbo ſeu Sole calefacta.

Dicat nutricem Anchiſæ, &c.] Quæ fuerit, Anchiſæ nutrix, de qua nihil certum, etſi *Tiſiphone* vocatur a vet. Schol. Gaudebant Romani vexare Grammaticos ejuſmodi vanis quæſtionibus ac nugis, quas explodit Seneca Epiſt. 88. Vide Tib. cap. 56. apud Sueton.

234. *Anchiſæ.*] Patris Æneæ.

Nomen patriamque novercæ Archemori.] Caſperiam appellat Servius in 10. Æneid. At ejus patria ignoratur.

235. *Archemori.*] Vel *Anchemoli*, de quo Æneid. 10.

Aceſtes.] Siciliæ rex, quem ſeniorem Virgilius ait Æneid. 5.

236. *Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.*] Quot vini cados dederit Æneæ & ſociis abeuntibus: ſcribente Virg. Æneid. 1.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes, &c.

237. *Mores teneros.*] Horat. ad Piſon. v. 163. de juvenum indole & animo ſic loquitur:

Cereus in vitium flecti, &c.

Pollice ducat.] Metaphora a figulis, qui pollice vaſa fingunt ad arbitrium, & quam voluerunt formam dant. Perſ. Sat. 5. v. 40.

Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.

239. *Pater ipſius cœtûs.*] Præceptor ante omnia ſumat parentis erga diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere ſe in eorum locum a quibus ſibi liberi tradantur, exiſtimet. Quintil. lib. 2. cap. 2.

Ne turpia ludant.] Caveat ne defluant ad libidines. Hic nonnulla prætermitto, quædam non explico, pudoris gratia.

242. *Hæc, inquit cures.*] Tria nempe, ut purus ſermo, ut multarum rerum notitia, ut honeſti mores ſint in diſcipulis tuis, liberis meis, inquit magiſtro pater.

Cum ſe verterit annus.] Anno finito, menſe Martio (qui primus apud Romanos) redeunte, mercedem exolvam. Vide Macrob. Lib. 1. Saturn. cap. 12. ubi ſcribit ea quæ notamus hic.

243. *Accipe victori populus quod poſtulat aurum.*] Quantum populus Romanus in Ludis Scenicis jubebat victoribus dari a Ludorum Præfecto, ſeu Prætore vel Tribuno ſpectacula exhibente; *quinque* ſcilicet *aureos*, quæ ſtata merces erat, *nec licebat ampliùs dare.* In vet. Schol. Sueton. Claud. cap. 21. refert Imperatorem oblatos victoribus aureos prolata ſiniſtra pariter cum vulgo, voce digitiſque in Theatro numeraſſe. Videtur etiam intelligi poſſe de aureis quos erogari jubebat populus aurigis victoribus in circo. Martial. lib. 10. Epig. 74.

Cum Scorpus una quindecim graves hora
Ferventis auri victor auferat ſaccos.

Dum ergo ille auriga ſaccos auro graves hora una lucratur, miſer Grammaticus uno anno vix pauxillum quid obtinet. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 24.

SATIRA

Digitized by Google

SATIRA VIII.

STEMMATA quid faciunt? Quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humeroque minorem
Corvinum, & Galbam oculis naſoq; carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci

INTERPRETATIO.

QUid ſtemmata conferunt? O Pontice, quid juvat prolixâ ſtirpe numerari, atque oſtentare avorum facies adumbratas, & Æmilianos in curribus ſtantes, & Curios jam medios, & Corvinum ſcapulâ diminutum, & Galbam non habentem nares atque aures? Ecquod emolumentum eſt, *amplâ familia tabellâ oſtentare*

ANNOTATIONES.

1. *STemmata quid faciunt.*] Eleganter invehitur in Ponticum, & ejus ſimiles, qui antiquum & illuſtre genus oſtentant, ipſi nulla virtute clari, imo ſæpe vitiis turpes.

Stemmata.] Gradus & ordines cognationum ramis quibuſdam diſtincti. Vide Perſ. Sat. 3. v. 28. & ibid. annot.

Quid faciunt.] Senec. Epiſt. 45. *Nobilem non facit atrium plenum fumoſis imaginibus: animus facit nobilem, &c.* Et 3. de Benef. cap. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant: noti magis quam nobiles ſunt.*

Quid prodeſt.] Cicero (ſeu quivis alius) in Salluſt. *Satius eſt me meis rebus geſtis florere, quam majorum opinione niti, atque ita vivere, ut ſim ego poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.* Ovid. Metamorph. 13.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Longo ſanguine cenſeri.] Vetuſta origine, & longa retro ſerie majorum.

2. *Pictoſque oſtendere vultus majorum.*] Romanus proprie mos collocandi in tabulariis per atria majorum imagines: atque ex iis nobilitas æſtimata; inquit Lipſius Comment. in Senecam. Idem. Elect. 1. cap. 29. de iſto more plurima conſcribit. *Nobiles*, inquit, *ii ſoli cenſebantur, quorum majores Magiſtratum ceperant, quique jus habebant imaginis ponendæ.* Hæc humerorum tenus erat effigies, non totius corporis, ſed capitis ac vultus: e cera non ex ære. Ordine collocabantur in ligneis thecis, ſive *armariis*, ut vocat Plinius lib. 35. cap. 2. diebus ſolum feſtis aperiebantur thecæ illæ. In funeribus deferri ſolebant. Si quis turpi quodam crimine damnatus eſſet, ejus imago non ferebatur in exequiis, imo frangebatur. Hæc & alia Lipſius erudite congerit, & probat loco citato. Vide & Turneb. lib. 26. cap. 3.

3. *Stantes in curribus Æmilianos.*] Statuas triumphales.

Æmilianos.] Æmilium Paulum Macedonicum, ejus qui ad Cannas cecidit filium, qui de Liguribus triumphavit Conſul; item poſtea de Perſe Macedonum rege. Triumphali veſte Ludos ſpectandi jus ipſi conceſſum a Populo & Senatu. Cæterum vir fuit ſummæ continentiæ & probitatis. Vel intellige filium hujus Pub. Scipionem Æmilianum, qui etiam Perſen devicit, Carthaginem ſex menſibus delevit, Numantiam ad deditionem compulit, &c. Aurel. Victor.

4. *Curios.*] De his Sat. 2. v. 3.

Dimidios.] Media ſui parte mutilatas Imagines temporis edacitate, ac vetuſtate: aliam ſine humeris, aliam ſine auribus & naſo, &c.

Humeroque minorem Corvinum.] Alii codices, *Humeroſque.* Cæterum ſecutus ſum hanc lectionem, ne bis idem dicatur: legunt enim plures, *naſumque minorem Corvini.* Atqui ſequitur mox *Galbam auriculis naſoque carentem.*

5. *Corvinum.*] M. Valerius Tribunus militum, ope corvi, de ingenti Gallo provocatore victoriam retulit, hinc *Corvini* cognomen adeptus. Vide Tit. Liv. lib. 7. cap. 26.

Galbam.] Ser. Sulpitius *Galba* Neroni ſucceſſit, Imperator in atrio ſtemma propoſuit, quo paternam originem ad Jovem referebat. Sueton. Galb. cap. 2.

6. *Generis tabula.*] Tabula genealogica deſignare quam multi Dictatores & equitum Magiſtri in ea gente fuerint.

Corvinum, poſthac multâ deducere virgâ
Fumoſos Equitum cum Dictatore Magiſtros,
Si coram Lepidis malè vivitur? Effigies quo
Tot bellatorum, ſi luditur alea pernox,
Ante Numantinos? Si dormire incipis ortu
Luciferi, quò ſigna duces & caſtra movebant?
Cur Allobrogicis & magnâ gaudeat arâ

Corvinum, ac deinde multiplici ramo derivare Magiſtros Equitum fumo obſitos *cum Dictatore, ſi vita ducitur improbe in conſpectu Lepidorum? Quorſum imagines tot Ducum, ſi per* totam *noctem luditur aleâ, coram Numantinis? Si ſomnum auſpicaris ſurgente Phoſphoro, quando bellatores agitabant vexilla, & caſtra? Quare Fabius Herculis in domo genitus fruatur Allobrogicis,*

ANNOTATIONES.

7. *Deducere.*] Sunt qui legant, *contingere.* Alii verſum hunc omnino rejiciunt; alii etiam præcedentem ac ſequentem; ſed perperam: ut docet Juſt. Liſp. Epiſtol. quæſt. lib. 4. epiſt. 15.

Virga.] Multis ramis e ſtirpe ſeu trunco deductis & prodeuntibus, in ſtemmate, ſeu conſanguinitatis, ut vocant, arbore. Vel, radio, quo oſtenduntur ſummi quique viri in eodem ſtemmate. Alii reſpiciunt ad virgas & faſces Dictatori ſolitas præferri: ſed non placet ea interpretatio.

8. *Fumoſos.*] Legunt alii, *famoſos*, minus bene, ut videtur, Cic. in Piſonem. *Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil, præter colorem.* Porro in atriis erat culina & ignis; hinc atria, quaſi atra fumo & fuligine: hinc & fumoſæ imagines; ut obſervat Servius. Vide Sigon. c. 20. l. 2. de antiq. Jur. Civil. Rom.

Equitum cum Dictatore Magiſtros.] Dictatori ſemper aderat Magiſter Equitum, & ab eo ſtatim creato dicebatur. Teſtis Livius paſſim. Equitum Magiſter dictus, quod jus ſummum in Equites & Accenſos haberet: ſicut & Populi Magiſter Dictator appellatus eſt, quod ſummam in omnes poteſtatem obtineret. Auctor eſt Varro 4 de Ling. Lat. Vide Alex. ab Alex. l. 1. c. 6. Nos alibi plura de Dictatoris auctoritate.

9. *Coram Lepidis.*] Coram imaginibus tot virorum, qui probi fuerunt ac vere nobiles. *Æmilius Lepidus puer etiam tum progreſſus in aciem, hoſtem interemit, civem ſervavit: cujus tam memorabilis operis index eſt in Capitolio ſtatua bullata, & incincta prætexta S. C. poſita illi, qui jam virtuti maturus, honori tempeſtivus,* &c. quæ habet Valer. Max. lib. 3. c. 1.

Male vivitur.] *Nonnullis ſolet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis.* Greg. Dial.

10. *Alea.*] Vide Annot. ad Perſ. Sat. 5. v. 57.

11. *Ante Numantinos.*] Ante imagines Numantinorum. P. Scipio Æmilianus (de quo paulo ante) Numantiam in Hiſpania civitatem valde bellicoſam, correcta prius militum diſciplina, fame vicit. Hinc Numantius dictus. Aurel. Vict. Vide Flor. lib. 2. cap. 18. de Numantio Bello.

Si dormire incipis, &c.] Si poſtquam in epulis & alea noctem egiſti, mane dormis tum cum majores illi tui quos jactas, vigilabant potiſſimum pro Republica, & in hoſtes progrediebantur.

Ortu Luciferi.] Sunt qui veſperum intelligi pertinaciter contendant, eo quod tunc etiam caſtra moverint Duces. Sed apage. Mane potius deſignari, & contextus & Luciferi nomen probant; & viri graves cenſent.

12. *Luciferi.*] Hæc eſt Veneris ſtella, quæ poſt occaſum Solis apparet ſtatim, tuncque Heſperus, & Veſper apud Virgilium & alios, apud Plautum Veſperugo dicitur: ante ortum vero, et ſub auroram Phoſphorus, & Lucifer vocatur. Unde Virgil. Eclog. 8.

Naſcere præque diem veniens age Lucifer almum.

Plin. lib. 2. cap. 8. ſic ait. *Infra Solem ambit ingens ſidus appellatum Veneris, alterno meatu vagum ipſiſque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præveniens quippe, & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit: ut Sol alter, diem maturans. Contra ab occaſu refulgens, nuncupatur Veſper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens, &c.*

13. *Cur Allobrogicis, &c.*] Cur majorem gloriam oſtentat qui eſt inglorius, cur virtutes qui vitioſus?

Allobrogicis.] *Gallicis poſſeſſionibus, aut titulis victoriarum:* inquit vetus Schol. Allobrogibus devictis: nam Fabius Max. *Gallica victoria cognomen Allobrogici ſibimet ac poſteris peperit:* ut ait Valer. Max. lib. 6. cap. 9.

Allobrogicis.] De his populis vide Sat. 7. ad v. 214.

Magna audeat ara.] Prope Circum Flaminum erecta in honorem Herculis, a quo ferunt ortam Fabiam Gentem, quæ & habeat Sacra Herculis hæreditaria. Vet. Schol. Tit. Liv. l. 1. c. 7. Plut. in Fab. Macrob. 3. c. 6. &c. Ovid. Faſtor. 1.

Conſtituitque ſibi, quæ maxima dicitur, aram.

Magna gaudeat ara.] Senec. de Benef. 4. c. 30. ſic habet: *Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria: & eſſe plures bonos juvat, ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat. Ciceronem filium quæ res Conſulem fecit, niſi pater?——Quid nuper Fabium Perſicum, cujus oſculum etiam impudici vitabant, Sacerdotem non in uno collegio fecit; niſi Verrucoſi & Allobrogici, & illi trecenti, qui hoſtium incurſioni pro Republica unam domum objecerant? Hoc debemus virtutibus, ut non præſentes ſolum illas, ſed etiam ablatas e conſpectu colamus, &c.*

Natus in Herculeo Fabius Lare? Si cupidus, ſi
Vanus, & Euganeâ quamtumvis mollior agnâ:
Si tenerum attritus Catinenſi pumice lumbum
Squallentes traducit avos: emptorque veneni
Frangendâ miſeram funeſtat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, NOBILITAS ſola eſt atque unica virtus.
Paulus, vel Coſſus, vel Druſus moribus eſto:

ingentique altari, ſi avarus, ſi inanis, atque delicatior licet oviculâ Euganeâ; ſi lumbos molles frictus pumice Catanenſi dehoneſtat majores ſqualidos, ac toxici mercator infelicem ſtirpem contaminat effigie rumpendâ? Quamvis antiquæ imagines *ceræ undequaque decorent omne veſtibulum, nobilitas una eſt duntaxat virtus: Sis indole Paulus, aut Coſſus, aut Druſus:*

ANNOTATIONES.

14. *Natus in Herculio Fabius lare?*] Degener aliquis a familiæ ſuæ gloria: qualis Fabius ille cognomento Perſicus, Q. Fabii Max. Allobrogici filius, cujus flagitioſos mores notat Valer. Max. l. 3. c. 5. & Senec. de Benef. l. 2. c. 21. ubi Græcinum Julium, virum egregium laudat, quod pecuniam a Fabio Perſico miſſam repudiaſſet, dicens, nolle ſe ab eo beneficium accipere, a quo propinationem accepturus non erat. Quem in locum Juſt. Lipſius ita ſcribit: *Is Paulus Fabius Conſul fuit ſub Tiberio, anno 786. Quare Perſicus? A Rege Perſe, opinor, memoria victoriæ ejus ab Æmilio Paulo partæ: e qua gente hic fuit, etſi majores adoptione tranſlati in Fabiam. Clarus igitur, ſed o fœdus!*

Herculeo.] De Hercule multa Diodorus Siculus lib. 5. cap. 2. Tit. Liv. l. 1. c. 7. cit.

Lare.] *Lares* Dii familiares & domeſt. qui & Penates, quoniam in interioribus ædibus colebantur, ſæpe uſurpantur pro ipſa domo. Laræ Nymphæ & Mercurii dicuntur filii. Ovid. Faſt. 2. Plato dicebat homines qui probi fuiſſent, poſt mortem Lares fieri, qui vero improbi & nequam, Lemures.

15. *Euganea.*] Tit. Liv. initio l. 1. Euganeos inter mare Alpeſque poſitos eſſe affirmat, et ab Henetis pulſos, Plin. l. 3. c. 20. Graiarum Alpium incolas dicit, præſtanteſque genere Euganeos, inde tracto nomine. Capite vero præcedenti eorum Metropolim Veronam ſtatuit. Hic ponuntur Euganei pro Altinis & Paravinis affinibus, quorum lana & oves laudantur cum apud Martial. lib. 14. Epigr. 155. tum apud alios.

16. *Si tenerum attritus, &c.*] Si libidinoſus & infamis fuerit.

Attritus Catinenſi pumice lumbum.] Ex more impudicorum quorundam & effœminatorum, qui pumice lumbos depilabant ac lævigabant: ut cætera non dicam paulo turpiora.

Catinenſi.] Catana ſive Catina urbs eſt Siciliæ vicini Ætnæ montis ignes & lapides evomentis eructationibus obnoxia: non parvam inde vaſtitatem paſſa anno 1669.

Pumice.] *Pumex* lapis ſpongioſus, aridus, incendio excoctus, candens, minime ponderoſus, utilis ad lævigandum; atque ut habet Plinius, l. 39. c. 21. *In uſu corporum lævigandorum fœminis jam quidem & viris.* Turneb. lib. 7. cap. 20. vult hic notari, Catanenſes velut addictos huic mollitiei, quod ſe glabros pumice redderent.

17. *Sqallentes.*] Vel deformatos ac ſordidos vetuſtate, vel ex more bellatorum ac fortium virorum, cultum corporis negligentes.

Traducit.] Dedecorat, & probro exponit. Solebant noxii per forum & amphitheatrum Romæ traduci, appenſa collo ferentes elogia, ſeu inſcriptiones criminum, & ſuæ damnationis cauſas: Teſtis Sueton. Tib. cap. 8, &c.

Emptorque veneni.] Veneficus infami hæc arte notus.

18. *Frangenda.*] Frangi digna. Jam ſupra notavi ex Lipſio, dejici, frangi, ac deleri conſueviſſe eorum imagines, qui degeneraſſent a ſuæ gentis nobilitate, ut & rurſum indicat Juvenalis, Sat. 10. v. 58.

Funeſtat.] Quaſi funere inceſtat & polluit.

19. *Ceræ.*] Vide ſupra ad v. 2.

21. *Paulus, vel Coſſus, &c.*] Pauli, Coſſi, Druſi virtutes æmulare.

Paulus.] Paulus Æmilius fortitudine pariter ac temperantia clarus. De eo Plutarch. in ejus vita. Aurelius Victor de viris illuſtribus, &c.

Coſſus.] Aulus Cornelius Coſſus Tribunus Militum Tolumnium Veientium regem glorioſe vicit, atque opima de eo ſpolia ſecunda retulit Feretrio. Tit. Liv. lib. 4. c. 19. Florus autem lib. 4. cap. 12. *Auguſtus Cæſar*, inquit, *Getulos accolas Syrtium Coſſo duce compeſcuit, unde illi Getulici nomen.* De hoc itaque videtur potius loqui Juvenalis; addit enim mox; *Salve, Gethulice.*

Druſus.] Idem Florus citato mox loco ait, Auguſtum feras quaſdam gentes per Claudium Druſum privignum ſuum perpacaſſe, &c. At Sueton. Tiber. c. 3. magis ad rem facit, ubi ait, Druſum, duce hoſtium Druſo cominus trucidato, ſibi poſteriſque ſuis cognomen inveniſſe: item, ex Gallia Provincia retuliſſe aurum Senonibus olim in obſidione Capitiolii datum. Niſi forte placet intelligere Julium Druſum Tribunum Plebis, cujus ædes cum vicinorum oculis multis locis paterent, & opifex quidam eas ſe quinq; talentorum mercede mutaturum ſponderet. Decem dabo, inquit Druſus, ſi totam domum meam vicinis undique perſpicuam feceris, ut teſtes ſint illi quonam modo vivam, &c. quæ narrat Plutarchus in præceptis politicis, non longe ab initio.

Digitized by Google

Illam præfer imaginibus avorum tuorum: hæc præeat ipſis virgis, te Conſule. Priora mentis ornamenta debes mihi. Siquidem *verbis & actionibus dignus es æſtimari optimus & æquitatis obſervantiſſimus, cognoſco nobilem. Ave, Getulice, ſive tu Silanus:* vel *aliâ de ſtirpe qualibet advenis triumphanti patriæ civis eximius ac præcellens. Placet exclamare, quod plebs vociferatur, reperto Oſiri. Nam quis nobilem vocaverit eum, qui ſtirpe indignus, ac præſtanti ſolum titulo clarus? Pumilionem cujuſpiam appellamus Atlantem; Æthiopem cygnum; puſillam diſtortamque adoleſcentulam,*

Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Præcedant ipſas illi, te conſule, virgas.
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,
Juſtitiæque tenax factis dictiſque mereris?
Agnoſco procerem. Salve, Getulice, ſeu tu
Silanus, quocumque alio de ſanguine rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti.
Exclamere libet populus quod clamat Oſiri
Invento. Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis? Nanum cujuſdam Atlanta vocamus:
Æthiopem cygnum: parvam extortamque puellam,

ANNOTATIONES.

22. *Hos ante effigies*, &c.] Pluris æſtima bonum eſſe, quam bonis fuiſſe prognatum. Vel, illuſtrium avorum mores conſidera magis quam ſtatuas & imagines.

23. *Præcedant ipſas illi*, &c.] Probos mores præfer non tantum præclaræ origini, ſed & ſummis Magiſtratibus.

Virgas.] Faſces e virgis ac ſecuribus colligati, Conſulum inſignia, metonymicῶς pro Conſulatu ponuntur. Vide plura de his Sat. 5. ad v. 110.

24. *Prima mihi debes*, &c.] Si vis a me nobilis nuncupari, ante omnia adeoque ante bona corporis ac fortunæ, mihi debes exhibere animi bona, virtutes nempe, fortitudinem, juſtitiam, prudentiam, &c.

Sanctus haberi, &c.] Si virtutes habueris, ſane veram nobilitatem in te agnoſco.

26. *Salve, Getulice.*] Si probus es, te ſaluto venerorque perinde nobilem, ac ſi fores Getulorum domitor Coſſus, de quo ante; aut Silanus, aut alius quivis illuſtri natus genere.

Getulice.] Getuli populi ſunt inferioris Libyæ, prope Garamantas.

27. *Silanus.*] Imperatoris Claudii gener. De eo Cornel. Tacit. lib. 12. initio. Sueton. Claud. c. 27.

28. *Ovanti.*] Exultanti quod te vicem optimum nacta ſit, diu quæſitum, ac tandem inventum.

29. *Exclamare libet populus quod clamat.*] Ægyptii nimirum, invento Api bove, exclamabant, *εὑρήκαμεν συγχαίρωμεν.* Vide Sat. 6. v. 526. 533. & ſeq. & 541.

Oſiri.] Hic porro colebatur.

——Atque ſuum pubes miratur Oſirin
Barbara, Memphitem plangere docta bovem;

Eo quod, ut canere pergit. Tibull. l. 1. Eleg. 7.

Prima aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ;
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem
Hic viridem dura cedere falce comam,
&c.

30. *Generoſum.*] Senec. Epiſt. 44. *Quis ergo generoſus?* inquit, *ad virtutem bene a natura compoſitus.*

32. *Nanum cujuſdam Atlanta vocamus.*] Per antiphraſim & ironiam; & adblandientes vel illudentes cuidam potenti nanos amanti.

Nanum.] Apud Gell. lib. 19. cap. 13. *νάνους* Græci, Latini *pumiliones* vocant, parva nimis ſtatura homines, brevi atque humili corpore, paulum ſupra terram extantes. Col. Rhodig. lib. 21. cap. 24. *παρὰ τὸ ἐστερῆσθαι τῶν ἄνω* nanos dici aſſerit. *Pumilionum genus in omnibus animalibus eſt:* inquit Plinius lib. 11. c. 49.

Atlanta.] Ingentem ac robuſtum inſtar Atlantis; quem fabulantur humeris cœlos portare, eo quod de Aſtrologia ſcite, de ſphæra primus diſputavit. Virgil. Æneid. 4.

—— Maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Et alibi:

——Cœlum qui vertice fulcit.

Ovid Metamorph. 4. Fab. 17.

——Quis enim par eſſet Atlantis
Viribus?

33. *Æthiopem cygnum.*] Id eſt, hominem nigrum appellamus album, & cygni ſimilem, &c. ſcoptice, De Ethiope, vide quæ notavi ad Sat. 2. v. 23. & Sat. 6. v. 569. de Cygnis, Sat. 6. v. 164. Quibus adde quæ narrat Cœl. Rhodig. lib. 9. cap. 3. aitque, licet cantus eorum e pauciſſimis auditus, ab Æliano tamen auditum, &c.

Europen. Canibus pigris ſcabieque vetuſti
Lævibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ, 35
Nomen erit pardus, tigris, leo; ſi quid adhuc eſt,
Quod fremat in terris violentiùs. Ergo cavebis,
Et metues, ne tu ſic Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui? Tecum eſt mihi ſermo, Rubelli
Plance. Tumes alto Druſorum ſanguine, tanquam
Feceris ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſes; 41
Ut te conciperet, quæ ſanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoſo conducta ſub aggere texit.
Vos humiles, inquit, vulgi pars ultima noſtri, 44
Quorum nemo queat patriam monſtrare parentis.

Europam. Inertes canes & glabri veteri impetigine atque arida lampadis os lambentes nominabuntur pardus, tigris, leo, & ſi quipidam eſt inſuper in terris quod frendeat vehementiùs. Itaque vide ac time ne tu hoc modo Creticus vel Camerinus appelleris. *Ecquem ego reprehendi iſtis* ſermonibus? *Alloquor te, Rubelli Plance,* qui *ſuperbis excelsâ Druſorum origine, quaſi egeris ipſe quidpiam, ob quod fores illuſtris, ut te* utero *caperet qua clara eſt Iuli ſtirpe, non* verò *quæ mercenaria contexit ſub munimento ventis* expoſito. *Vos infimi ait, poſtrema plebecula noſtra portio, quorum nullus poſſit oſtendere natale ſolum patris* ſui;

ANNOTATIONES.

34. *Europen.*] Hæc Agenoris Phœnicum regis erat filia, cujus pulchritudine captus Jupiter, ut canit Ovidius Metamorph. 2. Fab. 13.

——Sceptri gravitate relicta,
Ille pater rectorque deûm, qui concutit orbem,
Induitur faciem tauri, &c.
Inde abit ulteriùs, mediique per æquora ponti
Fert prædam, &c.

Ab hac denominatam volunt aliqui eam orbis terrarum partem florentiſſimam, quam nos incolimus.

Scabieq; vetuſtâ Lævibus.] Pilis præ ſcabie decidentibus.

36. *Pardus, tigris, leo.*] Belluæ truculentiſſimæ, atque feritate innata inſignes, Plin. lib. 8. cap. 17. ſic habet: *Panthera* (cujus mas eſt pardus) *& tigris macularum varietate prope ſola beſtiarum ſpectantur. Cæteris unus ac ſuus cujuſque generis color eſt. Leonum tantum in Syria niger. Pantheris in candido breves macularum oculi.* Et capite præcedenti: *Leoni*, inquit, *præcipua generoſitas, &c.* Hinc per excellentiam Θὴρ nuncupatur abſolute ex Cœl. Rhodig. lib. 26. c. 19. Tigrin porro *tremendæ velocitatis animal* vocat Plin. cit. l. 8. cap. 18. de ferarum iſtarum indole plura quidem & mira vide citatis Plinii locis; A. Gell. lib. 5. cap. 14. Plutarch. de animantium comparatione, &c.

38. *Ne tu ſic Creticus.*] Ne tu ſic, Ironice, & nomine tenus dicare nobilis, ut canis piger & ſcabioſus vocaretur pardus, tigris, leo.

Creticus aut Camerinus.] Illuſtres Romani tum genere, cum virtutibus. Q. Metellus Creta ſubacta, *Creticus* eſt cognominatus. Publ. autem Sulpitius Camerinus cum Poſthumio & Manlio miſſus Athenas a Senatu, ad deſcribendas Solonis aliarumque civitatum leges. Tit. Liv. Plutarch. in vita Pompeii Magni, &c.

39. *His ego quem monui.*] Quem vero his reprehenſionibus peto & redarguo? inquit Satiricus. Te nempe, o Rubelli.

Rubelli Plance.] Quidam legunt, *Blande*, alii *Plaute.* Tacit. lib. 14. *Omnium ore*, inquit, *Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia.* In ſequentibus notatur ejus vanitas & ambitio, quæ tamen eum fefellit. Illic porro Lipſius non *Plautus*, ſed *Plancus* legit. Unde caſtigatiores libri hic habent *Plance.*

40. *Druſorum.*] Vide ſupra, & Sueton. in Tiber. Cornel. Tacit. Annal. &c.

42. *Ut te conciperet, quæ, &c.*] Ut naſcereris, matre nobili e gente Julia, quæ orta eſt ab Iulo Aſcanii filio: atque pari ac Nero gradu a Divo Auguſto maternam originem traheres; ut habet Cornel. Tacit. lib. 13.

43. *Non quæ ventoſo, &c.*] Non autem plebeia quædam mulier.

Ventoſo conducta ſub aggere.] Ad aggerem Tarquinii, ubi ſolebant plebeiæ mulieres telas texere. De illo aggere, vide Sat. 6. ad v. 588. Quidam legunt, *ſub aere*, id eſt ſub dio.

Conducta ſub aggere texit.] Paupercula ſuam operam texendis telis locare ſolita, ad victum mercede obtinendum.

44. *Vos humiles, &c.*] Verba ſunt Ribellii juvenis antiqua nobilitate ſuperbientis & jactabundi.

Vulgi pars ultima.] Ego indigena & Romæ natus e clara ſtirpe: at vos advenæ ac terræ filii, e parentibus aut obſcuris aut ignotis oriundi.

Aſt ego Cecropides. Vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies. Solet hic defendere cauſas
Nobilis indocti. Veniet de plebe togata
Qui Juris nodos, & legum ænigmata ſolvat.
Hic petit Euphraten juvenis, domitique Batavi
Cuſtodes aquilas, armis induſtrius: at tu
Nil niſi Cecropides, truncoque ſimillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput eſt, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generoſa putet, niſi fortia? Nempe volucrem

ego verò Cecropides. Salvus ſis, atque diuturnâ ortûs iſtius lætitiâ fruere: in *infimâ plebeculâ diſertum nihilominus Romanum reperies. Ille conſuevit agere cauſas illuſtris ignari. De populo togato prodibit qui Juris difficultates explicet, ac legum ænigmata. Iſte adoleſcens militia peritus perrexit ad Euphratem, et Aquilas obſervatrices Hollandi provicti. Tu verò nihil es præterquam Cecropida, et par Hermæ truncato. Nec enim aliâ quâpiam ſuperas differentiâ, niſi quod hic habet caput è marmore, effigies autem tua ſpirat. Loquere ad me, progenies Trojanorum, ecquis muta animantia exiſtimet nobilia, niſi* ſint *animoſa? Ita nimirùm*

ANNOTATIONES.

46. *Cecropides.*] Tam ſum ego Romæ nobilis, quam qui Athenis originem ducebat a Cecrope primo illo Athenienſium rege, atque Athenarum inſtauratore: genus enim ad Cæſarem Auguſtumque refero. Vide ſupra.

Vivas, & originis hujus, &c.] Reſpondet Rubellio Poëta: diu fruere tua nobilitate: verum ne propter eam nimis ſuperbias. Sunt enim de plebe viri, quorum geſta virtuteſque refulgeant: alii Bellatores, alii Juriſconſulti, quorum etiam opera non raro indigeant ipſi nobiles.

49. *De plebe togata.*] E viliori plebe. Vide Aſconium, & quæ nos ad Sat. 1. v. 96.

50. *Ænigmata.*] Intricatas & obſcuras Juris quæſtiones eruditorum & ſapientum interpretatione indigentes. Agell. lib. 12. cap. 6. *Ænigmata Græci*, inquit, *veteres noſtri quidam ſcrupos appellarunt.*

Solvat.] Juriſperitos ſolutores vocat Hadr. Turnebus lib. 8. cap. 19.

51. *Hic petit Euphraten.*] Hic bello ſtrenuus ad bellicas expeditiones etiam longinquas pergit, in Orientem uſque, dum tu Romæ ac domi reſides, o nobilis ignave.

Euphraten.] Quis non audivit fluvium hunc tam celebrem Meſopotamiam Babyloniamque rigantem? De eo jam ad Sat. 1. v. 104.

Domitique Batavi Cuſtodes aquilas.] It in præſidia a Romanis collocata ad continendos in officio Batavos, ne rebellent illi nuper a Domitiano ſubacti.

Batavi.] Populi ad Rhenum, quorum virtutem celebrat Cornel. Tacit. de German.

52. *Aquilas.*] Signa militaria Romanorum. Plin. lib. 10. cap. 4. *Aquilam*, inquit, *Romanis legionibus C. Marius in ſecundo Conſulatu ſuo propriè dicavit — paucis ante annis ſola in aciem portari cœpta erat: reliqua ſigna in caſtris relinquebantur*; (Lupi, Minotauri, Equi, Apri) *ea Marius in totum abdicavit, &c.* Illa porro vel aurea vel argentea Aquilæ effigies haſtæ ſuffixa erat, cujus ima pars in cuſpidem deſinebat, quo facilius in terram adigi poſſet ac ſtatui: nec movebatur niſi cum univerſus progrediebatur exercitus, Dion. l. 40. Hadr. Jun. l. 3. c. 2. Unde porro ejuſmodi ſignum Romanis placuerit? An quod Jovem ferunt eo uſum adverſus Titanas? An quod eodem Jove contra Saturnum dimicante, Aquilæ augurio tanquam felici & fortunato regni victor evaſerit? Vide & Veget. lib. 2. cap. 13. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2. &c.

53. *Nil niſi Cecropides.*] Tu domi quidem nobilis, nec eruditione, nec factis clarus, ſolum habes nominis ſplendorem. Hoc autem quid?

Truncoque ſimillimus Hermæ.] Statuæ Mercurii, capite formato, cætera rudi. Sic enimvero tu genere es illuſtris, de cætero inglorius. *Effigies illæ marmoreæ, vel æneæ, ſine manibus erant, quales videmus in circo*: vet. Schol. Binæ vel ternæ dabantur de Republica bene meritis; & ſupra fores diſponebantur. Thucyd. l. 6. Macrob. l. 1. Saturn. c. 19. pariter refert ſimulacra Mercurii pleraque fingi quadrato ſtatu, ſolo capite inſignita. Mercurius autem Græcis ἑρμῆς dictus, ſeu quod eſſet interpres & nuncius Deorum, ſeu quod facundiæ præſit ac eloquentiæ.

54. *Vincis.*] Mutilatam illam Hermæ ſeu Mercurii imaginem non alia ratione vincis, quam quod tu vivis ac ſpiras, illa autem lapis aut metallum eſt.

56. *Teucrorum proles.*] O Rubelli, oriunde quidem e Julia gente, quæ ab Iulo & Ænea Trojanis prodiit. Hi vero Teucri vocati ſunt a Teucro Dardani regis Trojæ ſocero, qui & cum genero in Troade regnavit.

57. *Quis generoſa putet, niſi fortia?*] Quis fortem equum dixerit, eo quod e fortibus ortus ſit, ſi ipſe non eſt fortis?

Sic

Sic laudamus equum, facilis cui plurima palma
Fervet, & exultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.
Sed venale pecus Corithæ, poſteritas &
Hirpini, ſi rara jugo victoria ſedit.
Nil ibi majorum reſpectus, gratia nulla
Umbrarum: dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis, tritóque trahunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam verſare nepotes.
Ergo ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod poſſim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.

æſtimamus equum perniciſſimum, cui agili multiplex ardet palma, & victoria lætatur rauco amphitheatro. Quolibet ille de agro prodit, clarus eſt, cujus illuſtris curſus præ cæteris, ac pulvis anterior in campo. At venditur Corithæ pullus, atque Hirpino genitus, ſi infrequens victoria currui inſedit. Nulla hic avorum habetur *ratio, favor nullus manium. Poſteri tardis pedibus, ac vertendæ molæ idonei, coguntur heros permutare mercede parvâ; atque plauſtra deducunt attritâ cervice. Itaque ut admiremur temetipſum, non tua; antè quidpiam exhibe, quod inurere queam inſignibus, præter laudes quas donamus ac donavimus his, à quibus habes cuncta.*

ANNOTATIONES.

58. *Facilis cui plurima palma.*] Qui velocitate ſua multas facile victorias parat in curuli certamine, in campo, in circo.

59. *Fervet.*] Seu ob fervorem curſus, ſeu ob ardorem animi actoris, ſeu denique ob inſonantes ſpectantium plauſus & acclamationes.

Rauco.] Acclamantes vociferando rauci fiunt.

Circo.] Sat. 3. ad. v. 65. & 223.

61. *Æquore.*] Ab æqualitate *æquor* appellatur, non tantum mare nullis motum ventis, ſed & agri planities. Tull. 1. de Divin. n. 93. *Ægyptii*, inquit, *et Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes.*

Pulvis.] Horat. Ode 1.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat; metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

62. *Sed venale pecus Coritha.*] Fortium equorum pulli, ſi degeneres fuerint, continuo venduntur, plauſtro trahendo adhibentur, aut verſandæ in piſtrino molæ.

Coritha.] Equæ generoſiſſimæ. Alii intelligunt gregem equorum qui alebantur ad Corithum Etruriæ oppidum & montem.

63. *Hirpini.*] Equi nobiliſſimi & victoris. Sunt etiam in Italia Hirpini montes, e quibus fluit Aufidus amnis Apuliæ. Malim de equo intelligere. Martial. lib. 3. Epigr. 62.

Hirpini veteres qui bene novit avos.

Quem locum explicans Juſtus Lipſius Centur. 3. Epiſt. 26. *Quis iſte Hirpinus*, inquit, *non e familia Rom. ne erres, (etſi ea quoque fuit) ſed equum intellige in circo nobilem et multarum palmarum. Nam ea etiam inſania, ut ſtemma et proavos equorum talium quærerent factionarii, atque inter ſe celebrarent.* Et paulo poſt, *Clariſſime lapis vetus, quem Roma olim vidi et exſcripſi. In medio vir eſt (conditor factionis Ruſſatæ) qui dextra baculum, ſiniſtra pabulum tenet: extrinſecus duo ſunt aſſilientes equi cum gemina inſcriptione; Aquilo, Nepos Aquilonis vicit* CXXX. *ſecundas tulit* LXXXVIII. *tertias tulit* XXXVII. *Altera, Hirpinus Nepos Aquilonis vicit* CXIV. *ſecundas tulit* LVI. *tertias tulit* XXXVI. *Habes itaque ipſum hic Hirpinum, atque adeo ejus avum Aquilonem.*

Si rara jugo victoria ſedit.] Si raro victor fuit trahens currum in curuli certamine.

64. *Nil ibi majorum reſpectus.*] Non attenditur quam fortes ac veloces extiterint equorum avi, ſed quam ipſi nepotes generoſi ſint & pernices, quos ſervare domini volunt; aliàs venales eos exponunt.

66. *Tritoque.*] Per jugum aſſiduum.

Epirhedia.] Plauſtra, vehicula. Quint. lib. 1. cap. 5. *Romani ſuam hanc fecere vocem*, inquit, *ex utraque aliena, ἐπὶ, Græca, et rheda. Gallica.*

67. *Segnipedes.*] Βραδύποες. At ſonipes dicitur equus valde celer.

Nepotes.] Plures codices habent, *Nepotis*; ut ſit viri nomen priſtinum Romæ celebratum habentis.

68. *Ut miremur te, &c.*] Ut te vere nobilem celebremus, potius quam laudemus tuam originem, majorum præclara geſta, quæ ſunt extra te, & alia quæ te laudabilem non faciunt, ede ipſe aliquid memoria dignum, quod majorum tuorum titulis adjungamus.

70. *Quibus omnia debes.*] De tuo nihil habens.

Ea ſufficiant ad adoleſcentem, quem nobis rumor fert arrogantem, ac tumidum, atq; repletum Nerone cognato. Etenim infrequens fera ſenſus communis in ea ſorte. At non probârim, ô Pontice, æſtimari te tuorum exiſtimatione, ita ut nihil agas ipſe ventura exiſtimationis. Infelix eſt inniti laudi alienæ, ut remotis fulcris labentia cadant culmina. Vitis in terram dejecta viduatas ulmos exoptat. Sis bellator probus, probus tutor, ipſe judex incorruptus: ac ſi vocaberis aliquando teſtis negotii ancipitis & obſcuri, quamvis jubeat Phalaris ut ſis mendax, ſuadeatque falſum jurare, adhibito æneo *tauro, grande ſcelus puta verecundia vitam anteponere, atq; vitæ gratia peſſumdare vivendi rationes,*

Hæc ſatis ad juvenem, quem nobis fama ſuperbum
Tradit, & inflatum, plenúmque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme ſenſus communis in illâ
Fortunâ. Sed te cenſeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, ſic ut nihil ipſe futuræ
Laudis agas. Miſerum eſt aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas deſiderat ulmos.
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguæ ſi quando citabere teſtis
Incertæque rei, Phalaris licèt imperet ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

ANNOTATIONES.

71. *Ad juvenem.*] Rubellium, de quo ſic Tacitus Annal. 14. *Omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia ——— Ergo permotus hic Nero compoſuit ad Plautum literas, conſuleret ſibi et turbis ſeq; prave diffamantibus ſubtraheret, eſſe illi per Aſiam avitos agros, in quibus tuta & inturbida juventa foveretur. Ita illuc cum conjuge Antiſtia, & paucis familiarium conceſſit.*

72. *Plenumq; Nerone propinquo.*] De Cæſarum propinquitate ſuperbientem. Nam Rubellius D. Auguſtum *per maternam originem pari ac Nero gradu contingebat.* Ex Tacit. Annal. 13.

Nerone.] *de quo magis debuit erubeſcere,* inquit vetus Schol. ſane quidem, ſive Tiberio Nerone, ſeu Nerone Cæſare Agrippinæ filio, utroq; horrendis moribus infami. Sueton. & ab hoc etiam amotus ipſe. Tacit. cit. mox. Annal. 14.

73. *Rarus enim ferme ſenſus. &c.*] Raro ſapiunt, qui ad magnas opes evecti.

Stultitiam patiuntur opes.

Senſus communis.] Intelligentia omnibus communis, vis & facultas animi, qua de rebus exterioribus recte ſentit & judicat: bene adminiſtrat, ac ſapienter utitur,

In illa fortuna.] Supetba, magna, divite,

74. *Te cenſeri laude tuorum.*] Non aliter cognoſci & celebrari, quam majorum gloria.

75. *Pontice.*] Ad hunc etiam redit Poeta, quem initio compellat, & præcipue ſpectat in hac Satira.

Nihil ipſe futuræ laudis agas.] Nihil agas quo posteritate lauderis.

76. *Aliorum incumbere fama.*] Pendere omnino ab exiſtimatione majorum, & nulla niti virtute ac laude propria.

77. *Ne collapſa ruant, &c.*] Subductis columnis tectum ruit, vitis ulmo ſeparata ſerpit & jacet; ſic tu humilis & abjectus exiſtimabere, ſubtracta aliena laude & fama, cui totus incumbis, perinde ac ſi tua foret.

78. *Viduas.*] Sic & ulmo maritari vitis dicitur, cum ei adjungitur, adhæret, innectitur: illique eſt amica, teſte Iſidoro, pariter & Plinio lib. 17. cap. 23. *Nobilia,* inquit, *vina nonniſi in arbuſtis gigni, longo judicatur ævo: adeo excelſitate proficitur. Hac ratione & arbores eliguntur. Prima omnium ulmus.* Et paulo poſt. *Maritare niſi validas, inimicum, enecante veloci vitium incremento —— —— Deflectenda vitis aut palmes juxta ſuam arborem; aut circa proximam cœlibem.* Ex quibus vides ulmos, & cœlibes, & maritas, & viduas ratione vineæ appellari.

79. *Eſto bonus miles.*] In omni conditione virtutem cole, capitis etiam periculo.

Tutor.] Pupillorum fidelis patronus ac defenſor.

81. *Phalaris licet imperet, &c.*] Horat. lib. 3. Od. 3.

Juſtum ac tenacem propoſiti Virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis Tyranni
Mente quatit ſolida.

Phalaris.] Tyrannus in Sicilia, de quo vide notata ad Perſ. Sat. 3. v. 39.

82. *Et admoto dictet, &c.*] Minitans dirum illud in tauro ſuo ardente ſupplicium, niſi obſequaris, & pejeres.

83. *Pudori.*] Reverentiæ & obſervantiæ quam debes virtuti atque officio tuo.

84. *Vivendi perdere cauſas.*] Veritatem, honeſtatem, juſtitiam, aliaſque virtutes, propter quas vivimus. Cic. Acad. q. aſſerit hominem *natum ad nihil eſſe aliud quam ad honeſtatem.* Part. 91. *Hominum genus ad honeſtatem natum.* Et de leg. 1. n. 28. *Nihil eſſe praſtabilius, quam plane intelligi nos ad juſtitiam natos.*

Dignus morte perit, cœnet licèt oſtrea centum
Gaurana, & Coſmi toto mergatur aheno.
Expectata diu tandem provincia cùm te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna modumque,
Pone & avaritiæ; miſerere inopum ſociorum.
Oſſa vides regum vacuis exhauſta medullis.
Reſpice quid moneant leges, quid Curia mandet;
Præmia quanta bonos maneant, quam fulmine juſto
Et Capito & Numitor ruerint, damnante ſenatu,
Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Cùm Panſa eripiat quicquid tibi Natta reliquit?

Improbus necem meritus interit: quamvis ſorbeat oſtreas centum è Gauro, ac perfundatur integro Coſmi vaſe æneo. Quando provincia dudum ſperata gubernatorem te aliquando ſuſcipiet, iracundiæ adhibe fræna & moderationem, adhibe etiam cupiditati. Miſerere pauperes ſocios. Cernis oſſa Principum exſucta medullis inanibus. Animadverte quid jura præſcribant, quid Senatus jubeat, quàm magna probis commoda reſerventur, quam æquo tonitru proſtrati ſint, Curiâ condemnante, et Capito, et Numitor, Cilicum deprædatores. Verùm quid prodeſt damnatio, quando Panſa aufert quodcumque Natta non abſtulit?

ANNOTATIONES.

85. *Dignus morte perit.*] Vitioſus quiſque mortuus eſt, non vivit. Hinc. Plin. lib. 13. cap. 3. adverſus luxurioſos ait; *Quis non merito judicet periiſſe tales?* Apocalyp. 3. *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.*

Cœnet licet oſtrea centum] Etſi laute veſcitur, atque una cœna centum oſtrea devorat.

Oſtrea.] Vide Sat. v. 142.

86. *Gaurana.*] Optima nimirum, & ad Baias & lacum Lucrinum capta, prope Gaurum Campaniæ montem. Strabo lib. 5. & Plin. lib. 3. cap. 5. *Hæc littora*, inquit, *præter cætera in toto mari, conchylio & piſce nobilitantur.*

Coſmi.] Viri luxu famoſi, unguentorum & odorum amantiſſimi. Vel Unguentarii. Martialis ejus meminit pluribus in locis.

Paſtillos Coſmi luxurioſa vorat.

Toto mergatur aheno.] Plin. cit. l. 13. c. 3. *Jam non lini tantum, ſed perfundi unguentis gaudens.*

87. *Expetata diu cum, &c.*] Cum Præfecturam obtinueris, ne populos vexes rapinis aut crudelitate. Cic. 3. de Offic. n. 21. *Detrahere aliquid alteri atq; hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor——— Nam principio tollit convictum humanum et ſocietatem.*

89. *Sociorum,*] Provincialium jam receptorum in ſocietatem populi Romani, anteactis bellis ad inopiam redactorum.

90. *Oſſa vides, &c.*] Principes ipſos regionis bonis omnibus ſpoliatos vides. Quidam hic moralem de mortuis regibus ſententiam comminiſcuntur, ſed perperam, ut videtur.

91. *Quid moneant leges.*] Quas *ad ſalutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam ac beatam conditas eſſe conſtat*, ex Cic. 2. de leg. n. 11.

Quid Curia mandet.] Ne ſcilicet improbitate tua te Romanoſque odioſos facias victis, ſed ut e contra temperantia & humanitate, ſociis amabile reddas Imperium Romanorum.

92. *Præmia quanta bonos maneant.*] Virtute inſignes Præfectos, qui honoribus cumulantur.

Fulmine juſto.] Gravi pœna, juſta ſeveritate.

93. *Et Capito et Numitor.*] Sociorum ſpoliatores graviter a Senatu mulctati.

Capito.] Coſſutianus Capito, Tigellini gener, repetundarum accuſatus a Cilicum legatis. Tacit. Annal. 16. *Is*, inquit, *præter animum ad flagitia præcipitem, inimicus Thraſeæ, quod ejus auctoritate concidiſſet, juvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.*

Numitor.] De eo jam Sat. 7. v. 74. Alii legunt, *Tutor*, ut hic intelligatur Julius ille Tutor, Trevir, qui ripæ Rheni a Vitellio Imperatore Præfectus legitur, apud Corn. Tacit. Hiſt. 4.

94. *Piratæ Cilicum.*] Quaſi prædones prædonum. Fuerunt enim Cilices, antequam a Pompeio coercerentur, piratica infames. Plutarch. in Pompeio.

Piratæ.] Ita vocantur prædones marini, a dolis & artibus, quibus per mare vagantes prædas agunt. Cœl. Rhodig. l. 11. c. 8. Ariſtoph. Schol. ait πεῖρας, dici artes & dolos; unde nuncupentur Piratæ, οἱ κατὰ θάλασσαν κακοῦργοι.

Cilicum.] Hi tenebant Aſiæ minoris regionem maritimam, Syriæ affinem. E tribus Cappa peſſimis unum faciebant, teſte Suida.

Sed quid damnatio confert.] Quid Provinciales ſpoliatos juvat damnatio ſpoliatoris, ſi vel malo Præfecto alter non melior ſuccedit, perinde rapax, quod reſiduum erat emungens; vel Conſul aut Prætor damnato ſpoliatore in ærarium publicum jubet inferri pecuniam, quam reſtitui oportebat ſpoliatis? Vide Sat. 1. v. 34. & ſeq. & v. 47. & ſeq.

95. *Panſa.*] Sumitur vel pro novo Præfecto, vel pro Conſule aut Prætore, ut dictum.

Natta.] Præfectus prior. *Natta* diſcincti, i. e. luxurioſi & nequam meminit Perſ. Sat. 3. v. 31.

Præ-

Digitized by Google

O Chærippe, intuere buccinatorem ad *tuos pannos, & modò ſile. Inſania eſt naulum amittere poſt univerſa. Non erat pridem luctus æqualis, neque ſimilis plaga detrimentorum, felicibus* tunc *ſociis, & jam ſubactis. Tum abundabant ædes integræ, magnuſque aderat pecuniæ cumulus, Pallium Laconicum, murices Coi; atque ebur Phidiæ ſpirabat, cum tabellis Parrhaſii, & ſtatuis Myronis, Polycleti etiam paſſim opus multiplex. Vix* erant *menſæ abſque Mentoris* calicibus. Illinc *Dolabella* prodiit, *illinc etiam Antonius,*

Præconem, Chærippe, tuis circumſpice pannis, 96
Jamque tace. Furor eſt poſt omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum, ſociis florentibus, & modò victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhaſii tabulis ſigniſque Myronis, 102
Phidiacum vivebat ebur, necnon Polycleti
Multus ubique labor; raræ ſine Mentore menſæ.
Inde Dolabella eſt, atque hinc Antonius, inde 105

ANNOTATIONES.

96. *Præconem, Chærippe, &c.*] O Chærippe Provincialis, quære præconem qui ſub haſta vendat tuos pannos, & reliquam ſupellectilem, ne alter prædo rapiat, neque de priori conquereris, ſine ullo fructu, imo cum nova impenſa navigando Romam, ad eum accuſandum, nihilque de ablatis recipiendo. Vel ſenſus eſt: dum vides quæ tua ſunt, vendi ac tibi perire, ſile tamen, ne quid gravius etiam patiaris ab iniquo Prætore, vel Præfecto.

97. *Furor eſt poſt omnia perdere Naulum.*] Metaphora a Navarcho, quo perditis naufragio bonis ac mercibus univerſis, etiam amittit mercedem quæ ſolvi debebat pro vectura & navigatione. Senſus eſt hic; ſtulte ageres, ſi ereptis a Præfecto bonis, novos ſumptos fruſtra faceres, e Cilicia aut alia regione longinqua Romam petendo, ubi etſi damnetur ſpoliator, non redduntur bona ſpoliatis.

Naulum.] Ναῦλον, pretium navigationis.

98. *Non idem gemitus olim, &c.*] Cum ab hoſtibus nobis ac victoribus detrimentum in bello quondam capiebant, vix erat quod quererentur, at illi modo victi, & in noſtram admiſſi ſocietatem & amicitiam certe merito queruntur, quoties vexantur a Præfectis.

Nec vulnus erat par.] Tunc enim opulentis auferebantur ſuperflua; ſed nunc egenis eripiuntur neceſſaria.

101. *Spartana chlamys.*] Purpureæ veſtes e Sparta & Inſula Co. Chlamys eſt proprie paludamentum ſeu veſtis militaris.

Spartana.] *Sparta* urbs Peloponneſi, antea Lacedæmon vocata, celebris virtute civium, & Lycurgo Legiſlatore. Ad proximum huic Tænarum Promontorium murex piſcis bene multus capiebatur, e cujus ſucco fiebat color purpureus.

Conchylia Coa.] Purpura e Conchyliis ſeu muricibus, & bombycinæ veſtes in ea Ægei maris inſula fabricatæ, & tinctæ. Vide Sat. 3. ad verſ. 81.

102. *Parrhaſii.*] Pictor ille inſignis Epheſi natus, cujus cum Zeuxide certamen, & alia quædam narrat Plin. lib. 35. cap. 9, & 10. nimirum Zeuxis fefellerat aves ad pictas uvas advolantes: at Parrhaſius ipſum fefellit Zeuxidem picto linteo, quod hic removeri non ſine riſu & pudore poſtulavit. Quintil. lib. 12. cap. 10. *Zeuxis* inquit, *luminum umbrarumque inveniſſe rationem, Parrhaſius examinaſſe ſubtilius lineas traditur ——— Molliora ſupradictis Myron fecit. Diligentia ac decor in Polycleto ſupra cæteros; Deorum tamen auctoritatem non explevit ——— Quæ Polycleto defuerunt Phidias habuit, quanquam Diis quam hominibus effingendis melior artifex, &c.*

Myronis.] Hic ſtatuarius fama notus. De ejus ex ære bucula, quam & vituli adibant, ac tauri, vide Auſon. Epig. 57. & ſeq.

103. *Phidiacum vivebat ebur.*] Erant etiam imagines ex ebore, Phidiæ manu tam artificioſe ſculptæ, ut ſpirare credideris. Martial. Lib. 3. Epigram 35.

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Piſces aſpicis: adde aquam, natabunt.

Polycleti.] Et is ingenioſus admodum fuit Statuarius. De eo vide Ælian. var. hiſtor.

104. *Mentore.*] Plin. Lib. 33. c. 11. *L. Craſſus Orator duos ſcyphos Mentoris arte cælatos ſeſtertiis centum emit.* Martial. Lib. 9. Epigr. 41.

Inſerta phialia Mentoris manu ducta
Lacerta vivit, & timetur argentum.

Et lib. 9. Epigram. 60.

Pocula Mentorea nobilitata manu.

105. *Inde Dolabella eſt, &c.*] Hæ tantæ Provincialium opes dederunt occaſionem rapinis Dolabellæ, Antonii, Verris, &c.

Dolabella.] Qui Proconſul Aſiam deprædatus eſt, accuſante vero M. Scauro fuit damnatus.

Antonius.] C. nimirum Antonius, qui a Cenſoribus ſenatu motus eſt, quod ſocios in Achaia ſpoliaſſet: accuſatus a Cæſare. Vetus Schol. Pædian. &c.

Sacrilegus

Digitized by Google

Sacrilegus Verres. Referebant navibus altis
Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.
Nunc ſociis juga pauca boum & grex parvus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello:
Ipſi deinde Lares, ſi quod ſpectabile ſignum;
Si quis in ædicula Deus unicus. Hæc etenim ſunt
Pro ſummis: nam ſunt hæc maxima. Deſpicias tu
Forſitan imbelles Rhodios, unctamque Corinthum

illinc ſacrorum violator Verres. Conditas profundis navibus exuvias reportabant, ac plurimos de otio triumphos. Jam ſociis juga boum non multa, & armentum equarum exiguum, atque gregis parens abducentur poſt ablatum agrum: Penates etiam poſteà: ſi quædam imago ſpecioſa; ſi numen aliquod reſiduum in ſacello. Enimvero putantur ea pro maximis; ea quippe habentur præcipua. Tu fortaſſe contemnas inertes Rhodios, & jure Corinthum aſperneris

ANNOTATIONES.

106. *Verres.*] Siciliæ Prætor dicam, an prædo, qui nec templis, nec ullis rebus ſacris pepercit. Cic. paſſim, tot in eum actionibus.

107. *Occulta.*] Furta ſcilicet occultantur; at acquiſita jure belli ſpolia palam oſtenduntur. Porro hic alii produci aiunt ultimam ſyllabam ob ſequentes duas conſonantes, alii legunt, *occulta & ſpolia.* Virgil.

——— ——— *Date tela, ſcandite muros.*

Plures de pace triumphos.] Hi plura de pacatis & amicis Pop. Rom. regionibus ſpolia revehebant, quam alii de rebellibus, aut de hoſtibus in bello.

109. *Pater armenti.*] Taurus, vel equus admiſſarius generando deſtinatus.

110. *Lares.*] Vide ſupra v. 14. annotat.

111. *Deus unicus.*] Simulacrum aliquod unum a præcedentibus Præfectis relictum, necdum furto ablatum.

Hæc etenim ſunt pro ſummis, &c.] Vel ſimpliciter, pauca hæc reſidua inopibus magna cenſentur. Vel, graviora hæc ſcelera gravioribus ſceleratis reſervantur. Vel ironice, hæc ſumma non pertinent ad tenues Provinciales, ſed potius ad ſummos viros, & ea proinde Romani rerum domini auferre debent.

112. *Deſpicias tu, &c.*] O Provinciæ Rector & Præfecte, impune quidem vexare poteris fractas deliciis nationes, at non ita belliсоſas.

213. *Imbelles Rhodios.*] De Inſula & urbe Rhodo multa jam notavimus, ad Sat. 6. verſ. 296. Rhodios opibus abundantes ac voluptatibus enervatos a priſtina virtute deſciviſſe, inter alios teſtatur Athenæus lib. 3. cap. 2. ubi mollitiem eorum perſtringens, ait, quamvis apud illos cautum lege ſit, ne quis radatur, violatæ legis tamen reum neminem agi, quandoquidem raduntur omnes. Et Cœl. Rhodig. lib. 19. cap. 6. *Citharœdus Stratonicus*, inquit, *Rhodios prædicabat eſſe albos Cyrenæos, & procorum civitatem, cum illos animadverteret ſpataionas & thermopotas, id eſt, fluere deliciis, & calidum bibere.* Idem lib. 29. cap. 24. Signorum ad ſeptuaginta tria millia Rhodi fuiſſe refert.

Unctamque Corinthum.] Luxui deditam, quod vitium opes ac rerum abundantium ſequi ſolet. Vrbs illa in medio fere Iſthmi Peloponneſiaci ædificata, duplici utrimque portu commoda, hinc mare Ægeum, illinc Ionium ſpectat; unde *Bimaris* vocatur Horatio lib. 1. Ode 7. & Ovid. Faſt. 4. Dives Homero, Emporium Thucydidi, decus Floro, totius Græciæ lumen Ciceroni celebratur: Quin & de Corintho Solem Neptunumque contendiſſe, fabulati ſunt. Tam felix ut ſervorum miriadas ſex & quadraginta habuerit, teſte Athenæo l. 6. cap. 20. Cæterum Corinthios variis libidinum generibus turpes vel unus Apoſtolus in ſuis ad eos Epiſtolis ſatis indicat. Adde confictum a Græcis vocabulum, *κορινθιάζεσθαι*, quod ſignificabat, *ſcortari & lenocinari.* Cœl. Rhodig. lib. 19. cap. 6. putres Corinthios appellat. Eraſm. Chiliad. 1. Cent 4. adag. 1. *non cuivis licet adire Corinthum*, ex Strab. lib. 8. & Gell. lib. 1. cap. 8. explicat de præcipiti in luxuriam civitate, deque tot ibi libidinum illecebris, quas aut ſoli vincant virtute præſtantes viri ultro oblatas; aut in quas tantos facere ſumptus non queant niſi valde opulenti. Hinc illud Demoſthenis ab Laïde deterriti, *tanti pœnitere non emo.* Vide Cœl. Rhodig. lib. 21. c. 25 & 26. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 15. Athen. lib. 13. c. 4. refert, pro graviſſimis rebus meretrices Corinthi ſupplicare Diis ſolitas; votumque ſolemne Corinthiorum fuiſſe, adducturos ſe Veneri aliquot meretrices. Ibid. cap. præced. fit mentio ſcorti illius famoſi, Laidis nempe, de qua mox. Demum, Corinthus in magnam elata potentiam ſimul & ſuperbiam, qua nec Romanæ urbi cederet, inde bellum, & e bello exicidium ſibi comparavit, anno ante Chriſtum 146. E liquefactis & confuſis in urbis incendio metallis factum eſt illud æs, quod Corinthium vocant ac mire laudant veteres. Juſtin. lib. 34. Plin. lib. 34. cap. 2. Illa tamen poſtea reſtaurata fuit.

Deſpicias

Digitized by Google

unguentis delibutam. Nam *quid agent tibi juvenes reſinâ lævigati, & glabra nationis univerſa crura? Aſpera fugienda eſt Hiſpania, axis Gallorum, atque ora Illyrii. His etiam indulge meſſoribus, qui frumento replent civitatem* lu*dis Circenſibus ac Theatralibus occupatam. Et verò quam illinc duceres mercedem noxæ tam atrocis, quandoquidem Marius paulò ante cingulum ademit Afris inopibus? Cavendum præcipuè ne grave damnum inferatur ſtrenuis ac ærumnoſis. Quamvis auferas quicquid ubicumque eſt auri & argenti, dimittes clypeum & enſem, telumque, & caſſidem. Denudatis arma reſtant.*

Deſpicias merito. Quid reſinata juventus,
Cruraque totius facient tibi lævia gentis?
Horrida vitanda eſt Hiſpania, Gallicus axis,
Illyricumque latus. Parce & meſſoribus illis,
Qui ſaturant urbem, circo, ſcenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cum tenues nuper Marius diſcinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat
Fortibus & miſeris: tollas licet omne quod uſquam eſt
Auri atque argenti; ſcutum gladiumque relinques,
Et jacula, & galeam. Spoliatis arma ſuperſunt.

ANNOTATIONES.

114. *Quid reſinata juventus.*] Ita legendum, non ut quidem male, *quid enim reſinata*, ne duæ ſyllabæ natura longæ invitis omnibus corripiantur. Quod bene monet Hadr. Turneb. lib. 13. cap. 19.

Reſinata juventus.] Per mollitiem pilos e cruribus reſina vellens. Clemens Alex. Pædag. id πιττῦν vocat, & damnat ejuſmodi cinædos vulſos & glabros. Plin. lib. 14. cap. 20. *Arborum*, inquit, *ſucco manantium picem reſinamque, alia orta in Oriente, alia in Europa ferunt .... optimam terebinthi ac tenuiſſimam fundunt .... Arabica alba eſt, acri odore: Judaica calloſior, atque odoratior: Syriaca Attici mellis ſimilitudinem habet: Cypria melleo colore, & carnoſa, omnes antecedit: Colophonia præter cæteras fulva, ſi teratur alba fit ... Reſina omnis oleo diſſolvitur, aut creta: pudetque confiteri, maximum jam honorem ejus eſſe in evellendis ab virorum corporibus pilis.*

115. *Lævia.*] Polita, glabra; ſeu reſina, ſeu ferro depilata, quod Græci vocant παρατίλλειν, detractis vulſella pilis.

116. *Horrida vitanda eſt Hiſpania.*] Vide ne laceſſas Hiſpanos, Gallos, Illyrios. Nam hi vel te conſtanter accuſarent apud Senatum, vel ipſi ſe armis ulciſcerentur.

Hiſpania.] Hanc Europæ quaſi caput occupantem armis ſemper valuiſſe omnes norunt. Uni verò Numantini Romanorum exercitus ac Duces per annos viginti fatigarunt. Hinc Cic. pro Murena duos terrores Imperii Romani Carthaginem & Numantiam vocat. Vide Flor. l. 2. c. 18.

Gallicus.] Gallorum virtus Romanis non cognita ſolum, ſed formidata jure fuit, poſt urbem direptam incenſamque, ac tantum non captam arcem Capitolinam: & poſtquam domiti ſunt, tot etiam defectiones ſub Auguſto, Tiberio, Othone, Vitellio, &c.

Gallicus axis.] Seu quod reſpectu Italiæ Galli ad axem, id eſt, Polum Arcticum & Septentrionem vergunt, ſeu quod e curribus in bello decertarent.

117. *Illyricumque latus.*] Sclavonia regio aſpera montibus, in longum porrecta, ſecundum littus Adriatici maris Italiæ adverſum: quæ pars olim Illyrici; Synecdoche. De populorum ejus ferocitate vide Flor. lib. 2. cap. 5. Legatos Romanos ſecuri percutere auſi; Præfectos navium igne etiam combuſſerunt. Deinde ſubacta vix tamen quieverunt. Flor. lib. cit. cap. 13.

Parce & meſſoribus, &c.] Afris quos mox nominat: ab his enim petebatur frumentum & annona nutriendis Romanis, Plin. lib. 5. cap. 4. in Africa proprie dicta regionem ducentorum quinquaginta millium paſſuum circuitu, laudat, fertilitatis eximiæ, cum centeſima fruge agricolis fœnus reddente terra. Porro ibidem æmula Romæ Carthago pridem, & unius Annabalis memoria terrorem habet. Ergo & his parcendum duplici nomine.

118. *Urbem, circo, ſcenæque vacantem.*] Romam ſpectaculis impenſe deditam. Vide Sat. 3. v. 223. Hic porro obſerva falſam in Romanos ironiam.

119. *Quanta autem inde feres*, &c.] Quod ſi velis ſpoliare Afros, quantula ferres ab illis jam exhauſtis ſpolia?

Culpæ.] Injuſtæ vexationis ſociorum.

120. *Marius.*] Priſcus ille, Africæ Proconſul, de quo Sat. 1. verſ. 49.

Diſcinxerit.] Abſtulerit omnia, ad zonam uſque. Vel ſpoliarit veſtimentis, atque adeo prius diſcinxerit.

Afros.] Scilicet proprie dictos, & Carthaginenſes. Vide Sat. 7. v. 149. & Sat. 10. v. 148.

122. *Fortibus, et miſeris.*] Hi enim ſi ad deſperationem adigantur, extrema tentant, & nihil non audent.

Quod

Digitized by Google

Quod modò propoſui non eſt ſententia : verùm
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi ſancta cohors comitum ; ſi nemo tribunal
Vendit acerſecomes ; ſi nullum in conjuge crimen ;
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno :
Tunc licet à Pico numeres genus : altaque ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipſumque Promethea ponas :

Quod mox enuntiavi, non eſt ſententia ; ac ſi habeto te me narrare vobis folium Sibyllæ. Si tibi eſt comitatus familiarium incorruptus ; ſi nullus intonſus venundat tribunal ; ſi nulla in uxore noxa, neque per congregationes, neque per urbes ſingulas prompta eſt currere uncis unguibus, velut *Celæno, pecuniam ablatura : tum potes originem trahere à Pico. Ac ſi tibi placent excelſa appellationes, inter avos colloca totum certamen Titanum, atque ipſum Prometheum ;*

ANNOTATIONES.

125. *Quod modo propoſui.*] De rebellaturis Afris, ac libertatem vindicantibus.

Non eſt ſententia.] Non unus hic eſt ſenſus. Vel, non eſt mea mens & opinio tantum, ſed vaticinium eſt. Vel, non eſt mea voluntas ut rebellent Afri ; vel, non eſt ſententiarum vanus ſtrepitus & fabuloſum commentum, ut cum Petronio loquar : ſeu non ſunt nuda verba : *In ſententia quippe ſolet interdum aliquid eſſe falſi, at verum eſt oraculum* ; ut ſcribit vetus Schol. Vel, quod per digreſſionem velut propoſui, non facit ad quæſtionem, ac inſtitutum de vera nobilitate diſceptationem, fateor ; at nihilo minus eſt certum, quam Sibyllæ oraculum. Nam dubio procul illi Romanorum Imperium detrectabunt, & armis ſe in libertatem aſſerent, ſi ulterius a Romanis Præfectis opprimantur.

126. *Folium recitare Sibyllæ.*] Ex annotatis Sat. 7. ad verſ. 101. Antiqui ante inventam chartam ſcribebant in foliis palmarum, pariter & Sibylla ſua reſponſa. Varro. Hinc. Virgil. Æneid. 3.

Quæcumque in foliis deſcripſit carmina virgo, &c. Et Æneid. 6.

——————*Foliis tantum ne carmina manda,*
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Sibyllæ.] Cumanæ, in cujus libris continebatur fatum imperii Romani. Vide quæ fuſe notavi, Sat. 3. v. 3.

127. *Si tibi ſancta cohors, &c.*] Si nullum admittis in familiam, aut clientelam, qui non ſit probus & ſanctis moribus.

Si nemo tribunal vendit.] Si familiarium tuorum nemo judicia, te prætore, ac favorem tuum vendit, & pacta mercede conciliat, te connivente, ſive puer in deliciis habitus, ſive uxor imperioſa & avara.

Tribunal.] Sella eſt Judicis. Meton. uſurpatur pro ſententia lata a Judice in tribunali ſedente & jus reddente.

128. *Acerſecomes.*] Ἀκερσεκόμας Dorice pro ἀκερσεκόμης, dicitur is qui comam non tondet, ab α privatio, κείρω, tondeo. & κόμη, coma, Apollinis eſt epithetum, & Bacchi. At hic puer eſt catamitus, bene comptus & capillatus, quales amabant veteres illi, & Præfecti ſecum in Provincias ducebant.

Si nullum in conjuge crimen.] Si a conjuge abſit avaritia, cupiditas.

129. *Nec per conventus.*] Juridicos nimirum, & loca judicis exercendis deſtinata, & per regiones conſtituta a te Provinciæ Rectore.

130. *Nummos raptura.*] Sub viri auctoritate a litigantibus exigens pecuniam, ſine ulla ratione & modo, inſtar Harpyæ inſatiabilis. Martial. lib. 2. Epigram. 56.

Gentibus in Libycis uxor tua, Galle, notatur
Immodica fœdo crimine avaritiæ.

Celæno.] A voce Græca Κελαινὸς, atrum & nigrum ſignificante, appellatam aiunt unam ex Harpyis. Virgil. Æneid. 3.

Una in præcelſa conſedit rupe Celæno, &c.
— — — — — — — —
Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, &c.

131. *Pico.*] Qui Saturni filius, Fauni pater fuit, ac primus Aboriginum rex & Latinorum. Virgil. Æneid. 7. Dionyſ. Halic. lib. 1.

132. *Omnem Titanida pugnam.*] Titanas omnes & Gigantas, qui Diis inferre bellum auſi, nomen ſuum tam celebre reddiderunt. Ovid. Metam. 1.

Titanida.] Appoſitum eſt : id eſt, hiſtoriam & familiam Titanum, qui pugnarunt adverſus Saturnum, ac debellarunt : deinde adverſum Jovem, a quo tandem victi vix ac ſuperati fuere. Porro Titan filius erat Cœli & Veſtæ, ut aiunt, frater Saturni natu major : ab illo geniti Titanes vocati ſunt. Vide Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 14. & 19. ac ſeq.

133. *Promethea.*] Iapeti filium, Deucalionis patrem, qui e luto hominem finxit, ignem cœlo ſurripuit ac in terras detulit. Vide Sat. 4. verſ. 133. & ſeq.

De

Digitized by Google

De quocunque voles proavum tibi ſumito libro.
Quod ſi præcipitem rapit ambitus atque libido;
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures:
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
OMNE animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
Quo mihi te ſolitum falſas ſignare tabellas
In templis, quæ fecit avus; ſtatuamque parentis
Ante triumphalem? Quo, ſi nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Damaſippus; & ipſe,
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine Conſul:

avi patrem dedat tibi e quovis libuerit codice. Si vero pronum trahit ambitio & cupiditas, ſi virgas rumpis in cruore amicorum, ſi gaudes ſecuribus fatigato carnifice obtuſis: jam tum adverſum te inſtat majorum etiam nobilitas, & lampadem accenſam portat ad turpia. Qualibet mentis labes eo graviorem in ſe noxam complectitur, quo ſublimior æſtimatur is *qui delinquit. Quorſum mihi* jactas nobilem *te, aſſuetum adulterinos codicillos obſignare in fanis quæ* tuus *avus extruxit, & coram effigie triumphali* tui *patris? Quorſum, ſi nocte mœchatus abſcondis caput obvelatum Santonico tegmine? Secundum avorum cineres & oſſa curru citato vehitur obeſus Damaſippus; ipſeque Conſul, ipſe,* inquam, *rotas cohibet multo vinculo:*

ANNOTATIONES.

134. *De quocumque voles, &c.*] Ex iis quorum nobilitas maxime celebratur in hiſtoriarum monumentis, & quibuſcunque Scriptoribus & libris; unde voles, glorioſum tibi compinge ſtemma.

136. *Si frangis virgas, &c.* Si ſummis Magiſtratibus fungens, crudelis fueris, jubendo immaniter cædi ſocios, vel etiam obtruncari; atque id frequentius.

Virgas.] Supra ad v. 23.

137. *Lictore.*] Vide Sat. 3. v. 128.

138. *Contra te ſtare.*] Degenerem te damnando & abdicando.

139. *Claramque facem præferre pudendis.*] Ut clarius innoteſcat indignitas ac turpitudo tua, & majori te pudore ſuffundat. Salluſt. Bell. Jugurth. *Majorum gloria poſteris lumen eſt, neque bona neque mala eorum in occulto patitur.*

140. *Animi vitium.*] Cicer. Parad. 3. *Pravitates animi vitia recte dicuntur.*

141. *Quanto major qui peccat.*] Sic Sapient. cap. 6. *Judicium duriſſimum his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.*

142. *Quo mihi te ſolitum, &c.*] Quo pacto, qua ratione, qua fronte nobilem te dicis, ſi ſis fraudulentus, adulter, &c. Hæc vero Satiricus ait, *κατὰ κοινȣ̃*, ut monet vetus Schol.

Falſas ſignare tabellas.] Vide Sat. 1. v. 67.

Falſas tabellas.] Suppoſitum teſtamentum, aliudve inſtrumentum falſo confictum.

143. *In templis.*] In his obſignabant, quo loci ſanctitas fidei ac religionis in negotio ſervatæ Judex & teſtis foret.

Quæ fecit avus.] Ergo tam tu nequam & impius, quam tui majores boni ac religioſi extitere.

Statuamque parentis ante triumphalem.] Quam dedecoras tuis criminibus.

144. *Quo, ſi nocturnus, &c.*] Quo etiam modo te nobilem jactas, ſi noctu vagaris ad perpetranda flagitia?

145. *Tempora Santonico velas, &c.*] Præ pudore: Nam vel impudentiſſimi flagitium patrantes abſcondant ſe, & cupiunt non agnoſci.

Santonico cucullo.] Vetus Shol. *Birro Gallico, galero fuſco*, qualem ferunt & conficiunt Santones Aquitaniæ populi in Gallia. *Bardocucullum* vocat Martialis lib. 1. Epigram. 54. & lib. 14. Epigram. 128.

Gallia Santonico veſtit te bardocucullo.

Cucullo.] Martial. lib. 5. Epigram. 14.

Cucullo proſpicit caput tectus.

146. *Præter majorum cineres, &c.*] Tranſit Satiricus ad alia nobilium vitia. Et jam culpat affectatum ab eis, Neronis exemplo, aurigandi ſtudium.

Majorum cineres.] Sepulcra juxta Flaminiam Latinamque viam frequentia. De quibus vide Sat. 1. verſ. ult.

147. *Damaſippus.*] Ficta vox e duabus Græcis, *δαμάζω domo*, & *Ἵππος equus*: in aliis codicibus pro *Damaſippo*, legitur *Lateranus*.

148. *Sufflamine.*] Eſt vinculum ſeu retinaculum, ne præcipites in deſcenſu rotæ rhedam ac jumenta abripiant & vexent. Scilicet inter rotarum radios immittitur ſufflamen, dum clivum deſcendere cœperit vehiculum.

Nocte

Nocte quidem; ſed luna videt; ſed ſidera teſtes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Cùm fuerit, clarâ Damaſippus luce flagellum
Sumet, & occurſum nuſquam trepidabit amici
Jam ſenis, ac virgâ prior innuet, atque maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea laſſis.
Intereà dum lanatas, torvumque juvencum
More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat
Hipponam, & facies olida ad præſepia pictas.
Sed cùm pervigiles placet inſtaurare popinas,
Obvius aſſiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ,
Hoſpitis affectu Dominum, regemque ſalutat,
Et cum vænali Cyane ſuccincta lagenâ.

Noctù certè; at Luna ſpectat, ſed enim aſtra in *teſtimonium advertunt lumina. Quando ſpatium magiſtratûs finem habuerit, lucente* die Damaſippus *virgam* accipiet, nec timebit *unquam incidere in familiarem jam vetulum: atque prior flagello ſignum dabit, ac reſolvet* fœni *faſciculos, & fatigatis equis hordeum proponet. Interim cùm lanigeras* oves *ac taurum petulantem ritu Numæ ad Jovis aras mactat, jurat Hipponam ac vultus adumbratos in ſtabulis fœtentibus. At quando nocturnas libet tabernas reparare, obviàm* illi *properat Syrophœnix continuò madens amomo, Syrophœnix habitans ad portam Judæam,* eumque *hoſpitis ſtudio ſalutat dominum ac regem:* occurrit *quoque Cyane præcincta, cum ampullâ* vini *vænum expoſiti.*

ANNOTATIONES.

149. *Nocte quidem.*] Dum is eſt Conſul, præ pudore ac reverentia dignitatis, non niſi clam & nocte mulionis ac rhedarii munus obit.

Luna videt.] Luna ſcilicet aliaque ſidera ſpectant indignitatem iſtam ac turpe ſtudium.

150. *Finitum tempus honoris Cùm fuerit.*] Vilem aurigandi artem reſumet, atque ut ante, affectabit ſtatim finito conſulatu; id eſt, poſt biennium: nec enim erat perpetua Romæ Magiſtratuum poteſtas. Durabat Conſulatus annos duos; Dictatura paucos interdum menſes, aut etiam dies.

151. *Flagellum.*] Ad agendos equos.

153. *Senis.*] Ob ætatem & gravitatem reverendi.

Innuet.] Salutando velut, ac ſe oſtentando aurigandi peritum.

Maniplos ſolvet.] Ad pabulum jumentis dandum, & omnia vilis agaſonis implendo officia.

156. *Numæ.*] Religioſi Imperatoris, qui & ipſe ſacra multa obibat. Vide Sat. 3. v. 12. & 138. & Tit. Liv. lib. 1. &c.

157. *Hipponam.*] Quam in primis colit, quippe equorum & aurigandi ſtudioſus, jumentorum Deam. Quidam legunt, *ſola Hippo:* contenduntalii legendum, *ſolam Eponam:* præ cæteris autem Hadr. Turneb. l. 24. c. 4. lectionem hanc aſſerit è pulverulentis, ut ait, bibliothecarum Juvenalibus; item ex Prudent. Plutarch. & Apul. Favet vet. Schol. Alii tamen malunt. *Hipponam*, tum ob vocis originem, tum quod Tertull. Apologet. Deam equorum *Hipponam* vocat. Vide Cœl. Rhodig. lib. 21. cap. 24.

Facies olida ad præſepia pictas.] Imagines Numinum jumentis propitiorum in equili appictas Apul. Metamorph. 3. ſub finem: *In medio ſtabulo Eponæ ſimulacrum, &c.*

Præſepia.] *Præſepe* ſeu *præſepium* dicitur proprie alveus, in quem jumentis affunditur hordeum, aut avena in ſtabulo.

Olida.] Ob ſtercus, fimum, odoremque jumentorum.

158. *Sed cum pervileges, &c.*] Jam nobiles inſectatur, quod popinas frequentent, & luxuriæ dent operam, ac gulæ, &c.

Cùm pervigiles placet inſtaurare popinas.] Cum vero Damaſippus, omiſſa aurigatione, repetit cauponas, in quibus die nocteque helluatur.

159. *Obvius aſſiduo, &c.*] It obviam invitans & blandimentis alliciens hominem, a quo lucrum ſperat.

Syrophœnix.] Unguentarius quidam, ita dictus a Syria & Phœnicia minoris Aſiæ regionibus, e quibus optima unguenta accerſebantur.

Amomo.] Unguento ex amomo. Vide Sat. 4. v. 108.

160. *Idumææ Syrophœnix incola portæ.*] *Idumæa* Syriæ pars erat Judææ finitima. Nomen habet ab Eſaü, qui & Edom vocatus eſt. Synedoche. Hic intelligitur Judæa Romæ porta, ſic dicta, quod per eam ingreſſi ſint Titus & Veſpaſianus, de ſubactis Judæis triumphantes.

161. *Hoſpitis affectu.*] Eo affectus, quo ſolent hoſpites invitari & excipi: crebris nimirum prenſationibus & verborum illecebris, ut ex iis quæſtus fiat.

Dominum, regemque ſalutat.] Per adulationem vocat dominum, regem, &c. Vel ex more veterum ignotos ſalutantium, ut quibuſdam placet. Martial. l. 1. Epigr. 113.

Cum te non noſſem, dominum regemq; vocabam:
Cum bene te novi, jam mihi Priſcus eris.

162. *Cyane.*] Tabernaria quæpiam: *ſuccincta*, ad expeditius miniſtrandum.

Defenſor

Digitized by Google

Noxa patronus mihi reſpondebit; Nos adoleſcentes illa etiam egimus. Concedo. Nimirùm ceſſaſti: neque prætereà culpam retinuiſti. Breviter duret quod fœdè moliris. Nonnulli errores debent *reſcindi cum primâ barbâ. Indulgentiam da juvenibus.* At *Damaſippus ad ea thermarum pocula, & inſcripta vela pergit, aptus militiæ Armeniæ ac propugnandis Syriæ fluminibus, & Rheno, & Danubio. Neronem ſervare*

Defenſor culpæ dicet mihi: Fecimus & nos
Hæc juvenes. Eſto; deſiſti nempe, nec ultra
Foviſti errorem. Breve ſit quod turpiter audes.
Quædam cum prima reſecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris. Damaſippus ad illos
Thermarum calices, inſcriptaque lintea vadit,
Maturus bello Armeniæ, Syriæque tuendis
Amnibus, & Rheno, atq; Iſtro. Præſtare Neronem

ANNOTATIONES.

163. *Defenſor culpæ dicet, &c.*] Aliquis errorem excuſaturus, dicet forte: indulgendum Damaſippo, quod ipſi nobis olim indulſimus.

Fecimus & nos.] Et nos juniores cum eſſemus, popinis & comeſſationibus nonihil dedimus.

164. *Eſto.*] Fateor; & hoc indulgerem juveni: at Damaſippus eam ætatem prætergreſſus eſt, & rebus gravioribus vacare debet.

Nec ultra foviſti errorem.] Non ultra juveniles annos iſtis levitatibus & erroribus indulſiſti.

165. *Breve ſit quod turpiter audes.*] Peccare humanum eſt: perſeverare diabolicum.

166. *Barba.*] Vide Cœl. Rhodig. lib. 3. cap. 25. lib. 4. cap. 2. & lib. 7. cap. 13. item quæ nos alibi, nempe Sat. 4. v. 103. ad vocem *barbato*. Et ad Perſ. Sat. 4. v. 1.

167. *Damaſippus ad illos thermarum calices.*] *Damaſippus* jam vir juvenilia retinet vitia: Unde venia indignus.

168. *Thermarum calices.*] Loca in quibus primo ſudatur, deinde lavatur, poſt ungitur, denique epulis indulgetur. De Thermopoliis & de calido potu apud Romanos uſitato Sat. 5. v. 63.

Thermarum.] De his jam Sat. 7. v. 233. In balneis tres erant regiones. In ſumma ſudabatur, ſeu ad ignem ſeu ad ſolem; eratque velut hypocauſtum. Unde Seneca *Suditoria* vocat *Thermas* Epiſt. 51. quam vide. Primam illam regionem antiqui vocabant Laconicum, eo quod uſus ejus apud Lacones frequens eſſet. In media regione erant aquæ calidæ; in ima frigidæ, ad lavandum. Hinc diſcrimen vides inter balnea & thermas, quanquam unum pro altero ſæpe uſurpatur metonymicωs. Nam prima illa regio proprie thermæ ſunt, balnea cæteræ.

Inſcriptaque lintea.] Vela nempe acu picta, tabernis appenſa cum inſcriptione rerum venalium; vel etiam lupanaribus, inſcripto nomine proſtantium meretricum, ſicut annotavi ad Sat. 6. v. 124.

169. *Maturus bello Armeniæ.*] Idoneus ad militandum in expeditionibus adverſus Armenos Neronis tempore ſuſceptis, duce Corbulone, de quibus Tacit. Annal. 13. & ſeq.

Armeniæ.] Hæc Aſiæ regio celebris quondam & frequens, at nunc non ita: duplex eſt, major quæ Turcomania, & minor quæ Aladulia modo nuncupatur. Illinc Euphrates ac Tigris ſcaturiunt. Claudunt montes Taurus, Niphates, &c.

Syriaque tuendis omnibus.] Propugnandis regionibus Imperio Romano ſubjectis, qualis Syria, Aſiæ pars valde nobilis & occidentalis, quæ Syriaco mari alluitur, rigatur fluminibus Euphrate, Oronte, & aliis; Terra Sancta intermedia, Ægypto affinis eſt. Syriaco primum bello non aliud Romanis formidoloſius. Nec ſanè viris, opibus, armis quicquam copioſius Syria. Id tamen brevi & feliciter confecit Glabrio Conſul. Flor. lib 2. cap. 8. Proverbium eſt apud Suidam, *Syrii contra Phœnices*, de hominibus ſemper inimicis, mutuo fraudulentis, ac invicem inſidiantibus.

Tuendis amnibus.] Qui regionem aliquam aut oppugnare nituntur, aut defendere, ſtatim amnes occupant, ut tranſitus aditusque vel prohibeatur vel pateat.

170. *Et Rheno, atque Iſtro.*] Continendis in officio populis, qui ſunt ad Rhenum atq; Iſtrum, Gallis, Germanis.

Rheno.] Hic fluit ex Alpibus Rhæticis per Germaniam. Ubi Batavos attigit, Vahalim format & Licum, per quos ad Moſæ oſtium illabitur. Prope Arenacum, per Druſi foſſam cum Iſala commiſſus, tertium hunc etiam exitum mutuatur quo in Oceanum evadat. Quartum olim habuit ſibi proprium Lugduno Batavorum non procul, at is obductus arenis fuit, circa annum 860. Narrat Politianus exceptos Rheni vorticibus pueros ſuffocari, ſi adulterini fuerint, legitimos autem placide ad ripam incolumes ejici.

Iſtro.] *Iſter* qui & *Danubius* appellatur, fluminum Imperii Romani poſt Nilum primas tenet, ex Salluſtio & Varrone, apud Agell. lib. 10. cap. 7. Fluvius Europæ maximus apud Ptolem. Plin. lib. 4. cap. 12. *Iſter* inquit, *oritur in Germania jugis montis Abnobæ, ex adverſo Rauraci Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapſus gentes Danubii nomine, immenſo*

Securum

Securum valet hæc ætas. Mitte oſtia, Cæſar,
Mitte; ſed in magnâ legatum quære popinâ.
Invenies aliquo cum percuſſore jacentem,
Permiſtum nautis, aut furibus, aut fugitivis;
Inter carnifices & fabros ſandapilarum,
Et reſupinati ceſſantia tympana Galli.
Æqua ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec menſa remotior ulli.
Quid facias talem ſortitus, Pontice, ſervum?
Nempe in Lucanos, aut Tuſca ergaſtula mittas.
At vos, Trojugenæ, vobis ignoſcitis, & quæ
Turpia cerdoni, Voleſos Brutoſque decebunt.
Quid, ſi nunquam adeò fœdis adeóque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora ſuperſint?

tutum illa ætas poteſt. Demitte Cæſar, demitte portus; at in inſigni taberna inveſtiga legatum. Reperies diſcumbentem cum ſicario quodam, nautis junctum, vel furibus, vel fugitivis, tortores inter & feretrorum artifices, atque tympana Galli ſupini quieſcentia. Communis libertas illic, calices æquales, haud ulli thorus diverſus, neque menſa cuiquam ſeparata. Ecquid ageres, Pontice, ejuſmodi famulum nactus? Scilicet amandares eum in Lucaniam, vel Etruſcas compedes. Vos autem, Trojani, vobiſmetipſis condonatis; et quæ fœda cerdoni viderentur, Voleſis ac Brutis honeſta ſunt. Quid quod nunquam exempla tam turpia & ignominioſa adhibemus, quin reſtent fœdiora?

ANNOTATIONES.

aquarum auctu, & unde primum Illyricum alluit, Iſter appellatus, ſexaginta amnibus receptis, medio fermè numero eorum navigabili, in Pontum vaſtis ſex fluminibus evolvitur ——— Hæc oſtia porro ſingula tanta ſunt, ut prodatur in quadraginta millia paſſuum longitudinis vinci mare, dulcemq; intelligi hauſtum. Iſtro ſeptem ora aſſignat Ammian. Marcell. At nunc duo tantum navigabilia eſſe referuntur, cæteris arena obſtructis.

Præſtare Neronem ſecurum valet.] Juvenes iſtiuſmodi apti ſunt ad tuendam imperatoris ſalutem, ac ſubeunda pro eo belli diſcrimina.

171. *Mitte oſtia, Cæſar.*] O Nero, ad fluminum ora mitte, ne vero ipſe belli aleam & pericula tentare velis. Rebellantes Armenos per legatum aliquem domare potes. Ergo mitte ad oſtia Tiberina, qui navem cum exercitu conſcendat, & eo proficiſcatur. Vel ſenſus eſt, dimitte curam portuum, & hanc legato committe, ingruente bello. Sarcaſmus tam in Neronem, quam in Duces ab eo miſſos.

172. *Legatum quære.*] Mittendum pro te in hoſtes, cum mandatis.

173. *Cum percuſſore jacentem.*] Adeo ſui ſuæque dignitatis oblíviſci ſolent ebrioſi, ut cum obvio quolibet helluari non erubeſcant, & in cauponam ire.

174. *Fugitivis.*] Servis pœnæ metu, vel ſervitutis impatientia, fugientibus.

175. *Sandapilarum.*] Hoc erat feretrum plebeiorum ac viliorum hominum. Sueton. Domitian. c. 17. *Cadaver ejus populari ſandapila per veſpillones exportatum.*

176. *Reſupinati ceſſantia tympana Galli.*] Sacerdotis Cybelæ, vel omni luxuriæ indulgentis, vel præ ebrietate dorſo incumbentis, abjecto miniſterii ſui inſtrumento & inſigni. Vide Sat. 6. v. 512. ac ſeq. & Perſ. Sat. 5. v. 186.

177. *Æqua ibi libertas, &c.*] Nimirum in popinis atque inter pocula nullum habetur diſcrimen vilis homuncionis & illuſtris Patricii.

Lectus.] Diſcubitorius, quo ad menſam aſſidetur aut diſcumbitur.

178. *Menſa remotior.*] Loco digniori ſtructa.

179. *Quid facias talem ſortitus.*] Dic quæſo, numquid ferres ſervum hæc agentem, quæ illi nobiles impune agunt æque ac turpiter?

180. *Nempe in Lucanos.*] Imo in ergaſtulum mitteres puniendum pro ignavia.

In Lucanos.] Ad agros fodiendos. Apud eam Italiæ partem, quæ eſt in regno Neapolitano, & modo continet Baſilicatam, & partem Calabriæ, &c.

Tuſca ergaſtula.] Mitteres in Thuſciam, ut ibi faceret opus, catenis vinctus, in ergaſtulis, quæ ibidem frequentia. Martial. lib. 9. Epigr. 23.

Et ſonet innumera compede Thuſcus ager.

Ergaſtula.] Vide Perſ. Sat. 6. v. 150.

181. *Trojugenæ.*] Romani nobiles, e Trojanis oriundi.

182. *Quæ turpia cerdoni, &c.*] Ironice. Scilicet nobili quidvis licet, at non ita plebeio.

Cerdoni.] Vide Perſ. Sat. 4. verſu penult.

Voleſos Brutoſque.] Nobiles quoſcunque. Brutorum familia Romæ illuſtris ab illo vindice Romanæ libertatis: Voleſorum autem ex Sabinis, a Valer. Voleſo, qui fuit unus e tribus illis viris, qui facto fœdere, Romæ permanſerunt cum T. Tatio rege, atque honoribus potiti ſunt, eorumque poſteri: ut narrat Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2.

183. *Quid, ſi nunquam, &c.*] Quid dicas, ſi majora adhuc ſint nobilium vitia, quam ea quæ hactenus culpavi. Levia ſunt quæ dixi, en mimos agunt, & gladiatoriam exercent.

 Conſumptis

Digitized by Google

Conſumptis opibus vocem, Damaſippe, locâſti
Sipario, clamoſum ageres ut Phaſma Catulli.
Laureolum Velox etiam benè Lentulus egit,
Judice me, dignus verâ cruce. Nec tamen ipſi
Ignoſcas populo: populi frons durior hujus,
Qui ſedet, & ſpectat triſcurria Patriciorum,
Planipedes audit Fabios, ridere poteſt qui
Mamercorum alapas. Quanti ſua funera vendant,
Quid refert? Vendunt nullo cogente Nerone,

Attritis fortunis, ſcena vocem commodâſti, Damaſippe, ut repræſentares Catulli Phaſma clamoribus plenum. Lentulus quoque Velox Laureolum probe repræſentavit, reverâ meritus ſupplicium, mea quidem *ſententiâ. Veruntamen ne ipſi parcas plebi.* Enimverò *impudentior vultus iſtius plebis, quæ aſſidet atque aſpicit nimis ſcurrilia nobilium; auſcultat Fabios planis pedibus, quæ deni*què *deridere valet colaphos Mamercorum. Quid attinet quanto* pretio *venumdent ſuam mortem? Venumdant nullo Nerone adigente.*

ANNOTATIONES.

185. *Conſumptis opibus.*] Decocto patrimonio, te convertis ad artes quæſtuoſas quamvis turpes.

Vocem locaſti.] Præco mimicus fuiſti, & vocem hiſtrionibus & hiſtrionicis præbuiſti, pacta mercede.

186. *Sipario.*] Metonymia, pro Theatris, Actoribus, ac ludis ſcenicis. Donat. in Terent. *Aulæa quoque in ſcena intexta ſternuntur,* inquit, *pro quibus ætas poſterior ſiparia accepit. Eſt autem ſiparium mimicum velum quod theatro obtenditur, & quod populo obſiſtat, dum fabularum actus commutantur.*

Clamoſum ageres ut phaſma.] Ut magna vocis contentione in Theatro recites & agas.

Phaſma.] Latine ſpectrum, ſeu viſum. Titulus eſt & nomen fabulæ. Terent. Eunuch. Prolog.

Idem Menandri Phaſma nunc nuper dedit,

In ea ſcilicet adoleſcens ad pulchræ virginis, velut ad numinis aſpectum expaveſcens introducitur. Donat.

Catulli.] Q. Lutatii Catulli ignobilis Poëtæ, de quo Probus.

187. *Laureolum.*] Hujus mimi facit mentionem Sueton. Calig. cap. 57. a quo vero ſcriptus, non convenit; an a Laberto, an a Nævio. Vide Macrob. Sat. 2. cap. 7. & Gell. lib. 3. cap. 3. lib. 8. cap. 13. & 14. & lib. 17. cap. 14. In ea fabula, crux figitur Laureolo ſervo in ſcelere deprehenſo. Venus Schol.

Velox.] Quidam non cognomen eſſe Lentuli volunt, ſed interpretantur, habilis, agilis, citus in agendo.

Lentulus.] Præter Damaſippum, etiam alii nobiles & Patricii.

188. *Dignus vera cruce.*] Non ficta tantum, ut mimicus ille ſervus. Martial. Spectac. Epigramm. 7.

Non falſa pendens in cruce Laureolus.

Nec tamen ipſi ignoſcas populo.] Qui talibus ſpectaculis & ſcurrilitatibus Patricio pudendis non modo non offendatur, ſed gaudeat & applaudat.

190. *Triſcurria.*] Id eſt, valde & plane ſcurrilia. Quemadmodum dicitur Triſmegiſtus, & apud Plautum *Triſur, Trifurcifer, &c.* Sunt qui velint notari triplices in Circo decurſus; ſed minus ad rem, noſtro judicio. Ingenioſum eſt quod Scaliger legit, *Tranſcurria,* aitque dici quaſi tranſitum a Curia ad Ludos, cum nempe Senatores & Patricii fiebant ſcurræ & ludii.

191. *Planipedes audit Fabios.*] Nobiles quoſcumque in commœdiis agentes ſine horrore ſpectat.

Planipedes.] Ita vocari fabulas argumento & actione viliſſimas ſcribit Donatus. Nimirum in aliis cothurnum induebant actores, aut ſaltem ſoccum. Vel notat Patricios agentes in theatro Perſonas ſervorum, qui nudis pedibus incedebant.

192. *Mamercorum alapas.*] Quas nobiles in ſervili perſona ferunt a ſcenicis dominis calligati, ridente interim populo. Sic Panniculus a Latino alapis frequenter cæſus. Martial. Epig. 7. lib. 2. & lib. 5. Epigramm. 62.

Mamercorum.] Horum illuſtris Romæ familia & origo a Numa Pompilio deducta, teſte Plutarcho in vita Numæ. Hic enim cum quatuor haberet filios, unum appellavit Mamercum ex Pythagoræ filio. Æmiliorum autem gentem Patriciis admiſtam ab illo nomina ferunt. Hæc Plutarch. ibid. A Marte genitos alii affirmant. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 4.

Quanti ſua funera vendant, quid refert?] Quid refert quod lucrum habent a gladiatura?

193. *Vendunt nullo cogente.*] Sponte in arenam deſcendunt, & vitæ diſcrimen adeunt ultro & ſine pudore.

Nullo cogente Nerone.] Non coacti a Tyranno. Nec enim id exigit Domitianus, quod olim Nero, qui Senatores quadringentos, Equites ſexcentos juſſit in arena decertare. Sueton. Ner. c. 12. Cornel. Tacit. Annal. 14. ubi Lipſius *quadragenos* & *ſexagenos* legit.

Nec

Nec dubitant celſi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atq; hinc pulpita pone
Quid ſatius? Mortem ſic quiſquam exhorruit, ut ſit
Zelotypus Thymeles, ſtupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen: citharœdo principe, mimus
Nobilis: hæc ultra, quid erit niſi ludus? Et illic
Dedecus urbis habes. Nec mirmillonis in armis
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce ſupina
(Damnat enim tales habitus, & damnat & odit,)

neq; ambigunt venumdare ſpectaculis Prætoris alti. Verumtamen ſuppone illinc enſes, iſtinc vero theatra ſtatue. Utrum melius? An nullus necem ita formidavit, ut fiat zelotypus Thymeles, ac ſocius Corinthi hebetis? Id vero minime ſtupendum; ſiquidem *Imperatore cithariſta, hiſtrio clarus videtur. Poſtea quid extabit præterquam ludus? Atque ibi civitatis ignominiam videbis, nempe Gracchum decertantem non in armatura Mirmillonis, non ſcuto, vel harpe reſupinata, (nam condemnat ejuſmodi indumenta, & condemnat, & averſatur)*

ANNOTATIONES.

194. *Nec celſi Prætoris, &c.*] Non erubeſcunt operam ſuam locare Prætori munus gladiatorium populo danti.

Celſi.] Volunt quidem nomen eſſe Prætoris, alii explicant epithetum de habitu & curru triumphali, in equo evectus ſuam dignitatem ac liberalitatem oſtentat Prætor cum ludos exhibet. Vide. Sat. 10. v. 36. & ſeq.

Prætoris.] Magiſtratus hujus creandi occaſionem & primordia narrat Livius in fine lib. 6. & initio lib. 7. Urbs eo caruerat per annos fere quadringentos, Conſule jus reddente. Prætor dictus quod præeat ac præſit ſeu juredicundo, ſeu exercitibus. Erat velut Collega Conſulibus, atque iiſdem auſpiciis creabatur: ut ait Livius cit. lib. 7. Primum unus, poſtea duo, ſubinde numerus auctus ad duodecim & ſedecim. Alii minores, peregrini, provinciales; unus erat urbanus, qui primus & major appellabatur: Vide Cœl. Rhodig. lib. 12. c. 8. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 15.

Prætoris vendere ludis.] Solebant Prætores ludos populo dare. Plutarch. in Bruto. A cæteris quidem prætoribus largitiones, ſpectacula, & gladiatores; a te vero majorum tuorum debitum, everſionem tyrannidis repetunt: inquit Caſſius ad Brutum prætura urbana defungentem.

Ludis.] Hi poſt aliquam victoriam ſæpe celebrabantur. Apud Livium lib. 1. c. 35. L. Tarquinius Priſcus captis vi Appiolis, oppido Latinorum, revecta inde majore præda, ludos opulentius inſtructiuſque quam priores reges fecit. Tum primum Circo maximo deſignatus locus, & ſedes ad ſpectandum a plebe diſtinctæ Patribus Equitibuſque datæ ſunt. Vide quæ ſunt annotata Sat. 3. verſ. 223. ad vocem *Circenſibus*, Et Sat. 6. verſ. 69. ad voces *Plebeiis* & *Megaleſia.*

195. *Finge tamen gladios inde, &c.*] Quod ſi alterum eligere cogantur nobiles, aut in arenam prodire, aut in ſcenam; gladiatores ſint potius quam hiſtriones, & mortis propinquæ diſcrimina præferant ignominiæ.

196. *Ut ſit zelotypus Thymeles.*] Ut mortis metu malit agere in theatris perſonam Latini mimi, zelotypi Thymeles ſuæ uxoris, & præ zelotypia alteri mimo rixas moventis, alapas & verbera impingentis. Vide Sat. 1. v. 36.

197. *Stupidi collega Corinthi.*] Alterius hiſtrionis forte a Latino impetiti ac cæſi in theatro per zelotypiam. Unde ille ſtupet, cauſæ ignarus.

198. *Res haud mira, &c.*] Non mirum quod Patricii deflectant ad artem ſcenicam, exemplo Neronis impulſi. Sueton. & alii.

Citharœdo Principe.] Vilium quarumlibet artium ſtudia & primas affectante. Vide Suet. Ner. c. 20. & ſeq. Tacit. Annal. 14.

Mimus nobilis.] Hiſtrionia nobilitata nempe, ſtudente illi Imperatore. Sunt qui legant, *natus*, pro *mimus*, ut intelligantur adulterini filii hiſtrionum & matronarum Romanarum, juxta id quod dictum Sat. 6. verſ. 76. & ſeq. Sed hoc minus placet.

199. *Quid erit niſi ludus?*] Nobiles quivis arti ſcenicæ ultro operam dabunt.

Illic.] In ludis ac munere gladiatorio.

220. *Dedecus urbis.*] Quod nobiles non velata ſed nuda facie, ſine ulla verecundia gladiatoriam exerceant, & in ea ſe oſtentent.

Nec Mirmillonis in armis.] Nec Mirmillonem agit ſolum Gracchus, cujus armatura non adeo videatur indecora, nempe gladius, clypeus, galea: retiarium agit, cujus etiam habitus turpis & ignominioſus, nimirum tunica, rete, fuſcina.

Mirmillonis.] Vide quæ annotavimus ad Sat. 2. verſ. 143. & ſeq.

201. *Gracchum pugnantem.*] Sat. 2. mox cit.
Vicit hoc Monſtrum tunicati fuſcina Gracchi,
Luſtravitq; fuga, mediam gladiator arenam.

Falce ſupina.] Incurva ſica, vel erecta & converſa ad incutiendum, *Thracum armatura, quibus proprium telum ſica eſt*, inquit vetus Schol. Vel ad ipſum Thracem refer qui ambitioſe pugnans ſe attollebat, atque inſurgebat, Artemidoro teſte; ut ait Lubinus.

Digitized by Google

neque vultum contegit caſſide: en fuſcinam vibrat; atque *ubi ſuſpenſa retia manu libratâ incaſſum injecit, detectam levat faciem ad ſpectatores, ac dignoſcendus aufugit omni amphitheatro. Fidem habeamus tunicæ; quandoquidem auro intexta portendatur a gutture, atque faſciola projiciatur ab alto pileo. Itaque mirmillo coactus cum Graccho dimicare, dedecus reportavit cunctis plagis atrocius. Si populo conſedatur libertas ſententiarum, quis adeo nequam, ut ambigat Senecam Neroni anteponere;*

Nec galea frontem abſcondit: movet ecce tridentem,
Poſtquam vibrata pendentia retia dextra
Nequicquam effudit, nudum ad ſpectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoſcendus arena.
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum ſe
Porrigat, & longo jactetur ſpira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Graccho juſſus pugnare ſecutor.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni;

ANNOTATIONES.

203. *Nec galea frontem abſcondit.*] Ut Mirmillo, qui vultum habebat galea obtectum: ſed placet habitus Retiarii, qui nuda & aperta certabat facie. Sueton. Claud. c. 34. *Gladiatores forte prolapſos jugulari jubebat, maxime retiarios, ut expirantium facies videret.*

Tridentem.] Arma erant retiarii, telum ſeu fuſcina, tridens, & rete. Sueton. Calig. c. 30.

204. *Poſtquam vibrata pendentia retia.*] Poſtquam reti fruſtra injecto aberravit, nec Mirmillonis caput implicuit.

205. *Nudum ad ſpectacula vultum Erigit.*] Seſe oſtentat ſpectatoribus, & ſe agnoſci gaudet, illud decus exiſtimans, quod turpe eſt. Vel forte ut agnitum verent jugulari a ſecutore, cujus ob id graviorem ignominiam ſtatim Poëta vocat.

206. *Fugit.*] Ante Mirmillonem jam declinato reti inſequentem fugit retiarius, dum effuſum colligat rete, rurſumque Mirmillonem impetat.

Arena.] Vide Sat. 2. cit. v. 144. & ibid. Annot.

207. *Credamus tunicæ.*] E tunica retiarium agnoſcamus, nobilem autem ex auro, quo illa interlucet, ſicut & galeri ſubligaculum. Legunt quidam, *Cedamus*, ut ſint verba Mirmillonum dicentium apud ſe, concedamus retiario ejuſmodi Patricio, & fugere illum ſinamus. Hinc ſequitur, *Ergo ignominiam, &c.*

Tunicæ.] Veſtis hæc erat apud Romanos quidem interior & brevior, ſine manicis, cui toga ſuperinduebatur: Vide Suet. Auguſt. c. 24. & 100. & Gell. l. 7. c. 12. Tunica tantum induti pugnabant retiarii. Sueton. Calig. c. 30. *Retiarii tunicati quinque gregatim dimicantes totidem ſecutoribus ſuccubuerant, &c.*

De faucibus aurea, &c.] Tunica retiarii nobilis, auro diſtincta per extremitates a gutture ad imum. Malim ego cum ſequentibus jungere, & referre ad *ſpiram*.

208. *Jactetur ſpira.*] Ligula, faſcia, non vulgaris, ſed auro intexta, a galero dependens, & mento ſubligata, cujus extremitates vento agitantur.

Spira.] Sinus & flexus in multos orbes.

Galero.] Pileo in galeæ ſimilitudinem facto: Is porro ſub mento obſtringebatur, ne inter pugnandum excideret.

Longo.] Id eſt, alto, qualem deſcribit Dionyſ. Halicar. lib. 2. ſub finem.

209. *Ignominiam graviorem.*] Commiſſus enim cum Retiario nobili Mirmillo, cum non auſit adverſarium conficere, victoriæ fructu & decore carebat; & quam eis ſponte cederet, ſuggillabatur a ſpectatoribus. Ergo ignominiam tam gravem inde ferebat, quam ſi plagis confoſſus victuſque ſuccumberet. Quin & explodebatur, ſi peritus ipſe nobilem imperitum ſuperaret.

210. *Secutor.*] Mirmillo, qui ab inſequendo retiario fugiente, ſecutor dicitur.

211. *Libera ſi dentur populo ſuffragia.*] Si liceat populo, quod ſentit libere aperire, ſine ullo Tyrannorum metu.

212. *Dubitet Senecam præferre Neroni.*] Scilicet ignobilem probum nobili vitioſo præferre quis dubitet? Vide quæ jam notavimus ad Sat. 5. verſ. 108. de Seneca. Cornel. Tacit. Annal. 15. ſcribit conjuratos deſtinaviſſe, occulto quidem conſilio, ut poſt occiſum Piſonis ope Neronem, Piſo quoque interficeretur, traderetur que Imperium Senecæ, quaſi inſonti, claritudine virtutum ad ſummum faſtigium delecto. Tertull. lib. de Anima, cap. 20. *Seneca ſæpe noſter*, inquit, i. e. prope Chriſtianus. S. Hieron. de Script. Eccleſ. c. 22. *L. Annæus Seneca, Cordubenſis, Socionis Stoici diſcipulus, & Lucani Poetæ, continentiſſimæ vitæ fuit: quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, niſi me illæ provocarent epiſtolæ, quæ leguntur a plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, &c.* S. Auguſt. de Civit. l. 6. c. 10. *Libertas*, inquit, *quæ defuit Verroni, non defuit Annæo Senecæ, quem indiciis nonnullis invenimus Apoſtolorum noſtrorum temporibus claruiſſe.*

Cujus

Digitized by Google

Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus?
Par Agamemnonidæ crimen; ſed cauſa facit rem
Diſſimilem: quippe ille Diis auctoribus ultor
Patris erat cæſi media inter pocula: ſed nec
Electræ jugulo ſe polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii: nullis aconita propinquis
Miſcuit: in ſcena nunquam cantavit Oreſtes:
Troica non ſcripſit. Quid enim Virginius armis
Debuit ulciſci magis, aut cum Vindice Galba?

cujus ad pœnas non unicam oportuit ſimiam comparari, non viperam unicam, neque ſaccum unicum? Æquale ſcelus Agamemnonii; at ratio negotium efficit inæquale. Ipſe enim Oreſtes numinum impulſu vindex erat parentis mediis in calcibus occiſi. At neque ſe contaminavit Electræ cæde, vel cruore matrimonii Lacæni: nemini affinium venena temperavit: in theatro non cecinit: Trojana non compoſuit. Nam quid gladio vindicare potius obſtringebatur Virginius, vel Galba cum Vindice?

ANNOTATIONES.

213. *Cujus ſupplicio, &c.*] Tot parricidiis inquinatus Nero non unum ſupplicium merebatur, ſed multiplex. Sueton. Cornel. Tacit. alii paſſim.

214. *Simia, ſerpens, culeus.*] Lex Pompeia jubebat, qui vel parentis, vel filii, vel cujuſvis affinis & propinqui ſanguine ſe polluiſſet, eum culeo, id eſt, ſacco coriaceo inſui, cum ſimia, vipera, gallo, cane; atque in mare ſeu flumen projici. Cur ita parricidæ culeo includerentur, egregie docet Tullius pro Sexto Roſcio Amerino n. 70. & ſeq. *ut repente cœlo, Sole, aqua terraque privarentur, &c.* quæ lege ibid. Cur autem cum iſtis animalibus? An ut in rixa incenſorum animalium, & fœda laceratione corporis, pro admiſſi ſceleris immanitate diro cruciatu exanimarentur? An quod aiunt viperam parenti necem inferre, ſimiam vero catulos, interdum ſtringendo nimis & amplectendo interimere? Vide Cœl. Rhodig. lib. 11. cap. 21. & lib. 6. cap. 13. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5, &c.

215. *Par Agamemnonidæ.*] Oreſtes Agamemnonis filius matrem Clitemneſtram interfecit, ut vindicaret patrem ab ea ſimul & ab Ægiſtho ejus mœcho jugulatum: at Nero Agrippinam matrem impie nefarieque occidit. Vide Sat. 1. verſ. 6. & ibid. Annot. ad vocem, *Oreſtes.*

216. *Diis auctoribus.*] Approbantibus tanti facinoris ultionem; etenim Odyſſ. initio, ſcribit Homerus, Ægyſtho per Mercurium Deos ultionem comminatos ex Oreſte, ſi Agamemnonem occideret, & Clitemneſtram duceret: additque Pallas, certe meritam Ægyſthus mortem luit; ſic pereat & quiſquis alius talia perpetrarit.

217. *Media inter pocula.*] Alii occiſum Agamemnona in convivio, alii in balneo, aliter alii referunt.

Nec Electræ jugulo ſe polluit.] Electram ſororem non jugulavit Oreſtes, ſicut Nero fratrem Britannicum. Horat. lib. 2. Sat. 3.

Quin ex quo eſt habitus male tuta mentis Oreſtes,
Non Pyladem ferro violare, auſuſve ſororem
Electram.----

218. *Spartani ſanguine conjugii.*] Non mortem Oreſtes intulit ſuæ conjugi Hermionæ filiæ Menelaï Lacedæmoniorum ſive Spartæ Regis: at Nero Octaviæ Poppææque uxoribus, quin & Antoniæ Claudii filiæ, a qua fuerat adoptatus, nuptias ſuas recuſanti necem attulit.

219. *Nullis aconita propinquis miſcuit.*] Neminem Oreſtes veneno enecavit, at Nero Britannicum fratrem, Domitiam amitam, &c. adde Senecam præceptorem, ac tot alios mori juſſos.

Aconita.] Sat. 1. v. 158.

220. *In ſcena nunquam cantavit.*] Ut Nero ſordide fecit. De quo Sueton. Ner. c. 20. & 21. Nec Romæ ſolum ſed & Neapoli cantavit in publico. Cornel. Tacit. Annal. 15.

221. *Troica non ſcripſit.*] *Nero Troados Libros ſcripſit.* Vetus Schol. Verum ſi ob hoc culpandus, certe multo magis quod incenſam Romam e turri Mecænatica proſpectans, lætuſque flammæ pulchritudine ἅλωσιν Ilii ſcenico habitu decantavit. Sueton. Ner. cap. 38. *Ipſe tempore flagrantis urbis domeſticam iniit ſcenam, ac cecinit Trojanum excidium, præſentia mala vetuſtis cladibus aſſimilans:* inquit Cornel. Tacit. Annal. 15. Scilicet incendium illud molitus, *ut ſpectaculi ejus imaginem cerneret, quali olim Troja capta exarſerat.* Eutrop. lib. 7.

Quid enim Virginius armis.] Quid fuit quod Virginius, Galba, & Vindex conjurarunt Neronem ex imperio deturbare?

222. *Cum Vindice Galba.*] Virginius Ruffus Germanici ductor exercitus. Julius Vindex Galliæ Proprætor, cujus milites primi a Nerone deſciverunt. Sergius Galba Hiſpaniæ Prefectus, occiſo Nerone, Imperium adeptus eſt, ultro cedente & annitente Virginio.

Digitized by Google

Ecquid Nero perpetravit adeo crudeli immanique regno? Ea ſunt facinora, eaque ſtudia nobilis Imperatoris, amantis produci turpi ſaltatione ad externa theatra, & reportare apium Græcæ coronæ. Avorum ſtatuæ poſſideant ornamenta cantûs tui, tuque ad pedes Domitii colloca prolixum ſyrma Thyeſtæ, ſive Antigonæ, vel larvam Menalippes, atque lyram appende ad coloſſum marmoreum. Ecquis reperiet aliquid illuſtrius tuâ, ô Catilina, ac Cethegi

Quid Nero tam ſæva, crudaque tyrannide fecit?
Hæc opera, atq; hæ ſunt generoſi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui, Graiæque apium meruiſſe coronæ.
Majorum effigies habeant inſignia vocis,
Ante pedes Domitî longum tu pone Thyeſtæ
Syrma, vel Antigones, ſeu perſonam Menalippes,
Et de marmoreo citharam ſuſpende coloſſo.
Quis, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi

ANNOTATIONES.

223. *Quid Nero tam ſævâ, &c.*] Quid fecit Nero, quo omnium in ſe odium concitaret, & a conjuratis auctore Senatu occideretur? Nempe quod ſordidis illis artibus gauderit, at totus incumberet hiſtrionicæ, ſaltatoriæ, citharisticæ, &c. nihil vero generoſo Principe dignum moliretur. Hunc verſum tamen omnino rejiciunt nonnulli.

225. *Peregrina ad pulpita.*] Neapoli, in Achaia, & aliis quoque locis. Vide ſupra.

Saltu.] Legunt alii *cantu*.

226. *Proſtitui.*] Metaphora a vilibus ſcortis.

Graiaque apium meruiſſe corona.] Quippe Nero in Olympicis cantavit, & coronatus eſt, cum his ludis agona muſicum adjeciſſet. Vide Alex. ab Alex. l. 5. c. 8.

Apium meruiſſe corona.] In Iſthmicis ac Nemeis certaminibus victores Apio coronabantur. Hinc Plin. lib. 19. cap. 1. *Honos*, inquit, *Apio in Achaia coronare victores ſacri certaminis Nemea.* Idem l. 20. c. 11. de Apio multa. Vide Plutarch. quæſt. conviv. l. 5. q. 3. & l. 7. q. 2. Item. Cœl. Rhodig. l. 6. c. 19. & l. 13. c. 17.

227. *Majorum effigies habeant, &c.*] Cum nihil habeas aliud, quo exornes ſtatuas majorum tuorum, o Nero, affer ea tuæ vocis & cantus inſignia, coronam illam ex apio, & quæ per ſcenicas artes præmia atque ornamenta conſecutus es. Sarcaſmus admodum gravis.

228. *Ante pedes Domitî.*] Ad effigies utriuſque Domitii, tam atavi quam patris tui.

Longum tu pone Thyeſtæ Syrma.] Non relata ex hoſte ſpolia opima, ut cæteri, ſed theatrales quas induiſti veſtes, nimirum cum egiſti perſonas Thyeſtis, vel Antigones, vel Menalippes. Diverſas tamen ab his actas a Nerone refert Sueton. Ner. cap. 21. ubi ait, *inter cætera cantavit Canacen parturientem, Oreſtem matricidam, Oedipum excæcatum, Herculem inſanum.*

Thyeſtæ.] Vide Annot. Sat. 7. v. 73. ad vocem *Atreus*.

229. *Longum ſyrma.*] Oblongam veſtem Tragœdiæ uſitatum. Nomen a σύρω, *traho*. Pallam vocant, Latini, & ab Æſchylo repertam ait Horatius ad Piſones v. 278.

Antigones.] Hæc fuit Oedipi filia, atque excæcati dux, de qua Tragœdias ſcripſere Sophocles & alii.

Seu perſonam Menalippes.] Larvam qua vultum obtexit in fabula Menalippes. Suetonius mox cit. *Tragœdias quoque cantavit perſonatus, &c.* Agel. l. 5. c. 7. *perſonam* a *perſonando* derivari, auctor eſt, ſed malim cum Scaligero, dictam quaſi περὶ σῶμα. Vide quæ notavi ad Sat. 3. v. 175. & Sat. 6. v. 70.

Menalippes.] Hæc puella de Neptuno gravida Bœotum peperit. Varro de Re Ruſtica, lib. 2. cap. 5. *Scio*, inquit, *hunc eſſe qui filios Neptuni è Menalippa ſervarit, ne infantes in ſtabulo grex boum obtereret.* Ibi nimirum enixa erat Menalippe.

230. *Citharam.*] Quam *à Judicibus delatam ſtolidè Nero adoravit, atque ad Auguſti ſtatuam ferri juſſit.* Sueton. Ner. c. 12.

Marmoreo ſuſpende Coloſſo.] Ad ingentem e marmore Auguſti ſtatuam. Sunt qui de Neronis intelligant effigie centum decem pedes alta; verum hanc ex ære factam refert Plin. lib. 24. cap. 7.

Coloſſo.] Plin. loco mox cit. *Moles excogitatas*, inquit, *videmus ſtatuarum, quas Coloſſos vocant, turribus pares. . . . . Ante omnes autem in admiratione fuit Solis coloſſus Rhodi, ſeptuaginta cubitos altus, &c.* Hic in Rhodiorum portu erectus erat, ita divaricatis cruribus, ut inter ea tranſirent naves extenſis velis. Coloſſus dici a Coloſſo inventore ſcribit Feſtus. At, hiantis vaſtæ inanitatis ratione, velut κόλον ὄσσον, vocari, ait Cœl. Rhodig. l. 17. c. 16.

231. *Quis, Catilina, tuis natalibus, &c.*] Probat Poëta exemplis nobiliſſimos interdum peſſima fuiſſe meditatos: humiles autem præclara.

Catilina, Cathegi.] Hi cum Lentulo, Gabinio Statilio, & aliis conjurarunt ad opprimendam patriæ libertatem. Salluſt. Appian. &c.

Inveniet

Inveniet quicquam ſublimius? Arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus templiſq; paraſtis,
Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores,
Auſi quod liceat tunica punire moleſta.
Sed vigilat Conſul, vexillaque veſtra coërcet.
Hic novus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis Eques galeatum ponit ubique
Præſidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum

origine? Vos nihilominùs noctu ferrum atque ignes ad ædes & fana comparâſtis, non ſecus ac filii Braccatorum, atque Senonum poſteri, non veriti perpetrare quod gravi tunica fas ſit vindicare. At obſervat Conſul, ac veſtra ſigna cohibet. Ille recens Arpinas humilis, ac Romæ nuper Eques Municipii, armatas paſſim cohortes locat ſtupefactis, atq; in cunctis regionibus operam navat. Ergo toga tantum ei famæ ac nobilitatis attribuit intra mœnia quantum Auguſtus Leucade, quantum

ANNOTATIONES.

232. *Arma tamen vos nocturna.*] Cic. Catilin. 1. *Deſcripſiſti urbis partes ad incendia..... occupaturum te nocturno impetu conſideres..... Obliviſcere cædis atque incendiorum.*

234. *Ut Braccatorum pueri, &c.*] Perinde ac ſi fuiſſetis filii Gallorum, qui Romam ferro flammaque devaſtarunt. De quibus Flor. lib. 1 cap. 13. &c.

Braccatorum.] *Provincia Narbonenſis appellatur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Braccata antè dicta,* Plin. lib. 3. cap. 4. Nomen a braccis ſeu femoralibus, quibus ea gens utebatur; braccas autem alii a Græco βραχὺς, alii a ῥάχος dictas volunt: anaxyrides eſſe & vocari apud Græcos affirmare licet. Vide Cœl. Rhodig. lib. 18. c. 21. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 18.

Senonum.] In Gallia Celtica ſive Lugdunenſi continentur Senones, teſte Plinio, lib. 4. c. 18. *Horum civitas in primis firma, & magnæ apud Gallos auctoritatis,* inquit Cæſar, de Bello Gall. lib. 5. *Gens naturâ ferox, moribus incondita, ad hæc ipſâ corporum mole, perinde armis ingentibus adeò terribilis, ut ad hominem interitum, urbiumque ſtragem nata videretur.* Flor. lib. 1. cap. 13.

235. *Tunicâ moleſtâ.*] Veſtis erat e charta, cannabe, ſtuppa; illinebatur bitumine, reſina, pice; tum circumdabatur iis qui grave quidpiam & maxime incendia moliti fuerant: qua demum incenſa vivi comburebantur. Vide Brod. Miſcel. lib 2. c. 9. & 10. Item quæ notavi Sat. 1. v. 155. ad hæc verba: *Tæda lucebis in illa.* Martial. lib. 10. Epigram. 25.

Nam cùm dicatur tunicâ præſente moleſtâ.

236. *Vigilat Conſul.*] Cicero, quem vide in Catilin. Item Salluſt. &c.

Vexillaque veſtra coercet.] Exercitus a conjuratis adverſus Rempublicam comparatos reprimit, ac ſedulo cavet, ne quid Reſpublica detrimenti capiat.

Vexilla.] Cohortes erant diviſæ in centurias, & harum ſingulis ſua erant vexilla. Veget. lib. 2.

237. *Novus Arpinas.*] Ita vocabant Ciceronem ejus inimici, in contemptum. Salluſt. *Novus* homo, id eſt, nullis ante majoribus illuſtris. *Arpinas,* ortus ex Arpino Volſcorum oppido. Regio tamen Volſcorum ſanguine, patre Equeſtris Ordinis, natum Ciceronem ſcribunt Plutarch. atque Euſeb.

238. *Municipalis Eques.*] Qui nuper venit Romam ex Arpino municipio, & in Equeſtrem Ordinem eſt adſcitus.

Municipalis.] Municipes a muneribus capeſſendis vocati ſunt aliarum Italiæ urbium incolæ, qui & ſuis legibus utebantur, atque honorum cum Populo Romano erant participes, nullis præterea neceſſitatibus aſtricti, neque lege ulla Populi Romani. Vide Gell. lib. 16. cap. 13. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10.

Galeatum ponit ubique præſidium.] Inſtructum armis ad urbis tutelam, & communem Reipubl. ſalutem adverſus nefaria Catilinæ conſilia.

239. *Attonitis.*] Ad confirmandos animos civium tam ſcelerata conjuratione perculſorum.

In omni gente laborat.] Quidam legunt, *in omni monte,* id eſt, in ſingulis urbis regionibus. Itaque vel in urbe, vel in omnibus Italiæ locis opportunis præſidia collocat ad frangendos conjuratorum conatus.

240 *Tantum igitur muros intra, &c.*] Cicero tam celebre ſibi nomen fecit in pace per ſuam prudentiam, quantam Auguſtus gloriam vix eſt adeptus Actiaca Philippicaque victoria.

241. *Quantum non.*] Quia ſanguine civium ſtetit Auguſti gloria: non ita vero Ciceronis.

Leucade.] Leucas ſive Leucadia Inſula eſt oræ Epiri occiduæ proxima, non procul Actio, ubi navali prœlio Antonium & Cleopatram Auguſtus debellavit.

in agris Theſſalicis non reportavit, enſe madido crebrâ ſtrage. At Roma parentem, Roma ſervata patrem patriæ Ciceronem nuncupavit. Alter Arpinas aliorum aratro fatigatus in collibus Volſcorum pretium repetere conſueverat, deinde vitem nodis aſperam *capite rumpebat, quando lentâ aſciâ tardus caſtra ſtruebat: attamen is & Cimbros, atq; ultima rerum diſcrimina ſuſtinet, ac civitatem pavidam unus defendit: proindeque cum ad Cimbros & cædem advolarent corvi, qui numquam tetigerant ampliora corpora,*

Theſſaliæ campis Octavius abſtulit udo
Cædibus aſſiduis gladio. Sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro;
Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret caſtra dolabra.
Hic tamen & Cimbros, & ſumma pericula rerum
Excipit; & ſolus trepidantem protegit urbem.
Atq; ideo poſtquam ad Cimbros, ſtragemq; volabant
Qui nunquam attigerant majora cadavera corvi,

ANNOTATIONES.

242. *Theſſaliæ campis.*] Pharſalicis, ubi Cæſar Pompeium; Philippicis, ubi Caſſium & Brutum profligavit Auguſtus.

Udo Cædibus aſſiduis gladio.] Nam pugnæ iſtæ fuerunt admodum cruentæ.

243. *Sed Roma patrem patriæ.*] Roma vero conjurationis Catilinariæ metu & periculo liberata honorificum illud patris patriæ nomen Ciceroni detulit. Plin. l. 7. c. 30. *Quo te, M. Tulli, piaculo taceam?* inquit, *Salve primus omnium patriæ parens appellate. Primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, &c.* Patrem patriæ Ciceronem in Senatu primum a Catone ſalutatum ſcripſere Plutarchus & Appianus: verum hos graviter redarguit Lipſius Var. Lect. lib. 3. cap. 20. aſſeritque ex ipſo Tullio, hoc ipſi decus primo attributum a Q. Catulo Senatus Principe. Certe pro Publ. Sextio; *Q. Catulus*, inquit, *& multi alii ſæpè in Senatu patriæ patrem me nominârunt.* Et in Piſonem; *Me Q. Catulus Princeps hujus Ordinis & ductor publici conſilii frequentiſſimo Senatu patriæ patrem nominavit.*

245. *Arpinas alius.*] C. Marius ex Arpino ſimiliter oriundus obſcuro loco, tamque pauper, ut agros alienos mercede conductos araret: poſtea ſummus evaſit Imperator, & ſepties Conſul fuit, imo tertius Romæ conditor meruit appellari. Plutarch.

Volſcorum in monte.] Apud Volſcorum in Latio regionem collibus inæqualem, ſuam patriam. Nam Arpinum in Volſcis eſt.

247. *Nodoſam poſt hæc, &c.*] Poſtea ſeu faber, ſeu gregarius miles caſtra ſecutus eſt, & in aggere ſtruendo laboravit. Vide Veget. lib. 2.

Frangebat vertice vitem.] In ſuo cervice vel tergo vitem frangi patiebatur vapulando a Centurione lentam operam caſtigante. Tit. Liv. lib. 57. *Scipio*, inquit, *quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus cædebat; ſi extraneus, fuſtibus.* Cornel. Tacit. Annal. 1. *Centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant; quia fractâ vite in tergo militis, alteram clarâ voce ac rurſum aliam poſcebat.* Plin. lib. 14. c. 1. *Quid quod inſerta caſtris ſummam rerum imperiumque continet? Centurionum in manu vitis & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipſam honorat.* Vide Cœl. Rhodig. lib. 26. capit. ultimò. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20. & lib. 2. c. 13.

249. *Cimbros.*] Boreales maxime Germanos, hodie, *Danos & Holſatios*, quos infeſtis armis Italiam ipſamque Romam appetentes, victis jam ante Teutonis, profligavit Marius, & cecidit centum quadraginta millia, cepit ſexaginta millia. Vide Flor. lib. 3. c. 3. Plutarch. in Mario. Liv. lib. 68.

250. *Solus trepidantem protegit urbem.*] *Actum erat niſi Marius illi ſæculo contigiſſet:* inquit Flor. cit.

252. *Numquam attigerant majora cadavera.*] Nam *Cimbri præ Italis ingentes. Et Teutonum rex captus inſigne ſpectaculum triumphi fuit. Quippe vir proceritatis eximiæ ſuper Trophæa ipſa eminebat.* Flor. cit. Et apud Plutarchum. Cimbri robur oſtentantes per nives Alpium juga nudi conſcendunt, tum lata ſcuta corporibus ſupponentes, præcipiti per loca prærupta deſcenſu deſiliunt. Deinde velut gigantes vaſtas arbores trahunt in fluvium, & terræ aggeres ac cæſas trabes comportant. Quibus territi plures Romani caſtra deſeruere.

Nobilis

Nobilis ornatur lauro collega ſecunda.
Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina. Pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina
Sufficiunt Diis infernis, Terræque parenti.
Pluris enim Decii, quam qui ſervantur ab illis.
Ancilla natus trabeam & diadema Quirini,
Et faſces meruit regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum clauſtra Tyrannis
Exulibus juvenes ipſius Conſulis, & quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,

collega illuſtris alterâ laureâ inſignitur. Deciorum animæ è plebe fuerunt, & appellationes plebeiæ: illi nihilominùs, pro univerſis legionibus, & pro cunctis præſidiis, totoque Latii populo ſatisfaciunt Inferis Numinibus ac Telluri matri. Decii quippe majoris æſtimantur, quam qui per eos conſervantur. Optimorum ille regum poſtremus ſervâ ortus, dignus fuit regio *paludamento, ac Romuli coronâ & faſcibus.* Contra vero *Tyrannis extorribus occluſas fores aperiebant* ac *tradebant Conſulis ipſius filii, quos etiam oporteret* exequi *pro ancipiti libertate quiddam ingens,*

ANNOTATIONES.

253. *Nobilis ornatur lauro Collega ſecundâ.*] Q. Catulus ipſi nobilis Marii Collega ſecundo tantum loco triumphat, Marius vero licet novus homo primas tulit. Nam & præcipuam rei geſtæ gloriam Mario attributam, referunt Livius & Plutarchus: adeout primores civitatis, qui prius ut novo homini tantos honores inviderant, conſervatam ab eo Rempublicam faterentur & prædicarent, Liv. lib. 68.

Lauro Collega ſecundâ.] Poteſt etiam intelligi de Mario, qui oblatum pro devictis Teutonibus triumphum diſtulit, donec & Cimbros, junctis cum Q. Catulo copiis, debellaviſſet: tunc enim lauro iterum merito exornatus eſt, atqui ait Livius mox cit. pro duobus triumphis qui offerebantur, uno contentus fuit.

254. *Plebeiæ Deciorum animæ.*] Deciorum origo plebeia, illi tamen virtute nobilitati ſunt.

255. *Pro totis legionibus hi tamen, &c.*] Decius uterque pro incolumitate & victoria populi & exercitus Romani ſe devoverunt ſolemni ritu: pater quidem P. Decius, bello Latino, de quibus Tit. Liv. lib. 8. c. 9. & ſq. Filius autem P. item Decius exemplo patris ſe devovit pariter Diis manibus in bello adverſus Etruſcos, Samnites, Gallos. De quibus Liv. 10. c. 28. & ſeq. Vide & Macrob. lib. 3. c. 9.

256. *Auxiliis.*] Copiis auxiliaribus.

Plebe.] Legunt alii, *Pube*, id eſt, juventute Latina, ſeu Romana.

257. *Sufficiunt Diis infernis.*] Credebant veteres ita ſe devovendo converti in ſe ac derivari aliorum pericula & mala impendentia; placatoſque ſua morte Deos Manes jam parcere cæteris, atque illis opitulari.

Terræque parenti.] Plin. lib. 2. cap. 63. *Uni*, inquit, *Terræ, propter eximia merita, cognomen inditum materna venerationis. Sic hominum illa, ut Cœlum Dei. Quæ nos naſcentes excipit, natos alit, editos ſuſtinet, noviſſime complexa gremio jam à reliqua natura abdicatos tum maximè ut mater operiens, &c.*

258. *Pluris enim Decii, quàm, &c.*] Quibus Dii receptis jam placantur, ac cæteros dimittunt: quin & in illorum gratiam, Romanis omnibus ſalutem & victoriam donant.

259. *Ancillâ natus.*] Servius Tullius matre vel ſerva, vel certe captiva natus. De quo vide Liv. lib. 1. c. 39. & c. 41. ubi cum trabea & lictoribus prodire, ac ſede regia ſedens quædam decernere narratur.

Trabeam.] Veſtem regalem, quam vocat togam purpura circumdiſtinctam, ſubtegmine puniceo, Dionyſ. Halicarn. lib. 2. ſub finem. *Trabeis uſos accipio reges*, inquit Plin. lib. 8. c. 48. Quod hominem tranſbeat, & ſummo honore decorat, trabeam dici vult Iſidorus: alii, quod pannorum trabibus intertexta ſit. Appoſite diſtinguas triplicem: unam Diis ſacram e purpura ſola; alteram e purpura immixto albo Regibus uſitatam & Conſulibus; tertiam Augurum, e purpura & cocco. Alex. lib. 5. c. 18. &c.

Diadema.] Pannus erat, quo velut faſcia caput circumligabant Reges. A διαδέω *redimio, cingo.*

260. *Faſces.*] De his Sat. 5. v. 110. Regibus etiam præferebantur, teſtibus Liv. Dionyſ. &c.

Meruit.] Inſigni ſua virtute & ſapientia.

Regum ultimus ille bonorum.] Poſt Servium quidem Tullium, Rex fuit Tarquinius Superbus, at bonis Regibus nequaquam accenſendus.

Prodita laxabant, &c.] Tarquinios urbe pulſos ope Conſulis Junii Bruti, hujus filii Titus & Tiberius cum aliis quibuſdam nobilibus eos revocare nefarie conjurarunt: unde & ab ipſo patre conſtanter neci addicti ſunt. Liv. initio lib. 2. Plutar. h. &c.

Dubiâ libertate.] Nondum bene aſſerta & firmata, conantibuſque regnum recuperare expulſis regibus.

Quod

quod ſuperet Mutius, & Cocles, & puella quæ Tiberim limites Imperii tranſnavit. Ad Senatores arcana ſcelera detulit famulus matribus familias deplorandus: Eos autem juſto plectunt ſupplicio plaga & prima legum ſecuris. Pluris æſtimo ut *parentem habeas Therſitem, ſiquidem fueris par Æacidæ, atque Vulcani tela contrectes,*

Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ
Imperii fines Tiberinum virgo natavit.
Occulta ad patres produxit crimina ſervus
Matronis lugendus: at illos verbera juſtis
Afficiunt pœnis, & legum prima ſecuris.
Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,

ANNOTATIONES.

264. *Quod miraretur.*] Quod eſſe poſſet admirationi ſimul & exemplo generoſis illis Romanæ libertatis & patriæ amantibus.

Coclite.] Horatius Cocles, amiſſo oculorum altero in pugna quadam, ita dictus, ſed multo clarior ex eo, quod, Porſenna rege Etruſcorum pro reſtituendis Tarquiniis in Romanos decertante, pro ponte ſublicio ſtetit, unuſque aciem hoſtium ſuſtinuit, donec pons a tergo interruptus aditum præcluderit; tum deſiliens in Tiberim ad ſuos tranſnavit. Ob hoc ei tantum agri publice datum, quantum uno die circumarari poſſet: ſtatua quoq; in Vulcanali eſt erecta, ſeu in Comitio. Liv. l. 2. c. 9. & ſeq. Aurel. Victor. &c.

Mutius.] C. Mutius Cordus, nobilis adoleſcens, cui poſtea a dextræ manus clade Scævolæ cognomen inditum, ut ait Livius, nimirum quod exuſtæ loco dextræ uteretur ſiniſtra, quæ Græcis σκαιά *Scæva*, & per diminut. *Scævola*: vel a σκαιά, & *vola*. Hic obſideri populum Romanum indignum ratus, in Porſennæ caſtra penetravit, ipſumque Regem, ſi purpurati qui aderat, ſimilitudo non fefelliſſet, bellumq; pariter omne, ſuſtuliſſet. Adeo facere & pati fortia Romanum eſt. Quo inſuper manum igne cremante ſtupefactus rex, acceptis obſidibus, a Romano bello deſtitit. Vide Liv. l. 2. c. 12. Aurel. Victor. &c.

265. *Imperii fines.*] Nondum ultra Tiberim prolatos, quo ab Etruſcis diſcernebatur Romanum Imperium.

Tiberinum virgo natavit.] Clælia virgo nobilis, inter obſides Porſennæ data, fruſtrata cuſtodes, equum, quem fors obtulit, arripuit, trajectoque Tiberi, agmen ſociarum Romam reduxit. Aurel. Victor. Tit. liv. c. 13. l. 2.

266. *Occulta ad patres produxit crimina ſervus.*] Conjurationem de reducendis in urbem regibus Aquiliorum ſervus indicavit. *Præmium indici pecunia ex ærario, libertas & civitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus, & vindictæ nomen ab eo tractum: Vindicius enim vocabatur.* Tit. Liv. l. 2. c. 5.

297. *Matronis lugendus.*] An quod fuiſſet libertatis auctor & patriæ ſervator per indicium, ideo lugeri dignus extitit; quemadmodum annuo luctu Bruti mortem matronæ proſecutæ ſunt; An, quod ait vetus Schol. *Ob Lucretiam vindicatam, & quod ſub Tyranno vim patiebatur caſtitas matronarum?* An quia, ut, idem ſubjungit, Vindicium Brutus *ut conſervatorem patriæ non manumiſit, at velut delatorem dominorum cruci affixit: quod factum matronæ planxerunt?*

Matronis.] Gell. l. 18. c. 6. docet quæ matrona proprie; quæ materfamilias diceretur.

At illos.] Bruti & Aquilii filios, alioſque conjuratos, libertatis & patriæ proditores.

Verbera, &c.] Nam, ut ait Liv. cit. *Conſules in ſedem proceſſere ſuam, miſſique lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ſecurique feriunt: cum inter omne tempus pater, vultuſque & os ejus, ſpectaculo eſſet; eminente animo patrio inter publicæ pœnæ miniſterium.*

268. *Legum prima ſecuris.*] An quod prima hæc fuerit animadverſio ſecundum leges reſtitutas, cum Regum arbitrio omne jus antea contineri videretur? An quod omnia jura, inſigniaque primi Conſules tenuere, quoq; Brutus prior concedente Collega faſces habuit, qui non acrior vindex libertatis, quam deinde cuſtos fuit? Hæc Liv. init. l. 2. An quod hæc prima fuerit ultio, ex quo Brutus populum jurejurando adegerat, neminem Romæ regnare, nec eſſe quidquam in urbe paſſuros, unde periculum libertati foret? Ti. Liv. ibid. Virgil. Æneid. 6. ſub finem:

Vis & Tarquinios reges, animamque ſuperbam
Ultoris Bruti, faſceſque videre receptos?
Conſulis imperium hic primus, ſævaſq; ſecures
Accipiet, natoſque pater nova bella moventes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infelix.

269. *Malo pater tibi ſit Therſites.*] Præſtaret te filium eſſe hominis triobolaris, ignavi, ridiculi, modo tu bonus & fortis eſſes; quam bono fortique natum, degenerem, improbum & ſocordem eſſe.

Therſites.] Hic in exercitu Græcorum iners æque ac procax, fœdus ac turpis, Achilli etiam auſus convitiari, ab eo ictu pugni interfectus eſt. Homer. Iliad. 2

270. *Æacidæ ſimilis.*] Achilli, vel cuipiam alteri Æacidarum generoſo ſimilis, dignuſque Æaco patre, qui ob juſtitiæ famam judex apud Inferos a Plutone conſtitutus fertur.

Vulcaniaque arma capeſſas.] Invicta, qualia rogatu Thetidis matris Achilli fabricavit Vulcanus; eaq; tam ſcite capeſſas, quam Achilles olim juvenis, per hoc ab Ulyſſe detectus & ad bellum Trojanum abductus.

Quam

Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.
Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.
Majorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

quàm ut Achilles gignat te parem Therſitæ. Ac nihilominùs quantumvis longè trahas appellationem ac longè derives, ab aſylo turpi depromis originem. Quicumque primus extitit avorum tuorum, is vel paſtor fuit, vel id quod eloqui renuo.

ANNOTATIONES.

271. *Achilles.*] Thetidis ac Pelei filius, Græcorum fortiſſimus; Hectoris interfector, Trojæ expugnator, tantæ dux generoſitatis, ut ſi quem bellatorem egregium & invictum Imperatorem prædicare velis, Achillem nomines. Vide Gel. lib. 2. c. 11.

273. *Aſylo.*] Ab ἀ privativo & συλάω diripio, aſylum vocatur locus profugii, in quem confugientes facinoroſi quilibet ac legibus obnoxii impunitatem & ſecuritatem nanciſcuntur. Primum Athenis aſylum inſtituiſſe dicuntur Herculis poſteri, formidantes, eo mortuo, ne in ſe ulciſcerentur ii quos avus vexarat. Eorum exemplo Romulus aſylum, ſed alia mente fecit, nimirum ut novam urbem a ſe conditam incolis brevi repleret. Livius, Florus, Plutarchus, &c. Etiam apud Iſraelitas fuerunt urbes refugii juſſu Dei per Moyſem inſtitutæ, non pro ipſis tantum, ſed & pro advenis ac peregrinis. Numeror. c. 35.

Infami aſylo.] Nam ſine ullo diſcrimine ſervus an liber, integer an ſceleratus, omnes illuc admiſit Romulus, quin & iis domeſtica fugientibus mala ſponſorem ſe dabat, per ſpeciem religionis erga Deos, nihil eos ab inimicis accepturos detrimenti, ac ſi apud ſe manerent, civitatis jus daturum, & partem agri quem bello quæſiiſſet. Dionyſ. Halicarn. lib. 2.

275. *Paſtor fuit.*] Collegit enim primo paſtores Romulus & ipſe paſtor, atque adoleſcens inter paſtores latrocinatus: Eutropio teſte, initio libri primo. Varro de R. Ruſt. l. 2. c. 1. *Romanum*, inquit, *populum à paſtoribus eſſe ortum, quis non dicit? Quis Fauſtulum neſcit paſtorem fuiſſe, nutritium & educatorem Remi ac Romuli, &c.*

Illud quod dicere nolo.] Præ pudore & verecundia nimirum: ſicarius, parricida, latro, raptor, ſpurius, ſacrilegus, &c. nam ex ejuſmodi hominum colluvie conflatus eſt initio populus Romanus. Ipſum quidem Romulum jam, ex Eutropio, latronem diximus; fraticidam omnes referunt; ſpurium ſatis indicant tum alii, cum Dion. Halic. l. 2. ubi ait, Remum quidem ac Romulum per matrem ab Ænea ortos; at de patre eorum nihil eſſe certi. Adde inceſtuoſam eorum matrem Iliam; & raptores Sabinarum virginum Romanos. Juſt. l. 38. *Tales*, inquit, *Reges Romani habuere, quorum etiam nominibus erubeſcant: aut paſtores Aboriginum, aut haruſpices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut ſervos vernaſque Tuſcorum; aut, quod honoratiſſimum inter hæc nomen, Superbos, &c.*

SATIRA IX.

SCire velim quare toties mihi, Nævole, triſtis
Occurras fronte obducta, ceu Marſya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprenſus habebat

INTERPRETATIO.

O Nævole, diſcere cupio, quamobrem ſæpe mœſtus obvius mihi ſis, fronte contractâ, velut Marſyas ſuperatus. Quid tibi eſt rei *cum facie,*

ANNOTATIONES.

1. *Scire velim.*] Faceta quidem hæc Satira, ſed imprimis obſcœna. Dialogus eſt Nævolum inter & Poëtam noſtrum de multiplici & infanda veterum illorum turpitudine. Nos per tot lubrica ſuſpenſo pede tranſcurremus, ſatius exiſtimantes intacta multa relinquere, quam aures menteſque caſtas inquinari. Vide quæ ſcripſimus in Præfatione noſtra, ſub finem.

Nævole.] Hic miniſter impurus erat ſenis impudici nomine Virronis.

2. *Marſya victus.*] Phrygius ille Tibicen vel Satyrus Apollinem provocare auſus, ab eo victus non ſine ludibrio, & excoriatus eſt. Ovid. Metamorph. 6. Fab. 5. Vide Apuleium Florid. cap. 3.

Ravola

Digitized by Google

Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba ?
Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſervo.
Non erat hac facie miſerabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem uſuram præſtare paratus
Circuit, & fatuos non invenit. Unde repente
Tot rugæ ? Certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva joco mordente facetus,
Et ſalibus vehemens intra pomæria natis.
Omnia nunc contra. Vultus gravis, horrida ſiccæ
Silva comæ; nullus totâ nitor in cute ; qualem
Præſtabat calidi circumlita faſcia viſci ;
Sed fruticante pilo neglecta, & ſquallida crura.
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domeſtica febris ?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia : ſumit utrumque
Inde habitum facies : igitur flexiſſe videris
Propoſitum, & vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim (ut repeto) fanum Iſidis & Ganymedem

qualis erat Ravola intercepto prope *Rhodopen* * * * * * * * *Nos alapam impingimus famulo placentas delingenti. Mærentior eo vultu non erat Crepereius Pollio, qui vagatur promptus ſolvere fænus triplex, atque ſtolidos non reperit. Undè ſubito tot rugæ ?* Nuper *quidem parvo contentus exhibebas ſervum Equitem, feſtivus epulo ſalſa dicacitate, atque acer jocis intra mœnia provenientibus. Cuncta jam mutata : ſevera facies, aridorum crinium inculta ſilva, in omni pelle nullus ſplendor, qualem conferebat vitta fervente viſco inuncta : at crura pullulantibus pilis contempta & ſordida. Cur macilentus* es tanquam *morbidus antiquus, quem adurit quarta lux pridem, atque febris dudum familiaris ? in corpore morboſo reperias occultos mentis cruciatus, reperias quoq; lætitiam. Hinc vultus trahit hanc & illam affectionem. Appares ergo mutâſſe inſtitutum, atq ; pergere oppoſitus præcedenti vivendi* modo. *Nam haud ita pridem, ſicut revolvo, tu adulter Aufidio famoſior conſueveras frequentare templum Iſidis, atque Ganymedem*

ANNOTATIONES.

4. *Ravola.*] Quidam libidine infamis.

Rhodopes.] Hæc meretrix e Thracia inſignis pyramidem laudatiſſimam ſtruxit ex opibus impuro quæſtu accumulatis, ne quis regum ſumptus & divitias miretur, ut ait Plin. lib. 36. c. 12. Ejus etiam meminit Herodot. lib. 2.

5. *Nos Colaphum incutimus.*] Servus in facinore deprehenſus non impune fert ; cur igitur Ravola non plectitur ?

6. *Crepereius Pollio.*] Luxuria perditus nepos decoctis bonis quærit & circumſpicit, quis velit pecunias credere ſpondenti triplicem uſuram ; at mœſtus abit, quod neminem invenit ſatis fatuum, qui credat ſibi certe nihil redituro.

8. *Unde repentè Tot rugæ ?*] Unde repentina tibi, Nævole, hæc triſtitia ?

Agebas Vernam equitem.] Tu verna licet, videbaris eſſe Eques Romanus, adeo jocularis, lepidus & convivio facetus eras. Jocoſa erat apud Romanos appellatio, *Verna eques.* Quid proprie verna, diximus ad Sat. 1. v. 26.

11. *Intra pomaria nati.*] Urbanis, non ruſticis & agreſtibus. *Pomarium* vocatur locus ille vacuus prope muros urbis, quem nec habitari fas erat, nec arari.

12. *Horridâ ſiccæ ſilva comæ.*] Capilli velut arbores rigidi, non ſunt ut ante unguento delibuti ac nitentes.

14. *Præſtabat calidi circumlita faſcia viſci.*] Pſilothrum, id eſt, medicamentum ad depilandum corpus faſcia circumligatum. Illud erat e reſina, cera & viſco. Plin. lib. 24. c. 4. *Viſcum,* inquit, *cum reſina & cera panos mitigat omnis generis.* Porro verius iſte in quibuſdam ita legitur.

Bruttia præſtabat calidi tibi faſcia viſci.

Certe Plin. lib. 14. c. 20. cum pudore fatetur reſinæ uſum eſſe præcipuum in evellendis e virorum corporibus pilis ; & paulo poſt picem ac proinde reſinam probari maxime Bruttiam, ait. Brutti vero Italiæ populi, tenebant olim Calabriam Citeriorem & Ulteriorem.

15. *Fruticante pilo neglecta, &c.*] Vide Sat. 1. v. 115. Annot.

17. *Quarta dies.*] Quartana febris diuturna.

18. *Deprendas animi, &c.*] Iſta tua corporis ægritudo naſcitur ex animi quadam ægritudine.

22. *Ut repeto.*] Quantum memini, repetens animo.

Fanum Iſidis.] Vide Sat. 6. v. 488.

Ganymedem Pacis.] Statuam Ganymedis in Pacis templo prope forum a Veſpaſiano extructo. Illuc impuri conveniebant. Vide Satir. 5. ver. 59.

Digitized by Google

Pacis, & advectæ ſecreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non proſtat fœmina templo ?
Notior Aufidio mœchus ſcelerare ſolebas,
Quodque taces, ipſos etiam inclinare maritos.
Utile & hoc multis vitæ genus: at mihi nullum
Inde operæ pretium. Pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri craſſique coloris,
Et male percuſſas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum venæque ſecundæ.
Fata regunt homines. Fatum eſt & partibus illis,
Quas ſinus abſcondit. Nam ſi tibi ſidera ceſſant,
Nil faciet longi menſura incognita nervi;
Quamvis te nudum ſpumanti Virro labello
Viderit, & blandæ aſſiduæ denſæque tabellæ
Sollicitent; αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος.
Quod tamen ulterius monſtrum, quam mollis avarus ?
Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tuliſti.
Computat, atque cavet. Ponatur calculus, adſint
Cum tabula pueri: numera ſeſtertia quinque
Omnibus in rebus; numerentur deinde labores.
An facile & pronum eſt agere intra viſcera penem
Legitimum, atque illic heſternæ occurrere cœnæ ?
Servus erit minùs ille miſer, qui foderit agrum,
Quam dominum. Sed tu ſane tener, & puerum te,
Et pulchrum, & dignum cyatho cœloque putabas.
Vos humili aſſeclæ, vos indulgebitis unquam
Cultori, jam nec morbo donare parati ?
En cui tu viridem umbellam, cui ſuccina mittas

Pacis, & ædes arcanas parentis adductæ, & Cererem, (Enimverò quo in fano mulier non ſe proſtituit ?)
* * * 2 * * * * *
Illud etiam vivendi inſtitutum pluribus eſt *fructuoſum: mihi vero nulla hinc merces laboris. Interdum recipimus craſſas penulas, togæ integumentum aſperi, ac denſi coloris, atque imperitè contextas pectine artificis Galli;* item *exile argentum ac vena ſecundaria, at Sors homines gubernat* * * *
* * * * 5 * * * *
Attamen quodnam deterius portentum quam avarus effœminatus? Iſta largitus ſum, inquit; *poſt illa dedi, deinde majora accepiſti. Numerat & obſervat; adhibeatur calculus, accedant famuli cum tabella: computa quinque ſeſtertia cunctis in negotiis; poſt recenſeatur opera.*
* * * * 2 * * * * *
Ejuſmodi famulus non tam erit infelix, qui campum araverit, quàm qui *dominum coluerit. At tu profectò delicatus, & juvenculum te, & formoſum exiſtimabas, & dignum ſcypho ac cœlo. Vos obſequenti clienti vos excolenti* an liberaliter *donabitis aliquando, ne quidem proclives nunc dare libidini? Ecce cui tu praſinum umbraculum, cui magna ſuccina mitteres*

ANNOTATIONES.

23. *Advectæ ſecreta palatia matris.*] Ædificatum in palatio Fanum Cybeles e Phrygia Romam advectæ. Vide Sat. 2. v. 101. Sat. 3. v. 138. & Sat. 6. v. 512.

24. *Cererem.*] Templum etiam Cereris, ad cujus miniſterium non niſi caſtæ admittebantur. Vide Sat. 6. v. 50. Illud erat Romæ ad circum maximum: Plinio teſte lib. 35. c. 12.

25. *Aufidio.*] Inſigni mœcho.

27. *Utile & hoc multis, &c.*] Huc uſque Poëta. Jam Nævolus reſpondet.

28. *Pingues lacernas.*] Pallia contra pluviam togæ ſuperindui, & apud Gallos confici ſolita e lana pingui & craſſiore. Vide Sat. 7. v. 221. Martial. lib. 4. Epigramm. 19.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam
Mittimus, &c.

30. *Pectine.*] Quo inſtrumento ſtamini ſubtegmen inferitur, ac tela denſatur.

31. *Venæque ſecundæ.*] Proinde minus purum minuſque pretioſum.

40. *Cavet.*] Ne plus accipiat ſervulus. Alii legunt, *cavet*, id eſt, agitatur inſtar canis hero blandientis.

41. *Seſtertia.*] Vide Sat. 1. v. 92. annot.

47. *Tu ſane tener, &c.*] Nævolus ironice hæc ad Virronem hiſpidum, ac ſenio deformem.

47. *Dignum Cyatho, &c.*] Dignum qui Jovi eſſes pocillator, velut alter Ganymedes.

50. *Umbellam.*] Velum inſtar parvi conopei ad æſtum ac ſolem a capite arcendum. Martial. lib. 14. Epigram. 28.

Accipe quæ nimios vincant umbracula ſoles.

Succina.] Vaſa vel armillas e ſuccino. Vide Sat. 6. v. 573.

Grandia

Digitized by Google

quando recurrit dies nativitatis, vel initio veris humidi: atque ſtipatâ & amplâ ſede collocatus attractas dona Kalendis muliebribus ſepoſita. Loquere, paſſercule, eccuinam reſervas tot montes, tot latifundia in Apulia, tot milvos intra paſcua tua defeſſos? Campus Trifolinus te replet vineis fertilibus & vertex Cumis, formidoloſus, & Gaurus vacuus.

Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit; & ſtrata poſitus longaque cathedra
Munera fœmineis tractas ſecreta Kalendis.
Dic, paſſer, cui tot montes, tot prædia ſervas
Appula, tot milvos intra tua paſcua laſſos?
Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suſpectumque jugum Cumis, & Gaurus inanis.

ANNOTATIONES.

51. *Natalis quoties redit.*] Quo die miſſitari dona conſueverant amicis.

Madidum ver Incipit.] Verna tempeſtas crebris eſt imbribus humida. Vide Macrob. lib. 7. Saturnal. c. 5.

Ver incipit.] Varro de Re Ruſt. lib. 1. c. 28. *Dies primus eſt veris in Aquario, die 23. hujus ſigni —— Ver continet dies 91, quæ ſi rediganter ad dies civiles noſtros, veris initium erit 7. Idus Febr. &c.* Plin. lib. 18. c. 25. *Inter brumam & æquinoctium die 45. Flatus Favonii, vernum tempus, &c.* Hic vero Juvenalis intelligit Kalendas Martias, anni Romani principium: nam & tunc mos erat munera viciſſim mitti, præſertim fœminis ab amatoribus, & his quoque ab illis. De anni Romani principio vide Cœl. Rhodig. l. 1. c. 9. Alex. ab. Alex. l. 3. c. 24.

52. *Strata poſitus longaque cathedra.*] Cervicalibus & tapetibus inſtrata, ad excipiendum inde donatores & dona, ex inſtituta conſuetudine.

53. *Munera fœmineis tractas ſecreta Kalendis.*] Deſtinata munera pro Kal. Martiis, ut dictum eſt. Sueton. Veſpaſ. c. 19. *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Kalendis Martii fœminis*, Horat. lib. 3. Od. 8.

Martiis cœlebs quid agam Kalendis?

——— ——— ——— ———

Hic dies anno redeunte feſtus.

Ovid. Faſt. 3.

A te principium Romano ducimus anno.
Primus de patrio nomine, menſis erit, &c.

Tibull. init. lib. 3.

Martis Romani feſta venere Kalendæ.
Exoriens noſtris hic fuit annus avis.
Et vaga nunc certa diſcurrunt undiq; pompa
Perque vias urbis munera perque domos.

Vide & Martial. lib. 5. Epigram. ult. Kalendis Martiis celebrabantur Matronalia in memoriam belli tunc per Sabinas compoſiti. Ovid. lib. 3. Faſt. Omnes præterea Kalendæ Junoni erant ſacræ. Et ad hæc fortaſſe reſpexit Juvenalis, cum fœmineas dixit Kalendas.

Kalendis.] A καλῶ, *voco*, quod ea die, qua novæ Lunæ aſpectus primum erat obſervatus, peracto ſacrificio Pontifex calata, id eſt, vocata in Capitolium plebe, quot dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent pronunciabat, &c. Itaque Kalendas vocari placuit primum ex illis diebus qui calarentur. Vide Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 12. & 15.

54. *Dic, paſſer.*] Nævolus de Virrone avaro hæc: O ſenex laſcive, & ſalax inſtar paſſeris, dic, &c. Paſſeres in Venerem pronas eſſe aviculas, quarum eſus enim ad libidinem excitet, ac proinde Veneris currum ab his trahi, ſcribit Athen. lib. 9. cap. 10. paſſeribus notam voluptatem eſſe ait. Cic. 2. de Finib. c. 75. Idem Plinius, atque ob ſalacitatem minus vivaces eſſe teſtatur, lib. 10. cap. 36.

Montes.] Vineis conſitos.

55. *Appula.*] *Apulia*, fertilis Italiæ regio, paſcuis etiam læta, nunc continetur Capitanata & parte Baſilicatæ.

Tot milvos intra, &c.] Agros tam longe lateq; patentes, quos milvi oberrando & tranſvolando fatigentur. Vide Perſ. 4. v. 26.

56. *Trifolinus ager.*] Hodie, *Monte dl S. Martino*, haud procul Neapoli, trifoli herbæ copiam, & inde nomen habet; optimi etiam vini ferax, Ex Athen. l. 1. c. 21. Trifolinum vinum Surrentino craſſius ſero vigorem adipiſcitur. Plin. l. 14. c. 6. Campaniam vinis ſcribit etiam trifolinis ſemper gloriatam, non ſecus ac Trebellicis ad quartum a Neapoli lapidem. Martial. lib. 13. Epigramm. 114.

Non ſum de primo, fateor, Trifolina lyæo.

57. *Suſpectumque jugum Cumis.*] Mons Miſenus ita Cumis imminens, ut eas obruturus videatur, & hinc ſuſpectus. Vel potius, qui Cumis ſuſpicitur, a quibus diſtare aiunt tribus circiter paſſuum millibus.

Cumis.] Vide Sat 3. v. 2.

Gaurus.] Mons eſt Campaniæ Puteolis vicinus. Plin. l. 14. c. 6. cit. ait, *Summis collibus Gauranum vinum gigni.* Et paulo poſt, *certant Maſſica aque ex monte Gaurano Puteolos Baiaſque proſpectantia.*

Gaurus inanis.] Nimirum poſt vindemias. Vel quia ſpoliatus eſt arboribus, & ſolis venetis vacat: vel quod eſt concavus, & vaporiferos ſpecus habet. Hos omnes ſenſus affert Schol. primus omnium maxime arridet.

Nam

Digitized by Google

Nam quis plura linit victuro dolia muſto?
Quantum erat exhauſti lumbos donare clientis
Jugeribus paucis? Meliuſne hic ruſticus infans
Cum matre, & caſulis, & cum luſore catello
Cymbala pulſantis legatum fiet amici?
Improbus es, cùm poſcis, ait; ſed penſio clamat,
Poſce: ſed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam ſolers evaſit Ulyſſes:
Alter emendus erit; namq; hic non ſufficit; ambo
Paſcendi, quid agam brumâ ſpirante? Quid, oro,
Quid dicam ſcapulis ſervorum menſe Decembri,
Et pedibus? Durate, atque expectate cicadas?
Verum ut diſſimules, ut mittas cætera, quanto
Metiris pretio, quòd ni tibi deditus eſſem
Devotuſque cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certè quibus iſta modis, quàm ſæpe rogâris,

Ecquis enim plures vini duraturi cados inungit? Quam magnum fuiſſet aliquot jugera dare aſſeclæ ſpoliato? An ille agreſtis puer cum parente ac tuguriolis, cumque cane colludente, potiùs efficietur legatum familiaris tympana percutientis? Moleſtus es quando petis, inquit Virro; *at ſolutio* facienda *vociferatur, pete; at vocat famulus ſolus, ſicut oculus ingens Polyphemi, per quem elapſus eſt Ulyſſes callidus: ſecundum mercari oportebit, nec enim ille eſt ſatis, duo nutriendi. Ecquid faciam, hyeme flante? Quid quæſo? Quid loquar* nudis *menſe Decembri famulorum humeris ac pedibus?* Dicamne *ſuſtinete, & cicadas expectate: Sed quamvis diſſiteare, quamvis prætermittas alia, quanto pendis merito, quod niſi tibi fuiſſem addictus & obſequens aſſecla, conjux tua virgo ſupereſſet? Nôſti quidem quâ ratione & quàm frequenter ea poſtulaveris,*

ANNOTATIONES.

58. *Quis plura linit, &c.*] Quam tu, o Virro, tot vinetis optimis dives & abundans, neque propterea liberalior?

Linit.] Pice, limo, gypſo obturat; ac recondit plures in annos ſervandum. Vide Perſ. Sat. 4. v. 29. & Sat. 5. v. 148. atque ibid. Annot.

Muſto.] Recenti vino.

59. *Quantum erat.*] Quantula res fuiſſet largiri prædiolum clienti pro tot laboribus.

60. *Jugeribus.*] Qui proprie *jugerum*, alibi diximus, nimirum Sat. 3. v. 142.

Meliuſne hic ruſticus infans, &c.] An melius erit teſtamento legari a te prædium, ancillam, ſervum, Sacerdoti Cybeles, ut tu, impuro?

Infans cum matre.] Verna, an ancilla quæ eum domi genuit.

62. *Cymbala pulſantis.*] Vide Sat. 6. v. 515. & Sat. 8. v. 176.

Legatum fiet.] Teſtamento dabitur ac relinquetur Gallo legatorio. Vide Alex. ab Alex. l. 1. c. 1. Codices nonnulli habent, *legatus*, ſed male, ut aſſerit Lipſius Epiſtolic. qu. l. 4. Epiſt. 25.

Amici.] Libidinum ſocietate & conſuetudine tecum juncti.

63. *Sed penſio clamat.*] Reſpondet Nævolus; at cogor poſcere, cum urget penſio exſolvenda pro conducto agello, vel domicilio; tum quia emendus eſt alter ſervus, uno mihi non ſufficiente; atque ambo ſunt alendi, veſtiendique.

64. *Ut Polyphemi lata acies, &c.*] Sicut Polyphemus interiit, quod unicum haberet oculum, quo effoſſo Ulyſſes evaſit, quod non ita contigiſſet, ſi geminum ille habuiſſet; ſic ego unicum habens ſervum verſor in diſcrimine rerum mearum; atque ut in vado ſim, alter neceſſario eſt emendus.

Polyphemi.] In Sicilia degebat μονόφθαλμος ille Cyclops diræ feritatis, qui duos Ulyſſis ſocios devoravit, ipſe vero acuto ſtipite excœcati manus effugit cum reliquis ſociis. Vide plura apud Homer. Odyſſ. 9. Ovid. Metamorph. 13. Fab. 8. Virgil. Æneid. 3.

65. *Lata acies.*] Virgil. mox cit.

——Telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva ſolum ſub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis inſtar.

Acies.] Vide egregiam oculi deſcriptionem, apud Tullium, 2. de Natura Deorum, c. 142. ubi aciem pupillam vocari docet.

Ulyſſes.] Is eſt conſilio & prudentia inter Græcos Heroas clarus, quum celebrat Homerus tota Odyſſea.

67. *Bruma ſpirante.*] Hyeme ſæviente, & flantibus Aquilonibus. Quid *bruma*, vide Sat. 6. v. 152. & Perſ. Sat. 6. v. 1.

69. *Expectate cicadas.*] Donec cicadæ appareant & canant, æſtivo nimirum tempore. Vide Plin. lib. 11. c. 26, & 27. Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 6.

& quibus promiſſis adoleſcentulam abeuntem retinui non ſemel * *Etiam tabellas fregerat, jamq; ſubſcribebat. Vix ego* illam *per eam noctem integram reconciliavi, te extrà lacrymante. Cubile* dat *mibi teſtimonium, tu quoq;* * * * I * * * * *Connubium vacillans & incipiens diſſolvi, quinimò ferè diviſum pluribus in ædibus mœchus confirmavit. Quam* in partem *te vertas? Qua priori, qua poſteriori* loco *adbibeas? Nullum igitur beneficium eſt, ingrate ac perfidioſe, nullum, quod tibi infantulus aut infantula de me exoritur? Nam educas, & lætaris geſtorum commentariis viri ſigna inſerere. Janua corollas appende: nunc es parens: donavimus quod queas contra rumorem afferre: poſſides jura patris: per me ſis hæres: legatum integrum nanciſceris, quinetiam incertum ſuave: plurima incertis inſuper accedunt emolumenta, ſi numerum, ſi ternos complevero. O Nævole, legitima* eſt *tui luctûs*

Et quæ pollicitus. Fugientem ſæpe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, & jam
Signabat. Tota vix hanc ego nocte redemi,
Te plorante foris. Teſtis mihi lectulus, & tu,
Ad quem pervenit lecti ſonus, & domini vox.
Inſtabile, ac dirimi cœptum, & jam penè ſolutum
Conjugium in multis domibus ſervavit adulter.
Quò te circumagas? Quæ prima, aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum eſt, ingrate ac perfide, nullum
Quòd tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri. Foribus ſuſpende coronas:
Jam Pater es: dedimus quod famæ opponere poſſis.
Jura parentis habes; propter me ſcriberis hæres.
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.
Commoda præterea junguntur multa caducis,

ANNOTATIONES.

Fugientem ſæpe puellam.] A te abhorrentem libidinibus effœminato retinui non ſemel; cum vellet divortium facere, ob impotentiam tuam. Erant enim ſolemnia hæc verba matrimonialibus tabulis inſcripta: *procreandorum cauſa liberorum uxorem duci.*

75. *Jam ſignabat.*] Matrimoniale pactum cum alio jam inierat, jamque dotales tabulas ſignaturus erat, teque deſtituebat, niſi ego intercesſiſſem

81. *Quo te circumagas.*] Ut excuſandi te rationes invenias.

84. *Libris actorum.*] Servius Tullius Romanorum Rex, ut ſubditi ſibi populi ſciret numerum, juſſit parentes profiteri natos ſibi liberos, eorumque nomen ac natalem in commentarios referri. Apuleius, Apolog. ſic habet: *Pater ejus natam ſibi filiam more cæterorum profeſſus eſt. Tabulæ ejus partim tabulario publico, partim domo aſſervantur ——— ſigna quæ impreſſa ſunt recognoſcat, Conſules legat, annos computet, &c.* Auguſtus etiam Cæſar cives Imperii Romani deſcribi juſſit. Evangl. Luc. c. 2.

85. *Argumenta viri.*] Procreatam ſobolem.

Foribus ſuſpende coronas.] In ſignum lætitiæ, atque ut filios ſibi natos ſignificarent veteres, ſertis & floribus ædium ſuarum fores ornare conſueverant,

87. *Jura parentes habes.*] Ad augendas Imperii vires, atque amplificandam civium multitudinem, pœnas quaſdam in cœlibes orboſque fuiſſe conſtitutas, & contra præmiis affectos parentes conſtat, idque tum apud Romanos, tum apud alias gentes. Ex Plutarchi libro de naturali in prolem amore; animantia legem de cœlibatu ac ſeriis nuptiis non reſpiciunt, Lycurgi ac Solonis cives; non timent infamiam orborum, nec jus trium liberorum captant, ut Romanorum plurimi, qui uxores ac liberos quærunt, non ut hæredes habeant, ſed ut ipſi eſſe hæredes poſſint. Plin. Procem. lib. 14. ſic. habet: *Poſtquam cœpit orbitas in auctoritate eſſe, peſſum iere vita pretia, voluptas vivere cœpit, vita ipſa deſiit.* Inter alia Cenſorum officia, illud numeratur: quærere de orbitate ac cœlibatu, & contumaces plectere. Et quidem a Furio Camillo, ſubindeque a Q. Metello mulctati referantur cœlibes pecunia, & hanc in ærarium ferre juſſi. Vide Alex. ab Alex. lib. 3. c. 13.

Scriberis hæres.] Qui cœlebs aut orbus erat, non poterat hæres aut legatarius, ſaltem a quocunque, vel in totum, inſtitui.

88. *Legatum omne capis.*] Qui filios habes nimirum. At vero legati pars decima, ſi liberis careres, fiſco addiceretur. Ex lege Papia.

Caducum.] Legatum ex conditione, v. g. ſi liberi adfuerint. Tu itaque ſi jam ſubſtitutus fueris hæres alicui, quando liberis caruerit; quin & propriis filiis morientibus; tunc tibi obveniet legatum dulce, quod non expectabas, & ab illis in te cadet.

89. *Commoda præterea, &c.*] Nam qui liberos ſuſceperant, in publicis muneribus præferebantur, & certis gaudebant immunitatibus ac privilegiis.

Si

Si numerum, ſi tres implevero. Juſta doloris,
Nævole, cauſa tui: contrà tamen ille quid affert?
Negligit, atq; alium bipedem ſibi quærit aſellum.
Hæc ſoli commiſſa tibi celare memento,
Et tacitus noſtras intra te fige querelas.
Nam res mortifera eſt inimicus pumice lævis.
Qui modò ſecretum commiſerat, ardet, & odit;
Tanquam prodiderim quicquid ſcio. Sumere ferrũ,
Fuſte aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat. Nec contemnas, aut deſpicias, quòd
His opibus nunquam cara eſt annona veneni.
Ergò occulta teges; ut curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, ſecretum divitis ullum
Eſſe putas? Servi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis, & poſtes, & marmora: claude feneſtras,
Vela tegant rimas, junge oſtia, tollito lumen

ratio: attamen quid iſte opponit? Contemnit, & alterum ſibi inveſtigas aſinum duorum pedum. Iſta uni tibi credita tegere ſis memor, atq; meas querimonias reconde ſilens in animo *tuo. Res enim lethalis eſt adverſarius pumice politus. Qui nuper arcanum crediderat, excandeſcit atq; averſatur, quaſi revelârim quacumq; novi: gladium arripere, baculo caput findere, januæ facem adhibere non veretur. Neq;* verò *negligas vel aſperneris, quoniam divitibus ejuſmodi toxici emptio carior nunquam habetur. Itaq; ſecreta celabis, ſicut Athenis Martis concilium. O Corydon, Corydon,* an *aliquod eſſe credis opulenti arcanum? licet famuli ſileant, jumenta prædicabunt, & catellus, valvæ, & marmora. Obſtrue feneſtras, rimulas abſcondant ſparia, valvas comprime, aufer candelam*

ANNOTATIONES.

90. *Si numerum, ſi tres implevero.*] Qui tres habebat liberos, a tutela excuſabatur, teſſeram frumenti triplicem accipiebat, in ſumendis faſcibus primas obtinebat. Vetus Schol. Appian. l. 2. Plutarch. cit. Cornel. Tacit. Annal. 2. *De Prætore ſubrogando certamen inceſſit; Germanicus atq; Druſus Agrippam fovebant: contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex jubebat.* Agell. l. 2. c. 15. morem hunc a Lacedæmoniis Romanos accepiſſe ſcribit; & Lycurgum quidem, cum civitati ſoboles neceſſaria foret, præmiis & invitamentis uſum, tumq; antelatos quibuſdam in rebus, qui uxores, quiq; liberos haberent. Sicut & ſeptimo capite legis Juliæ, ſumendi faſces priori Conſuli ſit poteſtas ei non qui plures annos, ſed qui plures liberos, quam collega habet, &c. Vide & Alex. ab Alex. l. 4. c. 8. Porro jus trium liberorum aliquando conceſſum orbis, teſtatur Martial. lib. 2. Epigramm. 91.

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut eſſe trium.

Et Epigrammate ſequenti.

Natorum mihi jus trium roganti
Muſarum pretium dedit mearum
Solus qui poterat; valebis uxor.

Juſta doloris, &c.] Verba ſunt Poëtæ.

92. *Negligit, &c.*] Reſpondet Nævolus, ſe jam a Vironne deſpici.

Bipedem aſellum.] Servum ad omnia paratum, bardum, robuſtum, aſelli inſtar.

95. *Pumice lævis.*] Vide Sat. 8. v. 16.

96. *Qui modò ſecretum commiſerat, &c.*] Ipſe Virro, qui modo carum me habebat, jam odit.

98. *Candelam apponere valvis.*] Domum meam incendere.

100. *Veneni.*] Quo enecent eum a quo timent evulgari ſuas libidines.

101. *Ut curia Martis Athenis.*] Sis ergo tam taciturnus quam Areopagita. Proverbium apud Eraſmum; inde natum quod Judices Areopagi non voce, ſed characteribus ferebant ſententiam. Præterea non interdiu ſed noctu judicabant, ut non dicentes ſed dicta dumtaxat attenderent. Vide Annot. ad Perſ. Sat. 4. v. 13. ubi ait,

Et potis eſt nigrum vitio præfigere theta.

Curia Martis.] Areopagus, ἄρης, *Mars*, & πάγος, *collis*, ſeu *vicus*, apud Athenas, ubi primum capitis judicium factum eſt ex Plin. l. 7. c. 56. Areopagitæ tacentes judicant, teſte Macrob. l. 7. Saturnal. c. 1. & noctu quidem: ex Lucian. Dial. ibidem accuſatum homicidii apud Deos a Saturno Martem abſolutum aiunt. S. Auguſt. de Civ. Dei. Illud autem Concilium, quod erat Senatorum quingentorum a Solone conſtitutum eſſe, ex vulgatiori fama refert Plutarchus in Solone. Vide & Cœl. Rhodig. l. 12. c. 19. & Alex. ab Alex.

Athenis.] Vide Sat. 7. v. 205.

102. *O Corydon, Corydon.*] Nævole demens, ruſtice, rerum imperite. Ex Virgil Eclog. 2.

Secretum divitis ullum.] An aliquid poteſt clam perpetrare is qui plures habet ſervos natura garrulos & loquaces?

103. *Jumenta loquentur, &c.*] Propheta Habacuc. c. 2. *Lapis de pariete clamabit; & lignum, quod eſt inter juncturas ædificiorum, reſpondebit.*

Digitized by Google

E medio, clament omnes, propè nemo recumbat;
Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet, audiet & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri
Carptores. Quod enim dubitant componere crimen
In dominos, quoties rumoribus ulciſcuntur
Baltea? Nec deerit qui te per compita quærat
Nolentem, & miſeram vinoſus inebriet aurem.
Illos ergo roges quicquid paulò antè petebas
A nobis. Taceant illi, ſed prodere malunt
Arcanum, quam ſubrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Lauſella bibebat.
Vivendum rectè, cùm propter plurima, tùm his
Præcipue cauſis, ut linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars peſſima ſervi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit, illis
Quorum animas & farre ſuo cuſtodit, & ære.

e medio, cuncti vociferentur; nullus juxtà accubet: nihilominus ante lucem vicinus tabernarius accipiet quod agit iſte circiter alterum gallicinium; necnon reſciet quæ ſimul commenti ſunt librarius, coqui, pincerna. Ecquod enim ſcelus conſlare adverſùm heros verentur, quandocunq; ſermonibus vindicant balteorum verbera? *Invenietur etiam qui te per plateas invitum conſectetur, ac temulentus infelicem auriculam ebriam reddat. Ab iſtis igitur pete quodcunq; modò nos rogabas. Hi ſileant. At ſatius ducunt ſecretum evulgare, quam bibere* tantum *Falerni furtim* ablati, *quantum potabat Lauſella pro populo* Sacra *faciens. Vita probè* inſtituenda *eſt, multas quidem ob res, præſertim verò propter hanc rationem, ut ſpernas ſervorum linguas. Nam improbi famuli deterrima pars lingua* eſt. *Attamen is qui ſui juris haud fuerit, pejor eſt iis quorum vitam ſuſtentat ſuoque pane,* ſuâ *que pecunia.*

ANNOTATIONES.

106. *Clament omnes.*] Vocibus obſtrepant qui adſunt, ne audiant alii qui ſunt foris.

107. *Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi.*] Quod noctu ille perpetrat ac in tenebris.

Galli cantum] Cic. de Divin. l. 2. c. 57. *Democritus,* inquit, *explicat cur ante lucem galli canant. Depulſo enim de pectore & in omne corpus diviſo & modificato cibo, cantus edere, quiete ſatiatos: qui quidem ſilentio noctis, ut ait Ennius, favent faucibus: rurſus cantu plauſuque premunt alas.* Macrob. l. 1. Saturn. c. 3. noctem dividit hoc modo: primum tempus eſt mediæ noctis inclinatio, deinde gallicinium, poſt conticinium, cum & galli conticeſcunt, & quieſcunt homines, Plin. l. 10. c. 22. *Hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque ſomno natura genuit, norunt ſidera, & ternas diſtinguunt horas, &c.* Vide & Cœl. Rhodig. l. 16. c. 13.

108. *Caupo ſciet.*] Enarrantibus ſervis.

Quæ finxerunt, &c.] Famoſos libellos, ridiculas cautiones, atq; incondita carmina, de ſui domini obſcœnis libidinibus, nocturniſque flagitiis.

109. *Librarius.*] Vel qui libros deſcribit: vel qui lanas pendit, penſaque diſtribuit, quo ſenſu dixit, *libraria.* Sat. 6. v. 475.

Archimagiri. Ἀρχιμάγειρος, coquorum magiſter.

110. *Carptores.*] Structores menſarum, & ciborum ex arte ſciſſores. Vide Sat. 5. v. 120. ac ſeq. & ibid. Annot.

112. *Baltea.*] Ictus a dominis iratis ſibi inflictos loris, ſeu balteis, id eſt, cingulis e corio, quibus pendentes geruntur gladii.

113. *Inebriet aurem.*] Moleſte garriendo atq; effutiendo arcanas domini libidines, quas audire nolis.

114. *Quicquid paulo ante petebas.*] Silentium & taciturnitatem.

115. *Prodere malunt, &c.*] Quamtumvis ament ſubreptum potare vinum, majori tamen laborant prurigine evulgandi quæ domi fiunt, & clam ab hero patrantur.

116. *Subrepti.*] Solomon. Prov. in fine. c. 9. *Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior.*

Falerni.] Sat. 4. & 6.

117. *Faciens.*] Abſolute, id eſt, ſacrificans, Virgil. Ecloga 3.

Cum facies vitula pro frugibus.

Lauſella.] Alii, *Saufeias.* Sacrificula vino ſe ingurgitans, ut fit, dum Bonæ Deæ Sacra facit pro incolumitate Populi Romani. Vide Sat. 6. v. 313. & ſeq.

121. *Deterior tamen hic, qui, &c.*] Male certe loquacitas ſervi arcanum domini revelans: at profecto garrulis ac proditoribus famulis deterior eſt dominus, qui turpibus ſe mancipat vitiis, ac proinde ſervis quos alit obnoxius eſt, eorumque linguas jure timet, nuſquam liber.

122. *Farre.*] Quodlibet frumenti genus hic ſignificatur. Triplex notat Plin. l. 18. c. 8. triticum, ſiligo, far: hoc & ador, & adoreum vocatum eſt; & duriſſimum, & contra hyemes firmiſſimum ibidem perhibetur, ac primus antiquis

Idcircò

Digitized by Google

Idcircò ut poſſim linguam contemnere ſervi,
Utile conſilium modo, ſed commune dediſti:
Nunc mihi quid ſuades poſt damnum temporis, & ſpes
Deceptas? Feſtinat enim decurrere velox
Floſculus anguſtæ miſeræque breviſſima vitæ
Portio; dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.
Ne trepida: nunquam pathicus tibi deerit amicus,
Stantibus & ſalvis his collibus. Undique ad illos
Conveniunt & carpentis, & navibus omnes
Qui digito ſcalpunt uno caput. Altera major
Spes ſupereſt: tu tantum erucis imprime dentem.
Hæc exempla para felicibus. At mea Clotho

Ideò ut queam mancipii linguam non timere, rationem tribuiſti mox idoneam, at generalem: Jam quod mihi das conſilium, poſt jacturam temporis, atq; expectationis fruſtrationem? Nam elabi properat flos citus, pars minima vitæ brevis & ærumnoſa. Dum potamus, interim cùm petimus corollas, unguenta, adoleſcentulas, invadit ſenium improviſum. Ne metue; nunquam non tibi ſuppetet familiaris * dum *erunt ac ſubſiſtent iſti montes, ad eos undequaque cum curribus, tum navigiis affluunt univerſi, qui caput uno ſcabunt digito. Spes alia reſtat melior: tu ſolummodò erucas dentibus attere. Ea præbe fortunatis exempla. Mea verò Clotho*

ANNOTATIONES.

fuiſſe in Latio cibus. Capite vero præcedenti Populum Romanum ait farre tantum e frumento trecentis annis uſum. Farris etiam uſus in Sacris commendatur, unde & pium far vocitatum. Hinc & farreatio dicta, ſacrificium in quo farreum libum offerebatur, ad ſanciendas ſolemni ritu nuptias Sacerdotum. Meminit Plin. lib. cit. cap. 3. ubi ſic habet: *In Sacris nihil religioſius confarreationis vinculo erat: novæque nuptæ farreum præferebant, &c.* Vide Cœl. Rhodig. l. 28. c. 17. & Alex. ab Alex. l. 2. c. 5. Hinc & aliqui poſt Varronem, dici nefarium, quaſi indignum veſci farre: alii cum Aſconio, qui polluit Sacra farre peragi ſolita contendunt.

123. *Idcirco ut, &c.*] Loquitur Nævolus.

Commune.] Ad omnes æque ſpectans dediſti conſilium: nunc vero mihi da peculiare.

125. *Poſt damnum temporis.*] Poſt conſumptum fere ætatis robur, ſerviendo Virroni, ſine ulla mercede.

126. *Velox floſculus.*] Brevis adoleſcentia, floris inſtar marceſens, nec diu vigens.

128. *Dum ſerta, unguenta, puellas, poſcimus.*] Dum convivia, & comeſſationes conſectamur. Floribus enim coronati & unguentis delibuti veteres epulebantur. Horat. lib. 1. Od. ult. & lib. 3. Od. 29. & alii paſſim. Plutarch. Quæſt. conv. lib. 3. quæſt. 1.

130. *Ne trepida.*] Poëta Nævolum conſolatur.

131. *Salvis his collibus.*] Dum Roma ſtabit, ſeptem inædificata collibus. Hi ſunt Palatinus, Aventinus, Eſquilinus, Quirinalis, Cœlius, Viminalis, Tarpeius qui & Capitolinus. Sunt vero præterea Janiculus & Vaticanus. Martial. lib. 4. Epigramm. 64.

Hinc ſeptem dominos videre montes,
Et totam licet æſtimare Romam.

Propert. lib. 4. Eleg. 4.

Romani montes, & montibus addita Roma.

Ad illos conveniunt.] Velut ad emporium infame libidinum.

132. *Carpentis & navibus.*] Terra, marique.

133. *Qui digito ſcalpunt uno caput.*] Molles & effœminati, bene compti, qui ne capillorum ordinem turbent, uno tantum digito caput ſcalpunt. Deſumptum eſt e Calvo Poeta ſcomma in Pompeium, quod ita ſe habet:

Faſciola qui crura ligat, digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc ſibi velle virum?

Nempe ut refert etiam Amm. Marcel. l. 17. *In Pompeium obtrectatores iniqui multa ſcrutantes, cum nihil unde vituperari deberet, inveniretur; duo hæc obſervaverunt ludibrioſa & irrita; alterum quod genuino quodam more caput digito uno ſcalpebat, velut diſſolutus: alterum quod ulceris tegendi cauſa, crus faſciola candida colligabat, &c.* Et apud Plutarchum, Pompeium Clodius ita criminatur: *Quis imperator impudicitia laborat? Quis uno digito caput ſcabit? &c.* Lucianus mollitiei quoq; aſſignat, τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ κεφαλὴν κνᾶσθαι. Sic & Senecæ Epiſt. 52. inter impudicitiæ notas ponitur, digitus ad caput relatus.

Altera major ſpes ſupereſt.] O Nævole, amicum alterum Virrone meliorem invenies inter tot homines libidinoſos, quos undique vides quotidie Romam confluere.

134. *Erucis imprime dentem.*] Comede herbas imprimis calidas, quibus ad Venerem potens ac fortis efficiare. Talis eſt Eruca, quæ Priapo idcirco ſacra & vicina dicitur Columellæ; ſalax Ovidio; Veneris conciliatrix & extimulatrix, Plin. l. 19. c. 8. & alibi.

135. *Hæc exempla para.*] Reſpondet Nævolus. Quid jubes me ſperare meliora, quam fatum

Et Lacheſis gaudent, ſi paſcitur inguine venter.
O parvi, noſtrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exòrnare coronâ,
Quando ego figam aliquid, quo ſit mihi tuta ſenecta
A tegete & baculo? Viginti millia fœnus,
Pignoribus poſitis argenti vaſcula puri,
Sed quæ Fabricius Cenſor notet, & duo fortes
De grege Mœſorum, qui me cervice locatâ
Securum jubeant clamoſo inſiſtere circo?
Sit mihi præterea curvus cælator, & alter,
Qui multas facies fingat citò, ſufficient hæc,

& Lacheſis lætantur cum nutritur abdomen * *O modici ac mei Penates, quos parvo thure, vel farre, ſertiſq; exiguis decorare conſuevi, ecquando ego quidpiam figam, quo ſenecta mihi ſit immunis a ſtorea & ſcipione?* quando aderunt *viginti millia, uſura. datis pignoribus; vaſa optimi argenti, at quæ damnet Cenſor Fabricius; bini quoq; validi* ſervi *de natione Mœſorum, qui collo ſuppoſito faciant me tutum ſedere in amphitheatro tumultuoſo? Adſit mihi inſuper ſculptor inclinatus, atque alius qui celeriter effingat vultus plurimos.*

ANNOTATIONES.

vult eſſe inopem, ac tenui victu contentum eſſe, duris etiam meis laboribus vix parto?

Clotho, & Lacheſis.] Parcæ Fatorum Deæ, vitæ meæ præſidentes. Clotho, a *κλώθειν nere*, ſeu *glomerare*, appellata. Vide plura Sat. 3. v. 27. ad vocem, *Lacheſi.*

136. *Gaudent, ſi paſcitur.*] Gaudent me mea opera, meo miniſterio ac labore victum conſequi, & vix obtinere.

137. *Lares.*] Vide Sat. 8. v. 14. Annot. ad vocem, *Lare.*

138. *Farre.*] Supra: & Plin. lib. 18. cap. 2. Numa inſtituit, Deos fruge colere, mola ſalſa, &c.

Soleo exornare corona.] Legunt alii *exorare:* nam & floribus coronati veteres Diis ſupplicabant. Teſte veteri Scholiaſte.

139. *Quando ego figam aliquid, &c.*] Quando fixum quidpiam ac certum mihi ſtatuam; vel, quando aliquid captabo, ut ſit metaphora a venatoribus feras telis confixas capientibus.

Quo ſit mihi tuta ſenectus, &c.] Ne cogar victum mendicando quæritare, cum ſenex fuero.

140. *A tegete & baculo?*] Vide Sat. 5. v. 8. per tegetem, caſam mendici intelligit vetus Schol.

Viginti millia fœnus.] Ut mihi ſit annuus reditus viginti millium ſeſtertiorum, ex pecuniæ ſumma fœnori data

141. *Argenti vaſcula puri, ſed quæ, &c.*] Tot & talia argenti puri vaſa, quæ, ut olim, mereantur a Cenſore notari.

142. *Fabricius Cenſor notet.*] C. Fabricius Lucinus Cenſor, circa annum U. C. quadrigenteſimum ſeptuageſimum Pub. Corn. Rufinum, qui bis Conſul & dictator fuerat, Senatu movit, ſubſcripta notæ cauſa, quod eum comperiſſet argenti facti, cœnæ gratia, decem pondo habere. Ita Gel. l. 4. c. 8. & l. 17. c. ult. Teſtis & Valer. Maxim. l. 2. c. 9.

Duo fortes de grege.] Validi lecticarii duo ſervi e Mœſia; quæ regio eſt Illyrici Orientalis. Hac modo continetur Servia & Bulgaria.

143. *Qui me cervice locata, &c.*] Qui ſpectatum ludos me deferant ad circum. Eſt Juſt. Lipſ. Elect. 1. cap. 19. obſervabis ſellam potentiorum ampliorem & laxam fuiſſe: contra minutam tenuiorum & arctiorem, quam facile ferrent homines duo. Nam ſellis deportabantur in circum, ſive in theatrum, atque in iis etiam perſedebant. Et Epiſtolic. quæſt. Lib. 4. Epiſt. 25. Romani ſolebant robuſtiſſimos ſervos e Mœſia, vel etiam Syras adhibere ad ferendam ſellam aut lecticam.

144. *Clamoſo.*] Ob frequentes plauſus & acclamationes.

Circo.] Vide Sat. 3. v. 65. & 223. Annot.

145. *Curvus cælator.*] Incurvatus dum cælando incumbit.

Cælator, & alter, qui, &c.] Mihi ſuppetant, etiam ædibus exornandis cum vaſa affabre cælata, tum tabellæ pictæ atque imagines illuſtrium virorum: adſint igitur cælator, item pictor ſeu plaſtes: *opifices argentarii, anaglyphárii, laborioſi,* ut habet vetus Schol.

146. *Qui multas facies.*] Scaliger, aliique putant legendum, *qui maltha facies, &c.* proindeque non *pingat,* ſed, *fingat;* quod nonnullis placet; quibus ego aſſentior: nam ſenſus inde clarior efficitur, præſertim cum Juvenalis addat *citò.* Atque vix id pictori conveniat; bene vero plaſtæ, qui ex uno archetypo plures brevi typos, facies ac ſimilitudines effingit. Porro *maltha* vocatur cera liquidæ pici immixta. Item genus bituminis, ac tenacis limi. Plin. l. 2. c. 104. & l. 36. c. 24. ubi malthæ factitiæ rationem docet. Maltha ergo faciendis plaſmatis idonea fortaſſe hic ponitur.

Quando

Quando ego pauper ero; votum miſerabile, nec ſpes
His ſaltem: nam cum pro me fortuna rogatur,
Affigit ceras illæ de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige ſurdo.

Iſta ſatis erunt; cùm ego egens futurus ſim: preces calamitoſa, neque ſpes illis duntaxat. Etenim quando pro me ſors oratur, apponit ceras acceſitas ex eo navigio, quod Siciliæ cantiones evitavit ſurdo remige.

ANNOTATIONES.

147. *Quando ego pauper ero.*] Cum Lubino ſic interpretor; at enim iſta plus ſatis, inquit Nævolus. Quid exoptem plura, nihil plane conſecuturus, quando, id eſt, quoniam certe pauper ero? Itaque ſe & ſua vota reprehendit ac reprimit ille ſuæ conſcius infelicitatis.

Nec ſpes his ſaltem.] Ne quidem mihi licet animum, ut fit, paſcere ſpe eorum quæ exoptaverim, adeo eſt in me dura fati neceſſitas.

149. *Affigit ceras, &c.*] Fortuna, quaſi timens ne importunis aliquando precibus ac votis cedat, atque exoretur pro me miſero, cera ſibi aures obturat. Sic Ulyſſes illecebroſos Sirenum cantus ac pericula eluctatus fertur. Homer Odyſſ. 12.

Illa de nave.] Qua vehebatur Ulyſſes cum Siciliæ oram Sirenibus infeſtam incolumis prænavigavit, hac arte: ſociorum quidem ac nautarum aures cera occluſit: ipſe vero ſe ad malum juſſit alligari.

150. *Siculos cantus.*] Sirenas Acheloi fluvii & Calliopes Nymphæ tres filias, quas fabulantur ſuperiore corporis parte, virginum formam habuiſſe, inferiore in piſcem deſinentes ac monſtroſas; cæterum dulcedine cantus ſolitas allicere tranſeuntes, quos perderent, aut devorarent. Has in monſtra marina converſas canit Ovidius Metam. 5. Fab. 9. ſepultæ dicuntur ad promontorium ſinumque Paſtanum in Lucania; unde nomen tribus parvis Inſulis, quæ ſunt veluti ſcopuli in illo ſinu: Mela Sirenum petras, Solinus Sirenum ſaxa nuncupat. Re autem vera meretrices fuiſſe illic famoſas quæ navigantes blanditiis pellexerint ac perdiderint bene multos, aſſerunt cum alii, tum Cœl. Rhod. l. 14. c. 11. *Nec Sirenes impetraverint fidem, affirmet licet Dinon, Clitarchi celebrati auctoris pater, in India eſſe; mulceri earum cantu, quos gravato ſomno lacerent.* Hæc Plin. l. 1. c. 49. Vide Cic. de finibus l. 5. n. 49. & Athen. l. 1. c. 12. Fabula Sirenum voluptates carnis fugiendas oſtendit, nec aliter quam fuga naufragium evitari probat Ulyſſis exemplum. His S. Hieronymus utitur, ut vitandum afferat ſuſpectum contubernium. Porro marinos homines extare utriuſque ſexus, haud dubitandum: quod ſummorum auctoritas virorum, evicit & non ſimplex experientia, nec haud ita pridem. De quibus amplius dicemus ad Sat. 14. 283.

Remige ſurdo.] Tum ad Sirenum cantiones, tum ad Ulyſſis ſolvi ſe jubentis imperium. Hic enimvero illarum invitamentis delinitus jam & captus, etiam nutibus urgebat ſocios ut ad Sirenas diverterent; verum illos ante monuerat ne ſe ſuoſve nutus obſervarent, donec infecta loca erant prætervecti.

SATIRA X.

OMnibus in terris, quæ ſunt a Gadibus uſque
Auroram & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt

INTERPRETATIO.

IN cunctis regionibus quæ ſunt a Gadibus uſque ad Auroram & Gangem, pauci valent diſcernere

ANNOTATIONES.

1. *Omnibus in terris.*] Elegantis hujus Satiræ dicam an Poëmatis, graviſſimum eſt argumentum, de votis recte faciendis. Illud idem tractavit Perſ. Sat. 2. Inter Græcos autem Plato in Alcibiade 2. Ariſtoteles lib. περὶ εὐχῆς, teſte Laërtio, & alii complures, affirmante Proclo, quorum tamen opera interciderunt. De Socrate vero Valerius Maximus l. 7. cap. 2. ſic refert: *Socrates*, inquit, *quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil ultra petendum a Diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent, quia ii demum ſcirent, quid unicuique eſſet utile, &c.* Itaq;

Digitized by Google

Vera bona, atque illis multum diverſa, remota
Erroris nebula: quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipſis
Dii faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia. Torrens dicendi copia multis,
Et ſua mortifera eſt facundia. Viribus ille
Confiſus periit, admirandiſque lacertis.
Sed plures nimia congeſta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia cenſus,
Quanto delphinis balæna Britannica major.

vera bona, & his valdè oppoſita, depulſa falſitatis caligine. Nam quid ex ratione metuimus vel optamus! Et quid ita dextro pede voves, ut te non pigeat niſus & factarum precum? Benigna ipſis precantibus numina diſturbaverunt familias integras. Damnoſa in *pace, damnoſa* in *bello poſtulantur. Fluens loquendi facultas, ſua etiam eloquentia lethalis eſt plurimis. Interiit iſte fiduciam habens* in *robore, & brachiis mirum in modum validis. At multos ſuffocat pecunia ingenti ſolicitudine accumulata, & opes bonis omnibus* tanto *majores, quantum Britannici* maris *cetus delphinos ſuperat.*

ANNOTATIONES.

Juvenalis pariter docet hic, quæ non petenda primum, deinde vero quæ ſint poſtulanda.

A Gadibus uſque Auroram.] Ab Occidente ad Orientem, id eſt in toto terrarum orbe.

Gadibus.] *Gades*, vulgo *Cadiz*, parva eſt Inſula Oceani Occidentalis, ad oram Andaluſiæ, continenti juncta ponte; non procul freto Herculeo. Statius Solis cubilia Gades appellat.

Auroram.] Ex Varrone lib. 6. de Ling. Lat. *Aurora* dicitur ante Solis ortum, ex eo quod ab igne Solis tum aureo aër aureſcit. Hanc fabulantur Titanis terræque filiam. Matutinus eſt ſplendor Solem ac diem præcurrens, unde, *clari prænuntia Solis; & gelidos rores aurora remittens*, dicitur de Divin. 1. Hinc etiam ponitur pro orientali regione. Ovid Metamorph. 1.

Eurus ad Auroram Nabathæaque regna receſſit.] Et apud Græcos, eadem vox ἠώς, auroram pariter & orientem ſignificat.

Gangem.] Hic ingens fluvius & nobilis, ex Imao monte ſcaturiens Indiam orientalem perfundit, ac in ſinum Gangenticum quinque oſtiis illabitur. S. Hieronymus Epiſtola ad Ruſticum Monachum, & alii quidam hunc putant eumdem eſſe, qui Phiſon vocatur, atque unus erat e quatuor magnis fluviis Paradiſum terreſtrem rigantibus, Geneſ. cap. 3.

3. *Vera bona, atque illis multum diverſa.*] Bona, malaque.

4. *Erroris nebula.*] Ignorantia.

Ratione.] Et non ex opinione ſæpius.

5. *Dextro pede.*] Juſto conatu, felici auſpicio. Nam dextra pars pro bono omine uſurpatur: læva contra pro malo. Vide Perſ. Sat. 2. v. 11. Sat. 3. v. 48. 5. v. 113. & Apul. Metamor. *Siniſtro pede profectum ſpes me fruſtrata eſt.*

6. *Votique peracti.*] Votorum concipiendorum variam rationem ac cæremonias, vide apud Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22.

7. *Evertere domos.*] Valer. Maxim. cit. lib. 7. c. 2. *Nos plerumque id votis expetimus, quod non impetraſſe melius foret. Etenim denſis tenebris involuta mens mortalium, in quam late patentes errores, cæcas precationes tuas ſpargis! Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiſcis, qui complures peſſumdederunt: Regna tecum ipſa volvis, quorum exitus ſæpenumero miſerabiles cernuntur: ſplendidis conjugiis injicis manus; at hæc ut aliquando illuſtrant, ita nonnunquam funditus domos evertunt. Deſine igitur ſtulte futuris malorum tuorum cauſis, quaſi feliciſſimis rebus inhiare, teque totum cœleſtium arbitrio permitte, quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.* Hæc ille.

8. *Toga.* Metonymia pro pace: ſicut e contra ſagum index eſt & veſtis belli. Cic. Phil. pp. paſſim, *ad ſaga ire: redire ad togas:* item alibi: *cedant arma togæ.*

10. *Mortifera eſt facundia.*] Demoſtheni, Ciceroni, & tot aliis. Vide infra v. 114.

Viribus ille confiſus periit.] Milo Crotoniates, cujus tantum robur, ut pugno taurum mactaret, at cum fiſſam quercum vellet diſcindere, conſtrictis ibi manibus ferarum præda factus eſt. Gell. lib. 15. cap. 16. Ovid. In Ibin:

Utque Milo robur diducere fiſſile tentes,
Nec poſſis captas inde referre manus.

13. *Strangulat.*] In cauſa eſt cur ſtrangulentur, ac jugulentur divites, ſive a furibus, ſive a Tyrannis bonis eorum inhiantibus. Sunt qui putent alludi ad fabulam Midæ, qui cum cupiiſſet omnia quæ tangeret aurum fieri, & cibo in aurum converſo ſtrangulatus ſit.

14. *Delphinis.*] Hos valde amantes hominum ac Muſicæ paſſim celebrant. Gell. l. 7. c. 8 & l. 16. c. ult. ubi ex Herodoto narrat hiſtoriam Arionis a Delphino per ingens maris ſpatium ad Laconicam terram dorſo devecti. Plutarch. in fine lib. de comparat. animant. & in fine convivii, Plin. l. 9. c. 8. Athen. l. 13. c. 8.

Temporibus

Temporibus diris igitur, juſſuque Neronis
Longinum & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clauſit, & egregias Lateranorum obſidet ædes
Tota cohors. Rarus venit in cœnacula miles.
Pauca licet portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus, gladium, contumq; timebis;
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima fere vota, & cunctis notiſſima templis,
Divitiæ ut creſcant, ut opes; ut maxima toto
Noſtra ſit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur

Itaque ſævo tempore, atque imperio Neronis integra turma incluſit Longinum, ac ingentes hortos opulenti Senecæ, & circumſepſit præclaram domum Laterani: ad cœnacula vero miles infrequens perrexit. Quamvis non multa feras vaſa argenti defæcati, noctu faciens iter, metues enſem & perticam, atque formidabis umbram cannæ ad Lunam agitatæ. Viator inanis canet ante prædonem. Præcipua fermè preces, ac fanis omnibus cognita ſunt, ut divitiæ, ut opes augeantur; ut omni foro capſa noſtra ſit ampliſſima. At nulla potantur venena teſtaceis.

ANNOTATIONES.

Balæna.] Bellua marina inuſitatæ molis ac magnitudinis, de qua Plinius l. 9. c. 3. & 5. *Immania cete*, vocat Virgil. Æneid. 5.

Balæna Britannica.] Oceani Britannici belluas ac cetos affert, utpote majores quam maris Mediterranei, in quod etiam aliquando penetrare, teſtis Plin. lib. cit. cap. 6. notiores vero quam Indici, in quo maxima reperiri cete, idem Plin. ibid. affirmat. Porro metaphoram eſſe in Tiberium ac divites notat hic vetus Schol. De Britannis vide Sat. 2. v. 161. Annot.

15. *Temporibus diris igitur.*] Cum Nero graſſaretur in divites eorumque divitias.

Longinum.] Suet. Ner. c. 37. *Objectum eſt*, inquit, *Caſſio Longino Juriſconſulto ac luminibus orbato, quod in vetere gentili ſtemmate C. Caſſii percuſſoris Cæſaris imagines retinuiſſet: & huic aliiſque mori juſſis non amplius quam horarium ſpatium dabat Nero.*

Senecæ.] Vide Sat. 5. v. 109. & Sat. 8. v. 212.

Prædivitis.] *Rufus ac Tigellinus variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam ingentes & ultra privatum modum evectas opes adhuc augeret hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentiâ Principem ſupergrederetur, &c.* quæ refert Cornel. Tacit. Annal. 14. ubi & ipſe Seneca ſic apud Imperatorem ſe tuetur: *Quartuſdecimus annus eſt, Cæſar, ex quo ſpei tuæ admotus ſum ——— tantum honorum atque opum in me cumulaſti, ut nihil felicitati meæ deſit, niſi moderatio ejus ——— Tu gratiam immenſam, innumeram pecuniam dediſti ——— una defenſio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui, &c.* Xiphilin. in Nerone, ait, Senecæ facultates fuiſſe Aureorum tricies centena millia, &c.

17. *Clauſit.* Cornel. idem Tacit. Annal. 15. *Sequitur cædes Annæi Senecæ lætiſſima Principi ——— Is ad eum diem ex Campania remeans, quartum apud lapidem ſuburbano rure ſubſtiterat. Illò propinquâ veſperâ Tribunus venit, & villam globis militum ſepſit ——— Intromiſitque ad Senecam unum ex Centurionibus, qui neceſſitatem ultimam denuntiaret. Ille interritus poſcit teſtamenti tabulas, &c.*

Lateranorum.] *Plauti Laterani Conſulis deſignati necem proximam Nero adjunxit adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret, &c.* Corn. Tacit. Annal. 15. Vide Sat. 8. v. 147. & ſeq.

18. *Tota cohors.*] Militibus ad expilandos divites Nerónis juſſu diſcurrentibus, tuti pauperes fuere. Vetus Schol.

Cœnacula.] Domicilia in ſuperiori ædium parte, ad quæ non niſi per ſcalas aſcendebatur: ſic dicta, quod in iis cœnare mos pridem fuerat. At ea deinde ſibi nimirum incommoda tenuioribus inquilinis divites elocabant. Apuleius ſub finem Metamorph. 9. *meque per ſcalas complicitis pedibus in ſuperius cœnaculum attracto, &c.* Plaut. Amphitr. *In ſuperiore qui habito cœnaculo.* Vide Sat. 3. v. 199. & ſeq.

20. *Gladium, contumque.*] Latrónum arma, ictus, vulnera, a ferro vel ligno.

21. *Umbram.*] Quam velut inſidiantium tibi prædatorum corpus expaveſces.

24. *Divitiæ ut creſcant, ut opes.*] Cic. in Lœlio n. 22. *Quæ res expetuntur, opportunæ ſunt ſingulæ rebus fere ſingulis: divitiæ, ut utare; opes, ut colare: honores, ut laudêre, &c.* Hinc vides divitias inter & opes diſcrimen eſſe: nimirum illæ magnas pecunias ſignificant, hæ magnam potentiam, cum a divitiis, tum ab amicis & propinquis.

Maxima toto noſtra ſit arca foro.] Vet. Shol. ad Cerealem uſq; Præfectum, inquit, *in foro Trajani areas habuere Senatores, in quibus argentum aut pecunias tutius deponebant: unde & locus ille in quo erant arcæ, opes dictus eſt.* Apud Fl. Vopiſcum Aurelianus in Epiſt. ad Senatum ita ſcribit: *Eſt præterea veſtræ auctoritatis arca publica, quam magis refertam eſſe reperio quam cupio.*

26. *Aconita.*] Vide Sat. 1. v. 188. Annot.

Digitized by Google

Ea tum metne, quando ſcyphos accipies lapillis ornatos, *atq; Setinum ſervebit in capaci* poculo *aureo. Nunc ergo an aſtimas, quod Sapientum unus cachinnabatur, quandocumque a janna pedem unum egerat atque extulerat,* & quod *alius contrà lacrymabatur? Verum prompta eſt cuilibet condemnatio riſus ſeveri:* at *mirum eſt, unde tanta oculis aqua ſuppeteret. Democritus conſueverat perenni cachinno movere pulmonem, tametſi civitates iſta non haberent pratextam, ac trabeam, faſces, lecticam, tribunal.*

Fictilibus. Tunc illa time cum pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Jamne igitur laudas, quod de Sapientibus alter
Ridebat, quoties a limine moverat unum
Protuleratque pedem: flebat contrarius alter?
Sed facilis rigidi cuivis cenſura cachinni.
Mirandum eſt unde illis oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus, quanquam non eſſent urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, faſces, lectica, tribunal.

ANNOTATIONES.

26. *Fictilibus.*] Poculis inopum.

27. *Gemmata.*] Apud divites. Vide Sat. 5, v. 41. & ſeq.

Setinum.] Vinum e Setia urbe Campaniæ. Vide Sat. 5. v. 34. Annot.

Ardebit.] Vel ſplendebit in aureo vaſe, ut fit; vel ſimpliciter, ardebit, utpote generoſum & calidum; ſeu etiam ob immixtum venenum; aliud enim frigore, aliud ardore nimio enecat,

In auro.] Senec. Thyeſt. v. 454.

Venenum in auro bibitur.

28. *Jamne igitur laudas, &c.*] An tandem laude dignos intelligis eos Sapientes, quos vulgus imperitum ſtultos judicabat?

Alter ridebat, &c.] Democritus, qui quoties domo egrederetur ac foras prodiret, in cachinnos ſolvebatur, ineptias hominum videns paſſim. Cic. de Orat. 2 n. 235. *Quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet riſus, viderit Democritus.*

30. *Flebat contrarius alter.*] Heraclitus hominum miſerias ubique cernens. Is σκοτεινὸς cognominatus, eo quod ea quæ diceret verborum involucris tegeret. Hinc Tullius de Natura Deor. 1. n. 74. *Non conſulto dicis occulte, tanquam Heraclitus* Et l. 3. n. 35. *Heraclitum quoniam quid diceret, intelligi noluit, omittamus.* De eo Diogen. Laërt. l. 9. ubi ait eum ſenſiſſe rerum omnium principium eſſe ignem, &c. Ibidemq; refert honorificam Regis Darii ad eum Epiſtolam, qua ad ſe illum invitat. Floruit Olympiad. 70. aut circiter.

31. *Sed facilis cuivis, &c.*] Id eſt, facile quidem alter quivis ineptias hominum riſu poſſet damnare, at non perinde fletu: nam & mirum eſt, unde Heraclito tanta lacrymarum copia ſuffecerit. Certe ex hydrope mortuus fertur, anno ætatis ſexageſimo.

33. *Pulmonem agitare.*] Hinc etiam mirum videri poſſet, quod tam longævus fuerat ille, qui tam crebra pulmonum agitatione, & ſanguinis (quod fit in riſu, ſolutiore præſertim) præcipiti circuitione perpetuo fatigaret.

34. *Democritus.*] Florebat Olympiade octogeſima, & annos vixit centum novem. Hunc Suidas omniſcium nuncupat, & πένταθλον eo quod Phyſica, Ethica, Mathematica, liberales diſciplinas, arteſq; omnes callere. De eo Laërt. l. 9. Res omnes ex atomis conſtare dicebat: item plures eſſe mundos, &c. unde auctor atomorum vocatur a Cicerone de Fato, n. 23. & de Natura Deorum 1. n. 66. *Iſta flagitia Democriti,* inquit, *ſive etiam ante Leucippi eſſe corpuſcula quædam levia, alia aſpera, rotunda alia, partim angulata, curvata quadam, & quaſi adunca; ex his eſt effectum eſſe cælum, atque terras, nullâ cogente naturâ, ſed concurſu quodam fortuito.* Et Acad. qq. lib. 4. n. 121. *Aſperis, & levibus, & hamatis, uncinatiſque corporibus concreta hac eſſe dicit Democritus.* Plin l. 28. c. 8. Democritum appellat virum alioqui ſagacem, ac vitæ utiliſſimum, nimio juvandi mortales ſtudio prolapſum. lib. vero 7. cap. 55. velut reſurrectionis aſſertorem ſuggillit. cit. Cic. de Natura Deorum, 1. n. 121. *Democritus vir magnus imprimis,* inquit, *cujus fontibus Epicurus hortos ſuos irrigavit.*

Urbibus illis.] Abderæ, unde ortus Democritus; Epheſo, e qua Heraclitus, aliiſque Thraciæ Aſiæque urbibus is non erat qui Romæ luxus & faſtus.

35. *Prætexta, & trabeæ, &c.*] Quæ non magis inſignia poteſtatis ac nobilitatis, quam vanitatis apparatus atque ſuperbiæ.

Prætexta.] De hac ad Perſ. Sat. 5. v. 30.

Trabea.] Supra Sat. 8. v. 259.

Faſces.] Vide Sat. 5. v. 110.

Lectica.] Sat. 1. v. 32. & 64. ac ſeq.

Tribunal.] In quo ſedens Prætor jus dicebat; ſella nimirum curuli, & eburnea, eaque ſublimi: at minores alii Magiſtratus in ſubſelliis, ut notat Pædianus. Verr.

Quid

Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in pulvere circi
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem quanto cervix non ſufficit ulla?
Quippe tenet ſudans hanc publicus, & ſibi Conſul
Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.
Da nunc & volucrem, ſceptro quæ ſurgit eburno;
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad fræna Quirites,
Defoſſa in loculis, quos ſportula fecit amicos.

Ecquid ſi aſpexiſſet Prætorem in excelſo curru eminentem, ac ſublatum in arena media amphitheatri in tunica Jovis, atq; è ſcapulis geſtantem periſtromata Sarrana toga picta, ingentis etiam coronæ circulum tam magnum, quanto nullum par collum ferendo fuerit? Illam enim ſuſtentat ſervus *publicus ſudorem emittens: ac ne Conſul* nimium *ſibi arroget, eodem curru vehitur miniſter. Adde modo avem etiam extantem virga ex ebore; indè canentes cornu; iſtinc antecedentia miniſteria longi agminis; atque ad habenas Romanos albos, quos familiares efficit ſportula in marſupio condita.*

ANNOTATIONES.

36. *Quid ſi vidiſſet Prætorem, &c.*] Si vidiſſet habitu triumphali Prætorem aut Conſulem, quid de tanto faſtu ſenſiſſet Democritus, quos cachinnos moviſſet?

In curribus altis.] Tum cum ludos Circenſes edendos curat ac diſponit. Vide Sat. 8. v. 194. Porro currus triumphalis non bellico ſimilis, ſed turris rotundam formam habebat, ut patet ex antiquis numiſmatibus.

37. *Circi.*] Maximi nimirum, in quo dabantur equeſtria & curulia certamina. Hunc ita deſcribit Dionyſ. Halic. lib. 3. paulo ante finem: Tarquinius Circum maximum extruxit, & circa eum primus ſedilia fecit cooperta. Nam antea ſpectabant ſtantes ſub tabernaculis ligneis quæ arundines aridæ fulciebant: diviſit etiam locos inter triginta Curias ———— Debebat autem hoc opus cum tempore in valde pulchris admirandiſque extructionibus urbis eſſe. Longitudo Circi ſtadia tria cum dimidio, latitudo quatuor jugera, &c. Vide & quæ notavi Sat. 3. verſ. 65.

38. *In tunica Jovis.*] Palmata ornatum veſte ac trabea e templo Jovis accepta; ex more triumphantium, teſtatur Liv. lib. 10. Lamprid in Alex. Severo, &c.

Picta toga.] Acu & arte Phrygia elaboratæ.

Sarrana.] Purpurea, ſive Tyria, e Sarra urbe, quæ Tyrus deinde vocata eſt.

39. *Aulæa.*] Togam ingentem, adeo laxam & expanſam, ut aulæum diceres ob amplitudinem. Pariter Cic. Catilin. 2. dixit. *Velis amictos non togis.*

Magnæque coronæ.] Dionyſ. Halic. l. 3. inſignia principatus enumerat, coronam auream, ſellam eburneam, ſceptrum, tunicam purpuream cum ſignis aureis, amictum purpureum varium.

40. *Orbem quanto cervix, &c.*] Videtur alluſiſſe ad Atlantem cœleſtes orbes humeris ac cervice portantem.

41. *Tenet ſudans, &c.*] Sub pondere fatiſcit, ac præ labore ſudat, cum ſupra triumphantis caput, ex more, coronam illam auream ingentem ſuſtinet publicus miniſter, Plin. l. 33. c. 1. *Cum corona ex auro Hetruſca a tergo ſuſtineretur*, inquit, *annulus tamen in digito ferreus erat, æque triumphantis, ac ſervi fortaſſe coronam ſuſtinentis.*

Publicus.] Romanis publicos fuiſſe ſervos probat erudite Juſtus Lipſius Elect. 1. c. 22. Hi ad publica v. g. belli miniſteria deputabantur: cognomen aut a provinciis, aut a victoribus obtinebant: annua quædam ad victum ac veſtem præſtabat illis Reſpublica, libertatem etiam interdum, ſi ſedulam operam navaſſent.

Sibi Conſul ne placeat.] Ne ſuperbiat in tantis honoribus.

42. *Curru ſervus portatur eodem.*] Et is poſt triumphantem identidem ſucclamabat: *Reſpice poſt te; hominem eſſe te memento.* Refert Tertullian. in Apologet. cap. 33. Et meminit Cœl. Rhodig. l. 3. c. 7.

43. *Volucrem ſceptro quæ, &c.*] Mox cit. Dionyſ. Halic. ibid. ſceptrum aquilam habens ſuper caput. Nimirum triumphans manu tenebat virgam, cujus vertici inſculpta erat aquila, Romani inſigne Imperii: aut certe longæ præfixa & inſidens haſtæ Aquilæ imago præferebatur.

44. *Cornicines.*] Triumphi pompam ac cæremonias vide apud Plutarch. in vita Pauli Æmilii. Joſeph. de bello Judaico c. 17. Onuphr. Faſt. 5. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6 &c.

45. *Officia.*] Longam ſeriem miniſtrorum & aſſeclarum officii cauſa procedentium.

Niveos ad fræna Quirites.] Clientes alba toga veſtitos, circa currum equoſque illum trahentes ordine diſpoſitos: vel phaleratos ad pompam equos frænis tenentes, & manu circumducentes.

46. *Defoſſa in loculis ſportula.*] Vide Sat. 1. Annot. ad v. 95. & ſeq.

Tunc

Digitized by Google

Tum etiam cachinni argumentum reperit ad ſingulos hominum aſpectus, cujus ſapientia oſtendit, magnos viros atque illuſtria ſpecimina præbituros oriri poſſe in natali *ſolo vervecum, & ſub craſſiore cælo. Deridebat plebis ſollicitudines, quin & lætitiam, quandoque etiam fletus, dum ipſe reſtim porrigeret iratæ ſorti, ac medium digitum monſtraret. Iſta igitur ſuperflua vel nocitura poſtulantur, quorum gratia licet ceram inducere genibus Numinum. Nonnullos præcipites agit poteſtas obnoxia ſummæ offenſioni: deprimit diuturna & illuſtris dignitatum ſeries. Dejiciuntur imagines & laqueo trahuntur. Poſtea ſecuris inflicta percutit ipſas bigarum rotas, atque rumpuntur tibiæ equis non meritis.*

Tunc quoque materiam riſus invenit ad omnes
Occurſus hominum, cujus prudentia monſtrat
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patria, craſſoque ſub aëre naſci.
Ridebat curas, necnon & gaudia vulgi;
Interdum & lacrymas, cum fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumq; oſtenderet unguem.
Ergo ſupervacua hæc aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.
Quoſdam præcipitat ſubjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa, atque inſignis honorum
Pagina; deſcendunt ſtatuæ, reſtemque ſequuntur,
Ipſas deinde rotas bigarum impacta ſecuris
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.

ANNOTATIONES.

47. *Tunc quoque.*] Etiam ævo Democriti, cum parcius & innocentius quam nunc, homines viverent.

50. *Vervecum in patria.*] Abderæ, in Thracia, ubi craſſius aer homines facit bardos, rudes, ac ſtupidos, vervecum inſtar. Abderitarum peculiaris adeo mentis erat ſtupor, ut locum adagio fecerit: *Abderitica mens.* Meminit Cicero cum de Natura Deorum, tum ad Attic. lib. 7. Epiſt. 7. Martial. lib. 10. Epigram. 25. Cœl. Rhodig. lib. 30. cap. 4.

Craſſoque ſub aere.] Ex cœli vitio regiones æſtimari ſolent: & cum inde ſit Democritus, ubi ſtulti ſolent naſci, vult eum Poëta ſignificare inter ſtultos prudentiſſimum eſſe natum. Hæc vetus Schol. Certe aëris ſubtilitas non parum confert, ut naſcantur ingenioſi, tum quia tenuiora ſunt organa, tum quod ſubtilior ſanguis ac ſubtiliores inde ſpiritus generantur. Vide Alex. ab Alex lib. 4. cap. 13. Horat. Lib. 2. Epiſt. 1.

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

52. *Fortunæ ipſe minaci manderet laqueum.*] Fortunam ipſe damnans, nedum metuens, aut ei ſupplicans.

53. *Mediumque oſtenderet unguem.*] Digitum medium veteres infamem dixere, eumque intentabant contumeliæ cauſa cuipiam faciendæ. Vide Perſ. Sat. 2. v. 33. & ibid. Annot.

55. *Propter quæ.*] Ob quæ declinanda & averruncanda, ſupplicare Diis oporteret.

Genua.] In his ſedes miſericordiæ, & quædam religio ineſt, obſervatione Gentium. Hæc ſupplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc ut aras adorant. Plin. lib. 11. cap. 45.

Incerare.] Scripta in chartis vel tabulis vota ceraque obſignata Deorum genibus affigere; ut innuit Turnebus, l. 1. c. 17. Malim tamen quod idem l. 3. c. 19. ait; hoc a Juvenale ita ſcriptum, ut prope putes antiquos noſtro ritu cereos offerre Diis, & eorum genibus affigere ſolitos. Verum id minime conſueverant, ſed Deorum ſimulacra cera illinere, ibidemque affert illud Prudentii lib. 1. contra Symmachum

——— *Saxa illita ceris*
Viderat, unguentoque Lares humeſcere nigros.

Vide Sat. 12. v. 88.

56. *Potentia.*] Hanc Tullius definit, ad ſua conſervanda, & alterius obtinenda idonearum rerum facultatem. De Invent.

57. *Invidiæ.*] *Invidia enim ſumma quaque appetit,* ut ait Cornelius Tacitus, & Livius: *aſſidua eſt eminentis fortunæ comes; altiſſimiſque adhæret;* inquit Velleius Paterculus lib. 1.

58. *Pagina.*] Vel, Honores in Commentariis publicis deſcripti: vel, quod ait vetus Scholiaſtes: *Ænea pagina ante imaginem collocata, continens inſcriptos honorum gradus, quam nunc dicunt tabulam patronatus.*

Deſcendunt ſtatuæ.] Ex alta baſi deturbantur Sic Tullius, *Piſonis ſtatuam deturbant,* inquit, *affligunt, comminuunt, diſſipant: & quod in ipſum attulerant odium, id in ejus imaginem ac ſimulacrum perfuderunt.* Vide Sat 8. v. 18. & ibid. Annotata.

Reſtemque ſequuntur.] Injecta reſte detrahitur, per vias raptatur, ac frangitur imago nonnunquam potentiſſimorum.

Rotas Bigarum, &c.] Currus triumphales eorum franguntur, item Equeſtres Statuæ, equi ænei ad eos honorandos erecti.

60. *Immeritis franguntur crura caballis.* Salſa in potentes noxios condemnatos ironia.

Jam

Digitized by Google

Jam ſtridunt ignes, jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe ſecunda
Fiunt urceoli, pelves, ſartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem; Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes: Quæ labra? Quis illi
Vultus erat? Numquam, ſi quid mihi credis, amavi
Hunc hominem: ſed quo cecidit ſub crimine? quiſnã
Delator? Quibus indiciis? Quo teſte probavit?

Mox flamma crepitat: mox fornace & follibus incenditur caput, quod *plebs colebat, ac ſtridet magnus Sejanus. Poſteà è vultu ſecundo omni mundo conflantur urcei, pelves, ſartago, lebetes. Affige lauros ædibus: in Capitolium age bovem ingentem & candidum: Sejanus unco raptatur aſpiciendus: lætantur univerſi. Ecqua labia? Quam faciem habebat? Si aliquam mihi fidem habes, virum illum numquam dilexi. At quam ob noxam damnatus eſt? Quis* fuit *accuſator? Quibus argumentis, quo teſtimonio* rem *comprobavit?*

ANNOTATIONES.

61. ***Stridunt ignes.***] Ad fundendas æneas imagines.

62. *Ardet adoratum populo caput.*] Simulacrum hominis igni traditur, quod ante venerationi erat.

63. *Sejanus.*] Vir ad ſummam potentiam a Tiberio evectus, & ab eodem poſtea ſubverſus. Sueton. Tiber. cap. 55. 66. & alibi. Cornel. Tacit. Annal. 3, 4. &c. Xiphilin. in Tiber. & alii.

Ex facie toto orbe.] E Statua Sejani populis adorata, & jam camino ſoluta fiunt quamvis abjecta & vilia inſtrumenta & vaſcula.

Toto orbe ſecunda.] Erat enim Sejanus in Imperio ſecundus: ejus natalis publice colebatur; aureæ paſſim effigies adorabantur: Imperatoris Tiberii in quinto Conſulatu collega fuerat: nihil ſine Sejano Tiberius agebat: per utriuſque fortunam æque jurabant tum plebs tum Senatores, de utroque vota faciebant: utrique ſacrificabant. Et poſtea (quis credat?) is ipſe Sejanus neci addictus eſt, ejuſque mortis dies publica lætitia celebratus. Suetonius, Tacitus, Xiphilinus.

65. *Pone domi lauros.*] Poſt tale exemplum, lætitiam exhibe, teque oſtenta felicem; triumphales honores ambi & jacta: imo te ſapientem & moderatum faciat Sejanus, quem unco trahi vides paulo ante beatiſſimum. Alii volunt verba eſſe populi Tiberio gratulantis, quod inſidiantem ſibi Sejanum oppreſſerit.

Duc in Capitolia, &c.] Sacrifica Jovi Capitolino, ex more triumphantium; vel quia te ab hoſte vindicarit, mactata victima gratias age.

Capitolia.] Vide infra, *Sat.* 14. *v.* 91.

66. *Cretatum.*] Nigras hoſtias Diis Inferis, Superis albas mactabant. Vide Perſ. Sat. 5. Annot. v. 108. ad vocem *cretâ*; & v. 177. ad vocem, *cretata*.

Ducitur unco.] Ad patibulum, vel ſcalas Gemonias inde præcipitandus, unco trahitur, more damnatorum. Sueton. Tiber. cap. 61. *Nemo punitorum non & in Gemonias abjectus, uncoque tractus.* Xiphilin. Tiber. *Senatus Decreto Sejanus è ſcalis præcipitatus eſt: plebſque corpus ejus triduo magnis opprobriis affectum tandem in flumen projecit: & liberi ejus ſenatuſconſulto ad mortem ducti ſunt, &c.*

67. *Spectandus.*] Spectaculo futurus & ludibrio. Nam teſte Xiphilino ibid. Viventem adhuc Sejanum commota plebs irridere, & vociferari cœpit, propter eos qui ab illo interfecti fuerant: omnes ejus ſtatuas deturbare, comminuere, diſſipare; quem vero mane velut potiorem ſe omnes in Senatum comitati fuerant, eum paulo poſt in carcerem trahebant ut abjectum, ac nefarium hominem: cui coronam paulo ante dederant, eundem vinculis conſtringebant: quem antea ſatellites ſtipabant ut dominum, mox eum ut fugitivum cuſtodiebant. Denique illo interfecto, magnus in urbe tumultus concitatus eſt: plebs enim occidere properabat eos, quos intelligebat plurimum apud Sejanum potuiſſe.

Quæ labra?] Quam prava, diſtorta, deformia?

Quis illi vultus erat?] Quam ſævus & trux?

68. *Nunquam amavi hunc hominem.*] Hæc ait plebs vel ex odio; vel quod omnem cujuſcumque cum Sejano familiaritatis ſuſpicionem a ſe quiſque amoliri ſatagebat, ne damnationem incurreret. Erat enim idonea cauſa ad accuſandum, Sejano amicum fuiſſe, aut fuiſſe videri, ut refert loco citato Xiphilin. unuſque Terentius ob id reus factus ſolerti excuſatione ſe ab interitu vindicavit, & cum a Senatu, tum ab ipſo Tiberio liberatus eſt. Ibid.

69. *Sed quo cecidit ſub crimine?* Quanquam Sejanum non amavi, ſcire tamen aveo, quod ob ſcelus, & quo pacto damnatus eſt, quibus indiciis detecta res, & quibus teſtibus eam probavit Tiberius.

Nil horum. Verboſa & grandis epiſtola venit
A Capreis: bene habet, nil plus interrogo. Sed quid
Turba Remi? Sequitur fortunam, ut ſemper, & odit
Damnatos: idem populus, ſi Nurſcia Tuſco
Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus
Principis; hac ipſa Sejanum diceret hora
Auguſtum. Jampridem, ex quo ſuffragia nulli

Nihil iſtorum. Allata ſunt è Capreis literæ loquaces & longa. Bene eſt. Nihil amplius quæro. Verum quid egit *plebs Remi? Adhæret ſorti, ſicut ſolet, atque proſcriptos averſatur.* Quod *ſi Nurſcia Hetruſco propitia fuiſſet, ſi tuta ſenecta Imperatoris ſuccubuiſſet, eadem plebs hac ipſa hora Sejanum Auguſtum nuncuparet. Jam dudum a* tempore *quo ſuffragia non venundamus cuiquam,*

ANNOTATIONES.

71. *Nil horum.*] Nihil ejuſmodi factum, nec indices detulerunt, nec quiſquam accuſavit, nec ex legibus quidquam actum eſt: tantummodo ſcripſit ad Senatum Tiberius.

Verboſa & grandis Epiſtola.] Xiphil. citat. Recitatas ſcribit longas literas in ſenatu, in quibus nihil erat perpetuum contra Sejanum. Harum principium erat de aliis rebus ſcriptum: ſubſequebatur brevis contra eum expoſtulatio; poſt, alia quædam diverſa: rurſum in Sejanum aliquid; ad extremum ſcribebat in duos Senatores familiares Sejani animadverti oportere, ipſum eſſe in cuſtodia retinendum. Nihil enim aperte de morte ejus ſcripſit, veritus ne tumultus ob eam cauſam concitaretur. Quæ literæ cum eſſent ejuſmodi, multa eaque inter ſe varia audire licebat & videre. Tandem perlectis literis cœpere omnes uno ore contra eum vociferari, atque ei maledicere, &c.

72. *A Capreis.*] Ubi tum erat Tiberius, ſeceſſus gratia, pariter ac libidinum liberius exercendarum. Porro Capreæ, Inſula eſt maris Tyrrheni, adjacens Campaniæ, abundans coturnicibus etiamum Tiberio in deliciis, ut mox etiam dicetur v. 93. hodie vulgo *Capri* nuncupatur.

Nil plus interrogo.] Eſt enim periculoſum conſilia factaque Principis aut ſcrutari aut diſcutere curioſius.

Sed quid turba Remi.] Quid vero populus Romanus egit interea?

73. *Turba Remi.*] Populus e Remo & Romulo oriundus. Nonnulli codices habent: *turba tremens*: Quod interpretantur de Sejani familiaribus & cognatis proſcribi timentibus.

Sequitur fortunam.] Tull. ad Heren. 4. *Ut hirundines æſtivo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ita falſi amici ſereno vitæ tempore præſto ſunt; ſimul atque hyemem fortunæ viderint, devolant omnes.*

Odit damnatos.] Sic mobilis & inconſtans eſt animus vulgi, imo infidus.

74 *Si Nurſcia Tuſco faviſſet.*] Si Thuſcorum Dea Tuſco ſuo propitia & adjuvante, Sejanus Tiberio ſuperſtes foret.

Nurſcia.] Etruſcæ hujus Deæ meminit Livius Lib, 7. cap. 3. Tertullianus Apologet. adverſus gentes c. 24. ita ſcribit: *Unicuique etiam Provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, ut Syria Aſtartes, ut Arabia Diſares ——— Aſculanorum Ancaria, Volſinienſium Nurſcia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Notia, &c.* Ex his patet, non eſſe hic legendum, *Nortia*, quandoquidem Sejanus Volſiniis natus, teſte Cornelio Tacito; hic autem de patria Sejani Dea loquitur Juvenalis. Porro illa erat *Nurtia*, vel *Nurſcia*, ut habent quidam codices manuſcripti, & aſſerit Lipſius in Tacit. Alii tamen legunt, *Nerſia*: alii, *Nurſia*, vel *Nurſina*; male, ut videtur.

75. *Si oppreſſa foret ſecura ſenectus.*] Si Tiberius aut ſenio confectus obiiſſet; aut jam ſenex, & nihil tale ab eo quem Imperii conſortem fecerat metuens, a Sejano regandi cupido foret oppreſſus.

77. *Auguſtum diceret.*] Imperatorem proclamaret, laudibus extolleret hunc ipſum, quem modo odit ac deteſtatur.

Jam pridem, ex quo &c.] Ignavum & ſocordiam Populi Romani perſtringit Juvenalis. Jamdudum, inquit, aſſuetus eſt jugo populus Romanus orbis olim Dominus, & Imperio jure ſuo largiens; nec oblatam recuperandæ libertatis occaſionem nunc arriperet. Vnde, pereunte Tiberio, Sejanum ſponte Dominum accepiſſet, ſi forte ille ſuperſtes extitiſſet.

Suffragia.] Vide Alex. ab. Alex. l. 4. c. 3.

Suffragia nulli Vendimus.] Tunc etiam cum Populus Romanus jus comitiorum & creandorum Magiſtratuum retinebat, qui petebant, certatim muneribus & largitionibus populi favorem & ſuffragia mercabantur. Hinc Plutarchus in Coriolano ſcribit ſero quidem prorupiſſe emptionem dignitatum ac venditionem; atque inter concionis ſuffragia argentum ſeſe miſcuiſſe. Et Petron.

Nec minor in campo furor eſt; emptiq; Quirites
Ad prædam ſtrepitumq; lucri ſuffragia vertunt
Venalis populus, venalis Curia patrum.
Eſt favor in pretio, &c.

Lucanus lib. 1.

——— Lethaliſque ambitus urbi
Annua venali referens certamina campo.

Vendimus,

Digitized by Google

Vendimus, effugit curas. Nam qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantùm res anxius optat,
Panem, & Circenſes. Perituros audio multos:
Nil dubium: magna eſt fornacula: pallidulus mî
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram,
Quàm timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut malè defenſus! Curramus præcipites, &
Dum jacet in ripa, calcemus Cæſaris hoſtem.
Sed videant ſervi, ne quis neget, & pavidum in jus
Cervice aſtrictâ dominum trahat. Hi ſermones

evitavit ſollicitudines. Etenim qui pridem largiebatur poteſtatem, faſces, legiones, univerſa, jam ſe coërcet, ac binas duntaxat res petit ſollicitus, panem, atque ludos *Circi. Plurimos accipio morituros. Non incerta* res *eſt. Ingens eſt caminus. Brutidius meus* familiaris *pallens occurrit mihi prope Martis ædem. Quantum formido ne ſuperatus Ajax ultionem repetat velut improbe propugnatus! Properemus feſtinanter; atque Imperatoris adverſarium, dum eſt abjectus in littore, proteramus. Conſpiciant verò famuli, ne ullus inficietur, ac trementem herum vincto collo ad judicium rapiat. Tum verba iſta*

ANNOTATIONES.

78. *Effugit curas.*] Adminiſtrandæ Reipublicæ & eligendorum Magiſtratuum Populus abjecit curam: hanc autem invaſere cupidius Sylla, Julius Cæſar, Auguſtus, & alii deinceps Imperatores.

Qui dabat olim, &c.] Populus Romanus Præfecturas olim pleno jure, ſumma libertate, diſtribuens, jam ignavus reſidet, ac monarchiam patitur. Plutarch. citato loco teſtatur, e venditione ſuffragiorum, hinc judiciorum, hinc exercituum corruptelam unius dominationi urbem ſubjeciſſe.

79. *Faſces.*] Dictaturam, Conſulatum, &c.

Legiones.] Tribunatum, præfecturam militarem. Vide Sat. 3. verſ. 132. & ibid. Annot.

Nunc ſe continet.] Libertatis ac majeſtatis priſtinæ oblitus, ſatis habet victitare, & ludis frui.

80. *Anxius optat.*] Vide Sat. 3. v. 223.

81. *Panem.*] Cibum exiguum; frumentarias teſſeras, de quibus Sat. 7. v. 174. Sic & Tacitus Hiſtor. *Vulgus*, inquit, *cui una ex Republica annonæ cura.* Sunt qui legunt, *Pana*, intelliguntque Lupercales Ludos in honorem Panos. Alii, *pannum:* aiuntque hoc fuiſſe aurigis victoribus præmium. Verum utraque hæc lectio rejicitur a doctioribus; & noſtra ex optimis exemplaribus ſtabilitur.

Circenſes.] Ludorum oblectamenta. Vide quæ notavi ad Sat. 3. v. 223.

Perituros audio multos.] Multos aiunt a Tiberio morte afficiendos. Dialogus eſt populi confictus.

82. *Fornacula.*] Plures conſumptura. Vide ſupra, v. 61.

Pallidulus.] Metuens ne velut Sejani amicus a Tiberio proſcribatur.

83. *Brutidius.*] Hunc Rhetorem & Hiſtoricum ſcribunt Tacitus & Seneca.

Ad Martis, &c.] In foro, juxta ædem Martis Ultoris illi propinquam.

84. *Ne pœnas exigat, &c.*] Ne Tiberius in quemlibet ſæviat, quaſi non ſatis vindicatus, & ſeipſe ulciſcens, eoſque damnans quos Sejano minus infenſos animadverterit. Alii explicant de Brutidio ſeipſum interempturo, quod multis accidiſſe referunt Xiphil. & Sueton. Sed hoc minus ad rem; quia ſequitur, *curramus præcipites, &c.* quæ verba priorem interpretationem adſtruunt.

Ajax.] Sicut Ajax ille Græcis iratus, quod male ſe in Ulyſſem defendiſſent, in quoſlibet furorem vertit. Vide Sat. 7. ad v. 115.

85. *Ut male defenſus!*] Quemadmodum Ajax potiorem habens cauſam, judicio tamen ſe victum indignatus eſt: ita ſane Tiberius iram effundet in eos qui Sejano faverint res novas improbe molienti, quique Majeſtatem Imperatoris læſam non ſatis acriter vindicaſſe viſi fuerint.

Curramus præcipites.] Hæc aiunt quidam e populo: ne videamur non odiſſe Tiberii hoſtem, ac proinde invidiam ſubeamus, eamus ad Sejani cadaver jacens ad ripam fluminis in quod abjectum fuit, & illud pedibus proteramus coram ſervis noſtris, ut ſint illi teſtes.

86. *Dum jacet in ripa.*] Inſepultus ſub ſcalis Gemoniis. Vide quæ ſupra retuli ex Xiphilino.

87. *Videant ſervi.*] Quorum delationem acciperet avide Tiberius. His enim poteſtatem fecerat dominos accuſandi. Ut habet vetus Schol.

Ne quis neget.] Sive e ſervis, ſive ex aliis qui nobis inviderint.

88. *Cervice aſtricta.*] Obtorto collo, injecto cervici laqueo cum violentia. alii legunt, *obſtricta.*

Hi ſermones tunc.] Hæc inter ſe de Sejano populus loquebatur tunc temporis inquit Poeta: quæ cum ita ſint, an quiſpiam deinceps velit nimios Sejani honores, & ejus poſtea fortunam experiri?

Tunc

Digitized by Google

Tunc de Sejano: ſecreta hæc murmura vulgi.
Viſne ſalutari ſicut Sejanus? Habere
Tantumdem? Atque illi ſellas donare curules?
Illum exercitibus præponere? Tutor haberi
Principis, Auguſtâ Caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldæo? Vis certè pila, cohortes,
Egregios equites, & caſtra domeſtica. Quidni
Hæc cupias? Et qui nolunt occidere quemquam,
Poſſe volunt. Sed quæ præclara, & proſpera tanti,
Ut rebus lætis par ſit menſura malorum?
Hujus qui trahitur prætextam ſumere mavis;
An Fidenarum, Gabiorumque eſſe poteſtas?

de Sejano: illi clàm rumores à plebe ſpargebantur. *An cupis honorari velut Sejanus: tantum poſſidere? & iſtis largiri ſellas curules; hunc caſtris præficere: æſtimari defenſor Imperatoris cum cœtu Chaldæorum commorantis in Auguſto ſaxo Caprearum? Optas quidem pila, turmas, equites eximios, atque exercitum familiarem. Eccur iſta non exoptes? Etiam qui non cupiunt ullum interficere, cupiunt poſſe. Quæ verò magna & ſecunda tanti* ſunt facienda, *quando rebus proſperis æquale eſt ærumnarum pondus?* An *iſtius qui raptatur prætextam induere præoptas, utrum Fidenarum & Gabiorum eſſe Magiſtratus?*

ANNOTATIONES.

91. *Tantundem.*] Divitiarum & potentiæ.

Sellas donare curules.] Magiſtratus, Dignitates, quibus erat jus curuli ſella vehi, & in ea ſedendo judicia exercere.

Sellas curules.] Sella curulis, eburnea erat, ex Gellio, l. 3. c. 18. ſic dicta, quod ſuper eam in curru conſiderent, honoris cauſa, Magiſtratus in Curiam vecti. Tullius Catilin. 4. init. *Non hæc ſedes honoris, ſella curulis, unquam vacua mortis periculo, atque inſidiis fuit.* Horat. Lib. 1. Epiſt. 6.

Cuilibet hic faſces dabit, eripietque curule,
Cui volet importunus ebur.

92. *Tutor haberi Principis.*] Tiberii ad Capreas ſecedentis vice, Imperium adminiſtrare ex arbitrio. Vetus Scholiaſtes explicat, *Patricius fieri:* ubi optime notant quidam, non niſi ſub Conſtantino Patricios cœpiſſe Imperatorum patres vocari. Favet & Juſtinian. Inſtit. lib. 1.

93. *Auguſta Caprearum, &c.*] Quippe ibi Tiberius Auguſtus ſedem habebat ac ſeceſſum peramœnum. Legunt alii, *anguſta.* Certe parva erat ea Inſula.

Caprearum.] De Caprenſi hoc ſeceſſu multa Suet. & nos quædam ante ad v. 72. Corn. Tacit. Annal. 4. paulo ante finem ſic habet: *Capreas ſe in Inſulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini Promontorii disjunctam. Solitudinem ejus placuiſſe maxime crediderim, quoniam importuoſum circa mare, & vix modicis navigiis pauca ſubſidia: neq; appulerit quiſquam, niſi gnaro cuſtode. Cœli temperies hyeme mitis, objectu montis, quo ſæva ventorum arcentur. Æſtas in Favonium obverſa, & aperto circum pelago peramœna: proſpectabatque pulcherrimum ſinum, antequam Veſuvius mons ardeſcens faciem loci verteret.*

94. *Cum grege Chaldæo.*] Cum Mathematicis, quorum arte gaviſus interdum Tiberius. Threſyllum imprimis obſervaſſe, ac velut Sapientiæ Profeſſorem in contubernium admiſiſſe, teſtis Suet. Tiber. c. 14. De eo jam Sat. 6. v. 575.

Chaldæo.] Vide Sat. 6. v. 552. Annot. ad vocem, *Chaldæis.*

Vis certe pila, &c.] Certe cuperes militare præſidium; aut etiam Imperium.

Pila.] Pilum, alias haſtile, ſpiculum, jaculum. Ab eo primipilus dictus primus Centurio: nam ejuſmodi miſſilibus armati erant pedites.

Cohortes.] Quæ decem erant in legione. Cohors autem modo habuit milites ducentos, alias quingentos quinquaginta pedites, equites vero ſexaginta ſex, quæ inde quingentaria dicta eſt: ſic & erat milliaria, quæ peditum erat 1500. Equitum 132. Fuerunt & alibi diverſæ. Vide Alex. ab Alex. l. 1. c. 5. & l. 6. c. 13.

95. *Egregios equites.*] Selectos ad præſidium, quibus præſis, ut Sejanus prætorio Præfectus.

Caſtra domeſtita.] Milites ad tuam cuſtodiam ac tutelam.

97. *Poſſe volunt.*] Ut ſaltem timeantur, magiſque obſerventur.

Sed quæ præclara & proſpera, &c.] Quæ fortuna quamtumvis ſplendida exoptari meretur, ea lege, ut poſt ei ſuccedat alia tantundem adverſa & triſtis, quam prior læta fuerit? Certe *auream mediocritatem* bene laudat Horat. Lib. 2. Od. 10.

99. *Hujus.*] Sejani unco raptati, ſumma cum ignominia, ſicut & ſumma fuit ante potentia.

Prætextam ſumere.] Nimiam potentiam, ſummos honores Romæ. De *Prætexta* diſſerui ad Perſ. Sat. 5. v. 30.

100. *An Fidenarum Gabiorumque, &c.*] An modica frui dignitate in oppidis minoribus Italiæ, ſine ullo periculo.

Fidenarum.] Hæc Latii urbs ab Aſcanio Æneæ filio condita, quod rebellaſſet, everſa eſt a M. Æmilio. Hodie, *Caſtel Giubileo* vocatur. De ea jam ante Sat. 6. v. 57.

Gabiorum.] Hæc civitas jacet in ruderibus ubi hodie *Campo Gabio*, ut placet nonnullis. Vide quæ de illa notavimus Sat. 3. v. 192. 6. v. 56. v. 1.

Et

Et de menſura jus dicere? Vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis Ædilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignorâſſe fateris
Sejanum. Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.
Quid Craſſos, quid Pompeios evertit, & illum,
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempè locus nullâ non arte petitus,
Magnáque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſiccâ morte Tyranni.
Eloquium ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis

atq; pannis opertus *Ædilis* apud *inanes Ulubras judicare de menſuris, & vaſa nimis parva rumpere? Agnoſcis igitur Sejanum neſciſſe quid eſſet cupiendum. Enimverò qui dignitates immenſas ambiebat, atque divitias petebat immodicas,* is *alta turris plures extruebat contignationes, unde celſior foret prolapſio, gravinſq; præcipitium caſus projecti. Quid perdidit Craſſos, quid Pompeios, atque eum, qui ſubactos Romanos egit ad ſua flagella? nimirum ſublimis gradus omni dolo quæſitus, & ingentia poſtulata* ab *iratis Diis conceſſa. Reges abſq; percuſſione ac plagis, atq; Tyranni interitu arido, ad Cereris generum infrequentes deveniunt. Demoſthenes vel Tullii fœcundium et*

ANNOTATIONES.

101. De *menſura jus dicere.*] Vide Perſ. Satir. 1. verſ. 130. & Annot. ibid.

102. *Ædilis.*] Vide Sat. 3. v. 162. ad vocem, *Ædilibus.*

Vacuis Ulubris.] In hæc urbe Latii fere deſerta, Ulubræ oppidum prope Velitras, ubi educatus Auguſtus Cæſar, nihil præterea inſigne habuit. Ejus hodie nullum extat veſtigium. Meminit Horatius Lib. 1. Epiſt. 11. verſu ultimo.

103. *Ergo quid optandum, &c.*] Quid ſi modica præfers ſummis, certe ſapis, & intelligis Sejanum erraſſe, ſummum bonum, adeoque exoptanda ignoraſſe.

105. *Numeroſa parabat, &c.*] Ex altiori loco nempe greviorum ſibi caſum parabat. Claudian.

——Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

108. *Quid Craſſos, &c.*] Summæ fortunæ quanta ſint pericula pergit exemplis oſtendere.

Craſſos.] M. Craſſum Syriæ Proconſulem cum filio Pub. Craſſo in Parthos bellum moventem ſeu imperandi ambitione, ſeu Parthici auri cupiditate: utrumq; vero interceptum illi occiderunt non ſine Romanorum dedecore. Vide Appian. Plutarch. &c.

Pompeios.] Magnum ſcilicet, ejuſq; duos filios Cneum & Sextum a Cæſare profligatos, & miſere pereuntes. Nam ille quidem interfectus a Ptolemæo, Ægypti Rege ad quem confugerat: hi vero cum repararent bellum, pariter trucidati ſunt.

Illum, ad ſua qui, &c.] Julium Cæſarem viginti tribus vulneribus in Senatu confoſſum. Poſſet & Sylla, & Cinna intelligi: quin etiam potiori jure Auguſtus: de quo inter alia, Suet. Auguſt. c. 94. quod facit ad rem præſentem, narrat per quietem viſum Ciceroni Octavium Auguſtum, adhuc puerum, *facie liberali, cælo demiſſum catena aurea, ad fores Capitolii conſtitiſſe, eique Jovem flagellum tradidiſſe.* Eo certe reſpexiſſe videtur Juvenalis, qui mox addit, deductos ad flagra Quirites.

106. *Domitos deduxit ad flagra Quirites.*] In ſervitutem quaſi redactos ad nutum rexit & mulctavit, quos erat nefas virgis cædere, dum ſtetit Romanæ civitatis libertas.

110. *Summus nempe locus.*] Summa auctoritas per fas & nefas quæſita, immodica regnandi libido.

111. *Numinibus vota exaudita malignis.*] Vindicantibus Diis improbitatem ſumma et nimia importune petentium, atque exitio futura largientibus.

112. *Ad generum Cereris, &c.*] Raro fit ut Tyranni inveniantur incruenta morte defuncti: omne autem prope ferro cæſi.

Generum Cereris.] Plutonem inferorum Deum, qui Proſerpinam Cereris filiam rapuit, & matrimonio ſibi copulavit.

113. *Sicca morte.*] Non effuſo illorum ſanguine.

114. *Eloquium ac famam, &c.*] Jam carpit ambitionem eorum, qui ſummam exoptant eloquentiam, quamvis & ipſa pernicioſa ſit.

Demoſthenis, aut Ciceronis.] De duobus his eloquentiæ Principibus multi *multa, nemo fere* nimia. Omnia videtur complexus *Cœl. Rhodig.* lib. 26. cap. 3.

Demoſthenis.] Quintil. l. 10. c. 1. hunc vocat, *orandi pene legem*; Cœl. Rhod. l. 8. c. 13. *Incomparabilem oratorum anteſignanum & plane coryphæum.*

Ciceronis.] De eo jam ante Sat. 8. v. 236. & ſeq. Vide Plin. l. 7. c. 30. & l. 17. c. 5. Quintil. cit. Cœl. Rhodig. l. 3. c. 3. & l. 5. c. 13. &c.

Incipit

Digitized by Google

Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.
Eloquio ſed uterque perit orator. Utrumque
Largus & exundans letho dedit ingenii fons.
Ingenio manus eſt, & cervix cæſa; nec unquam
Sanguine cauſidici maduerunt roſtra puſilli.
O fortunatam natam me Conſule Romam.
Antonî gladios potuit contemnere, ſi ſic

æſtimationem jamjam cupit, atque integris Quinquatribus precatur quicunque etiam unico aſſe Palladem acquiſitam veneratur, quem comitatur famulus arctam ſervans arcam. Verum ambo cauſidici ob *facundiam interiere. Ambos morti addixit ingenii fons abundans atque ſuperfluens.* Ob *ingenium amputata* Ciceroni *fuerunt dextra & caput, neque unquam roſtra reſperſa ſunt cruore exigui oratoris. O beatam urbem exortam* dum ego fui *Conſul! Enſes Antonii voluiſſet aſpernari,*

ANNOTATIONES.

115. *Totis Quinquatribus.*] Per illos quinque dies quibus agebantur Minervæ Sacra: unde nomen. Ovid. Faſt. 3 primo die ſacrificia peragebantur; ſecundo, tertio & quarto gladiatores depugnabant; quinto urbs luſtrabatur. Alii ex Varrone & Feſto, nomen deducunt ex eo quod illud feſtum celebratur die quinto poſt Idus Martias. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. & Gell. lib. 2. cap. 21.

Quinquatribus optat.] Quilibet nimirum tirunculus inflammatur cupiditate laudis & gloriæ, & hinc Minervam Sapientiæ Deam importunis fatigat votis, videns certamina Poëtarum atque Oratorum a Domitiano inſtaurata, in Albano quotannis ab ipſo ſtudioſe celebrata. De quibus Sueton. Domit. cap. 4.

116. *Quiſquis adhuc uno, &c.*] Qui vix prima ſcientiarum ac eloquentiæ rudimenta puer delibavit, & parvam adeo mercedem, exiguumque præceptori hactenus dedit Minerval. Hoc in Quinquatribus ſolebat perſolvi a diſcipulis.

Minervam.] Hanc Metonym. pro ipſa ponit eloquentia, Ovid. Faſt. 3. cit.

Pallada nunc pueri teneræque orate puellæ,
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

117. *Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.*] Quem ſervus ad ſcholam ſequitur, portans anguſtam, in qua codices pauculi, capſam: hinc ille dictus *capſarius*. Sueton. Ner. cap. 36. refert damnatorum liberos urbe pulſos, enectosque veneno aut fame, *quoſdam cum pædagogis & capſariis necatos, &c.*

118. *Uterque perit.*] Gell. l. 15. c. 28. Demoſthenem ac Ciceronem pari ætate illuſtriſſimas orationes in cauſis dixiſſe ait, anno ſcilicet ætatis vigeſimo ſeptimo illum, hunc vigeſimo ſexto: ſic etiam vixiſſe ſimilem prope annorum numerum, nimirum Ciceronem annos ſexaginta tres, Demoſthenem ſeptuaginta. Porro utrique ſua eloquentia mortis cauſa fuit. Demoſtheni quidem quod Athenienſes concitaſſet ſæpius ſuis in Philippum orationibus: Ciceroni vero, cum in Antonium acriter invectus eſſet, ab eo jam Triumviro pernicies creata. Vide Plutarch. de utroque.

119. *Exundans ingenii fons.*] Quintil. cit. *Videtur*, inquit, *Tullius effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis——Immortalis ingenii beatiſſima ubertate. Non enim pluvias (ut ait Pindarus) aquas colligit, ſed vivo gurgite exundat, &c.*

120. *Manus eſt, & cervix cæſa.*] Antonii juſſu caput & manus jugulato Ciceroni abſciſſa & affixa roſtris, e quibus in ipſum toties dixerat, ac Romanos moverat ad libertatem accendens, at ſuo tandem exitio.

121. *Roſtra.*] Locus in foro Romano ubi pulpitum erat, ornatum ſubinde e navium bello captarum roſtris: quæ quidem ex ære conflata erant. Ibi virorum illuſtrium imagines erectæ plures: & inde conciones haberi ad populum ſolebant. Tit. Liv. l. 8. cap. 14. *Naves*, inquit, *Antiatium partim in navalia Romæ, ſubductæ; partim incenſæ, roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit; roſtraque id templum appellatum.*

122. *O fortunatam natam, &c.*] Ciceronis eſt is verſiculus, quo de oppreſſa Catalinæ conjuratione, & libertate ſtabilita, ſibi ipſe in Conſulatu applaudebat. Turneb. lib. 7. cap. 19. *Verſus ille*, inquit, *obtrectatorum Ciceronis & invidorum virulentos morſus in eum excitavit: nec eſt quod a Quintil.* Lib. 9. cap. 4. *vel a Juvenale* Sat. 10. *irrideatur ob iterationem earundem ſyllabarum: hoc enim in deliciis habebant veteres—— ——at poſteritas faſtidiit, quæ multo putidius & ineptius multis in rebus laſciviit, &c.* Certe idem Tullius ad Brutum ſcribens, *res mihi inviſæ viſæ ſunt*, inquit: & de amicit. *Eo loco locati ſumus.* & Virg. Æneid. 3. *Tales caſus Caſſandra canebat.* An vero ſummis illis ſcribendi magiſtris ea temere excidiſſe putandum eſt, quod affirmat Quintil. loco citato?

123. *Antoni gladios potuit contemnere.*] Sumpta ex ipſo Tullio verba Philip. 2. ubi perorans ita ſcribit: *Contempſi Catalinæ gladios, non pertimeſcam tuos, &c.*

Si ſic omnia dixiſſet.] Si tam incondite, tam inepte cætera dixiſſet, non periiſſet Tullius ab Antonio ſe ulciſcente occidi juſſus.

Omnia

Omnia dixiſſet. Ridenda Poëmata malo,
Quam te conſpicuæ divina Philippica famæ,
Volveris a prima quæ proxima. Sævus & illum'
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.
Diis ille adverſis genitus, fatoque ſiniſtro,
Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladioſque parante
Incude, at luteo Vulcano ad Rhetora miſit.
Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis

ſi cuncta huic in modum fuiſſet locutus. Incondita carmina pluris facio, quam te divina nominis ,præclari Philippica, quæ poſt primam legeris propinqua. Finis quoq; dirus abſtulit hunc quem Athenæ ſtupebant rapide *fluentem, ac theatri frequentis habenas regentem. Is Numinibus iratis & malignâ ſorte natus, quem parens* ob *maſſæ ferventis fuliginem lippus a carbone & forcipibus, & incrude cultros fabricante, atque Vulcano luteo, ad Rhetorem ablegavit. Spolia militiæ, thorax detruncatis trophæis ſuſpenſus*

ANNOTATIONES.

124 *Ridenda poëmata malo.*] Mallem ſubire ludibrium male ſcribendo vel dicendo, quam capitis periculum, tam diſerte loquendo. Cæterum & carmina ſcriptitaſſe ſe teſtatur ipſe Tullius ad Lentulum ſcribens Lib. 1. Epiſt. 9. *Ab orationibus disjungo me fere, referoque ad manſuetiores Muſas, quæ me maxime ſicut jam a prima adoleſcentia delectarunt, ... ſcripſi etiam verſibus tres libros de temporibus meis, &c.*

125 *Divina Philippica.*] Secunda nempe ſingulari artificio elaborata a Cicerone, qui quidem orationes eas in Antonium, non Antonianas, ut debuiſſet, inſcripſit, ſed Philippicas, quaſi ſimiles iis quas in Philippum Demoſthenes acres & ſalſas dixerat.

126 *Sævus & illum Exitus eripuit.*] Crudelis etiam ac funeſta mors e vivis exemit Demoſthenem. Is enim ut Regis Macedonum Antipatris furorem effugeret, veneno ſeipſum interemit. Vide cætera apud Plutarchum.

128 *Torrentem.*] Torrentis inſtar exundantem eloquentiam.

Moderantem fræna theatri.] Athenienſes in concionibus, quo volebat, inflectentem ac permoventem, Juſtin. lib. 22. *Agathocles,* inquit, *veluti Reipublicæ ſtatum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet.* Aliter explicat Mancinellus, nempe quod Athenienſibus perſuaſerit Demoſthenes, ut quam in ſpectaculis ac theatris pecuniam publicam ſolebant impendere, jam in belli ſumptus adhiberent.

130 *Quem pater ardentis, &c.*] Infelix Demoſthenes quod inſignis orator evaſerit, futurus certe beatior, ſi non ſcholas, ſed officinam patris frequentaſſet, fuiſſetque ferrarius faber, & gladiorum artifex.

Pater.] Plutarch. refert Demoſthenis patrem honeſtum imprimis ac probum virum extitiſſe, Atheniis autem egregiam gladiorum officinam multis artificibus ſervis inſtructam habuiſſe: deceſſiſſe vero, filio ſeptenni relicto, abundante patrimonio. Val. Max. l. 3. c 4 *Quam matrem,* inquit, *Euripides, aut quem patrem Demoſthenes habuerit, ipſorum quoque ſæculo ignotum fuit: alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditâſſe, omnium pene doctorum literæ loquuntur.*

131 *Forcipibus.*] Ex Nonio Marcello, & aliis *Fornum* idem eſt quod *calidum*: hinc forcipes quaſi calidum capientes, quod candens ferrum teneant. Virgil. Æneid. 8.

Verſantque tenaci forcipe maſſam.

132 *Luteo Vulcano.*] A camino & igne, Vulcanum quippe fabulantur Deum ignis præſidem, fabrum etiam Deorum, atque in Lemno Inſula officinam habere, ubi miniſtris Cyclopibus Jovi fulmina fabricantur.

Luteo.] Vel atro, deformi, ſquallido, quales ferme Fabri, e carbone, fuligine, camino: vel rufo lucidiori, ut prima ſyllaba producatur. Sic & Gell. lib. 2. cap. 26. a luce vocari luteum colorem opinatur.

Ad Rhetora.] Iſæum Rhetoricæ præceptorem adiit audivitque Demoſthenes, patre jam mortuo. Cur autem non ſe contulerit ad Iſocratem qui tunc florebat? Forte quod non valeret tantam ſalvere mercedem, quantam ille exigebat, nempe decem minas. Nam tutorum negligentia locuples ejus patrimonium fere perierat. Hæc Plutarch.

133 *Bellorum exuviæ.*] Exitioſam quoque demonſtrat bellicæ gloriæ cupiditatem

Truncis affixa trophæis.] Trophæum erigebant victores in aliquo tumulo e ramis arborum, & ex iis hoſtium ſpolia ſuſpendebant, & eo quidem loco, ubi verſi in fugam illi fuerant. Hinc nomen τροπὴ, converſio in fugam. Virgil. Æneid. 11. initio.

Vota Deum primo victor ſolvebat Eoo.
Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo? fulgentiaque induit arma,
Mezentî Ducis exuvias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumque locis, clypeumque ex ære ſiniſtra
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

Lorica, & fractâ de caſſide buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur: ad hæc ſe
Romanus, Graiuſque ac Barbarus induperator
Erexit: cauſas diſcriminis atque laboris
Inde habuit. Tantò major famæ ſitis eſt, quàm
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, tituliſque cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus; ad quæ
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficus:
Quandoquidem data ſunt ipſis quoq; fata ſepulcris.
Expende Annibalem: quot libras in duce ſummo
Invenies? Hic eſt, quem non capit Africa Mauro
Perfuſa Oceano, Niloque admota tepenti.
Rurſus ad Æthiopum populos, alioſque Elephantos

atque baccarum tegmen è rupta galea dependens, & jugum temone avulſum, & apluſtria expugnatæ triremis, & mœſtus in arcu ſupremo vinctus, æſtimantur ſuperare mortalium bona. Ad ea contendit Imperator Romanus, & Græcus & Barbarus: Hinc periculorum ac laboris anſam deſumit. Adeò exiſtimationis quàm virtutis ardentius eſt deſiderium. Nam quis ipſam virtutem quærit, ſi auferas munera? Nihilominus patriam dudum oppreſſit nonnullorum commendatio & ambitio laudis atque elogii affigendi lapidibus pulverem ſervantibus, ad quos disjiciendos ſufficient mala robora ficus infœcunda: Enimverò tumulis ipſis attributa fata ſunt. Penſa Annibalem: quot libras reperies in Imperatore maximo? Ille eſt quem non continet Africa mari Mauritaniæ irrigata, & propinqua Nilo caleſcenti. Inſuper ad Æthiopiæ incolas, & elephantes diverſos

ANNOTATIONES.

134. *Lorica.*] Hæc pridem e loris, nunc è ferro, nomen tamen retinuit.

135. *Curtum temone jugum.*] Bellici currus fragmenta.

Triremis.] Navis inſtructæ triplici ordine remorum: victoriæ navalis monimenta.

136. *Apluſtre.*] Superflua navis ornamenta & quibus carere illa poteſt, apluſtre & apluſtrum vocari, ait Feſtus.

Captivus in arcu.] In arcu triumphali picta vel ſculpta imago hoſtis capti & mœſti.

137. *Humanis majora bonis.*] Summa bona, & veluti divina.

Ad hæc ſe Romanus, &c.] Propter hæc obtinenda nullum non diſcrimen ſponte ſubit.

142. *Præmia ſi tollas.*] Tull. Philip. 2. *Satis eſt in ipſa conſcientia pulcherrimi facti fructus.* Ovid. 2. de Ponto Eleg. 3.

Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.

Patriam tamen obruit.] Vel bellis civilibus, ut Sylla, Antonius, Cæſar: vel externis, ut Annibal, &c. Cicer. Tuſc. 3. n. 4. *Qua cæcitate homines cum quædam præclara etiam cuperent, eaq; neſcirent, nec ubi, nec qualia eſſent, funditus alii everterunt ſuas civitates, alii ipſi occiderunt, &c.*

144. *Haſuri ſaxis cinerum cuſtodibus.*] Inſcribendi ſepulchris, in quibus reconduntur cineres in urnis.

145. *Sterilis ficus.*] Caprificus rumpens ac ſolvens validos etiam muros atq; lapides, quibus innaſcitur & erumpit. Mart. l. 10. Epig. 2.

Marmora Meſſala findit caprificus.

Mala robora.] Vel inutilis truncus, vel improbæ vires, quæ valeant ad ruinam ædificiorum.

146. *Data ſunt ipſis quoque fata ſepulchris.*] Ipſa ſepulchra peritura ſunt, ſeu vetuſtate labentia, ſeu vi disjecta & diffracta.

147. *Expende Annibalem.*] Cineres Annibalis in libra expende: quam exiguus apparebit, qui tantus olim! Anguſta capit urna quem non Africa potuit continere.

148. *Mauro perfuſa Oceano.*] Mari Atlantico ad occidentem: ſicut Nilo, ad orientem; mari Mediterraneo, ad ſeptentrionem. Porro Mauritania Africæ pars occidentalis, ibi nunc regna Fezzæ & Marochii.

149. *Niloque admota tepenti.*] Quia nimirum Zonæ torridæ ſubjectus. De Nilo, vide quæ notavimus ad Sat. 6. v. 83.

150. *Æthiopum.*] Æthiopia pars Africæ ampliſſima cis & ultra Æquatorem, continet Abiſſiniam, Nubiam, &c. De ea jam Sat. 2. v. 23. & Sat. 6. v. 599.

Alioſque elephantos.] Id eſt, ad Mauritaniam & Libyam Africæ Provincias, in quibus reperiuntur elephanti, ſicut in India Aſiæ regione, ſed in hac maximi; proindeq; alios ac paulo diverſos illos vocat Juvenalis. Plin. l. 8. c. 9. *Indicum elephantem Afri pavent,* inquit, *nec contueri audent, nam & major Indicis magnitudo eſt.* Et c. 11. ſic habet: *Elephantes fert Africa ultra Syrticas ſolitudines, & in Mauritania; ferunt Æthiopes & Troglodytæ; ſed maximos India.* Idem Plinius in cap. præced. ejuſd. Libri multa refert de Elephantum induſtria. Vide Annot. ad Sat. 12. v. 109. & ſeq.

Additur

Additur imperiis Hiſpania: Pyrenæum
Tranſilit. Oppoſuit natura Alpemque, nivemque:
Diducit ſcopulos, & montem rumpit aceto.
Jam tenet Italiam: tamen ultrà pergere tendit.
Actum, inquit, nihil eſt, ni Pœno milite portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburrâ.
O qualis facies, & quali digna tabellâ,
Cùm Gætula ducem portaret bellua luſcum!
Exitus ergo quis eſt? O gloria! Vincitur idem
Nempe & in exilium præceps fugit, atq; ibi magnus
Miranduſque cliens ſedet ad prætoria regis,

adjungitur poteſtati Hiſpania. Pyrenæum ſuperat. Natura objecit Alpes ac nives: diſcidit ſaxa, atque rupes aceto diffregit. Jam Italiam poſſidet; attamen ulterius progredi exoptat. Nihil factum eſt, ait, niſi Carthaginenſi exercitu Romæ *portas rumpimus, & ſigna conſtituo* in *media Suburra. O quis vultus, & quam picturam meritus, quando beſtia Gætula vehebat Imperatorem coclitem! Ecquis igitur fuit eventus? O fama! Ipſe ſuperatur ſcilicet, atque in exilium citus abit, & illic ſummus & admirabilis cliens manet ad prætoria Principis,*

ANNOTATIONES.

151. *Additur imperiis Hiſpania, &c.*] Itaque non Africa contentus Annibal in Europam tranſit: ac primo Hiſpaniam armis domat: hinc in Gallias, poſt in Italiam victor pergit.

Pyrenæum.] Pyrenæi montes maximi Hiſpaniam a Gallia ſeparant, per octoginta quinque circiter leucas Hiſpanicas ab Oceano ad mare Mediterraneum excurrentes. Nomen ab incendio totius montanæ regionis, igne pridem a paſtoribus injecto in frequenteſq; ibi ſilvas, quo factum eſt, ut argenti puri e montibus rivuli defluxerint, &c. quæ habet Diod. Sicul. l. 6. c. 9.

152. *Alpem.*] Excelſos admodum nivoſoſque montes, quibus Italia dividitur a Gallis. *Hos tranſcendiſſe quoque mirum fuit, atque in portento prope majores habuere Alpes ab Annibale exuperatas, & poſtea a Cimbris:* inquit Plin. in Procem. Lib. 36.

153. *Et montem rumpit aceto.*] Annibal, ut ſibi ſuoque exercitui viam aperiret per Alpium juga invia; arboribus circa immanibus dejectis detruncatiſque, ſtruem ingentem lignorum accumulari juſſit: hanc adjuvante vento ſuccendit, atque ſaxa ardentia infuſo aceto putrefacit. Sic torrida incendio rupes ferro patefacta, & emolliri anfractibus modicis clivi, ut non jumenta ſolum ſed elephanti etiam deduci poſſent. Quatriduum circa rupem conſumptum. Hæc & alia fuſe Titus Livius, lib. 21. cap. 37. & præced.

154. *Jam tenet Italiam.*] Superatis Alpibus in Italiam deſcendit, Romanoſque primo vicit ad Ticinum amnem, iterum ad Trebiam fluvium, deinde Cannenſi illa clade affecit: poſt Romam petit, caſtraque metatus eſt ſuper Anienem fluvium, ad tertium ab urbe lapidem. Plutarch. &c.

155 *Pœno.*] *Pœni* ſunt Carthaginenſes, quaſi *Phœni*, inquit Servius, a Phœnicibus, qui Carthaginem condiderunt, originem ducentes. Hinc & Punici quaſi Phœnici vocati ſunt.

156. *Media vexillum pono Suburra.*] Niſi victor ingreſſus Romam vexilla ſtatuo in urbe media.

Suburra.] Vide Sat. 3. v. 5.

157. *Quali digna tabella.*] Solebant, & gaudent etiamnum aliquando Pictores, vultus admodum deformes ac ridiculas facies pingere.

158. *Gætula bellua.*] Elephas Gætulus. Gætulia Libyæ Interioris regio, ex Melo & Ptolemæo; Mauritania, ex Plinio: inter Numidiam & Carthaginem, ut aliis placet.

Cum Gætula ducem portaret bellua luſcum.] Rem explicat Liv. l. 22. c. 2. Scilicet Arnus fluvius ſolito magis inundarat Etruriam, cum in eam venit Annibal: obtinentibus omnia aquis; periere milites & jumenta paſſim. *Ipſe Annibal, æger oculis, ex verna primum intemperie calores & frigora variante; elephanto, qui unus ſuperfuerat, quod altius ab aqua extaret, vectus; vigiliis tandem & nocturno humore, paluſtrique cœlo caput gravante, & quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo capitur.* Hæc Liv. & Plutarch.

159. *Exitus ergo quis eſt?*] Quis vero finis tot victoriarum? Quid tandem Annibali contigit?

O gloria!] Quam brevis, quam vana & fallax!

Vincitur idem, &c.] Nimirum ille ipſe Annibal modo tam glorioſus debellatur primum a M. Marcello: deinde a Scipione profligatus in Africa, & a ſuis civibus damnatus, ad Antiochum Syriæ, mox ad Pruſiam Bythyniæ reges fugit: denique ab his etiam deſtitutus, veneno ſeipſum interimit, ne hoſtibus dedatur.

161. *Cliens.*] Patrocinium & opem alienam implorat qui paulo ante terrebat omnes.

Sedet ad prætoria regis.] In atrio palatii regii quotidie mane præſtolatur, ut regem ſalutet, ſuaque illi officia deferat, is cui prius tot homines parebant & obſequebantur.

Prætoria.] Prætorium vocatur domus aut tabernaculum Prætorio, atque inde cujuſcunque Ducis aut Regis.

Donec

Donec Bithyno libeat vigilare Tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miſcuit olim,
Non gladii, non ſaxa dabunt, non tela, ſed ille
Cannarum vindex, ac tanti ſanguinis ultor
Annulus. I, demens, & ſævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, & declamatio fias.
Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis:
Æſtuat infelix anguſto limite mundi,
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaq; Seripho.
Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. MORS ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula. Creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria; cum ſtratum claſſibus îſdem,

dum Regi Bithyniæ placeat expergiſci. Anima quæ hominum negotia quondam turbavit, exitum non præbebunt enſes, non lapides, non jacula; ſed iſte annulus ultor Cannarum, & tam copioſi *cruoris vindex. Vade, inſane, ac perge duras per Alpes, ut arrideas adoleſcentibus, ſiſq; declamandi* argumentum. *Mundus unus haud ſatis eſt adoleſcenti Pellæo. Efferveſcet miſer arcto orbis termino, quaſi Gyaræ rupibus atque anguſta Seripho compreſſus. Attamen quando ingreſſus erit civitatem à figulis inſtructam, tumulum ſatis habebit. Mors tantum declarat quam* vilia *ſint mortalium corpora. Non dubitatur Athos pridem navigatus, & quodcumque in monimentis profert Græcia futilis, quando ipſis claſſibus opertum mare,*

ANNOTATIONES.

162 *Bithyno.*] Pruſiam intelligit regem Bithyniæ, quæ regio eſt Aſiæ minoris Ponti finitima, & Euxino mari.

163 *Finem animæ, &c.*] Tanto vero Duci hoc ſors non dabit, ut honeſta morte in bello defungatur. Videquæ notavimus Sat. 6. ad. v. 169.

165 *Cannarum vindex.*] Ultor cladis apud Cannas Apuliæ oppidum Romanis illatæ, ac tot annulorum Romanis Equitibus detractorum. Vide Annot. Sat. 2. v. 155. ad vocem *Cannis.*

166 *Annulus.*] Sub annuli gemma venenum ſemper habuit præparatum Annibal, quo ſe ab hoſtium captivitate & ultione vindicaret. Vet. Schol. Vide Tit. Liv. lib. 39. cap. 51. Plut. in vita Annibalis, &c.

I, demens.] Sarcaſmus in Annibalem, & ambitioſos gloriæ militaris.

167 *Declamatio fias.*] Ut in ſcholis Rhetorum pueris materiam declamationis præbeas. Vide Sat. 7. v. 161.

168 *Unus Pellæo juveni, &c.*] Quot mala pariat gloriæ cupido, Xerxis, & Alexandri probat exemplis. Vide Plutarch. in Alexandri Magni & Themiſt. vita. Valer. Max. lib. 8. cap. 14. *Alexandri Magni pectus inſatiabile laudis,* inquit, *qui Anaxarcho comiti ſuo ex auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles Mundos eſſe referenti, heu me, inquit, miſerum, quod ne uno quidem adhuc potitus ſum! Anguſta homini gloriæ poſſeſſio fuit quæ Deorum omnium domicilio ſufficit.*

Pellæo juveni.] Alexandro Pella urbe Macedoniæ oriundo.

169 *Æſtuat.*] Sic orbe toto ſe coarctatum putat, ut ſi Gyara, vel Seripho parvis Inſulis clauderetur. Ita mare in anguſto æſtuare dicimus.

170 *Gyaræ.*] Sat. 1. v. 73.

Seripho.] Sat. 6. v. 563.

171 *Figulis munitam intraverit urbem.*] Babylonem, a Semiramide conditam, & muro e coctis lateribus facto circumdatam, teſte Juſtino Lib. 1. Vide & Diodor. Sicul. l. 3. c. 4.

172 *Sarcophago.*] Ita vocatur ſepulcrum, quod carnes voret a σαρκὸς & φάγω, item lapis quidam ex Aſſo Troadis Promontorio fiſſili vena ſciſſus; in eo condita defunctorum corpora intra diem quadrageſimum abſumi teſtatur Plin. lib. 36. cap. 17.

Sarcophago contentus erit.] Alexander ille magnus, quem non capiebat orbis totus, in urbe Babylone veneno extinctus exiguo tumulo capietur. Vide Juſtin. Lib. 12.

174 *Velificatus Athos.*] Circumnavigatus ab exercitu Xerxes, poſtquam fuiſſet a continenti abſciſſus ille mons Macedoniæ præaltus & in Ægeum mare procurrens, ut habet Plin. l. 4. c. 10. Idem atteſtatur Herodot. lib. 7. nempe Athon, a militibus Xerxis perfoſſum, & juſſum intercidi Iſthmum ad recipiendum mare in foſſam tantæ latitudinis, ut quæ triremes pariter illac traduci poſſent; id porro jactantiæ, & potentiæ præſertim oſtentandæ, ac memoriæ ſu relinquendæ gratia potius quam ullius neceſſitatis aut commodi factum notat ibidem Herodotus: & paulo poſt refert aggeres circa Athon perfectos ad alvei fauces, ne per æſtuaria maris illæ obſtruerentur.

Quicquid Græcia mendax, &c.] Quicquid narrant Scriptores Græci vani & mendaces. Portentoſa Græciæ mendacia vocat Plin. l. 5. c. 1.

175 *Claſſibus iſdem.*] Quibus Athos velificatus a Xerxe. Claſſes vero dicit: nam ex Herodoto cit. & Juſtino Lib. 2. Xerxes habuit navium myriadas plures; ſiqua fides, decies centum millia numerantur.

Suppoſitumque

Digitized by Google

Suppoſitumque rotis ſolidum mare. Credimus altos
Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
In Corum atq; Eurum ſolitus ſævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere paſſos,
Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum?
Mitius id ſane, quod non & ſtigmate dignum
Credidit; huic quiſquam vellet ſervire Deorum?

& ſolidum rotis ſubjectum eſt. Profunda flumina non dubitamus ſiccata, atque exhauſtos amnes Medo cœnante, & quæ canit Soſtratus axillis humidis. Attamen qualis reverſus eſt dimiſſâ Salamine, is barbarus, aſſuetus flagris caſtigare Corum & Eurum nunquam id perpeſſos in Æoli cuſtodia, quique Neptunum ipſum vinculis conſtrinxerat? Lenius illud profectò, quod non etiam ſtigmata meritum putaverit. Ecquod Numinum ei miniſtrare conſentiret?

ANNOTATIONES.

176 *Suppoſitumque rotis.*] Scilicet cum ex Aſia in Europam exercitus a Xerxe traductus, cum curribus plurimis, conſtructo navibus ponte a Seſto ad Abydum, junctoque Helleſponto, ſpatio ſeptem ſtadiorum interjacente. Qua ratione pons iſte factus, ediſſerit Herodot. lib. 7 cit. Vide & Sueton. Calig. cap. 19. ubi medium Baias inter ac Puteolos ſpatium trium millium & ſexcentorum fere paſſuum, a Caligula ponte junctum refert; ac per eum biduo continenti primum equo phalerato, deinde curru bijugi commeaſſe Imperatorem, comitante in eſſedis amicorum cohorte: atque *id excogitatum a Caio æmulatione Xerxis, qui non ſine admiratione aliquanto anguſtiorem Helleſpontum contabulaverit.*

177 *Defeciſſe amnes, epotaque flumina.*] Juſtin. Lib. 2. *Xerxes*, inquit, *ſeptingenta millia de regno armaverat, & trecenta millia de auxiliis, ut non immerito proditum ſit, flumina ab exercitu ejus ſiccata, &c. .... ac veluti naturæ dominus, & montes in planum deducebat, & convexa vallium æquabat, & quædam maria pontibus ſternebat, quædam ad navigationis commodum per compendium ducebat.* Herodotus porro citat. affirmat & amnes & lacus epotos defeciſſe, cum ex Aſia copias duceret Xerxes: & Scamandrum quidem omnium primum hominibus atque jumentis potantibus haud ſuffeciſſe, &c.

Medo prandente.] Conflato e Medis ac Perſis exercitu prandente & bibente.

178 *Soſtratus.*] Poëta qui ſcripſit Xerxis, ut aiunt, expeditionem.

Madidis alis.] Vel, dum Poëtico furore velut ebrius madet: vel dum recitat magna contentione ſudans maxime ſub alis, ut fit. Vetus Schol.

179 *Ille tamen qualis rediit.*] Superbus ille Xerxes demum a Themiſtocle ſuperatus navali pugna, ad Salaminem Inſulam, quam turpi fuga Aſiam repetiit.

Salamine relicta.] Inſula ſinus Saronici Atticam inter & Peloponneſum contra Megaram urbem. Nempe ex Delphico reſponſo muris ligneis ſalutem tuentes Græci, ac in bellum navale intenti, anguſtias Salaminii freti, ne circumveniri a multitudine poſſent, occupaverant; quod feliciter ceſſit. Nam Perſæ victi, fuſi, fugati. Juſtin. cit. lib. 2.

180 *In Corum atque Eurum.*] Ventos ac mare ſibi volens habere obnoxia.

Corum, Eurum.] Hic ab ortu, ille ab occaſu flat. Plin. lib. 2. cap. 47. Metonymia eſt pro quibuſlibet ventis.

181 *Æolio nunquam, &c.*] Alludit ad Virgil. Æneid. 1. ubi.

Vaſto rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

182 *Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum.*] Nam ex Herodoto lib. 7. Solutum tempeſtate pontem audiens Xerxes, juſſit Helleſponto trecenta infligi verbera, & binas injici compedes: quin & miſſi qui ſtigmata inurerent, & colaphos incuterent, &c.

Ennoſigæum.] Sic appellatur Neptunus, quod terram quatiat, ἔνοσις, *concuſſio*, & γαῖα, *terra*. Gell. lib. 2. cap. 28.

183 *Quod non & ſtigmate, &c.*] Xerxis irridet veſaniam. Quin & ſtigmata & notas inuſſit mari, ut cicatrices indecoras peccati pœnam ferret Neptunus Deus maris. Apud Herodot. cit. etiam verbis ſævitur: O amara aqua, aiunt Xerxis miniſtri, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod eum læſiſti, qui de te nihil male meritus eſt. Te tamen Rex, velis, nolis, tranſmittet, &c.

184 *Huic quiſquam vellet ſervire Deorum.*] Neptunus Laomedonti, & Apollo quidem Admeto, Regibus Dii ſervierunt, ut fabulantur; at inſano & immani domino Xerxi quis Deorum velit ſervire? Ironia ſalſiſſima.

Digitized by Google

Sed qualis rediit? Nempe una nave cruentis
Fluctibus, ac tarda per denſa cadavera prora.
Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da ſpatium vitæ, multos da Jupiter annos:
Hoc recto vultu, ſolum hoc & pallidus optas.
Sed quam continuis & quantis longa ſenectus
Plena malis! Deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Diſſimilemque ſui, deformem pro cute pellem,
Pendenteſque genas, & tales aſpice rugas,
Quales umbriferos ubi pandit Tabraca ſaltus,
In vetula ſcalpſit jam mater ſimia bucca.
Plurima ſunt juvenum diſcrimina, pulcrior ille
Hoc, atque ille alio: multum hic robuſtior illo.
Una ſenum facies, cum voce trementia membra,
Et jam læve caput, madidique infantia naſi.
Frangendus miſero gingiva panis inermi.
Uſque adeo gravis uxori, natiſque, ſibique,

At qualis reverſus eſt? Unica navicula ſcilicet, mari ſanguinolento, & prora lenta per crebra corpora. Honos efflagitatus, petiit frequenter ejuſmodi ſupplicium. O Jupiter largire diuturnitatem vitæ, concede plures annos. Id erecta facie, id etiam pallens duntaxat expoſcis. At quam perpetuis & quàm magnis ærumnis abundat ſenium longius! Præ cunctis contemplare faciem deformatam atq; horridam, & aliam à ſeipſa, pellem fœdam pro cute, & labentes malas, & rugas ſimiles iis quas in vetuſta bucca exarat ſimia jam patens, ubi Tabraca umbroſas aperit ſilvas. Multa ſunt adoleſcentum differentia. Iſte illo formoſior, & hic iſto. Longe ille validior alio. Senum vultus idem; artus cum voce tremuli: atq; adeo calvum caput & infantia narium humidarum. Panis gingiva rumpendus infelici armis deſtituto. *Tam moleſtus conjugi & filiis, ac ſibimetipſi,*

ANNOTATIONES.

185. ***Sed qualis rediit?***] Sed quo tandem apparatu, qua gloria in patriam redit qui tanto faſtu ac terrore Græciam appetebat?

Una nave.] Piſcatoria ſcapha, miniſtris deſtitutus, inglorius, imo turpis redit, fugitivus, trepidus. Juſtinus citatus.

Cruentis fluctibus.] Sanguine ſui nimirum exercitus, ac Perſarum ut terreſtri ſic & navali prælio magna ſtrage cæſorum, tanto quidem numero, at cadaveribus per mare fluitantibus retardaretur curſus iſtius naviculæ, qua Rex fugiebat in Aſiam trajicens cum pauculis; quia ſolutum hibernis tempeſtatibus pontem ad Abydum offenderat. Herodot. Juſtin.

188. *Da ſpatium vitæ, &c.*] Culpat jam eos qui diuturnam magis vitam exoptant, quam bonam. Senec. Epiſt. 101. *Quam bene vivas, non quam diu, refert: in hoc autem bene eſt ſæpius, ne diu.*

189. *Recto vultu.*] Aperte, non clam; hoc enim orare non pudet. Vide Perſ. Satir. 2. verſ. 8.

Pallidus.] Præ nimio deſiderio, præque metu non obtinendi quod anxius precaris.

192. *Diſſimilemque ſui.*] In ſenectute deformem, qui formoſus fuerat in juventute.

Pro cute pellem.] Loco teneræ cutis, jam pellem ſenio rugoſam & aſperam.

194. *Quales umbriferos.*] Tales rugas in genis, quales habet vetus ſimia, qua nihil deformius.

Ubi pandit Tabraca ſaltus.] In ſilvis Tabracæ vicinis. Strabo Lib 1. 7. refert de Poſſidonio, qui e Gadibus in Italiam navigans, delatus eſt in Libyæ oram: in ſilva porro quæ eſt juxta mare vidit plures ſimias, quarum aliæ ſuper arboribus, aliæ in terra ſederent, nonnullæ catulos haberent & ubera pendentia: riſit autem cum eas uberibus graves cerneret, nonnullas etiam calvas, nonnullas hernioſas. Hæc ille. Adſtipulatur Herodot. lib. 4.

Tabraca.] Vulgo *Tabarca*, urbs Africæ, in regno Algerii, ad mare mediterraneum ſita, portum habet hodie ſatis commodum.

195. *Simia.*] Tull. 1. de Natura Deorum, n. 98. ex Ennio.

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Et 2. de Divin. n. 69. ſimiam appellat *monſtroſiſſimam beſtiam*. Cœl. Rhodig. lib. 3. cap. 10. *ridiculam hominis imitationem*, vocat ex Galeno.

196. *Plurima ſunt juvenum diſcrimina.*] Varia & multiplex eſt in juvenibus ſpecies & formæ gloria: at ſenum una & communis eſt omnium deformitas.

198. *Trementia membra.*] Alii legunt, *trementia labra.*

199. *Læve caput.*] Calvum.

Madidique infantia naſi.] Ut infantibus abundans humor ex ore, ita ſenibus e naſo defluit.

200. *Inermi.*] Carenti dentibus, quæ ſunt hominis arma. Plin. l. 7. c. 16. Cœl. Rhodig. l. 4. c. 1.

Ut

Ut captatori moveat faſtidia Coſſo.
Non eadem vini, atque cibi, torpente palato,
Gaudia. Nam coitûs jam longa oblivio: vel ſi
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus,
Et quamvis tota palpetur nocte, jacebit.
Anne aliquid ſperare poteſt hæc inguinis ægri
Canities? Quid, quod merito ſuſpecta libido eſt
Quæ venerem affectat ſine viribus. Aſpice partis
Nunc damnum alterius. Nam quæ cantante voluptas
Sit licet eximius citharœdus, ſitve Seleucus,
Et quibus aurata mos eſt fulgere lacerna?
Quid refert magni ſedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum
Concentus? Clamore opus eſt, ut ſentiat auris,
Quem dicat veniſſe puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido jam corpore ſanguis
Febre calet ſola; circumſilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,
Promptius expediā, quot amaverit Hippia mœchos;
Quot Themiſon ægros autumno occideret uno;
Quot Baſilus ſocios, quot circumſcripſerit Hirrus
Pupillos: quot longa viros exſorbeat uno

ut nauſeam pariat Coſſo inſidiatori. Haud voluptas par vini atque eſca palato hebeti. * * * * * * * * * * * * * * 6 * * * * * * *Jam intuere detrimentum diverſa partis. Etenim quod gaudium canente, quamvis optimus fuerit citharœdus, etiam vero Seleucus, & queis eſt conſuetudo ſplendeſcere veſte auro intexta? Ecquid intereſt quâ regione ampli theatri conſideat qui vix percipiet canentes cornu, & buccinarum clangorem? Vociferatio deſideratur, ut auricula audiat quemnam accedere moneat famulus, & quotam horam indicet. Inſuper algente jam corpuſculo, exiguus ſanguis febre tantum ferveſcit. Turmatim obſident ægritudines nullius non ſpeciei, quarum appellationes ſi interrogaveris, facilius recenſebo quot adulteros Hippia dilexerit, uno quot ægrotos autumno Themiſon interfecerit, quot ſocios Baſilus, quot pupillos Hirrus circumvenerit* * * * *

ANNOTATIONES.

202 *Ut captatori moveat faſtidia Coſſo.*] Ut vix eum ferat Coſſus, qui tamen ut hæreditatis partem aucupetur, ſenes omni officiorum genere ſibi demereri ſtudet, & quidlibet ab eis pati aſſuevit.

209 *Aſpice partis nunc damnum alterius.*] Nempe ſurditatem, qua fit ut ſenex auditus careat voluptate.

210 *Cantante.*] Supple, Muſico Symphoniaco.

211 *Seleucus.*] Inſigni & eximius Tibicen.

212 *Quibus aurata mos, &c.*] Horatius Epiſt. ad Piſones v. 215.

Tibicen traxitque vagus per pulpita veſtem.

214 *Cornicines, &c.*] Symphoniam in ludis adhibere ſolitam docet Horatius Epiſt. ad Piſones verſ. 202. & ſeq.

215 *Clamore opus eſt, &c.*] Vociferetur magna contentione puer neceſſe eſt, ut audiat ſenex herus, quoties ei nunciat adeſſe quempiam ſalutare & alloqui cupientem.

216 *Quot nuntiet horas.*] Solebant famuli horas dominis annuntiare. Martial. lib. 8. Epig. 67.

Horas quinque puer nondum tibi nunciat, & tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.

Plin. l. 7. c. 53. Cn. Bebius Pamphilus, cum a puero quæſiſſet horas, protinus expiravit.

217 *Minimus gelido jam corpore ſanguis.*] In ſenibus ſanguis minus abundat, atque adeo pauciores ac minus ſubtiles gignit ſpiritus.

219 *Morborum omne genus.*] Plin. l. 7. c. 50. *Senecta in pœnam vivacis*, inquit, *tot periculorum genera, tot morbi, tot curæ, ... hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta.*

220 *Hippia.*] Sat. 6. v. 82.

221 *Themiſon.*] Medicus tunc nobilis: *Archiater illius temporis, cui detrahit*, ut habet vetus Schol. Ejus ut optimi Medici meminit Cornel. Celſus. Plin. l. 29. cap. 1. Aſclepiadis auditorem illum fuiſſe refert, ejuſque placita mutaſſe. Apud Athen. lib. 7. c. 10. celebratur *Themiſon* Cyprius, Antiochi regis deliciæ.

Autumno.] Tunc enim frequentiores morbi. Vide Sat. 6. v. 516, ad hæc verba, *Septembris & Auſtri.*

Occiderit.] Mori fecerit pharmacis imperite & perperam collatis. Sarcaſmus in Medicos indoctos, quem egregie imitatus eſt Gallicus non nemo Satiricus, nomine ſatis notus, haud ita pridem.

222 *Baſilus.*] De eo jam Sat. 7. v. 145. *Advocatus eo tempore prævaricator fuit*, teſte vet. Schol. Alii prætorem dicunt, ſocios Populi Romani, quibus erat Præfectus, rapinis vexantem, ac bonis ſpoliantem fraudulentis accuſationibus circumventos.

Hirrus.] Tutor infidelis pupillos defraudans.

* * * I * * * * * *

Promtius enpmerabo quot modo villas habeat ille *quo reſecante crepitabat barba mihi adoleſcente moleſta. Iſte ſcapuli, is lumbis, ille coxâ infirmus; hic utrumque amiſit oculum, invidetque coclitibus; labia iſtius pallentia eſcam ſumunt aliorum digitis; ipſe viſis dapibus rictum ſolitus aperire inhiat ſolum velut hirundinis pullus, ad quem parens famelica referto ore advolat. Cuncta verò detrimenta artuum ſuperat inſania, quæ neque famulorum appellationes, neq; faciem novit familiaris, quicum heſternâ nocte epulatus eſt, neq; eos quos procreavit & quos aluit. Etenim libello crudeli prohibet ſuos eſſe hæredes, omnes* autem *facultates ad Phialem devolvuntur. Adeo potens eſt ſpiratio oris ſolertis, quod plures annos manſit in cuſtodia proſtibuli. Quamvis* autem *mentis ſenſus valeant, nihilominus deducenda ſunt filiorum funera: ſpectanda pyra dilectæ uxoris ac fratris, atq; urna ſororum* cineribus *referta. Hoc ſupplicium aſſignatum eſt longam vitam ducentibus, ut continuò iteratâ familiæ ruinâ, plurimis in fletibus & in dolore aſſiduo, atq; atris veſtimentis conſeneſcant. Rex Pyli, ſi fides aliqua ſummo Homero extitit, exemplum ævi poſt cornicem ſecundi. Scilicet beatus qui tot per ſæcula mortem retardavit, & annos ſuos jam dextrâ numerat, & qui tam ſæpe vinum recens potavit: quæſo paululum adverte,*

Maura die, quot diſcipulos inclinet Hamillus.
Percurram citius quot villas poſſideat nunc,
Quo tondente gravis juveni mihi barba ſonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis; ambos
Perdidit ille oculos, & luſcis invidet: Hujus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipſe ad conſpectum cœnæ deducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina ſervorum, nec vultum agnoſcit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte, nec illos,
Quos genuit, quos eduxit. Nam codice ſævo
Hæredes vetat eſſe ſuos: bona tota feruntur
Ad Phialen. Tantum artificis valet halitus oris,
Quod ſteterat multis in carcere fornicis annis.
Ut vigeant ſenſus animi, ducenda tamen ſunt
Funera natorum, rogus aſpiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque ſororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigra veſte ſeneſcant.
Rex Pylius (magno ſi quicquam credis Homero)
Exemplum vitæ fuit a cornice ſecundæ.
Felix nimirum, qui tot per ſæcula mortem
Diſtulit, atque ſuos jam dextra computat annos,
Quiq; novum toties muſtum bibit: oro, parumper

ANNOTATIONES.

226 *Quo tondente gravis, &c.*] *Licinus è tonſore Senator factus.* Vetus Schol. Vid. Annot. ad Sat. v. 25. ubi idem verſiculus habetur.

227 *Ille humero, hic lumbis, &c.*] Alia perſequitur ſenectutis incommoda.

229 *Cibum capiunt digitis alienis.*] Propriis uti digitis ac manibus non valet iile, ſive ob chiragram, ſive ob paralyſim.

236 *Codice ſævo.*] Teſtamento, per quod proprios exhæredat filios, ut mulierem impuram ex aſſe hæredem ſcibat.

238 *Phialen.*] Quæ nefando obſequio ſenis animum demeruit & captavit.

240 *Ut vigeant ſenſus, &c.*] Quod ſi illa abſunt incommoda, alia ſuccedunt. Si bene ſanus eſt ſenex corpore & mente; premitur aliis mœroribus de morte propinquorum, quos ante ſe efferri videt.

246 *Rex Pylius.*] Neſtor Rex Pyli, quæ urbs eſt Peloponneſi. Ovid. Lib. 1 de Ponto, Eleg. 5.

Crede mihi, Pylio Neſtore major ero.

247 *Vita a cornice ſecunda.*] Id eſt longiſſimæ poſt cornicem. Tres hominis ætates Neſtori attribuit Homerus Odyſſ. 3. Cornici novem Plinius ex Heſiodo: quod quidem fabuloſam & ipſe ibidem exiſtimat Libro nimirum 7. c. 48. pariter & Macrobius l. 7. c. 5.

248 *Tot per ſæcula.*] Per annos trecentos. Alii tamen affirmant Neſtorem non vixiſſe ultra nonaginta annos, treſq; nihilominus ætates; quas annorum triginta dumtaxat ſingulas numerant.

249 *Dextra computat annos.*] Hinc Juvenalis innuit Neſtorem vixiſſe plura ſæcula, idque ex communi opinione. Obſervandum quippe veteres digitis ſiniſtræ manus ſolitos computare uſq; ad centum; dextra vero majores numeros. Quod ex Beda fuſe refert & explicat Coel. Rhodig. l. 23. c. 12. & ſeq.

250 *Novum toties muſtum bibit.*] Adeoque tot autumnos vidit.

Digitized by Google

Attendas, quantum de legibus ipſe queratur
Fatorum, & nimio de ſtamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem: nam quærit ab omni
Quiſquis adeſt ſocio, cur hæc in tempora duret;
Quod facinus dignum tam longo admiſerit ævo.
Hæc eadem Peleus, raptum cum luget Achillem,
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troja Priamus veniſſet ad umbras
Aſſaraci magnis ſolemnibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrem cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſaque Polyxena palla:
Si foret extinctus diverſo tempore, quo jam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? Omnia vidit
Everſa, & flammis Aſiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus poſita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram ſummi Jovis, ut vetulus bos,

quantum ipſe de fatorum decretis, ac de longiori filo conqueratur, quando cernit flagrantem barbam Antilochi bellicoſi: Singulos enim ſodales, quicunque aſtant, interrogat; quare ad illud ævum uſque *permaneat; ecquod crimen ita diuturnam ætatem meritum perpetrarit? Ea ipſa Peleus* ait, *quando Achillem ſublatum dolet: & alter cui licet deflere Ithacum nantem. Stante Ilio Priamus acceſſiſſet ad manes Aſſaraci, celebri pompa, Hectore cæteriſq; fratribus feretrum collo geſtantibus, inter fletus Trojanarum, ita ut Caſſandra prior auſpicaretur lamentationem facere, & Polyxena diſruptâ chlamyde; ſi mortuus eſſet alio tempore, cum Paris jam incœperat fabricare naves generoſas. Ævum ergo diuturnum quid præſtitit? Aſpexit cuncta diſturbata, atque Aſiam igne & armis ſubverſam. Tum miles titubans arma portavit pileo objecto, accecidit ad altare ſupremi Jovis, tanquam bos annoſus,*

ANNOTATIONES.

251 *Nimio de ſtamine.*] De vita diuturniori. Vide Sat. 3. v. 27. Annot. ad vocem *Lacheſi.*

253 *Antilochi barbam ardentem.*] Cum videt cremari corpus Antilochi filii ſui jam barbati & ſtrenui, atque in ætatis flore morientis, ſcilicet a Memnone occiſi. Odyſſ. 4.

254 *Cur hæc in tempora duret.*] Ut plures ærumnas ferat nimirum.

256 *Peleus.*] Videns Achillem filium ſuum immaturo præreptum fato, & a Paride interfectum.

257 *Atque alius.*] Similia loquitur & Peleus, & Laërtes, ut Neſtor ſupra.

Alius, cui fas, &c.] Odyſſ. ult. a Jove mortem precatur ſenior Laërtes, dolens Ulyſſem filium, Ithacæ Inſulæ regem, undis jactatum annos decem, per maria vagabundum, ſæpe naufragum, adeo ut ejus varii errores ac ærumnæ Homeri Odyſſeæ materiam præbuerint.

258 *Incolumi Trojâ, &c.*] Si ante excidium Trojanum, ſi ante regni ac ſuorum cladem Priamus vita functus eſſet, ſane felix ac beatus exceſſiſſet.

Veniſſet ad umbras Aſſaraci.] Adiiſſet in Inferis Aſſaracum avum fratris ſui.

259 *Hectore funus portante, &c.*] Majori natu filio Priami cum fratribus. Priamo filios quinquaginta, ac filias duodecim fuiſſe aiunt Homer. Cicer. Tuſcul. 1. &c.

Funus portante.] Tit. Liv. lib. 48. Epitom. M. Æmilius Lepidus Princeps Senatus, antequam expiraret, præcepit filiis lecto ſe ſtrato, ſine linteis, ſine purpura efferrent. Plin. l. 7. c. 44. *Quint. Metellus Macedonicus,* inquit, *quatuor filiis illatus rogo eſt, uno Prætore, tribus conſularibus, duobus triumphalibus, uno Cenſorio.*

261 *Ut primos edere planctus, &c.*] Quaſi præfica. Nam conducebantur olim mulieres ita dictæ, quæ luctum ederent in funeribus, ac cæteris modum plangendi darent. Feſtus.

262 *Caſſandra.*] Priami filia Trojæ ruinam vaticinata hanc ab Apolline facultatem incaſſum adepta.

Sciſſâque Polyxena pallâ.] Filia item Priami ſciſſis veſtibus ex antiquo more dolorem teſtificata.

263 *Tempore, quo, &c.*] Cum Paris naves adhuc ædificaret, quibus in Græciam veniens Menelai Principis uxorem Helenam e domo viri in Troadem rapuit: quod tot bellis occaſionem, Trojanoque excidio deinde præbuit. Vide Hor. lib. 1. Ode 15. &c.

267 *Aſiam.*] Trojam ac Troadem quæ pars eſt Aſiæ minoris.

267 *Tunc miles tremulus.*] Tum Priamus ſenio tremens coactus eſt arma induere, ad repugnandum Græcis Helenam repetentibus & injuriam ulciſcentibus.

Tiarâ.] Pileo in pace uſitato. Vide Sat. 6. ad v. 515. annotata in ſimili voce.

268 *Ruit ante aram ſummi Jovis.*] Trucidatus a Pyrrho ante aram Jovis Herceï.

Quid

qui ab immemori jam aratro contemptus cervicem exilem & infortunatam dat heri gladiis. Atq; *iſte* quidem *hominis quodammodo finis eſt; at conjux quæ ſuperſtes ei fuerat, rictu canino truculenta latravit. Propero ad noſtrates, ac prætermitto Regem Ponti, & Crœſum, quem æqui Solonis diſertus ſermo præcepit attendere ad extrema tempora ævi diuturni. Illinc prodierunt exilium, & cuſtodia, & palus Minturnenſis, & panis corrogatus apud Carthaginem ſubactam. Quid eo cive natura felicius unquam in orbe, quid Roma produxiſſet, ſi circumacto vinctorum agmine, atque univerſo militiæ apparatu pulchram animam emiſiſſet, quando exilire cupiebat è curru Teutonico? Prudens Campania præbuerat Pompeio febres*

Quid domini cultris tenue & miſerable collum
Præbet, ab ingrato jam faſtiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis: ſed torva canino
Latravit rictu, quæ poſt hunc vixerat uxor.
Feſtino ad noſtros, & regem tranſeo Ponti,
Et Crœſum, quem vox juſti facunda Solonis
Reſpicere ad longæ juſſit ſpatia ultima vitæ.
Exilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis,
Hinc cauſas habuere. Quid illo cive tuliſſet
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalaſſet opimam,
Cum de Teutonico vellet deſcendere curru?
Provida Pompeio dederat Campania febres

ANNOTATIONES.

270 *Ab ingrato jam faſtiditus aratro.*] Bos jam arando ob ſenium inutilis mactatur ab ingrato agricola tot ejus laborum immemori.

271 *Canino latravit rictu.*] Hecuba, quam fabulantur verſam in canem: eo quod percita dolore in Græcorum obvium quemque debaccharetur, atq; dicteriis lacerare & allatrare veluti conſueviſſet. Vide Plaut. Menæch. ſc. 14. Ovid. Metam. 13. Cicer. Tuſc. n. 63.

273 *Feſtino ad noſtros.*] Feſtinat oratio ad exempla Romanorum, quibus longa vita pariter ærumnas attulit.

Regem Ponti.] Mithridatem tot tantarumque gentium Principem, ut annis quadraginta cum victore terrarum populo bellaverit: ac vix ariete velut triplici denique ſit æquatus ſolo, ac principatu vitaq; pariter excuſſus, Syllæ Cornelii felicitate, Luculli virtute, poſtremo magnitudine Pompeii. Hæc Cœl. Rhodig. l. 22. c. 20.

274 *Crœſum.*] Hunc Lydiæ regem beatum ſe ob ſummas opes credentem admonuit Solon, neminem ante obitum judicari felicem debere. Quod ille verum tandem agnovit, poſtquam a Cyro Perſarum Rege captus, & vivus tantum non exuſtus eſt. Vide Herodot. lib. 1. Juſtin. Plutarch.

Juſti Solonis.] Gell. lib. 17. cap. 21. ait Solonem unum ex illo nobili numero Sapientium leges Athenienſium ſcripſiſſe, regnante Romæ Tarquinio Priſco, anno regni ejus trigeſimo tertio. Vide Plutarch. &c.

275 *Reſpicere ad longæ, &c.*] Ovid ſententiam Solonis ita expreſſit:

——Scilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaq; funera debet.

276 *Exilium, & carcer, &c.*] Si Marius minus vixiſſet, non eſſet expertus exilium, carcerem, mendicitatem. Nimirum Caius ille Marius a Sylla victus fugit, atque in paludibus prope Minturnas latuit. Inde vero in carcerem abreptus, immiſſum Gallum percuſſorem vultus majeſtate deterruit. Hinc trajecit in Africam, & Carthagine pauper & exul panem mendicavit, Aurel. Victor. Tit. Liv. Epitom. lib. 77. Plutarch.

Minturnarum.] Hæc fuit olim urbs Latii, ad Liris fluvii oſtia: hodie jacet in ruderibus.

277 *Victa Carthagine.*] Romano Imperio ſubdita, & tunc prætorem habente Sextilium, qui C. Marium Libya prohibuit. Plutarch. in Vita C. Marii.

278. *Hinc cauſas habuere.*] E longiori vita cauſas habuerunt plures ærumnæ.

Illo cive.] C. Mario.

280 *Si circumducto captivorum, &c.*] Si poſt actum triumphum ſtatim obiiſſet.

281 *Opimam.*] De opimis ſpoliis gloriantem.

282 *Cum de Teutonico, &c.*] Cum paratus eſſet deſcendere, vel cum deſcenderet e curru, quo de Cimbris ac Teutonibus triumphum egerat. C. Marius Arpinas, ſepties Conſul Teutones in Gallia apud Aquas Sextias, Cimbros in Italia, in Campo Caudio vicit, deque his triumphavit. Aurel. Victor. Teutones ſunt populi Germaniæ prope Cimbros ad Boream.

283 *Provida.*] Quaſi prævidens imminentes ei miſerias & calamitates, quibus per febrim eximeretur: quæ proinde videtur fuiſſe optanda.

Provida Pompeio, &c.] Cic. Tuſc. 1. n. 86. *Pompeio noſtro familiari, cum graviter ægrotaret Neapoli, melius eſt factum . . . . . Utrum igitur,*

Optandas:

Optandas: ſed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt. Igitur fortuna ipſius, & urbis
Servatum victo caput abſtulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit, deciditque Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater,
Uſq; ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? Pulcra gaudet Latona Diana.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipſa habuit. Cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque ſuam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miſeros trepidoſq; parentes
Semper habet. RARA eſt adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ. Sanctos licet horrida mores

expoſcendas: at plurima civitates preceſque communes ſuperarunt. Sors igitur illius ac Romæ ademit ſuperato caput conſervatum. Tormento ejuſmodi, iſtis ærumnis Lentulus immunis fuit: & Cethegus interiit non truncatus, atq; integro corpore Catilina procubuit. Parens ſollicita leni ſuſurro filiis, apertiore filiabus pulchritudinem precatur, quoties aſpicit Veneris templum, uſq; ad precum voluptatem. Quare verò redarguas, ait? Latona delectatur Diana formoſa. At prohibet Lucretia vultum expeti, qualis ipſa erat. Virginia Rutilæ gibbum habere vellet; ſuamque formam tradere Rutilæ. Sed venuſto puer corpore nunquam non infelices & anxios tenet genitores. Tam infrequens eſt conſenſus pulchritudinis & caſtimoniæ. Quamvis indolem caſtam dederit familia agreſtis,

ANNOTATIONES.

ſi tum eſſet extinctus, à bonis rebus, an a malis diſceſſiſſet? Certe a miſeriis. Non enim cum ſocero bellum geſſiſſet, non imparatus arma ſumpſiſſet, non domum reliquiſſet, non ex Italia fugiſſet, non exercitu amiſſo nudus in ſervorum manus ac ferrum incidiſſet; non liberi defleti; non fortunæ omnes a victoribus poſſiderentur. Qui ſi mortem tum obiiſſet, in ampliſſimis fortunis occidiſſet. Is propagatione vitæ quot, quantas, quam incredibiles hauſit calamitates? Hac morte effugiuntur.

Campania.] Pars regni Neapolitani, perquam fertilis & beata.

284 *Sed multæ urbes, &c.*] Votis publice factis pro ejus incolumitate, ſervatus eſt Pompeius & ad multa mala reſervatus. Vide Plutarch.

285 *Vicerunt.*] A Diis impetrarunt, ne ex illa febre moreretur.

Fortuna ipſius, &c.] Vota maligne exaudita, & fatum ſuum atque urbis, honeſtæ morti ſubduxerunt Pompeium, quem deinde Ptolemæus Ægypti Rex, ad quem fugerat, capite truncari juberet.

286 *Victo.*] Profligato a Cæſare.

Hoc cruciatu.] Tali mutilatione corporis & capitis diminutione, qualem tulit Pompeius ille magnus.

287 *Lentulus, Cethegus.*] Illi cum Catilina contra Rempublicam conjurati, jubente Cicerone Conſule, in carcere ſtrangulati ſunt: ipſe vero Catilina in acie pugnans cecidit. Appian. Salluſt. &c.

288 *Integer.*] Non truncato capite, integro manente cadavere.

289 *Formam optat.*] Neque pulchritudinem exoptandam oſtendit ob imminentes inde injurias & diſcrimina. Vide Perſ. Sat. 2.

290 *Veneris.*] Venuſtatis Deæ.

291 *Uſque ad delicias votorum.*] Non tantum ex impetrata forma, ſed etiam ex votis ipſis captans delicias & gaudia.

Cur tamen, inquit, corripias.] Eccur damnes ejuſmodi vota, quandoquidem & Latona filiæ pulcritudine delectatur? Ex Homero, & Virgilio.

292 *Diana.*] Jovis ex Latona filia, eodem cum Apolline partu edita: ob caſtitatis ſtudium ſilvas coluiſſe, & hominum conſortia fugiſſe dicitur. Vide Ciceronem de Natura Deorum.

293 *Sed vetat optari.*] Reſpondet Poëta, & opponit Lucretiæ exemplum, cui forma ſtuprum à Tarquinio Superbi filio, & a ſeipſa necem attulit. Vide hiſtoriam apud Liv. lib. 1. cap. 58. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 4. &c.

294 *Cuperet Rutilæ Virginia, &c.*] Virginia optaſſet eſſe tam deformis quam Rutila, ne Appio Decemviro appetita ab ipſo patre Virginio ſuam pudicitiam vindicante occideretur. Vide Tit. Liv. lib. 3. cap. 44.

Rutilæ.] Vetulæ deformis & gibboſæ, quam annos nonaginta ſeptem exceſſiſſe ait Plin. lib. 7. cap. 48.

295 *Suam Rutilæ dare.*] Juvenilem ſuam faciem & formam cum ſenili deformitate commutare.

296 *Trepidos.*] Ne Puer corrumpatur.

297 *Rara eſt adeò concordia.*] Ovid.

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

298 *Sanctos licet horrida, &c.*] Quamvis educatio aſpera & ſevera ſanctos mores formarit. Vide Sat. 6. v. 287.

Tradiderit

Digitized by Google

Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas.
Præterea caſtum ingenium, vultumque modeſtum
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu: (quid enim puero conferre poteſt plus
Cuſtode, & cura natura potentior omni?)
Non licet eſſe viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipſos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia. Nullus ephebum
Deformem ſæva caſtravit in arce tyrannus,
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumoſum, atq; utero pariter, gibboq; tumentem.
I nunc & juvenis ſpecie lætare tui, quem
Majora expectant diſcrimina. Fiet adulter
Publicus, & pœnas metuet quaſcunque maritus
Exigit iratus: nec erit felicior aſtro
Martis, ut in laqueos nunquam incidit. Exigit autem
Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori
Conceſſit. Necat hic ferro, ſecat ille cruentis
Verberibus, quoſdam mœchos & mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ. Mox cum dederit Servilia nummos,
Fiet & illius quam non amat: exuet omnem

*& priſcas Sabinas æmulata: inſuper mentem pudicam, & faciem verecundam ſanguine ardentem conferat natura liberalis favente dextrâ, (nam quid amplius juveni dare valet natura omni pædagogo & diligentiâ efficacir) haud permittitur viros extare. Etenim profuſa corruptoris malitia non dubitat ipſos genitores ſollicitare. Adeo certa ſpes eſt in largitionibus. Nemo tyrannus emaſculavit adoleſcentem non pulcrum in caſtro diro: & Nero nobilem diſtortum, aut ſtrumoſum, aut ventre æquè ac gibbo turgentem haud rapuit. Vade modò atque gaude pulcritudine pueri tui, cui graviora imminent pericula. Publicus evadet mœchus, ac timebit omnem ultionem, quam repetit conjux irâ in*flammatus. *Neq; fortunatior erit Martis ſidere, ut nunquam in vincula incurrat. Porrò is mæror aliquando repoſcit amplius, quam jus quodcumq; permittit mærori. Iſte gladio perimit, hic ſanguinolentis ictibus concidit adulteros quoſpiam: atque mugilis ingreditur. At tuus Endymion mœchus erit adamatæ matronæ: ſtatim quando Servilia nummos donabit, erit etiam ejus quam minime diligit. Univerſis ſpoliabit ſe*

ANNOTATIONES.

299 *Sabinas.*] Caſtitate inſignes. Vide Sat. 3. v. 169. & Sat. 6. v. 163.

300 *Caſtum ingenium, &c.*] Etſi caſtitatis & pudicitiæ amorem dederit natura pariter atque inſtitutio, corruptioni obnoxius eris.

301 *Sanguine ferventem.*] Facile erubeſcentem, pudibundum. Pudens natura diffundit ſanguinem, & eum quaſi velamen obtendit: & hinc rubor. Ut explicat Macrob. l. 7. c. 11.

304 *Non licet eſſe viros.*] Formoſi enim alii caſtrantur, alii in muliebrem deflunt mollitiem: unde & deſinunt eſſe viri.

305 *Tentare parentes.*] Ut pueros formoſos corruptoribus vendant.

306 *Ephebum.*] Puerum jam puberem, annos quatuordecim aſſecutum.

307 *Sæva in arce.*] Tarpeia, ubi ingenuorum pædagogia habuit Nero. Sueton. Ner. c. 28.

308 *Prætextatum.*] Prætexta ornatum, adeoque ingenuum ac nobilem.

Rapuit.] Ad ſtuprum.

312 *Maritus exigit iratus.*] Quando mœchum deprehendit cum uxore. Quidam legunt, *Quaſcumque mariti irati debent.*

313 *Aſtro Martis.*] Ipſo Marte Deo, quem in adulterio cum Venere deprehenſum catena Vulcanus colligavit, & in cæterorum Deorum conſpectu ſtatuit ludibrio expoſitos. Ovid. Met.

315 *Ille dolor.*] Mariti juſtam ab adultero ultionem repoſcentis.

317 *Mugilis intrat.*] Mugil, piſcis grandi capite, cætera gracilis; quem (pariter & alias raphanum) in deprehenſorum mœchorum podicem mariti per vim immittebant. Vetus Schol. Catull. Carm. 15.

Ah tetum miſeri maliquè fati,
Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique mugileſque.

318 *Endymion.*] Filius tuus æque pulcher ac Endymion paſtor, quem Lunæ adamatum fabulantur. Re autem vera primus ille Lunæ curſum obſervavit. Teſte Plin. lib. 2. cap. 9.

319 *Servilia.*] Matrona deformis ac dives, cujus amori etſi non amans indulgebit quæſtus cauſa. Servilia Bruti mater cum Cæſare mœchata. Plutarch.

320 *Exuet omnem Corporis ornatum.*] Uniones & gemmas ſibi detrahet ut donet mœcho.

Corporis

Corporis ornatum. Quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, ſive eſt hæc Hippia, ſive Catulla?
Deterior totos habet illic fœmina mores.
Sed caſto quid forma nocet? Quid profuit olim
Hippolyto grave propoſitum? Quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, ſeu faſtidita repulſa:
Nec Sthenobœa minus quam Creſſa excanduit, & ſe
Concuſſere ambæ. Mulier ſæviſſima tunc eſt,
Cum ſtimulos odio pudor admovet. Elige quidnam
Suadendum eſſe putes, cui nubere Cæſaris uxor
Deſtinat. Optimus hic & formoſiſſimus idem
Gentis patriciæ rapitur miſer extinguendus
Meſſalinæ oculis. Dudum ſedet illa parato
Flameolo; Tyriuſque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo: veniet cum ſignatoribus auſpex.

*corporis ornamentis. Nam quid non indulgebit qualibet * * ſeu eſt illa Hippia, ſeu Catulla? Mulier peſſima iſtic habet omnem indolem. Verum pudico quid obeſt pulcritudo? Ecquid Hippolyto pridem contulit ſeverum inſtitutum? Ecquid Bellerophonti? Scilicet illam puduit quaſi contemptam repudiatione: neq; Sthenobœa levius irata eſt quam Cretica; ſeque utraq; incitavit. Fœmina tum ferociſſima eſt, quando verecundia iræ incentiva adhibet. Statue quod exiſtimes eſſe dandum conſilium ei, cui conjux Imperatoris connubio* jungi *meditatur. Is præclarus, ipſe etiam ſpecioſiſſimus, proſapia nobilis, infelix offertur occidendus in conſpectu Meſſalinæ. Hæc pridem expectat comparato flameo; & genialis* thorus *purpureus in hortis aptatur publice: ac more veteri decies centena tradentur: accedet auſpex cum obſignatoribus.*

ANNOTATIONES.

322 *Hippia, ſive Catulla.*] Impura mulier ſive patricia & liberalis fuerit, ut Hippia; ſive plebeia & avara, ut Catulla; nihil negabit ſuæ libidini.

323 *Deterior totos, &c.*] Erga dilectum mœchum bona eſt & liberalis, quæ in cæteros omnes avara & nequam.

324 *Sed caſto quid, &c.*] objectio, cui mox reſpondet ipſe, allatis exemplis.

324 *Hippolyty.*] Hic Theſei filius caſtus admodum & pulcher, a Phædra noverca perdite amatus, ejus repulſæ odium incurrit, & hinc mortem, ab ipſa ad patrem delatus. Vide Sen. Tragic. Hippolyt.

Bellerophonti.] Ille Glauci regis filius apud Prætum Argivorum regem hoſpes, ab ejus uxore Sthenobœa in adulterium pellectus cum obſequi noluiſſet, pariter eſt accuſatus apud maritum, & gravia multa perpeſſus. Vide Horat. lib. 3. Ode 7.

327 *Creſſa.*] Cretenſis Phædra, Minois Cretæ regis filia, ob repulſam excanduit, & inſurrexit adverſus Hippolytum, ſimiliter & Sthenobœa in Bellerophontem.

Se concuſſere ambæ.] Amore in odium verſo ad vindictam ſe excitavere.

329. *Cum ſtimulos, &c.*] Quando pudore furor accenditur & extimulatur.

Elige quidnam, &c.] Quid nimirum ſuaderes Silio, cui Meſſalina nubere vult?

330 *Cui nubere Cæſaris uxor deſtinat.*] C. Silio Conſuli deſignato formoſo admodum juveni, quem deperibat Meſſalina Claudii Imperatoris uxor. Hæc non contenta tot adulteriis, illi voluit palam nubere, dum Cæſar Hoſtiæ morabatur ſacrificii cauſa. Cornel. Tacit. l. 11. Suet. Claud.

332 *Extinguendus Meſſalinæ oculis.*] Rem ubi reſcivit Claudius, ante oculos Meſſalinæ Silium adulterum occidi imperavit: ipſamque poſtea Meſſalinam.

334 *Flameolo.*] Indumento nuptiali. Vide Sat. 2. v. 3. Annot.

Genialis.] In honorem Genii. Vide Perſ. Sat. 2. ad. v. 124. Annot.

In hortis.] Claudium venire promptum ultioni audiens, Meſſalina Lucullianos in hortos digreſſa. Tacit. lib. 11.

335 *Decies centena.*] Millia ſeſtertium, ex pacto dotali, dabuntur Silio. Numerus certus pro incerto, id eſt, prægrandis ſumma in dotem. Vel quod ea dos maxima tunc Romæ foret, pecuniæ dotali legum juſſis modum imponentibus. Ita Turnebus lib. 18. cap. 30.

Ritu antiquo.] Nimirum ex quo Romæ luxus invaluit.

336 *Cum ſignatoribus.*] Cum Notariis ac teſtibus, ad nuptiales tabulas conficiendas & obſignandas.

Auſpex.] Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. *Apud antiquos,* inquit, *non ſolum publicè, ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto: quo ex more nuptiis etiam auſpices interponuntur. Qui quamvis auſpicia petere deſierint, ipſo tamen nomine veteris conſuetudinis veſtigia uſurpant.*

Hæc

Digitized by Google

Ea tu arbitraberis arcana, & non multis credita? At illa *non niſi ex lege cupit inire conjugium.* Igitur *eloquere, quid eligas. Si recuſes obtemperare, moriendum eſt ante candelas: ſi crimen perpetres, exiguum intervallum concedetur, donec illud civitati ac plebi cognitum ad aures perveniat Cæſaris. Hic familiæ labem poſtremus accipiet. Interim tu jubenti morem gere, ſi tanti* facienda *eſt vita dierum aliquot. Quodcunq; minus & ſatius dixeris, dandum eſt enſi collum iſtud album ac venuſtum.* An *igitur mortales nihil cupient? Si conſilium petas, deos ipſos ſines dijudicare quid expediat nobis, ac negotiis noſtris conducat. Etenim loco ſuavium convenientiſſima qualibet largientur Divi. Hi plus diligunt hominem, quàm* ipſe *ſe. Nos impetu mentis, & inconſideratâ atque præcipiti libidine abrepti exoptamus connubium; & partum conjugis. Iis autem perſpectum, quinam infantes, & qua conjux futura ſit. Quòd ſi quid nihilominus & petas, & voveas templis viſcera, & divina tomacula albi porcelli;*

Hæc tu ſecreta, & paucis commiſſa putabas?
Non niſi legitimè vult nubere. Quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum eſt ante lucernas.
Si ſcelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota urbi, & populo, contingat Principis aures.
Dedecus ille domûs ſciet ultimus. Intereà tu
Obſequere imperio, ſi tanti eſt vita dierum
Paucorum. Quicquid levius, meliuſque putaris
Præbenda eſt gladio pulchra hæc & candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? Si conſilium vis,
Permittes ipſis expendere Numinibus quid
Conveniat nobis, rebuſque ſit utile noſtris.
Nam pro jucundis aptiſſima quæque dabunt Dii.
Carior eſt illis homo, quam ſibi. Nos animorum
Impulſu, & cæca magnaque cupidine ducti,
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualiſque futura ſit uxor.
Ut tamen & poſcas aliquid; voveaſque ſacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci;

ANNOTATIONES.

337 *Secreta.*] Clam Cæſare Claudio.

338 *Non niſi legitime vult nubere.*] Tacit. Annal. 11. *Cuncta nuptiarum ſolemnia celebrat,* inquit, *additque fabuloſum viſum iri hoc, palam Conſulem deſignatum cum uxore Principis, prædicta die, abhibitis qui obſignarent, velut ſuſcipiendorum liberorum cauſa, conveniſſe, audiſſe auſpicum verba, ſubiſſe, ſacrificaſſe apud Deos; diſcubitum inter convivas; oſcula, complexus, noctem denique actam licentia conjugali, &c.* Sueton. Claud. c. 26. *Cum Meſſalinam comperiſſet ſuper cætera flagitia atque dedecora, C. Silio etiam nupſiſſe, dote inter auſpices conſignata, ſupplicio affecit.* cap. vero 29. *omnem fidem exceſſerit, quod nuptiis, quas Meſſalina cum adulterio Silio fecerat, tabellas dotis & ipſe conſignaverit, inductus, quaſi de induſtria ſimularentur, ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipſi per quædam oſtenta portenderetur.*

339 *Ni parere velis.*] Si abnuerit Silius, a Meſſalina irata occidi jubebitur ante noctem. Tacit. ait multas mortes juſſu Meſſalinæ patratas.

Ante lucernas.] Antequam lucernæ accendi ſolent.

340 *Si ſcelus admittas.*] Si inſano amori Silius obſequatur, Cæſari paulo poſt rem accipienti audaciæ dabit pœnas ſuæ.

341 *Contingat Principis aures.*] Narciſſus libertus apud Claudium inſtitit, Meſſalinam detulit: *Matrimonium Silii,* inquit, *vidit populus & Senatus & miles; ac ni propere agis, tenet urbem maritus* ——— *Quo pavore offuſus Claudius identidem interrogabat, an ipſe Imperii potens? An Silius privatus eſſet? Interim Meſſalina non alias ſolutior luxu,* &c. Cornel. Tacit. cit. lib. 11. Annal.

342. *Dedecus domus.*] Tacit. ibid. *Meſſalina facilitate adulterorum in faſtidium verſa ad incognitas libidines profluebat* ——— *Nomen matrimonii concupivit Silius ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos noviſſima voluptas eſt.*

Tu obſequere imperio.] Tu Sili, morem gere imperioſo Meſſalinæ amori, ut dies aliquot vitam protrahas.

345. *Præbenda eſt gladio.*]. Seu Meſſalinæ ſeu Claudii.

Pulchra hæc & candida cervix.] Quæ Silii immaturæ mortis cauſa.

347. *Permittes ipſis, &c.*] Vide Val. Maxim. lib. 7. c. 2. cujus verba retulimus initio Annot. in hanc Satiram.

353. *Qui pueri.*] An boni, an mali ſint naſcituri.

355. *Divina.*] Diis offerenda.

Tomacula.] Pinguia, quædam viſcera, ſeu ſicimina, e pulmone, jecore, & carnibus porcinis minutatim conciſis. Τέμνω, *ſcindo* τόμος *fruſtum, ſectio.*

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.
Fortem poſce animum, & mortis terrore carentem;
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcunque labores;
Neſciat iraſci, cupiat nihil; & potiores
Herculis ærumnas credat, ſævoſque labores,
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.
Monſtro quod ipſe tibi poſſis dare; ſemita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
NULLUM Numen habes, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

precandum eſt ut ſit animus ſapiens in corpore valido. Firmam pete mentem, & mortis metu vacuam, quæ tempus ætatis ultimum, inter naturæ beneficia ſtatuat, quæ valet perpeti omnes cruciatus, ignorat excandeſcere, nihil deſideret; atque Herculis calamitates & duros ſudores præferendos putet, & libidinibus, & epulis, & plumeis lectis *Sardanapali. Oſtendo quidnam ipſe tibi queas donare. Una profectò via ad ævum quietum per virtutem panditur. O Fortuna, nihil divinum tibi eſt, ſi ſapimus: verùm te nos efficimus Numen, & Olympo conſtituimus.*

ANNOTATIONES.

Candiduli porci.] In nuptiis & re uxoria, porcus albus ſacrificabatur. Varro.

358. *Qui ſpatium vitæ extremum, &c.*] Qui mortem exiſtimet eſſe naturæ munus. Sic Plin. lib. 28. c. 1. *Vitam quidem non adeo expetendam cenſemus,* inquit, *ut quoquo modo trahenda ſit — Quapropter hoc primum quiſq; in remediis animi ſui habeat: ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum eſſe melius tempeſtiva morte.*

359. *Ferre queat, &c.*] Suſtinere & abſtinere, quæ duo ſunt virtutis munera, ex Epicteto.

360. *Neſciat iraſci, cupiat nihil.*] Tunc enim quietam & beatam aget vitam, ab iſtis liber perturbationibus.

361. *Herculis ærumnas, &c.*] Malis variis, ut Hercules, exerceri laboribus, quibus augeatur virtus atque eluceſcat, quam ſegnem & ignavam in otio ac deliciis vitam agere cum Sardanapalo. De multiplici Hercule, deque ejus laboribus conſule Diodor. Sicul. &c.

362. *Sardanapali.*] Is ultimus fuit Aſſyriorum Rex, adeo mollitie fractus, & inter ſcortorum greges muliebri habitu, mulieribus ipſis effœminatior neret, penſa diſpenſaret, omni laſciviæ genere ut flueret. Quod cum obſervaſſet Arbactus Medis Præpoſitus, tot viros fœminæ ſervire indignum ratus, Sardanapalum aggredi ac deturbare ſtatuit. Hic denique victus virum ſe tandem exhibuit, cum extructo rogo ſe ſuaque omnia in eo conſumpſit. Herodot. Juſtin. Diod. Sicul. &c. Sardanapali Epitaphium fuiſſe aiunt: Ede, bibe, lude, cætera nihili ſunt. Plutarch. Cœl. Rhodig. lib. 9. cap. 11. Referunt & alii alia quædam Epitaphia.

363 *Quod ipſe tibi poſſis dare.*] Virtutem ſcilicet ac felicitatem. Horat. lib. 1. Epiſt. 18.

Sed ſatis eſt orare Jovem, qui donat & aufert:
Det vitam, det opes: æquum mihi animum
ipſe parabo.

365 *Nullum Numen habes, &c.*] Cic. Tuſc. 5. n. 25. damnat eam ſententiam: *Vitam regit fortuna, non ſapientia.* Et Seneca, *Errant,* inquit, *qui aut boni aliquid, aut mali judicant tribuere fortunam.* Sunt qui legunt, *Nullum Numen abeſt,* id eſt, ſapienti viro adſunt omnes Dii. Horat. Epiſt. 1.

Ad ſummum, ſapiens uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

366 *Nos facimus, Fortuna, Deam.*] Hi duo poſtremi verſus iterum habentur Sat. 14. ſub finem. Senſus eſt: per imprudentiam noſtram locum Fortunæ damus inter Numina. Plin. l. 2. c. 7. *Omnium,* inquit, *vocibus fortuna ſola invocatur, una accuſatur, una laudatur, ſola arguitur, & cum conviciis colitur. Cæca etiam, & inconſtans, & indignorum fautrix exiſtimata, in tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit. Huic omnia feruntur accepta. Adeoque obnoxii ſumus ſortis, ut ſors ipſa pro Deo ſit, quâ Deus probatur incertus — Hæc ſingula improvidam mortalitatem involvunt, &c.*

SATIRA

SATIRA XI.

INTERPRETATIO.

SI Atticus epuletur egregiè, ſplendidus exiſtimatur; ſi Rutilus, vecors: Ecquid etenim ſolutiore plebis riſu carpitur, quàm inops Apicius? Singula convivia, balnea, conventicula, totum amphitheatrum de Rutilo loquuntur. *Quippe cum artus robuſti & juveniles caſſidi pares ſunt, & quandiu fervent ſanguine, properat ad excipiendas regulas ac præcepta imperioſa gladiatorum magiſtri, non jubente certe, verum neq; vetante Tribuno. Prætereà cernis plurimos, quos ad ipſum macelli oſtium opperiri conſuevit creditor frequenter deceptus: & queis vitæ* ducendæ *ratio dumtaxat in palato conſiſtit.*

ATticus eximiè ſi cœnat, lautus habetur,
Si Rutilus, demens: quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quàm pauper Apicius? Omnis
Convictus, thermæ, ſtationes, omne theatrum
De Rutilo. Nam dum valida, ac juvenilia membra
Sufficiunt galea, dumque ardens ſanguine fertur
Non cogente quidem, ſed nec prohibente Tribuno
Scripturus leges, & regia verba laniſtæ.
Multos porrò vides, quos ſæpè eluſus ad ipſum
Creditor introïtum ſolet expectare macelli,
Et quibus in ſolo vivendi cauſa palato eſt.

ANNOTATIONES.

1 *ATticus eximiè.*] Hac Satira frugalitas commendatur, luxus damnatur, præſertim in iis quorum tenues facultates id non ferunt.

Atticus.] Nobilis ac dives aliquis, ut Pomponius ille Ciceroni familiaris, cui ex Athenienſi ſeceſſu & lepore Attici cognomen factum.

Lautus habetur, &c.] In opulento profuſio in conviviis, lautitia eſt; at dementia eſt, ſi velit inops ſumptos pariter facere.

2 *Rutilus.*] Quiſpiam factus pauper e luxu.

3 *Apicius.*] Homo luxurioſus Apicio ſimilis. Vide Sat. 4. v. 23.

Omnis convictus, &c.] De Rutilo per gulam ad egeſtatem redacto fabulantur omnes paſſim in conviviis, balneis, &c.

4 *Stationes.*] Porticus, ſeu loca in Romano foro, in quibus homines ad colloquendum conveniebant, & conſiſtebant. Valer. Maxim. l. 2. cap. 2. *Senatus*, inquit, *aſſiduam ſtationem peragebat eo loci, qui hodieque Senaculum appellatur: nec expectabat ut edicto contraheretur, ſed inde citatus protinus in curiam veniebat.* Plinius Epiſt. *Plerique in ſtationibus ſedent, tempuſque audiendo fabulas conterunt.* Gell. lib. 13. cap. 13. refert, quæſitum in pleriſque Romæ ſtationibus Jus publice docentium, an, &c. Turneb. l. 1. c. 17. ſuſpicatur hic intelligi oportere municipiorum ſtationes, quæ erant in foro Romano, quorum meminit Plin. l. 16. c. 44. Verum quaſlibet Romæ ſtationes & confabulationes a Juvenale ſignificari ſatis apparet.

Omne theatrum.] Omnes qui ad ſpectacula & ludos conveniunt & aſtant.

5 *De Rutilo.*] Qui devoratis bonis, ut victum deinceps habeat, gladiatoriam exercet, adigente quidem inopia, non autem ullo Nerone aut Tyranno, ut olim. Vide Sat. 2. ad. v. 143. & ſeq. Item Sat. 8. ad v. 193. & ibid. Annot.

7 *Nec prohibente Tribuno.*] Tribunum obiter taxat, qui ejuſmodi urbis dedecora debuiſſet impedire. Ex locis mox citatis.

8. *Scripturus leges.*] Tractandorum armorum rationem ut ediſcat; an etiam ut tradat artis jam peritus? Sueton. Jul. Cæſ. cap. 26. *Tirones*, inquit, *neque in ludo, neque per laniſtas ſed in domibus per Equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat; precibus enitens, ut diſciplinam ſingulorum ſuſciperent, ipſique dictata exercentibus darent.*

Regia verba.] Superba, imperantia: urge, percute, attolle, declina, &c.

9 *Multos porrò vides, &c.*] Obæratos, qui gulæ nihilominus indulgent, atque e credita ſibi pecunia dapes lautas emunt etiam caro pretio.

Ad ipſum creditor introitum, &c.] Creditor alibi eluſus ſcit debitorem luxurioſum certe inveniri ad macellum & forum, ubi lauta emuntur obſonia. Illic igitur expectat, ut ab eo fœnus exigat.

11 *Quibus in ſolo, &c.*] Qui vivunt ut edant, quorum Deus venter eſt.

Egregius

Digitized by Google

Egregiùs cœnat meliuſque miſerrimus horum,
Et cito caſurus jam perlucente ruina.
Interea guſtus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obſtantibus: interius ſi
Attendas, magis illa juvant quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile eſt perituram arceſſere ſummam
Lancibus oppoſitis, vel matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire guloſum
Fictile: ſic veniunt ad miſcellanea ludî.
Refert ergo quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria eſt, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & a cenſu famam trahit. Illum ego jure
Deſpiciam, qui ſcit quanto ſublimior Atlas
Omnibus in Libyâ ſit montibus: hic tamen idem
Ignoret quantum ferrata diſtet ab arca

Iſtorum pauperrimus, ac brevi ruiturus caſu jam apparente lautiùs ac ſplendidius epulatur. Interim guſtatus inveſtigant in cunctis elementis, nunquam valore menti obicem ponente. *Si intus perſpicias, ea plus delectant quæ carius comparantur. Itaq; non eſt arduum contrahere pecuniam abſumendam, depoſitis catinis, aut effigie parentis mutilata; & voracem teſtam infercire nummis quadringentis. Ita hiſtriones accedunt ad miſcellanea. Intereſt igitur quiſnam ea ipſa arceſſat. Etenim in Rutilo luxus eſt: in Ventidio decus honeſtum accipit, & commendationem ab opibus depromit. Ego hunc merito aſpernabor, qui novit quam Atlas extet altior univerſis Africæ montibus; is nihilominus ipſe neſciat, quam loculus differat a capſa ferro* inſtructa.

ANNOTATIONES.

12 *Egregius.*] Comparativ. magis egregie. Sic etiam Lucret. lib. 4.

Nam nihil egregius, quam res ſecernere opertas
A dubiis.

13 *Perlucente ruinâ.*] Metaphora a rimoſo pariete vel ædificio.

14 *Guſtus elementa per omnia quærunt.*] Undique accerſunt quo delicati palati faſtidio ſatiſfaciant.

Elementa per omnia.] Ex aëre volucres, ex aquis piſces, e terra feras, boletos, tubera, omnia exquiſiti ſaporis exquirunt.

15 *Nunquam animo pretiis obſtantibus.*] Nedum caritas obſtet & deſiderium minuat, quin potius auget ſemper & magis oblectat.

17 *Ergo haud difficile, &c.*] Quandoquidem ea quæ pluris emuntur obſonia, hoc magis appetunt guloſi illi; hinc ut ea mercentur nihil putant difficile; ſive oppignoranda ſit ſupellex & contrahendum æs alienum, ſive diſtrahenda matris effigies.

Perituram arceſſere ſummam.] Pignoribus datis, a creditoribus ſumere pecuniam luxu diſperdendam.

18 *Lancibus oppoſitis.*] Supellectilibus in pignus poſitis.

Matris imagine fractâ.] *Quæ in auro vel argento picta*, inquit vetus Schol. *fractâ* vel caſu & vetuſtate; vel data opera, ut ſine pudore vendi queant partes atque fragmenta.

19 *Quadringentis nummis condire.*] Toto cenſu Equeſtri, magno pretio cibos exquiſitos parare.

Guloſum fictile.] Ferculum inopi guloſo expetitum emptumq; conditum vero in lance fictili, quoniam argentea vaſa pignori ſunt oppoſiti.

20 *Sic veniunt ad miſcellanea ludi.*] Sic nempe homines aliàs ingenui, & olim patrimonium ſat amplum adepti, poſtquam illud male dilapidaverunt, ludiones fieri coguntur.

Miſcellanea.] Vel miſcellos ludos, quales a Caligula editos Lugduni in Gallia, meminit Sueton. Calig. cap. 20. vel cum veteri Schol. & aliis intellige gladiatorium cibum e variis mixtum ferculis. Gel. l. 20. c. 11. variam & miſcellam & quaſi confuſaneam doctrinam atq; hiſtoriam appellat, quæ variis eſt rebus commixta.

Ludi.] Pro, ludii, id eſt Ludiones.

21 *Quis hæc eadem paret.*] An pauper, ut Rutilus, an dives, ut Ventidius, in quo quidem luxus liberalitatis famam inducit.

22 *Ventidio.*] De eo jam Sat. 7. v. 199. Vide ibid. Annot. Alii accipiunt Ventidium Cumanum Galilæorum nationi præfectum, de quo Tacit. lib. 12. Annal.

24 *Atlas.*] Mons Africæ maximus ab ora Oceani Atlantici perpetuum extendens jugum ad Barcæ deſertum verſus Orientem. Dictus ab Atlante rege ſiderum perito, quem proinde Cœlum humeris tuliſſe fabulantur.

25 *Libya.*] Sic vocata Græcis Africa. Alias pro hujus parte ſumitur, quæ continetur intra Æthiopiam ad ortum, & mare Atlanticum ad Occidentem.

Idem ignoret quantum, &c.] In variis eruditus & ſapiens, at ſtultus ac demens in ſumptu & luxu: ignoret diſcrimen ingentis arcæ divitum nummis plenæ, & ſacculi pauperum in quo pauci denarii: & pro utriuſque menſura ſumptus faciendos.

26 *Ferrata arca.*] Qualem habent vulgo divites, & habebant in foro Romani Proceres, ut Sat. 10. notavimus ad v. 25.

Sacculus. E cœlo deſcendit, γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum & memori tractandum pectore, ſive
Conjugium quæras, vel ſacri in parte Senatus
Eſſe velis. Nec enim loricam poſcit Achillis
Therſites, in qua ſe traducebat Ulyſſes
Ancipitem. Seu tu magno diſcrimine cauſam
Protegere affectas, te conſule, dic tibi quis ſis:
Orator vehemens, an Curtius, an Matho. Buccæ
Noſcenda eſt menſura tuæ; ſpectandaq; rebus
In ſummis, minimis; etiam cum piſcis emetur.
Nec mullum cupias, cum ſit tibi gobio tantum
In loculis: quis enim te, deficiente crumena,
Et creſcente gula, manet exitus; ære paterno,
Ac rebus merſis in ventrem, fœnoris, atque
Argenti gravis, & pecorum, agrorumq; capacem?
Talibus a dominis poſt cuncta novimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ, ſed morte magis metuenda ſenectus.

E cælo defluxit illud *γνῶθι σεαυτὸν, animo fideli inurendum & revolvendum, ſeu connubium expetas, ſeu cupias eſſe particeps ſanctæ curiæ: Enimverò neque Therſites optat Achillis thoracem, in quo ſe Ulyſſes dubium exhibebat. Sive tu cauſam tueri vis ingenti periculo, teipſum interroga, aperi tibi qualis ſis,* an *cauſidicus acer, utrum Curtius, utrum Matho: oris tui modulus eſt intelligendus & conſiderandus in negotiis maximis & infimis, etiam quando piſcem mercabere; neque mullum expetas, quando in pera gobionis* pretium *duntaxat habueris. Nam loculis exhauſtis, & voracitate auctâ, quiſnam te finis expectat, poſtquam patrimonium & facultates ingeſſeris in alvum uſura & argenti rudis, & gregum & prædiorum voracem? A dominis ejuſmodi poſt omnia ultimus abit annulus, atque digito ſpoliato Pollio ſtipem rogat. Neque præcoces favillæ, neque mors luxui moleſtæ* ſunt; *verum ſenecta plus* quam *mors timetur.*

ANNOTATIONES.

27 *Cælo deſcendit, &c.*] Diog. Laërt. lib. 1. affirmat illud, *Noſce teipſum*, Thaletis eſſe Mileſii, & a Chilone poſtea uſurpatum. Cic. Tuſc. 1. n. 52. Apollinis præceptum monet, ut ſe quiſque noſcat: *Quod niſi divinum eſſet*, inquit, *non eſſet hoc acrioris ejuſdam animi præceptum ſic ut tributum Deo ſit.* Plin. lib. 7. cap. 32. *Oraculorum*, inquit, *ſocietatem dedere mortales Chiloni Lacedæmonio, tria ejus præcepta Delphis conſecrando aureis literis.*

Γνῶθι σεαυτὸν.] *Noſce teipſum.* Cic. lib. 3. ad Q. fratrem, Epiſt. 6. *Præceptum illud*, inquit, *noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum, verum etiam ut bona noſtra norimus.* Vid. Tuſcul. cit. item Perſ. Sat. 4. v. ult.

29 *In parte Senatus.*] Senator eſſe velis, Judex, Magiſtratus.

30 *Nec enim loricam poſcit Achillis Therſites.*] Therſites haud ita eſt immemor ſuæ tenuitatis, ut idem appetat quod Ulyſſes, aut Ajax: quorum de armis Achillis mortui contentionem vide apud Ovid. Metam. 13.

31 *Therſites.*] Homo inglorius & parvi nominis apud Græcos, de quo jam Sat. 8. ad. v. 269.

In qua ſe traducebat Ulyſſes ancipitem.] In cujus loricæ petitione adverſus Ajacem, Ulyſſes ipſe metuebat ſibi, ne non obtineret.

34 *Curtius.*] Montanus, orator mediocris, valde tamen jactabundus. De eo Sat. 4. ad verſ. 107. Annot. Vide.

Matho.] Cauſidicus infimæ notæ, de quo Satir. 1. v. 32.

Buccæ.] Facundiæ tuæ modum noris, ſi ſis orator: quiſquis autem fueris, ex crumenæ modulo, buccæ & gulæ tuæ modum pone.

37 *Mullum.*] Piſcem pretioſum. De quo vide Sat. 4. v. 15. & Sat. 5. v. 92.

Gobio.] Vilis piſciculus.

41 *Argenti gravis.*] Non facti, aut ſignati, quod eſt adhuc in maſſa. Vide Cœl. Rhodig. lib. 10. cap. 2.

42 *Talibus a dominis, &c.*] Decoctores illi poſt alia tandem oppignorant aut vendunt annulum ſuæ notam nobilitatis.

43 *Pollio.*] Nobilis helluator: an vero Carvilius ille Pollio, qui prodigi & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenii, quique teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſq; & repoſitoria his veſtire inſtituit, ut ait Plin. lib. 9. cap. 11.

Digito nudo.] Nec enim Equeſtrem dignitatem ejuſq; inſigne annulum ſervabat, niſi qui cenſum Equeſtrem retinebat, nimirum quadringenta ſeſtertium millia: at ille bona decoxerat.

44 *Non præmaturi cineres, &c.*] Non metuunt luxurioſi illi mortem ſibi, vel graves morbos creare per helluationes; ſed timent ſenium, in quo propter inopiam aut ægritudines non licet amplius luxuriari.

Hi plerumque gradus; conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis conſumitur. Inde ubi paullum
Neſcio quid ſupereſt, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertêre ſolum, Baias, & ad Oſtia currunt.
Cedere namque foro jam non tibi deterius, quam
Eſquilias a ferventi migrare Suburra.
Ille dolor ſolus patriam fugientibus, illa
Mœſtitia eſt, caruiſſe anno Circenſibus uno.
Sanguinis in facie non hæret gutta; morantur
Pauci ridiculum, & fugientem ex urbe pudorem.
Experiere hodie numquid pulcherrima dictu,
Perſice, non præſtem vita, nec moribus, & re;
Sed laudem ſiliquas occultus ganeo, pultes
Coram aliis dictem puero, ſed in aure placentas.

Iſti gradus ut plurimum: Pecunia Romæ accepta à creditoribus, atque præſentibus dominis abſumitur: dein cum neſcio quid parvum reſtat, atque expalleſcit uſura poſſeſſor, tum qui terram mutavere, properant Baias & ad Oſtia. Forum enim deſerere, nunc tibi haud pejus, quam ex ardenti Suburra ad Eſquilias tranſire. Is mœror, ea triſtitia dumtaxat patriâ cedentibus inhæret, anno uno Circenſibus privari. Cæterùm *in vultu non manet ſtilla ſanguinis: neque multi retinent verecundiam riſu dignam, atque è civitate recedentem.* O *Perſice, hodie periculum facies, utrum præclara memoratu non exequar, vivendi* ratione, *neque moribus, neque factis: ſiliquas autem commendem* ego *helluo abſconditus,* & *pultem ſervo cæteris præſentibus, in auricula verò placentas jubeam.*

ANNOTATIONES.

46. *Hi plerumque gradus.*] Per quos iſti devenire ſolent ad rerum omnium inopiam. 1. Pecuniam fœnore accipiunt. 2. Hanc in ipſa urbe coram fœneratoribus in luxuriam effundunt. 3. Solum vertunt.

47. *Coram dominis.*] Fœnoris & crediti dominis, atque auctoribus.

48. *Pallet.*] Ne fœnus & creditum perdat, jam timet.

49. *Qui vertêre ſolum.*] Patria cedentes in aliam regionem abeunt exulatum, & quidem feſtinanter, ne à creditoribus comprehendantur.

Baias.] Urbem Campaniæ maritimam, de qua vide Sat. 3. v. 4.

Oſtia.] Ad Oſtia Tiberina, ibi fortè navem conſcenſuri fugiunt. Namque ibi portus ad oſtium Tiberis fluminis cum adverſa urbe pridem celebri ab Anco Martio condita. Legunt quidam, *oſtrea*, ut ſit ſenſus, inopes illos conferre ſe Baias ad piſcationem oſtreorum.

50. *Cedere namque foro, &c.*] Non comparere in urbe ob æs alienum, non magis ignominioſum jam putatur, quàm ab uno vico in alium migrare.

51. *Eſquilias à ferventi, &c.*] Ab æſtuoſa urbis regione in frigidiorem. Nam & editior is locus: & gelidas vocavit Eſquilias, Sat. 5. v. 78. Vide & Sat. 3. v. 71.

Ferventi.] Seu ob ſitum, ſeu ob majorem populi frequentiam.

Suburrâ.] Vid. Sat. 3. v. 5. Annot.

52. *Ille dolor, &c.*] Illis decoctoribus nullus jam pudor: unus autem dolor ſupereſt, carere Circenſibus.

53. *Circenſibus.*] Vide Sat. 3. v. 223. & Satir. 10. v. 80. atque ibid. Annot.

54. *Sanguinis in facie, &c.*] Pudoris nihil reſtat, veſtigium nullum. Vide Sat. 10. v. 301. & Annot.

Morantur pauci, &c.] Pauci conantur retinere pudorem, qui jam urbem deſerit ac fugit, ubi etiam ridiculus multis exiſtimatur. Sic orbe jam facinoroſo ceſſiſſe & ad Superos evolâſſe dicitur Aſtræa, ejuſque pariter ſoror Pudicitia, Sat. 6. v. 19.

56. *Numquid pulcherrima dictu, &c.*] Utrum verbis tantùm frugalitatem extollam, quàm re non teneam, ſed, ut alii, gulæ ſerviam & ventri.

57. *Perſice.*] Perſicus amicus Juvenalis, cui & nunc inſcripſit Satiram.

58. *Siliquas.*] Cibum rudiorem, tenuem victum, legumina; quorum involucrum ſiliqua dicitur. Vide Perſ. Sat. 3. v. 55.

Occultus ganeo.] Clàm popinas frequentans. Ganeum ſubterraneus locus eſt, ex Feſt.

Pultes.] Parabiles & vulgares cibos. Vide Sat. 7. ver. 185. & Perſ. Sat. 6. v. 40. atque ibid. Annot.

59. *Coram aliis.*] Ut frugalis exiſtimer.

Dictem puero, ſed, &c.] Dum quis adeſt pultes imperem famulo, & quidem palàm; ut ſtatim in aurem & clàm inſuſurrans jubeam ut placentas coquat mihi cœnaturo.

Placentas.] Dulciaria; delicata fercula. Placentæ fiebant è farina ſiliginea, alica, caſeo, melle. Martial. Lib. 7. Epig. 19. dulces placentas vocat.

Digitized by Google

Etenim quandoquidem pollicitus es epulari mecum, ero tibi velut *Evander; accedes Tirynthius, vel hoſpes eo inferior, idem nihilominus Superis etiam ſanguine conjunctus, hic undis, ille igne ad cælum tranſlatus. Jam auſculta dapes nullis macellis paratas. E Tiburis campo prodibet hædus* parvus *opimus, atq; omni grege tenerior, ignarus graminis,* quique *nondum tentavit carpere ſurculos inferiorum ſalicum, qui plus lactis quam ſanguinis continet: tum corruda è montibus, quas villica collegit dimiſſo fuſo: deinde ova ingentia & è ſtramine circumvoluto fervida præſto ſunt cum ipſis parientibus:* quin *& botri* per *anni partem cuſtoditi ſicuti in palmite conſtiterant: poſteà pyra Signina atque Syria: & ex iiſdem caniſtris poma novi odoris* cum *Picenis certantia: tibi* vero *minime timenda, poſteaquam ejecere autumnum hyeme arefactum, & diſcrimina ſucci non cocti.*

Nam, cum ſis conviva mihi promiſſus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hoſpes, & ipſe tamen contingens ſanguine cœlum;
Alter aquis, alter flammis ad ſidera miſſus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguiſſimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, inſcius herbæ,
Necdum auſus virgas humilis mordere ſalicti,
Qui plus lactis habet quam ſanguinis; & montani
Aſparagi, poſito quos legit villica fuſo.
Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova adſunt ipſis cum matribus, & ſervatæ
Parte anni, qualis fuerant in vitibus uvæ:
Signinum Syriumque pyrum: de corbibus îſdem
Æmula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum, & crudi poſuere pericula ſucci.

ANNOTATIONES.

60 *Habebis Evandrum.*] O Perſice, me frugalem habebis hoſpitem, ſicut olim Evandrum Hercules & Æneas habuere, cum ab eo tenui menſa excepti ſunt. Ex Æneid. 8.

Tum res inopes Evandrus habebat.

61 *Evandrum.*] Hic Arcadiæ primo Rex, deinde venit in Italiam, & pulſis Aboriginibus ibi regnabit, ubi Roma ſubinde condita eſt.

Venies Tirynthius.] Ut Hercules, cujus patria dicitur fuiſſe Tiryus vel Tyrintha urbs Peloponneſi prope Argos.

Minor illo hoſpes.] Æneas Hercule minor ætate, fama, rebus geſtis.

62 *Et ipſe tamen contingens ſanguine cœlum.*] Ut enim filius Jovis Hercules, ſic Æneas Veneris.

63 *Alter aquis.*] *Æneas in Numidium fontem lapſus creditur conſecratus,* inquit vetus Schol. Dionyſ. Halicarn. lib. 1. hæc ſcribit: *Commiſſo acri prælio, multiſque utrimque cæſis, Æneæ corpus nuſquam apparuit: alii in Deos tranſlatum putàrunt, alii merſum fluvio, juxta quem prælium fuerat, Latini templum Æneæ condiderunt, cum Inſcriptione, Jovi Indigeti, ſeu Patri Divo Terreſtri, qui fluvii Numidii undas gubernat.*

Alter flammis,] Hercules, qui cum induiſſet veſtem venenatam ſibi a Deianira miſſam, ardore correptus, & doloris impatiens, accenſa pyra in Oeta monte ſeipſum combuſſit. Vide Ovid. Metamorph. 9. Senec. Trag. Hercul. Oetæum, &c.

64 *Fercula.*] Quæ tibi apponere ſtatui.

Nullis ornata macellis.] Non empta, vel e macello & foro petita.

65 *Tiburtino.*] Vide Sat. 3. v. 192.

66 *Inſcius herbæ.*] Materno adhuc lacte victitans, nondum herbam delibavit.

68 *Montani aſparagi.*] Silveſtres & e monte, non ex horto, in quo delicatiores educantur.

70 *Tortoque calentia fœno.*] Recentia e nido, qui torto fœno conflatus: vel calentia e fœno in quo involuta apportantur. Ut Martial.

Sed tuta fœno curſor ova portabat.

71 *Cum matribus.*] Cum ipſis gallinis.

73 *Signinum.*] A Signia Latii oppido dicta pyra, quæ alii a colore teſtacea appellant, inquit Plin. lib. 15. cap. 15. Hæc commendat Cornel. Celſ. lib. 2. cap. 24.

Syrium.] Pyra primum e Syria allata; quæ eadem eſſe cum Tarentinis quidam affirmant. Vide Colum. lib. 10. cap. 5. Macrob. l. 3. c. 19. Plin. cit.

De corbibus iiſdem.] Omnia promifcue, quod ſimplicitatem notat.

74 *Æmula Picenis.*] Tam bona quam quæ celebrantur ex agro Piceno, qui hodie continet partem Marchiæ Anconitanæ, & Aprutii interioris. Horat. Lib. 2. Sat. 4.

Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco,
Nam facie præſtant.

75 *Siccatum frigore poſtquàm, &c.*] Cum per frigus & hyemem ſiccatus fuerit crudus humor, quem autumno recentia habebant.

Hæc

Digitized by Google

Hæc olim noſtri jam luxurioſa ſenatus
Cœna fuit. Curius parvo quæ legerat horto
Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compede foſſor,
Qui meminit, calidæ ſapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga ſuis rara pendentia crate
Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, ſi quam dabat hoſtia, carne.
Cognatorum aliquis titulo ter Conſulis, atque
Caſtrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus ad has epulas ſolito maturiùs ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Cum tremerent autem Fabios, durumq; Catonem
Et Scauros, & Fabricios, poſtremo ſeveros
Cenſoris mores etiam collega timeret,

Iſta pridem fuit Senatus noſtri cœna tum ſumptuoſa. Curius quas tenui hortulo ipſe herbas collegerat, parvo camino adhibebat, quas modò contemnit ſordidus foſſor in amplo ergaſtulo, qui recordatur qualis ſapor vulvæ im taberna ferventi. Erat olim conſuetudo feſtis diebus cuſtodire dorſa porci areſacti ſuſpenſa crate non denſâ, & ſuccidiam in *natali apponere conſanguineis, additâ recenti carne, ſi aliquam victima ſuppeditaret. Affinium quiſpiam inſignitur tertio Conſulatu, & Caſtrorum Præfectura ac Dictatoris dignitate perfunctus, ad eam cœnam pergebat citius* quam *ſuetum* erat, *ſublatum* humeris *bipalium reportans è ſubacto colle. At quando formidabant Fabios, & ſeverum Catonem, & Scauros, & Fabricios, denique* cum *auſteros mores Cenſoris ipſe collega metueret,*

ANNOTATIONES.

77 *Jam luxurioſa.*] Præ hominibus ac Romanis prioribus, qui frugibus tantum ac herbis veſcebantur.

78 *Curius.*] Dentatus, de quo vide Annot. Sat. 2. verſ. 3.

80 *In magna faſtidit compede.*] Catena longiore vinctus, in agro opus faciens. Plin. l. 18. c. 3. *Agriculturam,* inquit, *vincti pedes, damnatæ manus, inſcripti vultus exercent.*

Faſtidit.] Vide Sat. 6. Perſii ad v. 40.

81 *Vulva popinæ.*] Vulva porcæ in popina præparata. Hanc in deliciis fuiſſe indicat Plin. lib. 8. cap. 51. & lib. 11. cap. 37. *Vulva primipara ſuis optima,* inquit: teſtatur & Horat. Lib. 1. Epiſt. 15.

Nil vulvâ pulcrius amplâ.

Martial. Lib. 13. Epigram. 56.

Ne materna gravi de ſue vulva capit.

82 *Sicci terga ſuis.*] Ad ventum fumumque exſiccati & Salſi, proptereaque expoſiti in crate lignea rariore, & aeri magis pervia.

Pendentia.] Varro 2. de Re Ruſtica. cap. 4. *Quis non audierit patres noſtros dicere, ignavum & ſumptuoſum eſſe, qui ſuccidiam in carnario ſuſpenderet potius ab laniario, quam ex domeſtico fundo?*

48 *Natalitium.*] Die natalitia, quam Veteres epulis celebrabant.

Lardum.] Suillam carnem ſalitam, quam dici laridum, quaſi large aridum, auctor eſt Macrob. lib. 7. cap. 12.

85 *Si quam dabat hoſtia.*] Quam vel immolaſſent ipſi, vel, a Magiſtratibus immolatam emiſſent. Nam *mactatarum ab his hoſtiarum exta ad Quæſtores ærarii delata venibant; ſacrificiiſque Populi Romani tum Deorum immortalium cultus, tum etiam continentia inerat:* inquit, Valer. Max. lib. 2. cap. 2.

88 *Ad has epulas.*] Velut inſolitas & lautioris apparatus.

Solito maturius.] Ante horam nonam, qua moverat cœnare, & epulari.

89 *Referens a monte ligonem.*] Poſt opus ruſticum in agro montano. De Fabio dictum alibi, Plin. lib. 16. cap. ultimo: *Durant,* inquit, *in Linternino Africani prioris manu ſatæ olivæ; item myrtus eodem loco conſpicuæ magnitudinis.*

90 *Cum tremerent, &c.*] Quandiu Roma timuit Cenſores luxum prohibentes luxurioſoſque mulctantes, tamdiu victus & ſupellex ſimplices fuere.

Fabios.] De his vide Sat. 2. v. 46. & Sat. 6. v. 266.

Catonem.] Vide Sat. 2. v. 40.

91 *Scauros.*] Sat. 2. v. 35.

Fabricios.] Vide Sat. 9. v. 142.

92 *Collega timeret.*] Intelligendus hic Fabricius Cenſor in Cenſura Maximi nomen adeptus, qui luxuriam reipublicæ damnans, a collega Publ. Decio poſtulavit, ut vel ipſe mores hominum emendaret priorum Cenſorum negligentia perditos, aut pateretur ſe revocare priſtinum civitatis ſtatum: quorum ſi neutrum faceret, minatur abdicaturum ſe eum Magiſtratu. Decius ergo exterritus conſenſit, ut quemadmodum vellet Fabricius Rempublicam adminiſtraret. Vetus Schol.

Nemo inter curas, & ſeria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput oſtendebat aſelli,
Ad quod laſcivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus, atque ſupellex.
Tunc rudis, & Graias mirari neſcius artes,
Urbibus everſis, prædarum in parte reperta,
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, cælataque caſſis
Romuleæ ſimulacra feræ manſueſcere juſſæ
Imperii fato, & geminos ſub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis & haſta,
Pendentiſque Dei perituro oſtenderet hoſti.
Argenti quod erat, ſolis fulgebat in armis.

tum *nullus putavit numerandum inter ſollicitudines & res graves, qua teſtudo naret in aquis Oceani, Trojanis conflatura ſplendidum & illuſtre ſuſtentamentum: ſed lateribus denudatis ac thoris exiguis frons ænea exhibebat turpe caput aſini coronati, circa quod nutriti rure* pueri *jocos laſciviebant. Itaque tales e*rant *epulæ, quales ædes & ſupellectilia. Tum miles imperitus & ignorans admirari Græcorum induſtriam, dirutis civitatibus in acquiſita parte ſpoliorum, rumpebat vaſa illuſtrium opiſicum, ut equus haberet phaleras, atque galea inſculpta hoſti morituro exhiberet effigiem belluæ Romuli, volente Imperii ſorte, miteſcentis; & binos Quirinos ſub ſaxo; & nudum ſimulacrum Divi ſuſpenſi ſcuto & lanceâ renitentis. Quicquid erat argenti, in armis tantum lucebat.*

ANNOTATIONES.

94. *Qualis in Oceani.*] Nemo ſollicitus erat quàm grandes in Indico Oceano teſtudines invenirentur, ubi *ſingularum ſuperficie habitales casæ integuntur, atque inter Inſulas Rubri maris his navigant cimbis:* ut loquitur Plin. l. 9. c. 10.

Teſtudo nataret.] *Teſtudinum aliæ terreſtres, aliæ marinæ. &c. Victus geminus in aquis, terraque; & effectus pari honore habendi, vel propter excellens in uſu pretium, naturæque proprietatem.* Plin. lib. 32. cap 4.

95. *Trojugenis.*] Romanis proceribus, qui ſe jactant à Trojanis oriundos.

Factura ac nobile fulcrum.] Uſui futura ad exornandum ſpondæ fulcrum putaminibus in laminas ſectis: ex Plin. ante cit. ad vocem *Pollio*, v. 43. hujus Satiræ. Apul. Metamorph. 10. *Diſternebatur lectus Indicâ teſtudine pellucidus, plumeâ congerie tumidus, veſte ſericâ floridus.* Martial. Lib. 12. Epigram. 67.

Gemmantes primâ fulgent teſtudine lecti.

96. *Nudo latere.*] Vel ſine fulcro, vel ſine ornatu, ſola fronte lecti ære munita.

Frons ærea.] Lecti pars anterior ærea.

97. *Vile coronati caput oſtendebat aſelli.*] Vel effigiem capitis aſinini oſtendebat: vel ſignificatur, veteres illos ad cœnam diſcumbere ſolitos in ipſis agris, ad quorum limites, ex Hetruſcorum diſciplina, ſuſpendebatur aſini caput, nudatum cute, ſertis coronatum ad arcenda, ut credebant, agrorum incommoda. Itaque è menſa lectiſq; diſcubitoriis videri oſtendique poterat aſininum illud caput, circa quod ludere conſueverant pueri rure educati. Scoppa collect. c. 27. Columel.

Nunc caput Arcadicæ nudum cute fertur aſellæ
Tyrrhenus fixiſſe Tages in limite ruris.

100. *Tunc rudis, &c.*] Tunc miles ignorans pretium vaſorum eximii operis per Græcos artifices elaboratorum, ea temere frangebat, ad faciendas equo phaleras.

Graias artes.] A Græcis luxus Romam invectus. Hinc Sat. 3. v. 60. dixit,

Non poſſum ferre, Quirites, Græcam urbem.

101. *Urbibus everſis.*] In direptione urbium, & prædæ parte, quam nactus erat.

102. *Magnorum artificum.*] Ut Phidiæ, Praxitelis, Myronis, &c.

103. *Phaleris.*] E fractis poculis: ut mox dictum eſt.

Cælataque caſſis.] Item ad cælandam in caſſide effigiem lupæ quæ Remum ac Romulum fratres geminos aluerat, &c.

105. *Sub rupe.*] Ubi expoſiti fuerant, vel ubi fluitantem Tiberi alveum, in quem abjecti pueri illi, tenuis in ſicco aqua deſtituit; in proxima alluvie, ad Ficum Ruminalem: ubi & lupa ſummiſſas infantibus mammas adeò mitis præbuit. Tit. Liv. l. 1. c. 4. Vide & Dionyſ. Halicarn. lib. 1. Florum, &c.

106. *Fulgentis.*] Alii legunt, *venientis*, ad Rheam nempe Silviam Remi ac Romuli parentem è Marte.

107. *Pendentiſque Dei.*] Simulacri Martis ſive in clypeo effícti, adeóque pendentis ex humero ſiniſtro, ut fit; ſive extantis in ſumma caſſide, quibus portentoſis imaginibus miles Romanus hoſtem in bello territaret, ac invicto cedere Imperio cogeret. Sunt qui legant, *perdentis*, cui reſpondet, inquiunt, vox ſequens *perituro*.

108. *In armis.*] Non in ſupellectili, aut veſtimentis, ut nunc.

Ponebant

Digitized by Google

Ponebant igitur Tuſco farrata catino
Omnia tunc; quibus invideas, ſi lividulus ſis.
Templorum quoque majeſtas præſentior, & vox
Nocte fere media, mediamque audita per urbem,
Littore ab oceani Gallis venientibus, & Diis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.
Illa domi natas, noſtraque ex arbore menſas
Tempora viderunt; hos lignum ſtabat in uſus,
Annoſam ſi forte nucem dejecerat Eurus.
At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama ſapit; putere videntur
Unguenta, atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu,

Tum ergo pultes cunctas apponebant in *patina Etruſca, quibus invideres ſi fores tantulum invidus. Fanorum etiam Numen propius* aderat: *noſque iſtis admonuit vox nocte prope media, & in media civita exaudita,* cum *accederent Galli ab Oceani ripa, Numinibus quoque munus fatidicorum implentibus. Jupiter teſtaceus, necdum ullo pollutus auro conſueverat eam gerere ſollicitudinem rationum Latii. Ætas iſta conſpexit menſas apud nos, & ex arbore noſtra exortas. Ad hanc utilitatem ſerviebat lignum, quando Eurus caſu vetuſtam nucem deturbaverat. Jam verò nullas opulenti delicias epulando* captant: *nil rhombus, nil dama saporis* habet: *fœtere creduntur unguenta & roſa, niſi amplos orbes portat ingens ebur, altuſque pardus grandi rictu,*

ANNOTATIONES.

109 *Tuſco catino.*] Fictili ex Etruria. Vide Sat. 2. Perſ. v. 60.

Farrata.] Cibos e farre, pultem, quæ fiebat e mixta frumenti & fabarum vel hordei farina, diutiſſime veteribus uſitatam, ut notavimus alibi.

110 *Quibus invideas.*] Invidere poſſes iſti veterum parſimoniæ & frugalitati, qua contenti beatique vivebant.

111 *Templorum quoque majeſtas præſentior.*] Tum Dii magis erant propitii, cum minus luxurioſi homines.

Vox nocte fere media.] Tit. Liv. lib. 5. c. 32. *Eodem,* inquit, *anno M. Ceditius de plebe nuntiavit Tribunis, ſe in nova via, ubi nunc ſacellum eſt, ſupra ædem Veſtæ, vocem noctis ſilentio audiſſe clariorem humana, quæ Magiſtratibus dici juberet, Gallos adventare, &c.* Et cap. 50. ejuſdem Libri ſic habet: *Expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuncia cladis ante bellum Gallicum audita, neglectaque eſſet, mentio illata, juſſumque templum in nova via Aio Locutio fieri.*

113 *Littore ab Oceani Gallis venientibus.*] Legunt alii; *ab occiduo*; alii, *ab Oceano*, quam lectionem aſſerit Lipſ. Epiſt. Quæſt. Lib. 4. Epiſt. 25. Liv. cit. lib. cap. 37. *Inaudito,* inquit, *hoſte ab Oceano terrarumque ultimis oris bellum ciente, &c.*

Gallis venientibus.] De Gallorum in Italiam tranſitu vide Tit. Liv. cit. cap. 33. & ſeq. *Eam,* inquit, *gentem traditur dulcedine frugum maximèque vini novi tum voluptate captam Alpes tranſiſſe, &c.*

Diis officium Vatis peragentibus.] Prænuntiantibus impendentia mala, ut iis obviam iretur. Vide Cœl. Rhod. lib. 7. cap. 29.

116 *Fictilis Jupiter.*] Seneca ad Lucil. *Cogita Deos, cum propitii eſſent, fictiles fuiſſe.* Plin. lib. 35. cap. 12. Fictilem Jovis effigiem juſſu Tarquinii Priſci elaboratam, in Capitolio dedicandum refert, additque: *Hæ enim tum imagines Deum erant laudatiſſimæ: nec pænitet nos illorum, qui tales coluere. Aurum enim & argentum ne Diis quidem conficiebant, &c.*

Nullo violatus auro.] Plin. mox. citat. *Durant,* inquit, *in pleriſque locis etiam nunc fictilia iſta ſimulacra: faſtigia quoque templorum mira cælatura, & arte avique firmitate certiora auro, certè innocentiora.* Vide Sat. 3. verſ. 20.

117 *Illa domi natas, &c.*] Menſæ pridem fiebant e lignis vulgaribus, nec e citro vel cupreſſo factæ longe petebantur.

119 *Eurus.*] Ventus ab Ortu flans, ſæpius vehemens.

121 *Rhombus.*] Piſcis exquiſitus, de quo multa Sat. 4. v. 39. & ſeq.

Dama.] Silveſtris capra. Plin. lib. 8. c. 53.

122 *Unguenta.*] Quibus poſt balnea utebantur.

Roſæ.] His convivæ coronabantur. Horatius Lib. 1. Od. 5. & 38. &c.

Niſi ſuſtinet orbes grande ebur.] Niſi ingentis menſæ rotundæ pes altus ſit ex ebore in formam pardi hianti ore ſculptus.

Digitized by Google

ex eis dentibus quos Romam transfert Janua Syenes, & agiles Mauri, & Indus Mauro nigrior, quoſque obducit fera ſilva Nabathæa jam grandiores, & capiti oneroſos. Inde naſcitur appetentia, inde bilis ſtomacho. His enim argenteum fulcrum videtur id *quod annulus ferreus in digito. Arrogantem igitur evito convivam, qui me ſibi confert, reſq; parvas contemnit. Enimverò ne unam quidem eboris unciam habeo: Neque teſſera, neque calculus ex iſta materia; imo ipſi cultrorum capuli oſſei* ſunt. *Attamen neque iſtis ulla fercula*

Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obſcurior Indus,
Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu,
Jam nimios, capitique graves. Hinc ſurgit orexis,
Hinc ſtomacho bilis. Nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo ſuperbum
Convivam caveo, qui me ſibi comparat, & res
Deſpicit exiguas, adeo nulla uncia nobis
Eſt eboris, nec teſſellæ, nec calculus ex hac
Materia: quin ipſa manubria cultellorum
Oſſea: non tamen his ulla unquam obſonia fiunt

ANNOTATIONES.

124 *Dentibus ex illis.*] Elephantinis, Martial. Lib. 2. Epigram. 43.

Tu Libycos Indis ſuſpendis dentibus orbes:
Fulcitur teſta fagina menſa mihi.

Lucanus Lib. 10.

Dentibus hic niveis ſectos Atlantide ſylva
Impoſuere orbes.

Cœl. Rhodig. lib. 23. cap. 18. non dentes ſed cornua dici in Elephantis debere, ex Pauſania aſſerit.

Quos mittit.] Dentes enim elephantini Romam advehuntur ex Elephanti Inſula quæ eſt intra Nilum flumen, Syenæ vicina, ab Elephantorum multitudine ſic appellata: deinde e Mauritania; item ex India, ſeu Arabia. Vide Plin. lib. 8. cap. 1. & ſeq.

Porta Syenes.] Syene vulgo *Aſna*, eſt urbs Ægypti Superioris, ſub Tropico Cancri ſita, in confinio Æthiopiæ. Syenes portam vocat *Elephantidem* Inſulam mox dictam, quoniam venientibus Syenen, & in Ægyptum, & inde Romam dentes elephantinos apportantibus ex inſula iſta, per eam velut portum iter eſt. Sic Sat. 3. verſ. 4. Cumas appellavit januam Baiarum, quia Baias itur per Cumas.

125 *Mauri celeres.*] Horum tanta pernicitas ut feras curſu aſſequantur. De Troglodytis id affirmant Herodotus & Plinius.

Mauro obſcurior Indus.] Græci Μαῦρον obſcurum vocant. Apul. Florid. *Indis*, inquit, *ad naſcentem diem ſitis tamen in corpore color noctis ineſt.* Mauri porro & Indi Zonæ Torridæ ſubjecti. Hi vero Arabeſque Æquatori propiores. Vide Cœl. Rhodig. l. 16. c. 15.

126 *Quos depoſuit jam nimios, &c.*] Aiunt elephantem dentes jam nimios ad arborem illiſos deponere, Plin. lib. 8. cap. 3. *Dentes*, inquit, *deciduos caſu aliquo vel ſenecta defodiunt. Hoc ſolum ebur eſt . . . . circumventique a venantibus, impactos arbori frangunt, prædaque ſe redimunt*, Capite vero 10. ejuſdem Libri: *Magnitudo dentium videtur quidem in templis præcipua.* In Æthiopiæ finibus poſtium vicem in domiciliis præbere, & pecorum ſtabulis palos elephantorum dentibus fieri, auctor eſt Polybius.

Nabathæo.] A Nabath Iſmaelis filio dicta quædam regio Arabiæ Petrææ, ad ortum.

127 *Capitique graves.*] Ut cervis cornua certo tempore deponi ſolita.

Orexis.] Ὀρέγομαι, *appeto.* Vid. Sat. 6. v. 427.

128 *Hinc ſtomacho bilis.*] Tum illis creſcit appetitus ciborum, cum menſa eſt eburnea. Ironice.

Bilis.] Velut ira ad cibos devorandos. Porro famem irritari conſtat bili ſtomachum vellicante. Interpretantur aliqui indignationem contra luxuriam, perperam noſtro quidem judicio. In quibuſdam exemplaribus legitur *vires*, pro *bilis*.

Pes argenteus, &c.] Adeo ſpernunt argentum præ ebore, ut menſæ pes argenteus tam vilis modo ſit, quam ferreus annulus. Hic tamen & Judicibus & triumphantibus haud ita pridem uſitatus, teſte Plinio lib. 33. cap. 1.

130 *Qui me ſibi comparat.*] Qui cum ſumptuoſus ſit, me quoque ſumptuoſum ſperat in dapibus & ſupellectili. Vel, qui me frugalem luxurioſo ſibi comparatum deſpicit.

131 *Nulla uncia.*] Ne minimum quidem. Eſt uncia libræ ſeu aſſis pars duodecima. Vide Sat. 1. verſ. 40. Annot. ad eam vocem, *Unciolam.*

132 *Teſſella calculus.*] In abaco, alveolo, tabula luſoria, teſſeræ, calculi, tali, ſcrupi, latrunculi, ſacchi. Vide quæ de iſtis ludis annotabo in Perſ. Sat. 3. v. 48. ad hæc verba *Quid dexter ſenio ferret.*

134 *Oſſea.*] Ex oſſe, non ex ebore.

Non tamen, &c.] At ejuſmodi vilioribus cultellis nihilo pejus ſecatur cibus, aut eo fit deterior.

Rancidula;

Rancidula; haud ideo pejor gallina ſecatur.
Sed nec ſtructor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, diſcipulus Trypheri doctoris, a pud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythica volucres, & Phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautiſſima ferro
Cæditur, & tota ſonat ulmea cœna Suburra.
Nec fruſtum capræ ſubducere, nec latus Afræ
Novit avis noſter tirunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ fruſtis imbutus ofellæ.

rancida efficiuntur, neque propterea deterior gallina ſcinditur. Verum neque aderit carptor, cui concidere oporteat pergulam univerſam, diſcipulus Trypheri magiſtri, apud quem & ingens ſumen, & lepus, & aper, & pygargus, & aves Scythicæ, & magnus Phœnicopterus, & oryx Gætulus, optima dapes ex ulmo diſſecantur obtuſo cultro, omnique ſtrepunt Suburra. Neque partem capreæ, neque Africanæ volucris latus ſcit demere tiro noſter, & continuò imperitus, parvaque oſſa fruſtulis aſſuefactus.

ANNOTATIONES.

136 *Nec ſtructor erit.*] Vide Sat. 5. v. 120. & ſeq. & Annot. ibid.

Cui cedere debeat.] Tam peritus, ut omnes alios ſuperet.

137 *Pergula.*] Omnes magiſtri in pergula docentes. Is locus a *pergenao* dictus, multis lateribus apertus, ambulationi aptus, in quo & opera ſua exponebant artifices, ut innoteſcerent; & Magiſtri quoque diſcipulos erudiebant. Sueton. Auguſt. cap. 94. *Theogenis Mathematici pergulam* dicitur Auguſtus *aſcendiſſe*. Et de illuſtr. Grammat. cap. 18. *L. Craſſitius in pergula docuiſſe, donec commentario Smyrnæ edito inclaruit.* Plin. lib. 35. cap. 10. *Apelles*, inquit, *perfecta opera proponebat in pergula tranſeuntibus, atque poſt ipſam tabulam latens, vitia quæ notarentur, auſcultabat.*

Diſcipulus Trypheri doctoris.] Edoctus & eruditus ab eximio illo ſtructore menſæ, & ciborum diſſecandorum magiſtro, de quo Sat. 5. loco mox citato.

138 *Sumine.*] Vide Perſ. Sat. 1. v. 53. Annot. & Martial. Lib. 13. Epigram. 44.

Pygargus.] Fera eſt ex genere caprarum ſilveſtrium, cujus poſteriores partes albæ: hinc nomen: *πυγὴ clunis, ἀργὸς albus*. Plin. lib. 8. cap. 53.

139 *Scythica volucres.*] Phaſiani, dicti a Phaſide fluvio & Inſula coguomine, unde primum exportati. Porro Phaſis in Colchide eſt, quæ regio Scythiæ proxima & affinis. Martial. Lib. 13. Epigram. 72.

Phœnicopterus.] Avis eſt in Africa abundans, ab alis puniceis ſic appellata. Πτερὸν, *penna*, φοινίκεος, *puniceus* ſeu *purpureus*. Plin. lib. 10. cap. 48. ſic ait: *Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe Apicius docuit nepotum omnium altiſſimus gurges.* Martial. Lib. 13. Epigram. 71.

Dat mihi penna rubens nomen, ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit: quid ſi garrula lingua foret?

140 *Gætulus oryx.*] Caprea unicornis, e Gætulia Africæ regione. Contrarium habet pilum & ad caput verſum. Plinius lib. 8. capite 53. & alibi. Martialis Lib. 13. Epigrammate 95.

Hebeti ferro.] Cædendis ligneis ferculorum ſimulacris hebetato.

141 *Sonat ulmea cœna.*] Nam illi ſtruendæ menſæ & diſſecandorum ex arte ferculorum doctores lignea omnis generis habebant ſimulacra, partibus quidem ſeparatis, ſed conglutinatis, quas dividebant illi coram tironibus, ut eos docerent membrorum juncturas invenire, ſcite partes diſtribuere & carpere. Quod non ſine ſonitu in ligno fiebat.

Suburra.] Frequenti urbis regione, ubi ſchola ſtructorum erat. De Suburra vide Sat. 3. verſ. 5.

142 *Capra.*] Capræ ſilveſtris.

Subducere.] Solerter demere, ut Chironomon ille de quo Sat. 5. v. 121.

Afra avis.] Gallinæ Numidicæ. Varro l. 3. de Re Ruſtica c. 9. *Gallinæ Africanæ*, inquit, *ſunt grandes, variæ, gibberæ, quas μελεαγρίδας appellant Græci. Hæ noviſſimæ in triclinium ganearium introierunt e culina, propter faſtidium hominum veneunt propter penuriam magno.* Martial. Lib. 13. Epigram. 73.

Anſere Romano quamvis ſatur Annibal eſſet,
Ipſe ſuas nunquam barbarus edit aves.

144 *Fruſti imbutus ofella.*] Solitus coquere tantum offulas porcinas in craticula & prunis, & ſic toſtas in fruſta concidere. Male, ut videtur, legunt quidam, *furtis*.

Ofella.] Diminutivum ab *offa*. Columella Lib. 12. de ſuillæ carnis ſalſura ſic ait: *Dein offulæ carnis ſpiſſæ componuntur, atque alternis ſal ingeritur.* Martial. Lib. 11. Epigram. 221.

Parva tibi curvâ craticula ſudet ofella:
Spumeus in longa cuſpide fumet aper.

Plebeios

Pocula vulgaria & paucis aſſibus comparata offert agreſtis miniſter, & ſecurus a frigore, haud Phrygius vel Lycius, haud ullus aſtabat à mangone emptus ingenti quidem pretio. *Quando petes, pete Latinè. Par omnibus veſtitus: crines reſecti, & recti, hodie verò ſolummodò diſcriminati ob epulas. Ille paſtore laborioſo natus eſt, iſte bubulco; dudum non aſpectam ingemit parentem; & tugurium, & ſuetos capros exoptat mœſtus. Juvenis facie nativâ & liberali verecundiâ, quales oportet eſſe quos operit fulgens purpura.* * * * * 3 * * * * *Is tibi porriget vina effuſa in iis collibus, à quibus ipſe ortus eſt, quorum in ſummitate colluſit. Etenim vini & miniſtrantis unum ipſumque eſt natale* ſolum. *Speres fortaſſe, ut argutâ ſaltatione* puella *Gaditana exordiatur pruritum excitare:* * * * * 3 * * * * *Remiſſa libidinis incentivum, & pungentes urticæ opulenti. Attamen acrior ea delectatio alterius ſexus: is plus inflammatur.* * * * *

Plebeios calices, & paucis aſſibus emptos
Porriget incultus puer, atque a frigore tutus;
Non Phryx, aut Lycius, non a mangone petitus
Quiſquam erit,& magno. Cum poſces,poſce Latine.
Idem habitus cunctis, tonſi, erectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.
Paſtoris duri eſt hic filius, ille bubulci:
Suſpirat longo non viſam tempore matrem,
Et caſulam, & notos triſtis deſiderat hœdos:
Ingenui vultus puer ingenuique pudoris,
Quales eſſe decet, quos ardens purpura veſtit.
Nec pugillares defert in balnea raucus
Teſticulos, nec vellandas jam præbuit alas:
Craſſa nec oppoſito pavidus tegit inguina gutto.
Hic tibi vina dabit diffuſa in montibus illis
A quibus ipſe venit, quorum ſub vertice luſit:
Namque una atq; eadem vini patria, atq; miniſtri.
Forſitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plauſuque probatæ
Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ.
Irritamentum Veneris languentis, & acres
Divitis urticæ. Major tamen iſta voluptas
Alterius ſexus, magis ille extenditur, & mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.

ANNOTATIONES.

145 *Plebeios calices.*] Non cryſtallinos vel vitreos illos audaces, de quibus Martial. Lib. 14. Epigram. 94. ſed vili emptos.

146 *A frigore tutus.*] Veſte craſſa tectus a frigore dumtaxat non ornatus, ut fit a luxurioſis. Senec. ad Lucil. *Tranſeo agmina exoletorum per nationes coloreſque deſcripta, ut eadem omnibus lenitas, eadem primæ menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum; nequis cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur.*

147 *Non Phryx, aut Lycius.*] Non adeſt famulus e Phrygia vel Lycia, minoris Aſiæ regionibus, unde venuſti petebantur.

Mangone.] Negotiatore puerorum. A *manu* & *ago*, quoniam ſervos manibus agebant atque expoliebant Mangones, adhibitis etiam medicamentis, Plin. l. 21. cap. 26. *Hyacinthi radix eſt bulbacea mangonicis venalitiis pulcre nota, quæ in vino dulci illita pubertatem coërcet, & non patitur erumpere.* Vide Perſ. Sat. 6. v. 76. & ſeq.

148 *Poſce Latine.*] Miniſter enim Italus linguam tantum vernaculum novit.

149 *Idem habitus cunctis.*] Famuli omnes vili ſunt habitu apud me.

Tonſi.] Non alunt comam longiorem.

Erectique capilli.] Non criſpati & calamiſtrati: hodie pexi, alias neglecti.

153 *Caſulam.* In qua natus & educatus.

Hædos.] Quos paſcere ſolebat.

154 *Ingenui vultus.*] Non arte mangonica fucati.

155 *Quos ardens purpura veſtit.*] Ingenuos adoleſcentes ac nobiles, circa annum ætatis decimum quartum.

Ardens purpura.] Ob colorem igneum.

162. *Forſitan expectes.*] O Perſice mihi promiſſe conviva, ne ſpera vanas libidinum illecebras. Hæ ſolis divitibus aptæ ſunt.

Gaditana.] Nimirum laſcivis eruditæ cantilenis ſimul & ſaltationibus meretriculæ Romam accerſebantur e Gadibus Inſula, de qua Sat. præced. v. 1.

Canoro incipiat prurire choro.] Egregie locum hunc, verba mentemque Juvenalis, adumbravit Macrob. lib. 2. Saturnal. cap. 1. ubi ſic habet: *Ut puella mollior canora dulcedine & ſaltationis lubrico exerceret illecebris philoſophantes.*

167 *Extenditur.*] Sic legitur vulgo. Quidam, *inceditur*, quam lectionem interpretando ſecuti ſumus, non ut meliorem, ſed clariorem. Innuit Poëta proniores & ardentiores ad libidinem fœminas quam viros.

Non

Digitized by Google

Non capit has nugas humilis domus: audiat ille
Teſtarum crepitus cum verbis, nudum olido ſtans
Fornice mancipium quibus abſtinet: ille fruatur
Vocibus obſcœnis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.
Namque ibi fortunæ veniam damus. Alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi
Omnia cum faciant, hilares nitidiq; vocantur.
Noſtra dabunt alios hodie convivia ludos.
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altiſoni dubiam facientia carmina palmam.

Ædes parvæ non admittunt eas vanitates. Is auſcultet ſonitum teſtarum cum ſermonibus, quibus non utitur ſerva proſtans nuda in fœtenti lupanari; is potiatur verbis impudicis, & cuncta cupidinis induſtriâ, qui pytiſmate lubricum facit orbem Laconicum. Illic enim ſorti indulgemus. Inhoneſta tenuioribus alea, adulterium etiam inhoneſtum. Iſti vero cum ea perpetrent univerſa, nihilominus læti ac ſplendidi nominantur. Diverſos hodie luſus ſuppeditabunt epulæ noſtræ. Canetur auctor Iliadis, & verſus ſublimis Virgilii, reddentes ancipitem victoriam.

ANNOTATIONES.

169 *Audiat ille.*] Dives luxurioſus.

170 *Teſtarum crepitus.*] Crotala ſive crepitacula e teſtis, quibus inter ſaltandum utuntur non ſine decore quædam gentes, ut Hiſpani. Addunt & mulieres Indicas: Gaditanas hic innuit Poëta. Gallice, *des caſtagnettes.* Alii intelligunt cymbala ſive tympana. Fuiſſe quædam inſtrumenta ſonora teſtas vocata docet Sueton. Ner. c. 20. ubi refert Neronem elegiſſe plures adoleſcentulos, *Qui diviſi in factiones plauſuum genera condiſcerent,* (*bombos & imbrices, & teſtas vocabant*) *operamque navarent cantanti ſibi, &c.*

171 *Quibus abſtinet.*] Plus retinens verecundiæ quam laſciviæ illæ ſaltatrices, aut divites impuri.

173 *Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.*] Vix credas quam multis hic locus, & in quam multos ſenſus verſatus eſt. In tot igitur & tam variarum lectionum interpretationemq; lubrico quis pedem figat? Imo quis ipſo lubricante Juvenali non cæſpitet atq; titubet? Firmo tamen utcumque ſtare veſtigio mihi videor, antiquioribus ſtando; præſertim cum ſenſum non valde juvent quæ a viris alioqui gravioribus erudite certatimque hic afferuntur. Emendationes & conjecturas non ſpernimus, ac eorum pace & venia, poſthabemus. Juſtus Lipſius Epiſt. Quæſt. lib. 4. Epiſt. 25. fatetur ſcriptam omnem & impreſſam antiquitus lectionem eſſe, vel, *pityſmate, vel, pytiſmate.* Hoc ego Divæi amplector, cum Mancinello & aliis, pariterque explico ſic: Gaditanis illecebris gaudeat ac fruatur dives licet, *qui pytiſmate lubricat orbem Lacedæmonium*; id eſt, qui ſputo irrorans digitum, facile inde amovet ſæpius & admovet (ad oſtentationem) ſuum annulum, cujus a Lacedæmoniis uſus emanavit. Turneb. lib. 24. c. 28. ſimiliter legit, at aliter explicat, nempe, qui ſputo & ſaliva magis volubilem reddit trochum, ludum certe Græcanicum. Valla, *pityſmate,* legit; aitque eſſe trochum e pinu, græce πίτυς. Unde *pytiſma.* Politian. *pitiliſmate,* quod genus erat exercitationis cum geſticulatione manuum ac pedum & comploſione. Brodæus, *pedemate,* id eſt, ſaltu, in tripudio ſeu ſaltatione Lacedæmonio in orbem fieri ſolita. Vide Cœl. Rhodig. l. 18. c. 1. Alciatus & Pulman. *Pyreiſmate,* & explicant de quadam Laconum exercitatione, quæ a nudis oleoque bene unctis fiebat in ſudatorio. Muretus *Penteumate,* a πεντὸς talus, intelligitque divitem aleæ deditum, qui talis ludit in menſa rotunda e marmore Lacedæmonio facta. Favet quod ſequitur mox, *alea turpis.* Mallem certe cum veteri Schol. intelligere divitem qui expuit ſupra marmor Lacedæmonium, quo ſtratum eſt ejus domus pavimentum, & ſic lubricum reddit. Non abludit Salmaſius, apud quem, lubricare Lacedæmonium orbem dicitur is pytiſmate, qui pytiſſando, id eſt, guſtando vinum cum probatione quidem, & mox expuendo, crebris ejuſmodi rejectionibus & effuſionibus uda facit & lubrica tum menſas rotundas e marmore Lacedæmonio, tum abacum, & pavimentum. Non moror *poppyſma* Flavii, aut Lypſium cum ſuo *pygiſmate*; abſit enim ut obſcœna comminiſcar ultro, qui vel occurrentia ſolitus ſum eluctari.

174. *Fortunæ veniam damus.*] Luxurioſa illa in divitibus ſolent tolerari: at quis eadem ferat in mediocri viro? Ex opinione vulgi.

175 *Illi.*] Divites luxurioſi.

178 *Conditor Iliados cantabitur.*] Recitabuntur Homerici verſus ex eleganti carmine de Trojano excidio.

179 *Dubiam facientia carmina palmam*] Quæſitum enim jampridem, an Virgilius Homerum ſuperarit. Vide Macrob. paſſim, maxime vero lib. 5. Quintil. lib. 10. chap. 1. Gell. l. 9. c. 9. Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 4. Jul. Scaliger Homero Virgilium præfert: Propertius etiam ita canit, in Elegia ultima, l. 2.

Cedite Romani Scriptores, cedite Graii;
Neſcio quid majus naſcitur Iliade.

Quid

Quid refert tales verſus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam ceſſare diem: non fœnoris ulla
Mentio, nec prima ſi luce egreſſa reverti
Nocte ſolet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida ſuſpectis referens multitia rugis,
Vexataſque comas, & vultum auremque calentem.
Protinus ante meum quicquid dolet, exue limen.
Pone domum, & ſervos, & quicquid frangitur illis,
Aut perit: ingratos ante omnia pone ſodales.
Interea Megaleſiacæ ſpectacula mappæ
Idæum ſolenne colunt, ſimiliſque triumpho
Prædo caballorum Prætor ſedet: ac mihi pace
Immenſæ nimiæque licet ſi dicere plebis,

quid intereſt quâ voce recitentur ejuſmodi carmina? Jam vero ſepoſitis anxietatibus amove occupationes, & jucundum otium largire tibi, ſiquidem integrâ die fas erit quieſcere. Ne ſit quævis uſuræ recordatio, neque tibi ſilenti commoveat iracundiam, ſi conjux exiens diluculò conſuevit ad noctem redire, reportans uda ſerica, plicis ſuſpicionem creantibus, & capillos exagitatas, & ardentem faciem atque auriculam. Quodcumque angit depone ſtatim ad oſtium meum. Animo *abjice familiam, & famulos, & quodcumque rumpitur* ab *eis, vel diſperditur: præ cunctis abjice ſocios immemores. Interim celebrant ſpectacula mappæ Megaleſiorum, Idæum Solemne; & Prætor equorum deprædator ſedet par triumphanti: ſique fas mihi eſt loqui* cum bona *venia infiniti & numeroſioris populi,*

ANNOTATIONES.

180 *Qua voce legantur.*] Non eſt opus adjuvare eleganti pronunciatione tam bonos verſus, qui ſuam ipſi ſatis produnt elegantiam. Adeoque licet ab imperito rudique puero legantur, parum refert.

181 *Dilatis.*] In aliud tempus remiſſis curis, hilarem ad epulas animum affer.

183 *Fœnoris.*] Quod debes, aut tibi debetur.

182 *Tacito.*] Diſſimulanti & non auſo ſuſpicionem de adulterio objicere uxori imperioſæ.

186 *Multitia.*] Veſtes e ſubtili panno, bombycinas. Sat. 2. v. 66.

187 *Vexataſque comas, & vultum auremque calentem.*] Notas perpetrati recenter flagitii, ex Suetonio Auguſt. cap. 69. & Calig. c. 36.

182 *Ponè domum, &c.*] Depone curam domus, oblíviſcere ſervorum atque ſodalium improbitatem, ne quid ſit quod tuam ab hilari jucunditate mentem avocet.

191 *Intereà Megaleſiaca, &c.*] Dum nos inſtruimus convivium, Circenſibus ludis detinetur Rom. omnis populus, neque poſſet quidquam negotii cum ullo peragere, etiamſi maxime velles: ergo totus vaca noſtris iſtis oblectatiunculis.

Megaleſiaca.] Megaleſia, ſive Magalenſes ludi, a μεγάλης μητρός, dicti quia matri magnæ dedicati, vel quod magnis fierent impenſis ut vult Aſcon. Pedianus. Vide Sat. 6. v. 69.

Mappa.] Circenſium ludorum ſignum pariter & præmium erat Mappa. Qui mos a Nerone fluxit. Cum enim ſpectandi avida plebs inſtaret, ut quamprimum ludi inciperentur, & e carceribus exeundi ſignum quadrigis mitteretur, Nero tum prandens indulſit, & mappam qua manus tergebat, continuo juſſit per feneſtram abjici, velut ſignum. Caſſiodor. 3. Var. c. 51. Vide Turneb. lib. 18. cap. 33. Ubi ad rem Tertulliani locum affert. In ea mappa picturam & formam ludorum fuiſſe aiunt. Mappæ meminit Suet. Ner. c. 22. *Univerſorum ſe oculis in Circo Maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde Magiſtratus ſolent.* Et Martial. Lib. 19. Epigram. 26.

Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam ſurripit Hermogenes.

192 *Idæum ſolenne.*] Ludos ſolemnes in honorem Cybeles matris Deum e monte Ida Romam advectæ. Vide Sat. 6. cit.

193 *Prædo caballorum.*] An quod in iſtis ludis equi multi frangerentur, ut ait Vet. Schol. unde Salmaſius vult legi; *perda Caball.* id eſt, perditor caballorum. Sic in Catonis Diſtich. *officiperda* legitur, ſimiliter & apud Iſidorum; ſignificatque eum qui officia perdit, id eſt, eorum remunerationem non habet. An quod Prætor quibuſdam favens, aliis equis victoribus meritum non daret bravium ac præmium. An quod optimus ille equos ſibi eligens vili pretio dominus auferret? Sunt qui legant, *præda*, quaſi nimiis in equos ſumptibus Prætor abſumeretur. Sed minus placet.

Prætor ſedet.] Is enim ludis præſidebat, & curru ſublimis pompa triumphali vehebatur. Vide Sat. 10. v. 36. & ſeq.

Pace.] Sine offenſione populi Rom. Circenſibus nimium addicti; ut jam notatum ſupra, & alibi.

Digitized by Google

Totam hodie Romam Circus capit: & fragor aurem
Percutit; eventum viridis quo colligo panni.
Nam ſi deficeret, mœſtam attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Conſulibus. Spectent juvenes, quos clamor, & audax
Sponſio, quos cultæ decet aſſediſſe puellæ.
Spectent hoc nuptæ, juxta recubante marito,
Quod pudeat narraſſe aliquem præſentibus ipſis.
Noſtra bibat vernum contracta cuticula Solem,
Effugiatque togam. Jam nunc in balnea ſalva

Romam univerſam hodie continet Circus; atque auriculas verberat ſtrepitus, ex quo praſini ſucceſſum panni conjicio. Etenim ſi deeſſet, civitatem iſtam cerneres æque *triſtem & ſtupefactam, ut caſis Conſulibus in pulvere Cannarum.* Hos ludos *aſpiciant adoleſcentes, quibus convenit acclamatio & fortis ſponſio,* & *ſedere juxta virginem* bene *comptam: aſpiciant illud uxores aſſidente viro, quod cuipiam verecundia ſit referre coram ipſis. Noſtra pellis rugoſa vernum hauriat Solem, & togam evitet. Jamjam fas eſt* ut *balnea ſubeas;*

ANNOTATIONES.

165 *Fragor.*] Applauſus & acclamatio ſpectantium.

196 *Eventum viridis quo colligo panni.*] Victoriam factionis Praſinæ, cui faviſſe dicuntur Caligula & Nero, at Venetæ Vitellius. Vide Not. ſeq.

Viridis panni.] Erant in Circenſibus decurrentium aurigarum atque agitatorum factiones quatuor a veſtium coloribus denominatæ, & quatuor anni tempeſtatibus reſpondentes, vernæ praſina ſeu viridis, æſtati roſea ſeu rubea, alba autumno pruinoſo, nubilæ hyemi veneta ſive cærulea: Quibus Domitianus addidiſſe fertur purpurei panni & auratas factiones. Porro ſpectatores alii aliis factionibus ſtudebant, nonnunquam e colore, quem quiſque amaret, ſtudium impendentes, vel imperatorum favorem ſequentes. Hinc Plin. lib. 9. Epiſt. 6. ita perſtringit: *Miror tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, inſiſtentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum; aut hominum arte traherentur, eſſet ratio nonnulla. At nunc favent panno, pannum amant; & ſi in ipſo curſu medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, ſtudium favorque tranſibit, & repente, agitatores illos, equos illos, quos procul noſcitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta auctoritas in una viliſſima tunica.* Martial. Lib. 14. Epigram. 131.

Si Veneto praſinove faves, qui coccina ſumis,
Ne fias iſta transfuga ſorte, vide.

Sidon. Apollin. Carm. 23.

——— *Micant colores,*
Albus, vel Venetus, virens, rubenſque,
. . . .
Hortanturque obiter, juvantque blandis
Ultro plauſibus———
Dictant quadrupedantibus furorem.
. . . .
Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,
Ardeſcunt, ſaliunt, timent, timentur.

197 *Si deficeret.*] Si vincatur praſina factio, viridis pannus; vel, ſi Romanis adimantur Circenſes, ſi adamata deficiat oblectatio, mœſtam videres civitatem, &c. Sarcaſtice omnino. Supra v. 53.

198 *Cannarum in pulvere victis Conſulibus.*] Ut in Cannenſi clade. Vide Sat. 2. verſ. 155 Tit. Liv. lib. 22. cap. 46. ad rem hanc: *Ventus* inquit, *quem Vulturnum incolæ regionis vocant, adverſus Romanis coortus, multo pulvere in ipſa ora volvendo, proſpectum ademit.*

199 *Audax ſponſio.*] Contentio, depoſitis pignoribus, pro victoria ejus factionis cui favet quiſque.

201 *Spectent hoc nuptæ.*] In quibuſdam exemplis hi duo verſus leguntur ante v. 185. ut mox ſequatur, *irritamentum Veneris,* &c.

203 *Noſtra bibat vernum.*] Nobis jam ſenibus magis utilis eſt inſolatio. Vide Perſ. Sat. 4. v. 18.

204 *Effugiatque togam.*] Quidam interpretantur, togam deponat ad inſolationem & balnea. Alii ſic explicant: fugiat togæ curas & togatorum negotia, occupationes, officia. Unde Martial. lib. 10. Epigram. 47. ad vitam beatiorem exoptat, inter alia, togam raram. De his & nos alibi. Prior interpretatio minus arridet.

Nunc in balnea.] Diximus alibi lavari ſolitum quondam ante cœnam.

Salva fronte.] Nec enim ſemel id feciſſe turpe erit: quod præveniamus hodie tantum horam lavandi cœnandique legitimam. Vide Sat. 1. v. 49. atque ibid. Annot.

Digitized by Google

incolumi pudore, etſi reſtat hora integra uſque *ad ſextam. Id* quidem *agere nequeas per dies quinque continentes; nam vitæ etiam ejuſmodi gravia ſunt faſtidia. Uſus infrequens gratas facit oblectationes.*

Fronte licet vadas, quanquam ſolida hora ſuperſit
Ad ſextam. Facere hoc non poſſis quinque diebus
Continuis, quia ſunt talis quoq; tædia vitæ 207
Magna. Voluptates commendat rarior uſus.

ANNOTATIONES.

205. *Quanquam ſolida hora ſuperſit, &c.*] Quamvis ſit hora diei tantùm quinta, id eſt, noſtra fere undecima. De his vide quæ fusè annotabo ad Perſ. Sat. 3. verſ. 4. de veterum autem conviviorum ritibus variis exquiſita multa lege apud Lipſ. antiq. lect. lib. 3. porrò balnei horam conſuetam fuiſſe nonam hyeme, æſtate octavam, diſertis verbis indicat Plin. l. 3. Epiſt. 1. *Ubi*, inquit, *hora balnei nunciata eſt*, (*eſt autem hyeme nona, æſtate octava*) *in ſole, ſi caret vento, ambulat . . . . lotus accubat, & paulisper cibum differt, &c.*

207. *Talis vitæ.*] Otioſæ, voluptariæ.

Tædia.] Cic. 2. de Orat. *Omnibus in rebus voluptatibus maximis finitimum eſt faſtidium.*

208. *Rarior uſus.*] Cic. in Lælio: *Et quidem omnia præclara rara.* Martial. lib. 4. Epig. 29.

Rara juvant.

SATIRA XII.

INTERPRETATIO.

O Corvine, die natali ſuavior eſt *mihi lux iſta, qua ceſpes feſtivus opperitur votas Numinibus pecudes. Reginæ candidam immolamus agniculam: ſimile vellus offeretur* Palladi *Mauræ Gorgoni certanti:*

NAtali, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Qua feſtus promiſſa Deis animalia ceſpes
Expectat; niveam Reginæ cædimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura:
Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem,

ANNOTATIONES.

1. *NAtali, Corvine.*] Vota ſe Diis ait perſolvere ob incolumem è naufragio Catullum: Seque id facere magno animo & in amicum benevolo: non inſidioſâ mente, ut ab eo ſcribatur hæres, more plurimorum.

Natali die.] Hanc epulis & hilaritate quotannis celebrant, ut notavimus ad Perſ. Sat. 6. v. 19. & alibi.

2. *Animalia ceſpes Expectat.*] Ara è vivo ceſpite extructa expectat victimas pro incolumitate amici mei Catulli à me votas & mox quidem mactandas.

3. *Regina.*] Fortunæ, vel Junoni, de quâ Virgil. Æn. 1.

Aſt ego quæ Divum incedo Regina.

4. *Par vellus.*] Similis victima, pariter alba: diximus alibi, Diis ſuperis albas, inferis nigras mactari.

Pugnanti Gorgone Maurâ.] Minervæ; cui ex Hom. Iliad. 5. circa humeros ægis, in qua fortitudo, minæ, & Gorgoneum caput diri monſtri: id eſt clypeus, in quo erat caput Meduſæ Gorgonis, à Perſeo in Mauritaniæ finibus interfectæ. Vel Mauram vocat Juvenalis, quòd ea cum ſororibus Euryale & Stenione coluit Dorcadas, ſive Gorgadas, & Gorgonas inſulas, quæ ſunt ad Viride promontorium Mauris vicinæ.

Gorgone.] Γοργὸς, trux; hinc factum cognomen. Hujus capitis ſerpentibus armati conſpectu fabulantur homines in ſaxum deriguiſſe. Athen. l. 5. c. ult. meminit animalis pariter nominati in Libya, ovi ſylveſtri ſimilis, cujus aſpectu homines aggreſſi lapideſcebant.

5. *Extenſum funem.*] Quo ad aram ducenda eſt, laxo, non arcto: ne videatur ad ſacrificium invita ire victima: Nam quæ valdè reluctabatur, invitis putabatur Numinibus offerri, adeóque removebatur ab altaribus hoſtia: & hoc ita à ſacrificantibus obſervatum, teſtis eſt Macrobius, l. 3. c. 5.

Trapeio

Digitized by Google

Tarpeio ſervata Jovi, frontemque coruſcat.
Quippe ferox vitulus templis maturus & aræ,
Spargenduſque mero, quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat naſcenti robora cornu.
Si res ampla domi, ſimiliſque affectibus eſſet,
Pinguior Hiſpulla traheretur taurus, & ipſa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba;
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſanguis
Iret, & a grandi cervix ferienda miniſtro,
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque paſſi
Nuper, & incolumen ſeſe mirantis amici.
Nam præter pelagi caſus, & fulguris ictum
Evaſi, denſæ cœlum abſcondere tenebræ
Nube una, ſubituſque antennas impulit ignis.
Cum ſe quiſque illo percuſſum crederet, & mox
Attonitus nullum conferri poſſe putaret
Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, ſiquando poëtica ſurgit
Tempeſtas. Genus ecce aliud diſcriminis audi,
Et miſerere iterum, quanquam ſint cætera ſortis
Ejuſdem; pars dira quidem, ſed cognita multis,

Tarpeio vero Jovi deſtinata victima laſciviens longè porrectum excutit lorum, & frontem vibrat. Eſt *enim juvencus indomitus, fanis altarique idoneus, & vino irrigandus, qui mammas parentis jam erubeſcit ſugere, qui erumpente cornu quercus exagitat. Si opes* in *ædibus forent copioſæ & amori æquales, taurus duceretur Hiſpulla craſſior, ipſaque deſes pinguedine, neque vicino paſtus in gramine, verum exiret cruor indicans opima paſcua Clitumni, atque guttur ab ingenti victimario percutiendum :* & hæc *propter reditum familiaris etiamnum trementis ; & paulò ante perpeſſi terribilia atque ſalvum ſe obſtupeſcentis. Enimverò præter maris diſcrimina & percuſſionem fulminis evitati, ſpiſſa caligo cœlum texit univerſa nebula, & repentina flamma antennas concuſſit, quando ſinguli ſe putabant eo verberatos, ſimulque ſtupentes exiſtimarent nullum poſſe naufragium velis ardentibus comparari. Cuncta occidunt ſimilia,* atque *ita formidoloſa, ut cum exoritur procella Poëtica. En alteram auſculta periculi ſpeciem, & rurſum* te *miſereat, quamvis alia ſunt paris fortunæ, certe pars ſæva, verum pluribus nota,*

ANNOTATIONES.

6 *Tarpeio Jovi.*] Cui ſacræ ædes in Capitolio, ſeu rupe Tarpeia.

7. *Templis maturus.*] Qui nondum ſubiit jugum, ſatis tamen grandis ut ſacrificetur. Vide Macrobii cit. lib. 3. a cap. 1. uſque ad 10.

8 *Spargenduſque mero.*] Mactandæ victimæ aurata inter cornua vinum infundebatur, ſeu invergebatur. Virg. Æn. 4.

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Et. lib. 6.

Frontique invergit vina Sacerdos.

9 *Vexat naſcenti robora cornu.*] Ex petulantia arboris impetit cornibus nunc primum erumpentibus. Virgil. Eccl. 3.

Paſcite taurum ; jam cornu petat, &c.

Et alibi.

Iraſci in cornua diſcit,
Arboris innixus trunco.

11 *Hiſpulla.*] Præpingui fœmina, de qua Sat. 6. verſ. 74.

13 *Oſtendens Clitumni paſcua.*] Sua craſſitie, ſuoque colore.

Clitumni.] Is Umbriæ, ſeu Faliſci agri fluvius: cujus aqua pota candidos fieri boves, auctor eſt Plin. lib. 2. cap. 103. Item Virgil. Georg. 2.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpè tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad Templa Deum duxere triumphos.

Claudian de Vict. Stilic.

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis.

14 *Ferienda.*] Hoſtiæ majores clava aut ſecuri ictæ & proſtratæ, dein ſuppoſitis cultris jugulabantur, ut bene obſervat Turneb. lib. 15. cap. 12.

19 *Antennas impulit ignis.*] Tranſverſum malo lignum, cui velum alligatur, igne cœleſti ſeu fulmine impulſum exarſit, & navim incendit.

21 *Nullum conferri poſſe, &c.*] Naufragium haud jam timendum præ incendio.

23 *Poëtica.*] Qualis deſcribi ſolet a Poëtis rem exaggerantibus. Legunt alii *Pontica*, id eſt, tam horribilis & ſæva, quam quæ ſolet eſſe in Ponto Euxino. Tempeſtatis pete deſcriptionem ex Homero Odyſſ. 5. Virg. Æn. 1. & 3. Ovid. Metam. 11. Fab. 10. & aliis paſſim.

26 *Cognita multis.*] Seu experientia, ſeu aliter.

Digitized by Google

quamq; monſtrant ædes multa votivis tabulis. Ecquis ignorat pictores ab Iſide nutriri? Noſtro etiam Catullo par ſors contigit, quando carina dimidia undis erat referta, jamque aquis exturbantibus viciſſim coſtas navis, arboris vacillantis nullum præberit auxilium ſenis Naucleri peritia, incepit Catullus *dirimere cum ventis, projiciendo, æmulatus fibrum, qui ſe ipſe ſpadonem reddit, optans effugere teſtium jactura, ita ſalubres novit * Quæ mea ſunt omnia projicite, aiebat Catullus, ſpecioſiſſima quoque effundere cupiens, togam etiam purpuream mollibus idoneam Mæcenatibus, cæteraſque, quarum ipſum animalis* vellus *tinxit incoles herba nobilis, quin etiam fons eximius arcana virtute & cœlum Bæticum auxiliatur.*

Et quam votiva teſtantur fana tabella
Plurima. Pictores quis neſcit ab Iſide paſci?
Accidit & noſtro ſimilis fortuna Catullo,
Cum plenus fluctu medius foret alveus, & jam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem; decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno
Teſticulorum: adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea ſunt, dicebat, cuncta Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcherrima, veſtem
Purpuream, teneris quoq; Mæcenatibus aptam,
Atq; alias, quarum generoſi graminis ipſum
Infecit natura pecus, ſed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aër.

ANNOTATIONES.

27 *Votiva tabella.*] Qui e naufragio ſoſpites evaſerant, illud in tabella pictum ſuſpendebant in fano alicujus Dei, ut Neptuni, Æſculapii, Iſidis, in monimentum grati ſui in ſervatores Deos animi. Vide Perſ. Sat. 1. v. 89.

28 *Ab Iſide paſci?*] Pictores multi victitabant pingendo tabellas ejuſmodi in Iſidis templo a naufragis reponendas. Nam ex quo Deos Ægyptios Romani ſuſceperant, Iſis maxime coli cœpta Romæ. Vide Sat. 6. paſſim; atque ibid. Annot. Horat. Epiſt. ad Piſones, v. 20.

———Fractis enatat exſpes
Navibus, ære dato qui pingitur.

30 *Cum plenus fructu, &c.*] Cum ſemiplena jam aquis eſſet carina, ſeu pars navis interior, & cum latus daret, modo in dextrum modo in ſiniſtrum inclinata fluctuabat navis incerta curſu.

33 *Decidere jactu.*] Veluti cum ventis mariqueaſſilientibus, ac prævalentibus paciſci vitam projectis bonis, & ſic controverſiam & certamen dirimere.

34 *Imitatus caſtora.*] Hic enim ab inſequentibus ſe venatoribus redimit, avulſis proprio morſu teſticulis, ob hos ſe peti gnarus. Plin. l. 8. c. 30. Idem vero l. 32. c. 3. ſic habet: *In terris & aqua victus eſt fibris, quos caſtores vocant, & caſtorea teſtes eorum. Hos ab ipſis amputari cum capiantur, negat Sextius auctor Medicinæ diligentiſſimus, quia ſine vita animalis adimi nequeunt, &c.* Vide Perſ. Sat. 5. v. 135. & ibid. Annot. in voce *Caſtoream.*

36 *Medicatum.*] Ad medicinas utile, & exquiſitum.

37 *Fundite quæ, &c.*] Ad exonerandam navim, & ſervandum ſaltem vitam jactura cæterorum. Vide cap. 27. Act. Apoſt.

39 *Mæcenatibus.*] Delicatis Proceribus, ſimilibus Mæcenatis, quem Sat. 1. velut mollem taxavit, *ſupinum* vocans, v. 66.

40 *Quarum generoſi graminis, &c.*] Veſtes e lana Bætica, ex Andaluſia Hiſpaniæ regione, ubi gramen, aër, & Bætis fluvii aqua pecudibus pota velleri colorem dant rutilum.

Generoſi graminis.] Virgil. Eclog. 4.

Nec varios diſcet mentiri lana colores:
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.

41 *Infecit natura pecus.*] Pecudum lanam tinxit natura, non ars. Martial. lib. 14. Epigr. 133.

Non eſt lana mihi mendax, nec mutor aheno.
Sic placeant Tyriæ: me mea tinxit ovis

Egregius fons.] Martial. lib. 8. Epigr. 28.

An Tarteſſiacus ſtabuli nutritor Iberi
Bætis in Heſperia te quoque lavit aqua?

Et lib. 12. Epigr. 100.

Bætis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

42 *Bæticus.*] Bætis, qui & Tarteſſus, hodie Guadalquivir fluvius, Andaluſiam rigat, & in ſinum Gaditanum capaci oſtio perlabitur. Ab eo denominata pridem Hiſpaniæ tertia pars, Bætica, quæ præter Andaluſiam, regnum etiam Granatenſe fere totum complectitur.

Ille

Digitized by Google

Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum ſitiente Pholo, vel conjuge Fuſci.
Adde & baſcaudas, & mille eſcaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emptor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebuſque ſalutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cœci propter patrimonia vivunt.
Jactatur rerum utilium pars maxima; ſed nec
Damna levant. Tunc adverſis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro ſummitteret, ac ſe
Explicat anguſtum, diſcriminis ultima quando
Præſidia afferimus, navem factura minorem.
I nunc, & ventis animam committe dolato
Confiſus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, ac ſeptem, ſi ſit latiſſima teda.
Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagenæ,
Aſpice ſumendas in tempeſtate ſecures.

Is neque argentum ambigebat projicere, patinas a Parthenio fabricatas, poculum urnam continens, aptumque ſitibundo Pholo, aut uxori Fuſci. Adjunge quoque baſcaudas, atque millena catina, plurimum ſculpti, quo potabat aſtutus Olynthi mercator. Jam verò quis alter, quâ orbis regione, quis non dubitat vitam anteponere argento, & opibus incolumitatem? Non ad victum bona colligunt aliqui, at vitio excæcati vitam agunt ad opes congerandas. *Profunditur pars præcipua rerum commodarum; verum neque minuunt diſcrimen. Tum prementibus infortuniis, eò devenit, ut ſecuri malum ſubjiceret; ſeque arctum expandit, cum adhibemus extrema periculi remedia levius navigium reddituræ. Perge modò, ventiſque vitam permitte, credens aſſeri dolato, à letho ſejunctus quatuor vel ſeptem digitis, ſi teda fuerit craſſiſſima. Jam cum reticulo, atque pane, & lagena ventriculoſâ, provide aſcias in procella accipiendos.*

ANNOTATIONES.

43 *Ille nec argentum, &c.*] Vaſa etiam argentea ſponte Catullus amittebat, aurea quoque eximio quamvis opere cælata.

44 *Parthenio.*] Egregio cælatore vel artifice.

Urna.] Quæ ſextarios 24. continebat.

45 *Pholo.*] Centauro valde bibaci. De hoc Diod. Sic. lib. 5. cap. 2.

Conjuge Fuſci.] Quæ fuit mulier ebrioſa: De Fuſco jam Sat. 4. v. 1. 12.

46 *Baſcaudas.*] Cacabos interpretatur Vet. Schol. & vaſa in quibus calices lavabantur. Hæc a Britannis ad Romanos tranſlata conſtat ex Martial. Lib. 14. Epig. 99.

Barbara de pictis veni Baſcauda Britannis,
Sed me jam mavult dicere Roma ſuam.

Eſcaria.] Lances ponendis eſcis idoneas.

47 *Multum cælati.*] Vaſa multa ex auro & argento cælata: qualia dicitur amaſſe Philippus Alexandri pater, Macedoniæ Rex: vel ab eo venientia.

Biberat quo callidus emptor Olynthi.] Plin. lib. 33. cap. 3. Philippum aureo poculo pulvino ſubdito dormire ſolitum refert.

Callidus.] Juſtin. lib. 9. *Blandus*, inquit, *pariter & inſidioſus alloquio, qui plura promitteret quàm præſtaret, in ſeria & jocos artifex, &c.*

Emptor Olynthi.] Philippus enim corruptis auro quibuſdam expugnavit Olynthum Thraciæ urbem, & ſuo adjecit regno. Modo jacet ea urbs, nec plane de ſitu conſtat. Vide Demoſth. Olynth.

48 *Quis nunc alius.*] Catullum commendat.

50 *Non propter vitam, &c.*] Multi avaritia adeo excæcantur, ut videantur ad hoc nati & vivere, ut opes colligant; cum e contrario non niſi ad vitam opes habendæ ſint.

52 *Jactatur rerum, &c.*] In mare jacitur a Catullo & ſociis.

54 *Recidit.*] Quaſi res eo cecidit. Leg. alii *Decidit.*

Se explicat anguſtum.] Succiſo mola & in mare quoque dejecto ſe Catullus expedit, navimque omnino evacuat, ac veluti latiorem facit; quod ultimum eſt levamentum.

57 *I nunc.*] Poſt ejuſmodi pericula audita, mare ſubi, ſi lubet, & naviga.

59 *Teda.*] Aſſeres & tabulæ ex arboribus teda, vel pinu, quibus navis compingitur.

60 *Reticulis.*] Sacculo in retis modum texto, in quo panem & alia cibaria recondunt viatores, Nautæ, &c. *Reticulum panis* vocat Hor. Sat. 1. vid. Perſ. Sat. 5. v. 140.

61 *Aſpice ſumendas.*] Id eſt, vide ut cum cibis etiam ſumas ſecures ad excidendum, ſi opus eſt, malum. Alii leg. *Accipe.*

Sed poſtquam jacuit planum mare, tempora poſtquam
Proſpera vectoris, fatumque valentius Euro,
Et pelago, poſtquam Parcæ meliora benigna
Penſa manu ducunt hilares, & ſtaminis albi
Lanificæ; modica non multo fortior aura
Ventus adeſt; inopi miſerabilis arte cucurrit
Veſtibus extenſis, & quod ſuperaverat unum,
Velo prora ſuo: jam deficientibus Auſtris,
Spes vitæ cum Sole redit. Tum gratus Iülo,
Atque novercali ſedes prælata Lavino,
Conſpicitur ſublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile ſumen,
Et nunquam viſis triginta clara mamillis.
Tandem intrat poſitas incluſa per æquora moles,

At ubi æquale procubuit pelagus, ubi ſecunda tempora, & fortuna victoris potentior Euro & mari fuit: *ubi Parcæ lætiores manu faventi penſa trahunt meliora, & candidi ſtaminis lanam ducunt; ventus mediocri aurâ non valde vehementior aſpiravit:* tum navis *infelix egenâ induſtriâ expanſis veſtimentis, ſuoque prora velo, quod ſolum ſuperfuerat, properavit: Auſtris modò quieſcentibus, vitæ fiducia cum Sole reverſa eſt. Jam cernitur cacumen altum, jucundum Aſcanio, & locus Lavinio novercæ antepoſitus, cui appellationem tribuit alba ſus, (ſumen ſtupendum hilaribus Phrygiis, & nunquam aſpectis triginta papillis conſpicua.) Denique ingreditur mare clauſum per aggeres conſtitutos,*

ANNOTATIONES.

64 *Parcæ.*] Vide Sat. 3. v. 27. Et Sat. 9. v. 131. & ſeq. ad voces, *Lacheſis*, & *Clotho.*

65 *Staminis albi.*] Quod vitam diuturniorem & ſortem meliorem indicat, & ſpondet, ut contra pullum & nigrum ſtamen ducentes Parcæ infortunium ac mortem portendunt. Martial. Lib. 4. Epigram. 73.

Ultima volventes orabat penſa ſorores,
Ut traherent parvâ ſtamina pulla mora.

Et Lib. 6. Epigramm. 58.

Si mihi lanificæ ducunt non pulla ſorores
Stamina, &c.

68 *Veſtibus extenſis.*] Pro velis, quæ igne cœleſti conflagrant, ut dictum ſupra.

69 *Velo prora ſuo.*] Quod quidem minimum, & *Dolon* vocatur velum ad proram, ut maximum *Artemo*; *Epidromus* autem quod eſt ad puppim.

Auſtris.] Ventis meridionalibus, qui ſunt vehementiores & tempeſtatem cient.

70 *Tum gratus Iulo, &c.*] Italiæ loca edita conſpici cœperant.

Gratus Iulo apex.] Mons Albanus, ubi Aſcanius ſive Iulus Æneæ filius Albam longam ædificavit. De hac urbe jam dictum Sat. 4. v. 61. *&c.*

71 *Novercali ſedes prælata Lavino.*] Iulus enim Alba, ut mox dixi, ſubinde condita, Lavinium reliquit ſuæ novercæ Laviniæ, Ænea patre jam mortuo.

Novercali Lavino.] Æneas Creuſam duxerat primum, e qua tulit Aſcanium: deinde veniens in Italiam duxit Laviniam Latini Regis filiam, cujus nomine urbem extructam Lavinium appellavit.

Lavino.] *Lavinum* ſeu *Lavinium*, urbs olim Latii, nunc oppidulum *Citta Lavinia* dictum.

72 *Cui candida nomen.*] Iulus ex Heleni vaticinio civitatem a ſe conditam vocavit *Albam*, propter viſam ibi ſcrofam albam. Virgil. Æneid. 3. & 8.

Cum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis undam,
Littoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati;
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum,
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Nomen ſcrofa dedit.] Varro 2. de Re Ruſtica cap. 4. *Scrofam,* inquit, *parere tot oportet porcos, quot mammas habeat. Si minus pariat, fructuariam idoneam non eſſe: ſi plures pariat, eſſe portentum. In quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribunt, quod ſus Æneæ Lavinii triginta porcos pepererit. Itaque quod portenderit, factum triginta annis, ut Lavinienſes condiderint oppidum Albam. Hujus ſuis ac porcorum etiam nunc apparent veſtigia Lavinii: quod & ſimulacra eorum ahenea etiam nunc in publico poſita, & corpus matris ab Sacerdotibus, quod in ſalſura fuerit, demonſtratur.*

73 *Lætis Phrygibus.*] Iulo & ſociis Trojanis gaudentibus ob inventam ex vaticinio ſuem.

Sumen.] Synecdoche pro ſcrofa tot uberibus miranda, tot porcellis fœcunda; colore, occurſu, vaticinatione ſpectabili. Quid ſit proprie *ſumen*, jam non ſemel explicavi. Vide Perſ. Sat. 1. v. 53.

75 *Tandem intrat.*] Tandem lacera illa navis portum Oſtienſem ſubiit.

Moles.] Suet. Claud. c. 20. ſic ait: *Oſtiæ portum exſtruxit circumducto dextra ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo jam ſalo mole objecta.*

Digitized by Google

Tyrrhenamq; Pharon; porrectaq; brachia rurſum
Quæ pelago occurrunt medio, longeq; relinquunt
Italiam. Non ſic igitur mirabere portus
Quos natura dedit: ſed trunca puppe magiſter
Interiora petit Baianæ pervia cymbæ
Tuti ſtagna ſinus. Gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.
Ite igitur, pueri, linguis animiſque faventes,
Sertaque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebamque virentem.
Jam ſequar; & ſacro, quod præſtat, rite peracto
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili ſimulacra nitentia cera.
Hic noſtrum placabo Jovem, Laribuſque paternis
Thura dabo, atq; omnes violæ jactabo colores.

& Pharon Tyrrhenam, & brachia iterum extenſa, quæ alto mari obvia ſunt, atque Italiam procul dimittunt. Ergò non ita demiraberis portus quos natura donavit. At Nauclerus mutilâ navi ſubit intus in ſtagna gremii ſecuri pervia navigiis Baianis. Illic tuti nautæ attonſo capite lætantur diſcrimina loquaces referre. Itaque pergite, famuli, linguis & mentibus obſecundantes, adhibete ſerta fanis, atq; gladiis molam *farream: decorate etiam teneros caminos & ceſpitem viridantem: Mox adero; ac perfecto, ut decet, ſacrificio, quod eſt optimum, hinc revertar* in *ædes, ubi exiguæ imagines cerâ molli fulgentes donabuntur tenuibus corollis. Ibi noſtratem Jovem propitium reddam, & thus adolebo Penatibus avitis, violaſque diverſi coloris ſpargam.*

ANNOTATIONES.

76 *Tyrrhenamque Pharon.*] Turrim altiſſimam in Tyrrheno mari ad portum Oſtienſem, a Claudio Imperatore pariter ædificatam in exemplum Phari Alexandrinæ, ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent. Suet. mox cit. ibid. De Tyrrhen. vide Sat. 5. v. 96. & Sat 6. v. 92. De Pharo, vide Satiram eandem 6. v. 83.

Porrectaque brachia rurſum.] Nam Oſtiæ portum ac moles Auguſtus primo cœperat, inſtauravit deinde Claudius; poſt etiam Trajanus.

77 *Longéque relinquunt Italiam.*] Recedunt ab Italica ora dum in mare procurrunt.

78 *Non ſic igitur mirabere portus.*] Certe naturales portus non æque mirandi, ut hic arte factus prope Oſtiam urbem ad oſtia fluminis Tiberis extructam.

80 *Interiora petit.*] Penetrat Oſtiæ portum, ubi ſtagnans aqua & tempeſtatum expers tutam dat navibus ſtationem.

Baiana pervia cymba.] Illuc enim navigia Baianis uſitata frequenter ſubeunt.

81 *Sinus.*] Veluti ſinus intra moles & aggeres tanquam brachia.

Gaudent ibi.] Habet enim jucunditatem præteritorum malorum recordatio, Cicer. Lib. 5. Epiſt. 12. *Habet præteriti doloris ſecura recordatio delectationem: cæteris vero nullâ perfunctis propriâ moleſtiâ, caſus autem alienos ſine ullo dolore intuentibus etiam ipſa miſericordia eſt jucunda.*

Vertice raſo.] Ingruente oppreſſi tempeſtate ac vitæ periculo nautæ caput radebant more ſervorum, liberationem ac ſalutem a Diis expectare ſe velut profitentes.

83 *Ite igitur, pueri.*] Inquit Juvenalis ad pueros, ite, parate neceſſaria ad rem divinam pro reditu Catulli faciendam.

Linguis animiſque faventes.] Cicero de Divin. lib. 1. n. 102. *Rebus divinis quæ publice fierent, ut faverent linguis, imperebatur.* Et lib. 2. n. 83. *Jam illa, favete linguis, ... Quando enim illa obſervans, quieto & libero animo eſſe poteris, ut ad rem gerendam non ſuperſtitionem habeas, ſed rationem ducem? &c.* Erat igitur ſolemnis hæc formula in Sacris, ut & ſilendum indiceretur, & fauſtæ cogitationes ac vota mentibus præciperentur: ne qua mala vox, neve quid mali ominis accideret.

84 *Sertaque delubris, &c.*] Templa floribus exornate.

Farra imponite cultris.] Mola ex farre, ſale, & aqua, ſolebant aſpergi tria hæc, ignis, caput victimæ, & cultri quibus illa mactanda erat.

85 *Molles focos.*] Seu quod recenter ſtructi, ſeu quod e thure, molles vocat. Hoc poſterius habet vetus Schol.

Glebamque virentem.] Aram e ceſpite herboſaque terra. Supra v. 2.

86 *Quod præſtat.*] Alias, *Quod reſtat.*

87 *Domum repetam.*] Ubi etiam domeſticos Deos placabo & colam.

88 *Simulacra nitentia cerâ.*] Vide Sat. 10. v. 55. ibidemque annot. ad vocem, *Incerare.*

89 *Laribus.*] Sat. 8. v. 14. annot.

90 *Omnes violæ jactabo colores.*] Violas purpureas, albas, luteas.

Cuncta nitent; longos erexit janua ramos;
Et matutinis operitur feſta lucernis.
Nec ſuſpecta tibi ſint hæc, Corvine: Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet hæredes. Libet expectare, quis ægram
Et claudentem oculos gallinam impendit amico
Tam ſterili. Verùm hæc nimia eſt impenſa: coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. Sentire calorem
Si cœpit locuples Gallita & Paccius orbi,
Legitime fixis veſtitur tota tabellis
Porticus. Exiſtunt qui promittant hecatomben.
Quatenus hic non ſunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut uſquam noſtro ſub ſidere talis
Bellua concipitur: ſed furva gente petita,

Univerſa jam munda ſunt: oſtium ramos tollit oblongos, ac feſtivum diluculo tegitur lampadibus. Ne vero tibi iſta ſuſpicionem dent, o Corvine; Catullus, ob cujus reditum tot aras conſtituo, parvulos hæredes ternos habet. Placet operiri quiſnam pro familiari ſic infructuoſo gallinam inſumet imbecillam, & lumina claudentem. At gravior eſt ille ſumptus: nulla coturnix unquam mactabitur pro parente. Si divites Gallita, & Paccius orbati incipiant ardorem præſentire, omne xyſtum appenſis rite tabellis integitur; extant qui voveant hecatomben, quandoquidem iſtic haud abſunt neque venduntur elephanti, nec ejuſmodi pecus gignitur in Latio, vel alicubi ſub noſtro cælo; verum accerſitur ex atra natione,

ANNOTATIONES.

91 *Cuncta nitent.*] Domi ſunt parata ad rem divinam, & ad lætitiæ documentum omnia, jam a ſummo mane. Vel poeta indicat his verbis, cuncta jam a miniſtris ad ſacrificium comparata.

92 *Matutinis operitur feſta lucernis.*] Legitur vulgo, *operatur*, quidam ex veteri Schol. *operantur*, id eſt, ſacrificant ſolenne verbum. Placet tamen ſequi emendationem Juſti Lipſii Elect. 1. c. 3. ubi vulgarem lectionem albis dentibus ridere ſe ait: præclare vero obſervat, in omni publica privataq; lætitia lucernas appendi conſueviſſe domorum foribus; feneſtris etiam: item arboribus interdum, &c. ibidemque ſubjungit: addit Poeta, *matutinis*, non ſine ſatyrico morſu, quaſi claro die opus eſſet alia luce. Senec. Epiſt. 96. *Accendere lucernas prohibemus, quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Tertull. Apologet. *Nec lucernis diem infringimus.* Vide Perſ. Sat. 5. v. 181.

93 *Nec ſuſpecta tibi ſint, &c.*] Ne ſuſpicère hæc a me fieri, ut Catulli hæreditatem ambiam. Is enim habet liberos,

95 *Libet expectare.*] An quiſquam modo gallinam ſaltem moribundam pro amico velit ſacrificare, ſine ulla ſpe lucri?

97 *Coturnix nulla.*] Ne vilis quidem avicula impenditur pro eo cui ſunt filii & hæredes.

98 *Calorem.*] Febriculæ æſtum & ardorem.

99 *Si cœpit locuples, &c.*] Statim atque dives aliquis orbus morbo tentatur, certatim ſtudium oſtentant inſidioſi hæredipetæ, ut legatum aliquod ex teſtamento nanciſcantur.

lita & Paccius.] Opulenti, filiis carentes. que meminit Cornelius Tacitus: Paccii quidem Africani, Hiſtor. 4. Gallitæ vero Criſpillinæ, ut fœminæ pecunia & orbitate potentis, *qui bonis maliſque temporibus juxta valent*, inquit lib. 1. Hiſtor.

100 *Legitime fixis, &c.*] Rite & ordine appenſis in Deorum honorem, hinc etiam promiſſo pro ægri ſalute ſacrificio.

101 *Porticus.* Templorum atria, ipſaque fana tabellis exornantur: vel porticus ipſorum hæredipetarum & captatorum.

Hecatomben.] Sacrificium maximum a Laconibus, at aiunt, inventum, pro graviſſimis dumtaxat rebus, ut cum peſtilentia laboratur. Nomen a centenario numero. In eo quippe centum aræ uno in loco e ceſpite eriguntur, in quibus uno tempore victimæ centum ejuſdem generis cæduntur, puta centum oves, centum boves, &c. Quod ſi votum eſt Imperatoris, centum leones, centum aquilæ. Vide Cœl. Rhodig. lib. 20. cap. 6. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22.

102 *Hic non ſunt, &c.*] Romæ aliquando generatos elephantes, auctor eſt Columella. Illic primum viſos Pyrrhi Regis bello, anno urbis 472. diſerte ſcribit Plin. lib. 8. c. 6. Plura diximus de illis Sat. 10. ad v. 150. Vide & infra.

103 *Latio.*] Hæc Italiæ regio notiſſima Thuſciam habet ad occaſum, & Campaniam ad ortum. Pro tota Italia uſurpatur. Synecdoche.

Aut uſquam, &c.] Nam elephantes etiam velint mactare captatores, ſi liceret.

104 *Furva gente.*] Qualis Indica, Africana, Mauri, Æthiopes, &c. Sat. præced. v. 125. Hinc etiam nigri apellantur elephanti, Horat. Epod. &c.

Arboribus

Digitized by Google

Arboribus Rutulis & Turni paſcitur agro
Cæſaris armentum nulli ſervire paratum
Privato: ſiquidem Tyrio parere ſolebant
Hannibali, & noſtris Ducibus Regique Moloſſo:
Horum majores, & dorſo ferre cohortes,
Partem aliquam belli, & euntem in prœlia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, nulla per Iſtrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,

atque *Rutulis nemoribus, ac Turni campo nutritur grex Imperatoris, nemini privato utilis aut accommodatus. Enimvero obedire conſueverant Annibali Tyrio, noſtriſque Imperatoribus, ac Moloſſorum Principi: iſtorum* autem *avi etiam tergo portare turmas, partem quamdam militiæ, turrimque ad certamina progredientem. Ergo nulla cunctatio per Novium, nulla cunctatio per Iſtrum Pacuvium, quo minus hoc ebur ad altaria pertrahatur,*

ANNOTATIONES.

105. *Arboribus Rutulis.*] In ſaltu prope Lavinium, ubi quondam Rutuli, & Dux eorum Turnus. Ardea Metropolis erat.

Turni.] Æneidos poſterioribus Libris adeò celebrati.

106. *Cæſaris armentum.*] Elephantos enim alere tantis ſumptibus nonniſi Imperatorum eſt. Ad voluptatem nimirum & ſpectacula jam Domitianus eos adhibet, qui præliis olim utiles erant. Sarcaſmus.

107. *Tyrio.*] Oriundo e Carthagine, quam ædificavit Dido, Tyro urbe in Africam profecta, cum colonia Tyriorum.

Parere ſolebant.] Eruditi ad bellum Elephanti, de quorum pugnis, Plin. cit. lib. 8. cap. 7. Quin. Curt. S. Ambroſ. Hexamer. lib. 6. cap. 5. infrà citand. &c.

108. *Noſtris Ducibus.*] Illis etiam in bello utentibus Ducibus Romanis: v. g. Scipione Pompeii ſocero adverſus Cæſarem. Appian.

Regique Moloſſo.] Moloſſi, populi in Epiro, ubi regnavit Pyrrhus, qui primus in Italia elephantos bellatores advexit, & vincentes jam Romanos inuſitatâ belluarum formâ ſtupere, & mox prælio cedere coegit. Juſtin. lib. 18.

109. *Horum.*] Elephantorum.

Ferre cohortes, &c.] Plin. mox cit. De Turrigeris elephantis: Cæſar. Commentar. paſſim, &c. Vide & Ælian ac Philoſtrat.

110. *Turrim.*] Ligneam, elephantorum tergo impoſitam, e qua milites depugnabant, & in ſubjectos tela jactabant. Machab. lib. 1. cap. 6. n. 34. & ſeq. *Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium ..... Et aſtiterunt ſingulis elephantis mille viri in loricis concatenatis; & quingenti equites ordinati unicuique beſtiæ electi erant .... & quocumque ibat, ibant: .... Sed & turres ligneæ ſuper eos firmæ protegentes ſuper ſingulas beſtias, & ſuper eas machinæ: & ſuper ſingulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant deſuper: & Indus magiſter beſtiæ,* Plin. cit. l. 8. c. 7. refert Cæſarem tertio Conſulatu ſpectaculum edidiſſe, in quo turriti elephantes viginti, cum ſexaginta propugnatoribus, certavere adverſus quingentos pedites, equiteſque totidem. Rem & apparatum diſerte explicat Aldrovandus lib. 1. de Quadrupede. c. 9. ubi ex Vartomanno ſic loquitur, *Indi bella inituri clitellas elephanto imponunt, ſupra quas hinc & hinc domus, vel, ſi mavis, turrim aut caveam ligneam appellare. Collo jungunt caveas aſſamenta neſcio qua craſſitudine medii palmi. Singulas caveas terni homines ingrediuntur: inter utraſque dorſo belluæ inſidet Indus, qui belluam alloquitur. Homines ſunt loricati, ferentes arma, lanceas, enſes. Promuſcis elephanti, quam manum vocant, loricatur: illi alligatur exertus enſis duorum cubitorum, latitudine palmæ.* Similiter & Geſnerus, *Cum elephantos Indi ad bellum armant,* inquit, *in clitellas geminis ex ferro catenis infra alvum cinctas utrimque velut caveam ligneam imponunt, atque ad collum alligant. Singulas caveas terni homines ingrediuntur, &c.* Philoſtratus elephanto homines quindecim ferri aſſerit. Quantam verò ſtragem edat ſic inſtructus elephas, egregie deſcribit S. Ambroſ. Hexam. l. 6. toto cap. 5. *Perſarum gens,* inquit, *ferox bellis; quia de ſuperioribus ad inferiora validiore niſu tela torquentur, acies eorum velut gradientibus turribus ſepta procedit. In mediis campis tanquam de muro dimicant, ac velut in arce quadam & ſpecula collocati, tuti molibus beſtiarum. Si quis accedit, deſuper jaculis figitur, inferius elephantorum conteritur incurſu ..... Hi velut mobiles quidam montes verſantur in præliis, ut colles alto eminent vertice, mugitus autem fragore omnium perturbant confidentiam ..... Beſtia quoque nec nuda, nec penetrabilis ferro, ſed munita loricis ſine ſui periculo acies ſecat, & turmas conterit, &c.*

111. *Nulla igitur mora, &c.*] Nihil ergo retardaret Novium & Pacuvium captatores, &c.

112. *Illud ebur.*] Elephas, cujus dentes ebur. Metonymia.

Et cadat ante Lares Gallitæ victima ſacra,
Tantis digna Deis, & captatoribus horum.
Alter enim, ſi concedas mactare, vovebit
De grege ſervorum magna, & pulcherrima quæq;
Corpora; vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas; & ſi qua eſt nubili, illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etſi
Non ſperat tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo teſtamento
Mille rates: nam ſi Libitinam evaſerit æger,

*mactetúrque ante Penates Gallitæ ſancta hoſtia, tantis Numinibus idonea atque illorum inſidiatoribus. Unus etenim, ſi permittas ſacrificare, de famulorum multitudine ſingula corpora promittit maxima & ſpecioſiſſima: aut ſervis atque ancillarum capitibus admovebit faſciolas. Quod ſi habet in ædibus Iphigeniam quandam nuptui aptam, illam aris donabit, quamvis haud expectet *clandeſtinam expiationem cervæ tragicæ. Approbo meum civem, neque teſtamento confero naves millenas. Enimverò ſi mortem effugerit ægrotus,*

ANNOTATIONES.

114 *Tantis digna Deis.*] Vel Laribus divitum; vel ipſos divites orbos indicat, quos hæredipetæ velut Deos obſervant & colunt, ut officiis ſuis velut naſſa includant, quod mox dicet Poeta.

Captatoribus horum.] Inſidioſis divitum aſſeclis, ambitioſa obſervantia hæreditatem orborum captantibus.

115 *Alter.*] Pacuvius.

Si concedas.] Si per legem liceat humanas victimas ſacrificare, ut olim, ultro mactaret & ſervos & ancillas, quin & liberos. Humanas olim victimas variis locis immolari ſuetas conſtat ex Lactantio, D. Auguſt. Item ex Diodor. Plin. &c. Vide Cœl. Rhodig. l. 13. c. 23. Apud Macrob. l. 1. Saturn. c. 7. hoc refertur oraculum.

Καὶ κεφαλὰς ᾅδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Hinc Diti & Saturno humanæ hoſtiæ; donec per Italiam veniens Hercules ſuaſit, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent; oſcilliſque Ditem, Saturnum vero accenſis luminibus placarent, quoniam vox, φῶτα, non virum tantum, ſed & lumina ſignificaret, &c. Plin. l. 30. c. 1. ait: *Anno urbis 657. Lentulo & Licinio Conſulibus, factum Senatuſconſultum ne homo immolaretur: palamq; ad tempus illud prodigioſa ſacra extitiſſe.* Additque, *non ſatis æſtimari poſſe quantum Romanis debeatur, qui monſtra ſuſtulere, in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat.*

Vovebit.] Pro ægri ſalute devovebit caput ſervorum, & horum morte mortem illius redimet. Sic apud Euripid. Alceſtis pro Admeto conjuge, Parcis ita largientibus, morti ſe offert. Apud Livium Decii, pro Romano exercitu ſe devovent Diis Manibus. Apud Sueton. Calig. c. 14. non defuere *qui depugnaturos ſe pro ſalute ægri Imperatoris, & capita ſua titulo propoſito voverent, &c.* Vide Macrob. l. 3. c. 9. Alex. ab Alex. l. 3. c. 22. &c.

118 *Imponet vittas.*] Ex more, vittis enim exornabatur victima cum ad aram immolanda trahebatur. Virg. Æn. 2. Sinon aræ deſtinatus ita loquitur:

Mihi Sacra parari,
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

119 *Iphigenia.*] Propria filia, qualis illa Agamemnonis.

Dabit hanc altaribus.] Sicut Agamemnon Iphigeniam tradidit Dianæ mactandam. Vide Euripid. Iphigen. in Aulide, & in Tauris.

Etſi non ſperat, &c.] Non ſperat ſubſtituendam pro filia altaribus admota cervam, ut de Iphigenia Poetæ narrant.

120 *Tragicæ.*] De quo Tragœdias ſcripſere Euripid. cit. &c.

121 *Laudo meum civem, &c.*] Sarcaſtice. Sane ſapit Pacuvius civis meus, inquit Juvenalis, qui ultro facit, quod vix Agamemnon in animum induxit facere.

Nec comparo teſtamento, &c.] Teſtamentum & hæreditas adipiſcenda, res gravis, & pro qua libenter mactari debeat a Pacuvio filii: at non ita Græcorum claſſis mille navibus conſtans, pro quibus tamen exſolvendis Agamemnon filiam dedit. Ironice.

122 *Mille rates.*] Hiſtoria patet ex Eurip. cit. detinebatur in portu Aulidis claſſis Græcorum ad Trojanam expeditionem euntium, irata Diana. Tandem ex reſponſo redemptus eſt ventus & fauſta navigatio, oblata ad Dianæ aram Iphigenia. Quæ tamen per vicariam cervæ expiationem liberata eſt, & in Tauricam Cherſoneſum tranſlata Dianæ Sacra curavit. Virgil. Æneid. 2.

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſâ.

Libitinam.] Funerum Deam, in cujus æde vendebantur ad funus neceſſaria. Hanc cum Venere eandem eſſe, & illinc ſignificari quicquid gignitur, caducum eſſe; quod ortus atque interitus una ſit Dea præſes, auctor eſt Plutarchus in Problem.

Dolebit

Digitized by Google

Delebit tabulas incluſus carcere naſſæ,
Poſt meritum ſane mirandum, atq; omnia ſoli
Forſan Pacuvio breviter dabit. Ille ſuperbus
Incedet victis rivalibus. Ergo vides, quam
Grande operæ pretium faciat jugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius quæſo, vel Neſtora totum:
Poſſideat quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exæquet: nec amet quemquam, nec ametur ab ullo.

retis cuſtodiâ implicatus, poſt meritum certè admirabile, codices obliterabit, cunctaque propediem uni fortaſſe Pacuvio largietur. Hic tumidus ambulavit ſuperatis æmulis. Cernis igitur quantum laboris præmium offerat Mycenis ſacrificata. Oro vivat Pacuvius, etiam Neſtoris ætatem integram; habeat quantum Nero deprædatus eſt; montibus par aurum accumulet; neque ullum diligat, neque à quoquam diligatur.

ANNOTATIONES.

123 *Delebit tabulas.*] Priores nempe, in quibus hæredes alii ſcripti erant.

Incluſus carcere naſſæ.] Pacuvii captatione velut naſſa irretitus. Alii *Naſſam* Medicum ægros domi ſuæ curare ſolitum comminiſcuntur. Quod minus arridet.

124 *Poſt meritum ſanè mirandum.*] Poſt tot vota & ſacrificia a Pacuvio tam liberaliter, imo inſidioſe peracta, quibus ille devinctus habetur dives a morbo liber.

125 *Breviter dabit.*] Brevi codicillo Pacuvium ex eſſe hæredem ſcribens: vel, paulo poſt, ubi convaluerit. Quidam explicant, brevi manu: ſed parum ad rem.

Ille ſuperbus, &c.] Pacuvius excluſis ab hæreditate cæteris competitoribus, jam victor & dives factus inſoleſcet.

127 *Jugulata Mycenis.*] Immolata filia, par Iphigeniæ filiæ Agamemnonis Regis Mycenarum in Peloponneſo.

128 *Vivat Pacuvius.*] Imprecatio, ut diuturna vita diuturniores faciat ærumnas.

Neſtora.] Vide Sat. 10. v. 250.

129 *Quantum rapuit Nero.*] Lege Suet. Neron. c. 26. & 32. Apud Xiphilin. Jul. Vindex ita loquitur de Nerone ut de univerſi orbis deprædatore.

130 *Nec amet quemquam, &c.*] Quaſi, *μισάνθρωπος* cunctis odioſus, aliis æque ac ipſe ſibi gravis: proindeque nullam capiat voluptatem ex acquiſitis per nefas divitiis.

SATIRA XIII.

INTERPRETATIO.

Quicquid pravo exemplo perpetratur, ipſi committenti mœrorem creat. Ea vindicta prima eſt, quod nullus noxius liberatur ſemet arbitro, licet Prætoris favor iniquus urnâ fraudulenta ſuperaverit. O Calvine, quid exiſtimas a cunctis judicari de novo facinore, atque flagitio fidelitatis læſæ? Verum neque ita parvas ſortitus es facultates, ut exigui damni pondus te obruat. Quæ ſuſtines frequentia cernimus. Plurimis notum id malum, jamque vulgare, & è medio ſortis cumulo depromptum. Dimittamus graviores luctus. Viri mœrorem non oportet eſſe juſto vehementiorem, neque plagâ grandiorem.

EXemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori. Prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice, nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urnâ.
Quid ſentire putas omnes, Calvine, recenti
De ſcelere, & fidei violatæ crimine? Sed nec
Tam tenuis cenſus tibi contigit, ut mediocris
Jacturæ te mergat onus: nec rara videmus
Quæ pateris. Caſus multis hic cognitus, ac jam
Tritus, & e medio fortunæ ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus. Flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere major.
Tu quamvis levium minimam exiguamque malorum

Tu calamitatis licet exiguæ

ANNOTATIONES.

1 *EXemplo quodcumque, &c.*] Calvinum denegato depoſito mœrentem conſolatur, aſſeritque ultrice conſcientia improbos plecti, ita volente Deo ac providente.

2 *Diſplicet auctori.*] Nam torquetur animus ſceleris ſibi conſcius, occultaſque dat pœnas.

3 *Improba quamvis, &c.*] Quamvis abſolutus ſit per Judicem corruptum, atque ſutorio, ut aiunt, atramento.

4 *Vicerit urnâ.*] Vicerit accuſatorem, mutante vel amovente ex urna Prætore contra leges ſuffragia Judicum in ea conjecta. Cic. ad Q. fratrem: *Senatorum urna copioſe abſolvit.* Quippe in urnam ſeu ciſtam miſſi in conſilium Judices conjiciebant tabellas ceratas ſententiam continentes, ſcripta ſeu notata littera: A, abſolutionem, C. condemnationem indicabat. Judices quoque a Prætore vel edebantur, vel ſorte legebantur ex tabellis in urnam conjectis: hinc Cicero pro Milone. *Neq; vero, quod nonnulli dictitant ſecrevit in Judicibus legendis amicos meos.* Multis igitur modis poterat Quæſitor ſeu Prætor Reo favere, præter fas & jus. Vide Sigon. de Judic. l. 2. c. 22.

Urna.] Alii legunt, *Urnam fallacem*; alii, *fallacis Prætoris vicerit urnam.*

5 *Quid ſentire putas, &c.*] Ejuſmodi perfidum omnes execrantur: & hæc altera ultio eſt; & ſecundum conſolationis argumentum.

Calvine.] Is fuit amicus Juvenalis. Poëtam mediocrem extitiſſe innuit Martialis, ubi ait:

Æquales ſcribit libros Calvinus, & Umber:
Æqualis liber eſt, Critice, qui malus eſt.

Recenti.] Alii legunt, *retenti*, id eſt, negati depoſiti.

6 *Fidei violatæ crimine?*] Ab eo qui depoſitum negat ac retinet, duplex crimen patratur. Injuſtus eſt qui aliena poſſidet: perfidus, qui non reddit quod redditurum ſe juraverat. Cicero pro Roſcio Amerino: *Perditiſſimi eſt igitur hominis, ſimul & amicitiam diſſolvere, & fallere eum qui læſus non eſſet niſi credidiſſet.*

Sed nec tam tenuis, &c.] Tertium conſolationis argumentum, quod ſit mediocris Calvino jactura decem ſeſtertiorum.

8 *Nec rara videmus.*] Quartum, ſolatii genus, ſocios habuiſſe malorum.

10 *E medio fortunæ ductus acervo.*] Non e ſummo: id eſt, non e raris & gravioribus infortuniis.

Particulam

Digitized by Google

Particulam vix ferre potes ſpumantibus ardens
Viſceribus, ſacrum tibi quod non reddat amicus
Depoſitum. Stupet hæc, qui jam poſt terga reliquit
Sexaginta annos Fonteio Conſule natus?
An nihil in melius tot rerum proficis uſu?
Magna quidem ſacris quæ dat præcepta libellis
Victrix Fortunæ ſapientia. DICIMUS autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum vita didicere magiſtra.
Quæ tam feſta dies, ut ceſſet prodere furem,
Perfidiam, fraudes atq; omni ex crimine lucrum
Quæſitum, & partos gladio vel pyxide nummos?
RARI quippe boni: numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.
Nona ætas agitur, pejoraque ſæcula ferri

parvulam ac mediocrem partem ægre ſuſtinere vales, æſtuantibus intimis efferveſcens, quoniam familiaris haud tibi reſtituit religioſum creditum. An *iſta miratur qui à dorſo dimiſit annos ſexagenos,* ſub *Fonteii Conſulatu genitus? Nihilóne magis ſapis ex tot negotiorum experientiâ? Sortem profectò domat grandis Philoſophia, quæ documenta ſanctis codicibus tradit: at eos etiam beatos vocamus, qui vita ærumnas pati, & jugum non excutere erudiente vitâ ſunt edocti. Quænam dies ita ſolennis, quæ non deprehendat latrocinia, fallacias, dolos, & quæſtum per quodvis nefas comparatum, atque opes acquiſitas enſe, aut vaſculo?* Pauci *enim* ſunt *probi; vix numero tot exſtant, quot Thebarum portæ, aut abundantis Nili ora. Nona ætas ducitur, ac tempora ferreo ſæculo deteriora.*

ANNOTATIONES.

14 *Spumantibus ardens viſceribus.*] Fervente ac deſpumante bili, indignatione, iracundia.

15 *Sacrum.*] Ob ſacramentum & jusjurandum, cujus Dii teſtes.

16 *Stupet hæc, qui,* &c.] An ejuſmodi fraus mira videri debet homini rerum perito atque annos nato ſexaginta?

17 *Fonteio Conſule.*] Luc. Fonteius Capito cum C. Vipſanio Conſul fuit, Plin. teſt. lib. 7. cap. 20. Ex hoc loco demonſtratur perveniſſe Juvenalem ad Adrianum Imperatorem. Enimvero Satira hæc ſcripta ſexaginta annis poſt Conſulatum L. Fonteii, ſeu poſt natum eo Conſule Calvinum, ad quem Satiram hanc Juvenalis inſcribit. Atqui tempus illud incidit in Imperium Adriani. Vixit igitur & ſcripſit Poëta noſter ſub eo Imperatore: attigitque annum urbis octingenteſimum ſeptuageſimum ſecundum, ut diſerte concludit Juſt. Lipſius Epiſtol. Quæſt. Lib. 4. Epiſt. 20.

19 *Sacris.*] Eſt enim Philoſophia *Donum inventumque Deorum,* Cicero Tuſc. 1. n. 64.

20 *Victrix Fortunæ ſapientia.*] Sat. 10. v. 52. Democritus Fortunæ minaci mandat laqueum mediumque oſtendit unguem.

21 *Hos quoque felices.*] Non tantum ſapientes, adeoque felices ſunt qui Philoſophiæ Moralis imbuti præceptis fortunam vincunt, ſed & ii qui longo uſu & experientia, ſapere, fortiſque minas contemnere didicerunt.

22 *Nec jactare jugum.*] Qui non ferunt impatienter vitæ incommoda, malaque omnia, quibus homines ſunt obnoxii.

25 *Pyxide.*] Veneno, quod in pyxide condebatur. Metonymia.

26 *Rari quippe boni.*] Alludit ad Sapientum numerum. Hi ſeptem fuere, ſicut ſeptem Nili oſtia, & ſeptem portæ Thebarum: ut bene notat vetus Schol.

27 *Thebarum.*] Bœotiarum nempe: nam Ægyptiæ Thebæ portas centum habuiſſe jactantur.

Divitis oſtia Nili.] Multa ſunt ea: verum celeberrima ſeptem enumerantur, Strab. lib. 17. & Plin. lib. 5. cap. 10. proximum Alexandriæ Canopicum, deinde Bolbitinum, Sebenniticum, Phatniticum, Mendeſicum, Taniticum, Peluſiacum. Hinc Nili ſeptemgemina oſtia Virgilio Æneid. 6. ſeptemflua Ovidio Metamorphoſ. 15. *Dives* autem hic vocatur, quia ſua exundatione Ægyptum ditat. Vide quæ annotavi Sat. 6. v. 83 ad vocem, *Nilum.*

28 *Nona ætas.*] Quatuor ætates Latini ſtatuebant, ut patet ex Ovidio Metamorphoſ. 1. At Græci octo, quot ſunt metalla, nempe, Auream, argenteam, electream, æneam, cupream, ſtanneam, plumbeam, ferream. Nona igitur ætas iſtis omnibus pejor quæ? An lutea? Sunt quibus hæc interpretatio non arridet, ſed nec ea lectio: legunt igitur, *Nunc ætas agitur, &c.* Iſaac Voſſius octo illas ætates credit appellatas a cœli regionibus, quas octo faciebant Pythagorei: nonam vero, de qua hic, a Tellure denominatam opinatur; in Libello de Sibyll. Oraculis, Oxoniæ nuper edito, cap. 5. alibi jam. cit.

Temporibus;

quorum crimini appellationem non reperit ipſa natura, neque ab ullo metallo impoſuit. Nos invocamus opem hominum ac Deorum, tanta *vociferatione; quantâ Feſſidium perorantem extollit clamoſa ſportula. Fare vetule bullam promerite, an ignoras quantæ ſint illecebræ nummorum alterius? Ignoras quantos excitet cachinnos plebi tua ſimplicitas, quando expoſcis ab aliquo ne fidem fallat, cogitetque nonnullos eſſe Deos* in *quibuſdam fanis atque altaribus rubris? Eo modo pridem agebant Aborigines, antequàm Saturnus extorris relictâ corona ruſticam falcem acciperet; tunc quando Juno* erat *adoleſcentula, atque Jupiter hucuſque privatus in ſpeluncis Idæ* latebat. *Deorum epulæ ſupra nebulas nullæ* tunc erant*: neque juvenis Trojanus, neque pulcra Herculis conjux*

Temporibus; quorum ſceleri non invenit ipſa
Nomen, & a nullo poſuit natura metallo.
Nos hominûm Divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Feſſidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic ſenior bulla digniſſime, neſcis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? Neſcis
Quem tua ſimplicitas riſum vulgo moveat cum
Exigis a quoquam ne pejeret, & putet ullis
Eſſe aliquod Numen templis, aræque rubenti?
Quondam hoc Indigenæ vivebant more, prius quam
Sumeret agreſtem poſito diademate falcem
Saturnus fugiens; tunc cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.
Nulla ſuper nubes convivia Cœlicolarum,
Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis uxor

ANNOTATIONES.

31 *Nos hominum Divumque fidem, &c.*] Scilicet præ ſtupore velut ad rem novam exclamamus, cum tot ſcelera graſſari videmus. Verum quid aliud ferre poteſt ſæculum peſſimum, ætas, inquam, noſtra ferrea deterior?

Hominum Divumque fidem.] Vulgaris apud Comicos exclamatio.

32 *Quanto Feſſidium laudat, &c.*] Quantum edunt clamorem clientes mercede conducti, & ſportula invitati ad tollendas voces, *pulchre, bene, recte,* dum agit in foro & cauſam perorat Feſſidius. Sic enim Cauſidici, Poetæ, Hiſtriones, recitaturi conducebant homines qui dicentibus acclamarent, ac populo præirent ad applaudendum atque approbandum. Horat. Lib. 1. Epiſt. 19.

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor,
Impenſis cœnarum, & tritæ munere veſtis.

Vide Plin. Lib. 2. Epiſt. 14. ubi conductos ejuſmodi laudatores exagitat, vocatque *Laudicœnos, redemptos mancipes auditores actoribus ſimiles, qui ternis denariis ad laudandum trahantur. Et tamen creſcit indies illa fœditas,* inquit: *in media baſilica ſportulæ dantur palàm ut in triclinio: tanti conſtat, ut ſis diſertiſſimus: hoc pretio ſubſellia implentur, hoc infiniti clamores commoventur . . . Primus hunc morem induxit Licinius, ut auditores corrogaret, &c.*

33 *Sportula.*] De hac fuſe Sat. 1. ad v. 95. & ſeq.

Bullâ digniſſime.] O Calvine, in ſenio quaſi repueraſcens, (Erat enim bulla puerorum inſigne, ut notabo ad Perſ. Sat. 5. v. 31.) an adeo rerum imperitus es? Salſiſſima undequaq; ironia.

35 *Cum exigis à quoquam, &c.*] Adeo bardus es, ut fidem exigas, cum perjurio aliaque facinora invaluerunt. Ironia.

37 *Eſſe aliquod numen.*] Quaſi dicat, imperiti dumtaxat jam verentur Deos perjuriorum vindices.

Aræque rubenti.] Vel igne, vel ſanguine, in ſacrificiis.

38 *Indigenæ.*] Veteres illi Italiæ populi, ibidem nati, innocentiam colebant, aurea quidem ætate, cùm Saturnus regnabat, nondum vero Jupiter. Sat. 6. v. 15. & ſeq.

39 *Falcem.*] Dicitur enim Saturnus Agriculturam docuiſſe, inſitionem ſurculorum, &c.

40 *Saturnus fugiens.*] Regno Cretenſi pulſus a Jove filio, & in Italiam veniens.

41 *Adhuc Idæis Jupiter antris.*] Cum Jupiter in Ida Cretenſi monte puer aleretur, clam Saturno patre, ne ab eo voraretur; ex pactione cum Titano fratre inita. Nota fabula. Vide Cic. 2. de Nat. Deor. n. 63. & ſeq. ubi de Saturno & Jove. Et Cœl. Rhodig. lib. 13. cap. 21. ubi mythologia Saturni filios devorantis explicatur.

43 *Puer Iliacus.*] Ganymedes, de quo Sat. 5. ver. 59.

Herculis uxor.] Hebe Jovis ac Junonis filia, Juventutis Dea, nupta Herculi. Hæc autem primo, & poſtea Ganymedes Deorum pocillatores dicuntur. Vide Cic. Tuſc. 1.

Ad

Ad cyathos; & jam ſiccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæâ nigra tabernâ.
Prandebat ſibi quiſque Deus, nec turba Deorum
Talis, ut eſt hodie; contentaque ſidera paucis
Numinibus miſerum urgebant Atlanta minori
Pondere. Nondum aliquis ſortitus triſte profundi
Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluton.
Nec rota, nec Furiæ, nec ſaxum, aut vulturis atri
Pœna; ſed Infernis hilares ſine Regibus Umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat; & ſi
Barbato cuicumque puer; licet ipſe videret

ad ſcyphos eis porrigendos; atque Vulcanus epoto jam nectare detergens brachia atra ex officinâ Liparæa. Singula Numina privatim cœnabant; neque multitudo Numinum tanta, ſicut nunc exſtat; & Cœlum paucis Diis contentum leviori onere premebat infortunatum Atlantem. Nullus adhuc ſorte adeptus erat regnum maris triſtificum, vel trux Pluton cum uxore Sicula. Non erant rotæ, neque Furiæ, neque lapis, vel nigri vulturis ſupplicium: verum læti Manes abſque Tyrannis Inferorum. Eo ſæculo malitia ſtupenda erat. Illud putabant ingens crimen, ac nece expurgandum, ſi adoleſcens ſeni, ac ſi juvenis cuivis barbato non aſſurrexiſſet, quamvis ipſe in ædibus

ANNOTATIONES.

44 *Siccato nectare tergens, &c.*] Necdum Vulcanus, poſt hauſtum in cœlo nectar, deterſiſque brachiis, demigrabat ad officinam Liparæam: vel necdum Vulcanus nigra e fornace & camino brachia detergens, Deorum accumbebat menſæ, & nectar potabat.

Nectare.] Quæ Deorum potio eſt. Cic. de Nat. Deor. 1. n. 113. *Poetæ nectar, ambroſiam, epulas comparant: & aut Juventutem, aut Ganymedem pocula miniſtrantem.* Apul. Metamorphoſ. 6. *Tunc poculum nectaris Jovi quidem ſuus pocillator ille ruſticus puer, cæteris vero Liber miniſtrabat.* Athen. lib. 2. cap. 2. refert circa Lydiæ montem Olympum Nectar a quibuſdam præparari vino, favis, ac floribus bene olentibus in unum commixtis. Ibid. ex Anaxandride, cibus Deorum nectar, potus ambroſia eſt, at contra Homerus, &c. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 12. ait cognitionem puriſſimam atq; altiſſiam nectar vocari, credique eſſe potum Deorum. Vide Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 13. Item lib. 9. cap. 14. ubi contemplationis præmium ambroſiam, emanans autem exinde gaudium nectar, quod & immortalitatem ſignificat, intelligendum recte aſſerit Feſtus Pomp. *Quod νέκταρ Græcis*, inquit, *Latinis murrina eſt, prædulcis & ipſa potio.*

45 *Vulcanus.*] Igni præſidere, & Deorum arma fabricare Vulcanum: hinc & loca omnia ignes eructantia tenere, & in iis officinas habere fabulantur.

Liparæa.] Siciliæ adjacent Inſulæ ſeptem *Liparæa*, quæ & *Æolia*, & *Vulcania*. Harum una proprio nomine vocatur, *Vulcania*, quæ ignes emittit: ad iſtam ſane reſpicit Juvenalis, cum *Liparæam* Vulcani tabernam dicit. Vide Satir. 1. ver. 8. & Satir. 10. ver. 132. ibid. Annot.

46 *Turba Deorum.*] Præclare Ethnicorum ſuperſtitio hic deridetur.

48 *Atlanta.*] Quem fingunt humeris Cœlos portare. Vide Sat. 11. ver. 24.

49 *Nondum aliquis ſortitus, &c.*] Orbis Imperium nondum inter ſe diviſerant Saturni filii: nondum Jupiter Cœlum, Mare Neptunus, Inferos Pluto ſorte obtinuerant.

50 *Siculâ.*] Proſerpina Cereris filia, quam in Sicilia rapuit Pluto, & matrimonio ſibi copulavit.

51 *Nec rota.*] Nondum rotæ innexus torquebatur Ixion, ob ejus petulantiam adverſus Junonem.

Nec Furiæ.] Nullæ tunc ſcelerum ultrices: Alecto, Tiſiphone, Megæra, Noctis & Acherontis filiæ: quibus conſcientiæ ſtimuli ſignificantur.

Nec ſaxum.] Necdum Siſyphus ob latrocinia plectebatur, volvendo ſaxo addictus.

Aut vulturis, &c.] Neque tunc vultur Jovis ille miniſter depaſcebatur jecur aut Tityi, quod Latona vim inferre tentaſſet, aut Promethei, quod ignem Cœlo ſubreptum in terras detuliſſet.

52 *Infernis ſine Regibus.*] Sine Plutone Rege, ſine Judicibus Æaco, Rhadamantho, Triptolemo.

53 *Improbitas illo fuit admirabilis ævo.*] Mirabile fuit, ſi quis eo tempore improbus inveniretur.] Ita vetus Schol.

55 *Si juvenis vetulo non aſſurrexerat.*] Si adveniente ſeniore junior honoris cauſa non ſurrexiſſet.

Plura

Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaque par adeo ſacræ lanugo ſenectæ.
Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigioſa fides, & Tuſcis digna libellis,
Quæque coronata luſtrari debeat agna.
Egregium ſanctumque virum ſi cerno, bimembri
Hoc monſtrum puero, vel mirandis ſub aratro
Piſcibus inventis, & fœtæ comparo mulæ;

Plura cerneret fraga, cumuloſque glandium ampliores. Adeo veneratione dignum erat ſuperare quatuor annis, & prima pubes tam æqualis ſancta ſenectuti. Jam ſi familiaris non negaverit creditum; ſi reſtituat crumenam antiquam cum integra ærugine, portentoſa fidelitas videtur, *dignaque Etruſcorum commentariis, & quam oporteat expiare ovicula coronata. Si virum eximium & incorruptum video, prodigium illud confero infanti biformi, vel miris piſcibus ſub aratro repertis, atque prægnanti mulæ;*

ANNOTATIONES.

57. *Plura domi fraga.*] Licet ipſe domi opulentior foret. Nam *divitiæ in fragis & glande numerabantur*, inquit vetus Schol. Legunt alii, *farra:* at quamvis veterum Romanorum frugalitatem commendet, quod frequentior apud eos pultis uſus, quàm panis fuerit, ut ait Valer. Max. l. 2. c. 5. & nos alibi notavimus, tamen hic ubi ſæculi aurei mentio eſt, videtur magis ad rem vox *fraga*, quia tunc ſolis fructibus atque herbis victitabant.

Fraga.] Plin. lib. 21. c. 15. ſcribit, *Herbis ſponte naſcentibus pro cibo uſas gentium pleraſq; maximè vero Ægyptum, frugum quidem fertiliſſimam, ſed ut propè ſola iis carere poſſit: tanta eſt ciborum ex herbis abundantia. In Italia quidem pauciſſimas novimus*, inquit, *fraga, &c.*

Glandis.] Plin. l. 16. in Proem. ait, *Glandiferas arbores primò victum aluiſſe mortalium:* c. 3. *perpetuum iis honorem apud Romanos fuiſſe.* c. 5. *Opes eſſe nunc quoque multarum gentium glandes, moli in farinam, ac in panis uſum ſpiſſari: quin & hodieque per Hiſpanias adhiberi ſecundis menſis.* Per *glandem* etiam quodlibet fructuum genus hic fas eſt intelligi, noſtro quidem judicio.

58. *Tam venerabile erat, &c.*] Val. Max. l. 2. c. 1. *Senectuti juventus*, inquit, *ita cumulatum & circumſpectum honorem reddebat, tanquam majores natu adoleſcentium communes patres eſſent. Quocirca juvenes Senatus die, utique aliquem ex Patribus Conſcriptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad Curiam deducebant: affixiq; valvis expectabant, donec reducendi etiam officio fungerentur.* Et poſteà, *invitati ad cœnam diligenter quærebant quinam ei convivio eſſent adfuturi, ne ſenioris adventum diſcubitu præcurrerent; ſublataque menſa priores conſurgere & abire patiebantur*, &c. Gell. l. 2. c. 15. pariter loquitur: *Apud antiquiſſimos Romanorum*, inquit, *neque generi, neq; pecuniæ præſtantior honos quàm ætati tribui ſolitus; majoreſque natu a minoribus colebantur, ad Deum propè & parentum vicem. Atq; in omni loco, inq; omni ſpecie honoris priores potioreſq; habiti. A convivio quoq; ut ſcriptum eſt in antiquitatibus, ſeniores à minoribus domum reducebantur. Eumque morem accepiſſe Romanos à Lacedæmoniis traditum eſt, apud quos Lycurgi legibus major rerum omnium honos majori ætati habebatur.*

59. *Primaque par, &c.*] Id eſt, tam venerabilis prima lanugo propè ut ipſa ſacra & veneranda ſenectus. Legunt alii, *pars*, id eſt, venerabantur ipſam primam lanuginem velut ſenectutis futuræ partem.

61. *Cum tota ærugine.*] Si reddat pecuniam dudum ſibi commiſſam, quàm nec viderit, aut contrectârit, nec ſacculo moverit: unde contraxerit æruginem illa præ vetuſtate.

62. *Tuſcis digna tabellis.*] Sive ut in eis inſcribatur, ſive ut ex eorum præſcripto expietur velut prodigium, ac luſtretur cæſa victima ex more coronata ſertis ac floribus. Vide quæ notabo ad Perſ. Sat. 2. v. 26. & ſeq. Cic. de Divin. 2. aruſpicinæ originem Etruſcis attributam, ejuſque obſervationes egregiè ſugillat, n. 50. & ſeq.

64. *Bimembri puero.*] Prodigioſo, membra duplicia habenti, v. g. duo capita: vel biformi, ut ſi fuerit ſemibos, ſemiequus; quales Minotaurus, Centauri.

65. *Mirandis.*] Legunt alii, *miranti:* eritque hypallage; pro agricola mirante.

66. *Piſcibus.*] Hi quippe duntaxat in aquis vivunt ac reperiuntur: mirum ergo & portentoſum, ſi ſub aratro terram ſcindente occurrant.

Fœtæ comparo mulæ.] Cic. cit. mox ſic habet: *Utrum igitur cum concepit mula, an cum peperit, oſtentum eſt? Conceptio contra naturam fortaſſe: ſed partus propriè neceſſarius.* Et n. 61. *Sapius mulam peperiſſe arbitror, quam ſapientem fuiſſe.* Plin. l. 8. c. 24. *Obſervatum eſt*, inquit, *è duobus diverſis generibus nata tertii generis fieri, & neutri parentum ſimilia eſſe, eaque, non gignere quæ ſunt ita nata, in omni animalium genere: idcirco mulas non parere. Eſt in Annalibus noſtris, peperiſſe ſæpe; verum prodigii loco habitum. Theophraſtus vulgo parere in Cappadocia tradit: ſed eſſe id animal ibi ſui generis.* Plut. de Placit. Philoſ. l. 5. c. 14. mulas eſſe ſteriles refert, quòd earum vulva non ſe pandat: vel quòd ſic exilis, arcta, demiſſa; idque patere diſſecando earum corpus.

Sol-

Digitized by Google

Sollicitus tanquam lapides effuderit imber,
Examenque apium longa conſederit uva
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris ſeſtertia fraude
Sacrilega. Quid ſi bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo: majorem tertius illa
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile & pronū eſt Superos contemnere teſtes,
Si mortalis idem nemo ſciat. Aſpice quanta
Voce neget: quæ ſit ficti conſtantia vultus.
Per Solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi ſpicula Vatis;
Per calamos Venatricis, pharetramq; Puellæ,
Perque tuum, pater Ægæi Neptune, tridentem.
Addit & Herculeos arcus, haſtamque Minervæ,
Quidquid habent telorum armamentaria cœli.

anxius quaſi ſaxis depluerit; atque examen apum oblongi racemi forma *conſtiterit* in *templi vertice; quaſi flumen ad mare decurrerit aquis mirabilibus, & lacteo manans gurgite. Conquereris erepta dolo ſacrilego decem ſeſtertia. Quid ſi alius ea ratione amiſit ducenta clam* depoſita: *tertius* vero *grandiorem hac Summam, quam vix continebat angulus impleta ciſta? Adeo promptum ac proclive eſt Deos conſcios ſpernere, quando nullus homo idipſum novit. Cerne qua vociferatione inficietur: qualis ſit faciei ſimulata firmitas. Affirmat per Solis jubar, & fulmina Tarpeias & Martis haſtam, & tela Cirrhai Vatis, per ſagittas & pharetram Virginis Venatricis, & per tuam fuſcinam, Neptune Ægai parens. Adjungit etiam arcus* Herculis *atque lanceam Palladis;* & *quæcumque arma ſunt* in *cæleſti arce.*

ANNOTATIONES.

67. *Sollicitus tanquam.*] Tanquam de portento, quo aliquid indicitur; vel quod ſit procurandum expiandumque, ad averruncanda quæ portendantur mala.

Lapides effuderit imber.] Id crebrò legitur accidiſſe apud Liv. Val. Max. l. 1. c. 6. in prodigiis numerat: *in Piceno lapidibus pluiſſe: Cerites aquas ſanguine miſtas fluxiſſe, &c.* Vid. Plin. l. 2. c. 58. & l. 31. c. 1. Alex. ab Alex. l. 5. c. 27.

68. *Examenque apium longa, &c.*] Si connexæ pedibus apes glomeratumque examen in pendentis uvæ ſpeciem fuerint ad frondentis arbuſculæ ramum, aut alibi, Βοτρυδὸν vocat Hom. Iliad. B. Hinc Virgil. Georg. 4. in fine.

——Jamque arbore ſumma
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.

Plin. lib. 11. cap. 17. Tunc oſtenta faciunt apes, uva dependente in domibus templiſve, ſæpè expiata magnis eventibus.

70. *Gurgitibus miris.*] Portentoſis, v. g. atris, ſanguineis, lacteis. Cic. de Divin. lib. 2. n. 58. *Sanguinem pluiſſe Senatui nunciatum eſt: Atratum etiam fluvium fluxiſſe ſanguine, &c.* Tit. Liv. l. 24. c. 10. Prodigia multa refert, inter quæ, *Mantua ſtagnum effuſum Mincio amni, cruentum viſum: ſanguine pluiſſe in foro Boario, &c.* Valer. Max. cit. *Cerites aquas ſanguine miſtas fluxiſſe,* Plin. cit. lib. 2. cap. 56. *lacte & ſanguine pluiſſe* ait.

71. *Seſtertia.*] Vid. Sat. 1. v. 92. Annot.

73. *Arcana.*] Arcanæ fidei credita, ſine ullis teſtibus.

78. *Tarpeiaque fulmina.*] Jurat per fulmen Jovis, qui in rupe Tarpeia ſeu Capitolina fanum habebat.

79. *Frameam.*] Quidam interpretantur gladium ancipitem, alii, haſtam. Cornel. Tacit. de Moribus Germanorum, ſic habet: *Rari gladiis aut majoribus lanceis utuntur. Haſtas, vel ipſorum vocabulo, frameas gerunt, anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel eminus pugnent, &c.* Cœl. Rhodig. l. 21. c. 18. *Acinaces,* inquit, *haſta Perſica, gaſa propria ſunt Gallorum tela, ſariſſa Macedonum, framea Germanorum.*

Cirrhai Vatis.] Apollinis, qui religioſe colebatur in Cirrha Phocidis oppido, & in proximis Delphis oracula & reſponſa dabat.

80. *Calamos Venatricis.*] Per Dianæ ſagittas, quam ob virginitatis ſtudium aiunt ſilvas colere, & venationi indulgere. Vide Cic. de Nat. Deor. 3. Virgil. Eclog. 3.

Daphnidis arcum fregiſti & calamos.

81. *Ægai.*] Ægæus Neptuni erat filius, Theſei pater: Athenis regnavit; nomen dedit Ægæo mari, cum in illud ſe præcipitâſſet.

82. *Herculeos arcus.*] Fatalia nempe arma, ſine quibus expugnari Troja non potuit. Herculem aiunt in Oëta morientem Philoctetı comiti reliquiſſe arcum & ſagittas Hydræ cruore ſeu felle tinctas. Vide Sophocl. Philoctet.

Haſtamque Minervæ.] Græci Palladem vocant à πάλλειν, *vibrare*; quòd ſit Dea bellicoſa, & haſtam teneat, & eam quatere videatur.

Digitized by Google

Si vero & pater eſt, comedam, inquit, flebile nati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
Sunt qui in Fortunæ jam caſibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis, & anni;
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt.
Eſt alius metuens ne crimen pœna ſequatur.
Hic putat eſſe Deos, & pejerat, atque ita ſecum;
Decernat quodcumque volet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro,
Dummodo vel cœcus teneã, quos abnego, nummos.
Et phthiſis, & vomicæ putres, & dimidium crus
Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, ſi non eget Anticyra, nec

Quod ſi ille eſt etiam parens, manducem, ait, aqua coctum deplorandi filii caput aceto Ægyptio perfuſum. Nunc reperiuntur qui univerſa attribuant fortuitis *ſortis eventibus, atque nullo gubernatore orbem agi putent, Natura verſante viciſſitudines & diei & anni: & eam ob rem quabſliet aras attrectant ſine metu. Alter invenitur* qui *timet ne animadverſio ſuccedat ſceleri: is credit extare Numina, atque falſum jurat, ſic verò apud ſe* cogitat: *quod placuerit ſtatuat Iſis de noſtro corpore, & iracundo crepitaculo meos oculos percutiat, ut etiam excœcatus conſervem pecuniam quam inficior. Et phthiſis, & fœtentes vomicæ, & tibia mutila ſunt-ne tanti* putanda? *Neque Ladas inops ambigat exoptare divitem podagram, ſi* quidem *non opus habet Anticyra, nec*

ANNOTATIONES.

84 *Si vero & pater eſt.*] Quod ſi ille depoſiti interceptor ac defraudator filios habeat, non verebitur ita jurare, ac pejerare; ſi quid alienum habeo, contingat mihi quod Thyeſtæ olim, cui frater Atreus proprios filios neſcienti edendos appoſuit.

85 *Pharioque madentis aceto.*] Quo ſolet condimento comedi vervecis caput. Porro Ægyptium acetum laudatur apud Athen. lib. 2. cap. 26. Et Martial. Lib. 13. Epigram. 122.

Amphora Niliaci non ſit tibi vilis aceti.

Pharos enim Ægypti Inſula, de qua Sat. 6. v. 83. Metonym. Ægyptum indicat.

86 *Sunt qui Fortunæ, &c.*] Quidam ut pejerent, & pœnæ metu ſe liberent, negant Deos eſſe, cum Diagora & aliis, quos Tullius de Nat. Deor. l. 2. n. 44. ita perſtringit: *Eſſe Deos ita perſpicuum eſt, ut qui neget, vix eum ſanæ mentis exiſtimem.*

87 *Nullo credant mundum rectore moveri.*] Alterum genus hominum, qui cum Epicuro Deos quidem eſſe putant, ſed res humanas curare negant: & hos egregie refellit Cicero lib. de Natura Deorum.

88 *Natura volvente vices.*] Errabant nimirum illi Naturam a Deo ſeparantes. Unde Senecam velut Stoicorum ſapientiſſimum laudat Lactantius, quod is intellexerit, Naturam aliud nihil eſſe quam Deum. Tullius cit. de Natura Deorum, l. 2. n. 128. *Intelligamus nihil horum eſſe fortuitum, ſed hæc omnia eſſe providæ ſolertiſque Naturæ, &c.*

89 *Altaria tangunt.*] Qui jurabant, Deorum tangebant altaria. Virgil. Ænid. 12.

Tango aras: medios ignes & Numina teſtor.

90 *Eſt alius metuens, &c.*] Tertium hominum genus, qui vindices Deos timent: Verum alterutrum ſibi ſpondent, & ſe ita conſolantur: aut me ulciſcetur Deorum Numen cito, aut tarde: ſi tardent Dii, forte effugiam: quod ſi perjurii repetant a me pœnas, & ſolvam, alicui obnoxius morbo & incommodo; tum etiam malim ægrotare, & dives eſſe.

93 *Iſis.*] Ægyptiorum Dea, de qua nos abunde Sat. 6. Hanc opinabantur perjuris infeſtam, & præſentem pœnam irrogare, cœcitatem. Ovid. de Ponto. Lib. 1. Eleg. 1.

Vidi ego linigeræ Numen violaſſe fatentem
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.
Alter ob huic ſimilem privatus lumine culpam,
Clamabat media ſe meruiſſe via.

Vide Perſ. Sat. 5. v. 186. & ibid. Annot.

95 *Phthiſis.*] Macies, tabes lenta.

Vomicæ.] Apoſtemata, ulcera putrida & maligna, abſceſſus, quos vocat Galen.

96 *Sunt tanti.*] Ut non eligantur ea cum opibus, potius quam paupertas cum ſanitate.

Locupletem podagram.] Cum divitiis conjunctam ægritudinem corporis ne dubitet quis optare, ſi mente ſanus eſt.

97 *Ladas.*] Is ſæpe victor in Olympicis agilitate pedum clarus. Ejus meminit Pauſan. in Corinth. Cic. ad Heren. 4. Mart. l. 10. Epig. 100.

Si non eget Anticyra.] Quidam explicant: modo morbus ille articularis non ſit inveteratus, cui curando opus ſit helleboro, & perito Medico. Nam certe ex Plin. l. 25. c. 5. *Helleborum medetur podagricis.* Verum ego malim cum aliis interpretari ſic: Ladas ſi ſapit, ſi non eget helleboro, quo etiam inſanientes curantur, ex Plin. ibid. certe debet malle dives eſſe cum podagra, quam ſua pedum celeritate in Olympicis curſu vincere & coronari, atq; mox eſurire & cum fame luctari.

Archi-

Digitized by Google

Archigine. Quid enim velocis gloria plantæ
Præſtat, & eſuriens Piſææ ramus olivæ?
Ut ſit magna, tamen certe lenta ira Deorum eſt.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? Sed & exorabile Numen
Fortaſſe experiar. Solet his ignoſcere. Multi
Committunt eadem diverſo crimina fato;
Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmant. Tunc te ſacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere imo ultro advexare paratus.
Nam cum magna malæ ſupereſt audacia cauſæ,
Creditur a multis fiducia. Mimum agit ille,
Urbani qualem fugitivus ſcurra Catulli.
Tu miſer exclamas, ut Stentora vincere poſſis,
Vel potius quantum Gradivus Homericus: Audis,

Archigine. Nam quid confert honos celeris pedis, atque famelicus ſurculus olivæ Piſææ? Etſi gravis ſit Numinum ultio, at profectò ſera eſt. Ergo ſi noxios omnes plectere ſatagant, ecquando ad me pervenient? At forte Deos quoque ſentiam placabiles. Iſtis indulgere conſueverunt. Variâ ſorte plurimi paria ſcelera perpetrant. Hic facinoris mercedem nactus eſt patibulum, iſte coronam. Ita mentem atrocis noxæ metu paventem roborant. Tum te ad ſanctas ædes invitantem antecedit, promptus etiam ſponte deducere, & agitare. Etenim quando improba cauſa ingens impudentia præſtò eſt, fiducia a pluribus exiſtimatur. Is hiſtrionem præſtat, qualem ſannio fugax Catulli faceti. Infelix tu vociferaris adeo *ut Stentora ſuperare queas, imò vero ſicut Mars* apud *Homerum; auſcultas ea,*

ANNOTATIONES.

98 *Archigine.*] Perito quovis Medico, ad venam in media fronte ſcindendam, quo deliri & furioſi ſanantur. Vide Sat. 6. v. 46. & 236.

Quid enim velocis, &c.] Quid prodeſt agilitate pedum valere, ut nobilis ille Curſor Ladas, ſi, pariter ut ipſe, poſtea ſis inops?

99 *Et eſuriens Piſææ ramus olivæ.*] Quod etiam juvat oleagina corona Ladæ pauperi & famelico toties delata, apud Piſam urbem Peloponneſi, ubi quinto quoque anno Olympici Ludi agebantur?

100 *Lenta ira Deorum.*] Valer. Maxim. l. 1. c. 1. *Lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira: ſed tarditatem ſupplicii gravitate compenſat.* Vide Plut. de tarda Numinis vindicta.

103 *Solet his ignoſcere.*] An perjuriis, non tam in Numinis contemptum, quam ad pecuniam habendam factis? An, *his*, id eſt, quibuſdam pejerantibus?

105 *Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.*] Si quidam ſcelerum pœnam, at alii fructus metunt. *Hic diadema*: Romulus fratricida ſcilicet Imperium nactus eſt, &c.

Crucem.] Plaut. Moſtel. Sc. 5. *Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excurrerit; ſed ea lege ut affigantur bis pedes, bis brachia.* Senec. Conſol. ad Marciam cap. 20. *Video iſtic cruces non unius quidem generis, ſed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite converſos in terram ſuſpendere: alii per obſcœna ſtipitem egerunt: alii brachia patibulo explicuerunt,* &c. Vide Lipſ. de *Cruce.* Porro ſervile hoc pridem tormentum, crucis, inquam ſupplicium abrogavit Imperator Conſtantinus, anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo quinto, poſtquam cœleſti Crucis oſtento victor eſſe factus, Sozom. lib. 1. cap. 1. &c.

106 *Sic animum diræ,* &c.] Ita ſe obfirmant adverſus pœnæ & vindictæ formidinem.

107 *Ad delubra vocantem præcedit.*] Non tantum ſequitur te ad aras, ſed & audacter anteit iſte fraudator, ubi juret nihil ſibi creditum: quin etiam eo te ipſe cunctantem provocabit, ut jurejurando purget ſe, & te velut ſycophantem traducat ac vexet.

109 *Nam cum magna,* &c.] Audaciam negantis depoſitum plures interpretantur innocentiæ fiduciam.

110 *Mimum agit ille,* &c.] Ille perjurus te ſubſannat etiam, ut ſervus iſte Comicus herum vexans improbe & in jus trahens, ſcilicet in Fabula Catulli Mimographi, de quo jam Sat. 8. v. 186.

111 *Urbani.*] Alii cognomen hoc eſſe, alii Epithetum arbitrantur.

112 *Exclamas.*] Nempe talem videns impudentiam ac fraudem.

Stentora.] Magnanimum illum Græcum, qui vociferans in bello, quinquaginta virorum clamorem adæquabat. Homer. Iliad. 5.

113 *Gradivus Homericus.*] Iliad. cit. Mars a Diomede ſauciatus tam horrendam emiſit vocem, ut Græcos pariter atq; Trojanos terruerit: qualem videlicet non ediderint novem aut decem hominum millia. Porro *Gradivus*, a κραδαίνειν, ab haſta quatienda; vel, ut Feſto placet, a *gradiendo*, quod eatur ad bellum gradatim & per ordines.

Audis Jupiter, hæc.] Perjuria, ludibria.

Jupiter,

Jupiter; neque labia commoves, quando loqui oportebat ſive è marmore, ſive ex ære fores? Vel quare prunis tuis impendimus thus religioſum, aperta papyro, atque hepar juvenci conciſum, & omenta ſuis candida? Quantum intelligo, differentia nulla facienda eſt inter veſtras imagines, & Batylli ſtatuas. Suſcipe conſolationem quam adverſus iſta mala *dare queat etiam qui neque Cynicorum neque Stoicorum evolvit documenta à Cynicis veſte differentia?* quique *non obſervat Epicurum parvi hortuli oleribus contentum. Ægroti ancipites ſanentur ſummis Medicis: at tu venam trade etiam diſcipulo Philippi.*

Jupiter, hæc, nec labra moves, cum mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aheneus? Aut cur
In carbone tuo charta pia thura ſoluta
Ponimus, & ſectum vituli jecur albaque porci
Omenta? Ut video, nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras, ſtatuamque Batylli.
Accipe quæ contra valeat ſolatia ferre
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica diſtantia; non Epicurum
Suſpicit exigui lætum plantaribus horti,
Curentur dubii medicis majoribus ægri:
Tu venam vel diſcipulo committe Philippi.

ANNOTATIONES.

114 *Nec labra moves.*] Ut increpes, atque minas ac ſupplicia intentes.

115 *Vel marmoreus, vel aheneus.*] Sarcaſmus in Idololatras: quamvis eo non ſpectet Juvenalis.

Cur in carbone, &c.] Cur igitur tibi thus adolemus ſurdo, ſtupido, marmoris & æris inſtar, tanta ſcelera non vindicanti?

116 *Charta.*] Qua thus involvebatur. Alii obſignata ex more vota hic ſignificari volunt.

117 *Sectum vituli jecur.*] Forte ut facilius comburatur, minutatim ſectum: vel ſimpliciter, reſectum & ſeparatum ab aliis inteſtinis.

Albaque.] Vel adipe condentia, vel condentis & albentis porci.

118 *Omenta.*] Sunt quaſi panniculus ſeu membrana, qua inteſtina involvuntur, ut dicemus ad Perſ. Sat. 2. v. 47. & Sat. 6. v. 74.

Nullum diſcrimen, &c.] Gravior alter ſarcaſmus in falſos Deos. Quanquam Juvenalis aliud nihil intendit, quam ut exprimat verba hominis ex ſumma indignatione loquentis, ob emunctam ſibi pecuniam negatumque depoſitum.

119 *Batylli.*] Huic citharœdo inſigni erecta in Fano Junonis Samiæ ſtatua per Tyrannum Polycratem; teſte Apuleio, Florid. 15 vel ut vulgo legunt, 2. ſub finem. Alii Codices habent, *Vagelli*, id eſt, hominis ſtulti ac fatui, ex vet. Schol.

120 *Accipe quæ contra, &c.*] O Calvine amice, a me Juvenali conſolationem accipe, e ſenſu communi petitam: philoſophicis enim rationibus non debet curari levius illud malum tuum, jactura nempe decem ſeſtertiorum.

121 *Qui nec Cynicos, &c.*] Imperitus quilibet & indoctus.

Cynicos.] Horum Sectæ Princeps fuit Antiſthenes Socratis diſcipulus; claruere poſtea Diogenes & Crates Thebanus. Vide Annot. ad Perſ. Sat. 1. v. penult.

Stoica dogmata.] Stoicis dux fuit Zeno, de quo & Stoicis dogmatis Diogen. Laert. lib. 7. Vide Annot. ad Perſ. Sat. 3. v. 53.

122 *Tunica diſtantia.*] Stoici tunicam gerebant ſub pallio: at Cynici minime, ſed interulas duntaxat leviores: utrique vero doctrina convenientes, divitiarum contemptum, frugalitatem, patientiam profitebantur. Hor. l. 1. Epiſt. 17.

Contra quem duplici panno patientia velat,
Mirabor.

Ubi, duplex pannus eſt, tunica, & pallium. Cave autem ne duplex iis fuiſſe pallium, cum quibuſdam credas.

Epicurum.] De eo multa Diogen. Laert. l. 10. Is in animi tranquillitate ac voluptate felicitatem collocabat: cæterum valde ſobrius & paucis contentus horti victitabat oluſculis. Plin. l. 19. c. 4. *Jam quidem*, ait, *hortorum nomine in ipſa urbe delicias, agros, villaſque poſſident. Primus hoc inſtituit Athenis Epicurus otii magiſter, uſque ad eum, moris non fuerat in oppidis haberi rura.*

124 *Curentur dubii, &c.*] Qui tam gravi morbo decumbunt, ut de eorum ſalute dubitetur, ii ſummo indigent Medico: ſic & conſolatione philoſophica graviori, qui magnis ærumnis conflictantur. Tu vero, Calvine, leve quid paſſus, a rudi qualibet levioribus remediis curabere.

125 *Venam.*] Scindendam, metaph. id eſt, mentem ob negatam pecuniam ægre habentem.

Philippi.] Imperiti illius temporis Medici, cujus proinde rudis, imo rudior diſcipulus.

Si

Digitized by Google

Si nullum in terris tam deteſtabile factum
Oſtendis, taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma ;
Quandoquidem accepto claudenda eſt janua damno,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc caſu, veſtem diducere ſummam
Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrymis amiſſa pecunia veris.
Sed ſi cuncta vides ſimili fora plena querelâ ;
Si decies lectis diverſa in parte tabellis,
Vana ſupervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipſorum quos littera, gemmaque princeps
Sardonyches, loculis quæ cuſtoditur eburnis :
Te nunc delicias extra communia cenſes
Ponendum ; quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis.
Rem pateris modicam,& mediocri bile ferendam
Si flectas oculos majora ad crimina : confer
Conductum latronem, incendia ſulphure cœpta,

Si demonſtras nullum in orbe facinus eſſe *adeo execrandum, ſileo ; nec prohibeo te pugnis verberare pectus, neque vultum extenſa manu percutere ; quoniam obſtruendæ ſunt fores jacturâ factâ, & graviore familiæ luctu, graviore trepidatione deploratur pecunia quàm mors. Nullus mœrorem ſimulat in ea occaſione,* aut *aperiens duntaxat ſupremam chlamydem lacrymis expreſſis oculos fatigat. Sincero fletu lugentur nummi deperditi. At ſi omnes curias paribus querimoniis refertas aſpicis, ſi* poſt *tabulas relectas decies variis in locis, futilia chirographa ligni ſuperflui affirmant* ii *quos convincit ſua ſcriptura, & primarius lapillus Sardonyches : qui thecâ ex ebore ſervatur, jam delecatulum te arbitraris eximendum à* ſorte *vulgari, quòd tu* ſis *natus gallinâ candinâ, nos* verò *ignobiles pulli miſeris ovis exorti. Rem parvam toleras ac levi indignatione ſuſtinendam, ſi vertas aſpectum ad graviora flagitia. Compara immiſſum prædonem, inceptam ſulphure & fraudulenter combuſtionem,*

ANNOTATIONES.

126. *Si nullum in terris.*] Si nihil uſquam fiat tam deteſtabile, quàm id quod pateris, ego te non veto plangere & lamentari.

129 *Quandoquidem accepto,* &c.] Quandoquidem jam moris eſt ridiculi certè, factâ pecuniæ jacturâ ſic lugere, ut in funere propinquorum, imò verò graviùs.

Accepto claudenda eſt janua damno.] In ſignum luctûs ac mœroris, ex recepta conſuetudine : ex veteri Scholiaſte. Alii velut adagium hîc obſervant, hoc ſenſu : nempe ablatis per fures nummis ſerò janua clauditur ; pariter & ſtabulum, abacto pecore. Sed non valde ſenſum juvari hac interpretatione exiſtimo.

132 *Veſtem diducere ſummam,* &c.] Imò tunc præ vero dolore quiſque veſtem omninò dilacerat, nec leviter diſtrahit ſolùm ; quiſque lacrymas ubertim erumpentes vix coërcet.

135 *Fora.*] Vel plateas, vel Judicum tribunalia, ubi paſſim queruntur homines fraudem ſibi factam in re pecuniaria.

136 *Si decies lectis,* &c.] Si poſt cautiones ſeu ſchedas obligatorias decies lectas apud diverſos teſtes ſigillatim eas ſubſignantes, poſteà tamen adulterinas audent illas dicere debitores, & affirmare inanes & confictas,reclamante licet ipſorum chirographo, & ſigillo.

137 *Chirographa ligni.*] Ligneas tabulas cerâ illitas, in quibus ſcriptitabant veteres ante inventam chartam.

138 *Gemmaque princeps Sardonyches.*] Sigillum in gemma inſculptum.

139 *Sardonyches.*] Legunt alii, *Sardonychum.* Vide Perſ. Sat. 1. v. 16.

140 *Te nunc delicias.*] Alii legunt : *Ten' ò delicias,* &c.

141 *Gallinæ filius albæ.*] Proverb. Id eſt, Tu nimirum ſingulari felicitate natus, cæteri communi fortunæ obnoxii. Candida boni eſſe ominis annotavi ad Perſ. Sat. 2. v. 1. & ſeq. adde aliud Proverbium, *Mali corvi malum ovum.* Quidam hîc alludi aiunt ad Sueton. Galb. cap. 1. & Plin. Lib. 15. cap. ult. ubi refertur, *In Liviæ Druſillæ gremium demiſſam ab aquila prætervolante gallinam albam.* Alii, ad Ledam ova duo parientem è quibus alii immortales nati,Caſtor &Pollux ; alii mortales,Helena & Clytemneſtr.Sed quid opus ad iſta recurrere?

145 *Conductum latronem.*] Sicarium ad inferendam necem conductum.

Incendia ſulphure cœpta.] Incendiarios, ſacrilegos, templorum ſpoliatores.

Digitized by Google

quando prius incendium fores concipiunt. Compara etiam illos qui ex *antiquo fano rapiunt vaſa rubigine veneranda, & plebis munera, aut coronas a vetuſto Rege collocatas. Quod ſi ea non extent illic, aderit minor ſacrilegus qui eradat coxam Herculis inaurati ipſumque Neptuni vultum,* aut *qui de Caſtore bracteam detrahat. Numquid* enim id facere *vereatur aſſuetus integrum Jovem fundere? Compara quoq; opifices & emptorem toxici, atque detrahendum in mare pelle bovis, cum quo includitur ſimia innocens infeſtâ ſorte. Iſta* verò *quota portio criminum quæ Gallicus Romæ cuſtos auſcultat à Lucifero uſque dum Sol occumbat? Mores hominum ſcire tibi cupienti ſatis erunt ſolæ ædes* illius. *Dies aliquot impende, & cum iſtinc redieris, felicem te affirmare ne dubita. Quis circa Alpes fauces inflatas, vel quis*

Atq; dolo, primos cùm janua colligit ignes:
Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ rubiginis, & populorum
Dona, vel antiquo poſitas à Rege coronas.
Hæc ibi ſi non ſunt, minor extat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.
An dubitet, ſolitus totum conflare Tonantem?
Confer & artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.
Hæc quota pars ſcelerum, quæ cuſtos Gallicus urbis
Uſque à Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi noſſe volenti
Sufficit una domus. Paucos conſume dies, &
Dicere te miſerum, poſtquàm illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? Aut quis

ANNOTATIONES.

146 *Primos cùm janua colligit ignes.*] Appoſitâ face cum materia ſulphurata ardet primùm janua, & hinc tota domus. Vide Sat. 9. v. 98.

150 *Hæc ibi ſi non ſunt.*] Si verò in templis deſunt vaſa pretioſa, pocula antiqua, regales coronæ, quas ſurripere queat ſacrilegus, ſaltem radet ſtatuas & imagines Deorum inauratas.

152 *Bracteolam.*] Tenuem auri laminam, ramenta.

153 *Totum conflare tonantem.*] Jovis effigiem furto ablatam refundere auſus, ne agnoſcatur.

154 *Artifices, mercatoremque veneni.*] Veneficos.

155 *Deducendum corio bovis in mare.*] Parricidas culeo inſui, ac projici in mare ſolitos. Vide Annot. Sat. 8. v. 214.

156 *Innoxia ſimia.*] Quæ adverſante fato quamvis innocens, & parentes non occideret, parricidarum tamen ſupplicii eſt particeps.

157 *Gallicus.*] Rutilius Gallicus ſub Domitiano urbi præfectus, rerum capitalium cognitor & judex. De eo Statius Sylv.

Quem penes intrepida mitis cuſtodia Romæ.

158 *A Lucifero.*] A mane ad veſperam. Vide Sat. 8. v. 12.

160 *Sufficit una domus.*] Nempè Rutilii Gallici domus, in quam confluunt ad jus rei omnes.

Paucos conſume dies, &c.] In domo iſta dies aliquot contemplare urbis miſerias, flagitia, illuviem malorum, atque adeò tot calamitoſos; & poſteà, ſi audes, dic te miſerum. Certè illorum comparatione te felicem potiùs dixeris.

162 *Quis tumidum guttur miratur in Alpibus.*] Quis ſtrumoſos in Alpibus, quis in Meroë fœminas ingentibus mamillis admiretur? Nemo ſanè, quippe ſunt ea illic vulgaria. Cur igitur, ô Calvine, miraris injuriam tibi factam, cùm Romæ nihil frequentius ſit fraudibus, perjuriis, aliiſque ſceleribus?

Tumidum guttur.] Plin. Lib. 11. c. 37. *Guttur homini tantum & ſuibus intumeſcit, aquarum quæ potantur plerumque vitio.*

Digitized by Google

In Meroë craſſo majorem infante mamillam?
Cœrula quis ſtupuit Germani lumina? Flavam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quòd hæc illis natura eſt omnibus una.
Ad ſubitas Thracum volucres, nubemque ſonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis;
Mox impar hoſti, raptuſque per aëra curvis
Unguibus à ſævâ fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in noſtris, riſu quatiere: ſed illic,
Quanquam eadem aſſiduè ſpectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non eſt altior uno.

apud Meroën mammam ſtupet grandiorem pingui infante? Quis miratus eſt oculos Germanorum glaucos, capillos flavos, atque humido cincinno cornua intorquentes? Nimirum quia univerſis his ea par eſt indoles. Ad repentinas aves Thraciæ, ac nebulam inſonantem Pygmæus militans procedit in armis exiguis: dein inferior adverſario, & in altum ſublatus à grue dira portatur incurvis unguibus. Si cernas iſtud in noſtra regione, cachinno moveberis: ibi verò quamvis paria ſemper videantur certamina, nullus cachinnatur, ubi omnis turma non eſt major uno pede.

ANNOTATIONES.

163 *In Meroë craſſo majorem infante mamillam?*] In ea Inſula mammas eſſe fœminis majores infante quem lactant, teſtatur Mela, &c. De *Meroë*, vide quæ nos ad Sat. 6. v. 527.

164 *Cœrula quis ſtupuit Germani lumina*, &c.] Cornel. Tacit. de Moribus Germanorum, *His eſſe truces at cæruleos oculos, rutilas comas*, ait.

165 *Madido torquentem cornua cirro.*] Quis item ſtupuit in Germanis videns capillos cincinnatos, in cornuum formam flexos ac intortos: atque unguentis delibutos & madentes? atqui rara tantùm demirari homines ſolent.

167 *Ad ſubitas Thracum volucres*, &c.] Cum ſubitò gruum agmen apparet, ac velut nubes volat clangendo ac ſtrependo, impetitque Pygmæos. Vide Athen. lib. 9. cap. 11.

Thracum volucres.] Grues, quæ ad Strymonem fluvium, in Thraciæ ac Macedoniæ finibus, multæ ſunt. Harum volatum Plin. Lib. 10. cap. 23. cit. ſic deſcribit: *Quando proficiſcantur grues conſentiunt: volant ad proficiſcendum alè: ducem quem ſequantur eligunt: in extrèmo agmine per vices qui acclament, diſpoſitos habent, & qui gregem voce contineant: excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno & decidens indiligentiam coarguat*, *&c.*

168 *Pygmæus parvis currit*, &c.] A. πυγμὴ vel πυγμὼν *cubitus*. Pygmæos dici, ex Euſtathio affirmat Cœl. Rhodig. Lib. 4. cap. 3. Plin. Lib. 4. c. 11. in Thracia Pygmæorum gentem fuiſſe refert, & illinc à gruibus fugatam. Et Lib. 7. cap. 2. ſic habet: *Apud Indos in parte montium triſpithamæi Pygmæi narrantur, ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrantes non excedentes, quos à gruibus infeſtari Homerus quoque prodidit. Fama eſt inſidentes arietum caprarumque dorſis, armatos ſagittis, veris tempore, univerſo agmine ad mare deſcendere, & ova pulloſque earum alitum conſumere: ternis expeditionem eam menſibus confici, aliter futuris gregibus non reſiſti. Caſas eorum luto penniſque & ovorum putaminibus conſtrui. Ariſtoteles, in cavernis vivere Pygmæos tradit.* Idem Lib. 10. cap. 23. *Inducias*, inquit, *habet gens Pygmæa abſceſſu gruum, &c.* Gell. Lib. 9. cap. 4. Pygmæorum longiſſimos non excedere pedes duos & quadrantem, apud ultimas quidem terras Orientis, affirmat. Opportunè admodùm venit Mercurius ille noſter vernaculus, rerum novarum ac lepidarum conquiſitor ac enarrator apprimè diligens: vulgò, *le Mercure Galant*. Is menſe Aprili 1683. Menſtrualibus in Tabellis ſeu Commentariis, ad rem prorſus ita refert. Gabaretus, inquit, cum navibus quatuor bellicis quibus præeſt, ad Rupellam ſolvit, anno proximè elapſo: atque in Americam vela faciens, Martinicam Granatamque Inſulas obiit. Inde Meridionalis Americæ oram prætèrlegens, verſuſque in Occidentem, ſpectavit eminùs *Montem Sanctæ Marthæ* vulgò, *Sierras Nevadas*, à nivibus quibus nunquam non opertus eſt, ſic nominatum. In Zona torrida ſitus eſt, ſexaginta leucis à maritimo littore, montium qui ſunt in Orbe, fortaſſis altiſſimus. Ad hujus radicem & clivum habitat gens parvula, ſive homunculi quidam, Pygmæis, de quibus Plinius, haud abſimiles. Hi milio veſcuntur, vitantque ſuos intra fines, à finitimis populis omninò ſegregari: ubi verò noſtræ magnitudinis homines aſpiciunt, diffugiunt protinùs ſuas in cavernulas atque latibula. Porrò quam religionem colant minime compertum, *&c.*

Digitized by Google

Nullane perjuri capitis, fraudiſque nefandæ
Pœna erit? Abreptum crede hunc graviore catena
Protinus, & noſtro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio. Manet illa tamen jactura, nec unquam
Depoſitum tibi ſoſpes erit: ſed corpore trunco
Invidioſa dabit minimus ſolatia ſanguis.
At vindicta bonum vita jucundius ipſa.
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum aut levibus videas flagrantia cauſis.
Quantulacunque adeo eſt occaſio, ſufficit iræ.
Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique ſenex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ ſæva inter vincla cicutæ
Accuſatori nollet dare. Plurima felix
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes
Prima docens rectum ſapientia. Quippe minuti
Semper & infirmi eſt animi exiguique voluptas,
Ultio. Continuò ſic collige, quòd vindicta
Nemo magis gaudet, quàm fœmina. Cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti

An nullum erit ſupplicium hominis peierantis, ac nefarii doli? Sic habe illum ſtatim durioribus vinculis tractum, & ad *libitum noſtrum interfici: quid ultra cupiat iracundia? Nihilominus damnum illud perſeverat, neque ſalvum unquam tibi creditum extabit. At mutilato corpore modicus cruor afferet conſolationem invidendam. Sed ultio bonum* eſt *ipsâ vitâ ſuavius. Scilicet imperiti id putant, quorum intima cernas ardentia quandoque nullis vel parvis rationibus. Demum* vel *minima anſa ſatis eſt iracundiæ. Chryſippus non pariter loquetur neque manſuetus animus Thaletis, & vetulus ſuavi Hymetto proximus, qui cicutæ portionem in dirâ catenâ ſumptæ non conceſſerit delatori. Beata ſapientia principio inſtituens* ad *juſtum, pedetentim excludit multa vitia & cunctos errores. Nam puſillæ ac imbecillæ & abjectæ mentis nunquam non gaudium eſt vindicta. Proinde ita conclude: quod nullus plus delectatur ultione quam mulier. Nihilominus quare tu illos arbitraris effugiſſe, quos ſtupefactos tenet animus trucis facinoris conſcius,*

ANNOTATIONES.

174 *Nullane perjuri capitis,* &c.] An ergo non punietur, an impunè abibit ejuſmodi ſcelus?

175 *Abreptum crede hunc,* &c.] Reſponſio ad objectionem mox factam. Ne dubita, pro certo habe, plecti ac puniri ſceleratum quemlibet, ſtatim poſt admiſſum facinus, flagellante conſcientiâ, torquente, jugulante; adeoque id quod optas dante.

178 *Sed corpore trunco,* &c.] At corpore velles mulctari potiùs. Prolepſis.

181 *Nempe hoc indocti,* &c.] Reſponſio. Id quidem imperiti ſentiunt, dicunt, optant, non ita verò ſapientes.

184 *Chryſippus.*] Stoicus ille Philoſophus. De quo ad Perſ. Sat. 6. v. ultimo.

Mite Thaletis ingenium.] Thales unus è ſeptem Græciæ Sapientibus, injuriarum patientiam, ut & cæteri Sapientes, profeſſus. De eo Diogen. Laërt. Lib. 1.

185 *Dulcique ſenex vicinus Hymetto.*] Socrates Athenienſis, adeoque vicinus Hymetto Atticæ regionis monti, *dulci* quidem, quia mellis optimi copiam habet.

186 *Qui partem acceptæ,* &c.] Vide Annot. ad Perſ. Sat. 4. v. 1. & 2.

187 *Accuſatori nollet dare,* &c.] Socrates enim proditionis accuſatus, in vincula conjectus eſt cum accuſatore: huic vero oblati veneni partem petenti dare noluit ille. Vetus Schol.

Accuſatori.] Tres fuere Socratis accuſatores, Anytus, Melitus, Lycon. De his ille aiebat: poſſunt quidem occidere me, non autem lædere. Nimirùm quia *nemo læditur niſi à ſeipſo.*

188 *Paulatim vitia, atque errores exuit,* &c.] *Vita Philoſophia dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum.* Cicer. Tuſc. 5. n. 5.

189 *Quippe minuti,* &c.] E contrà magni eſt animi injurias obliviſci. Cic. de Orat.

191 *Vindictâ nemo magis gaudet, quam fœmina.*] Hæc enim quò imbecillior, eò faciliùs irâ & ultionis cupiditate vincitur.

192 *Cur tamen hos tu Evaſiſſe putes.*] Age verò, meritas pœnas, & juſtam ultionis acerbitatem evaſiſſe improbos ne puta. Nam, ut ait Seneca Epiſt. 97. *Prima & maxima peccantium pœna eſt, peccâſſe: ſecundæ verò pœnæ ſunt timere ſemper & expaveſcere, & ſecuritati diffidere: & fatendum eſt mala facinora conſcientiâ flagellari, & plurimum illic tormentorum eſſe, eo quòd perpetua illam ſollicitudo urget ac verberat,* &c.

Mens

Digitized by Google

Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo ſævior illis, 196
Quas & Cæditius gravis invenit aut Rhadamanthus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.
Spartano cuidam reſpondit Pythia Vates;
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depoſitum retinere, & fraudem jure tueri 201
Jurando: quærebat enim quæ Numinis eſſet
Mens: & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moribus; & tamen omnem 204
Vocem adyti dignam templo veramq; probavit,
Extinctus totâ pariter cum prole domoque,
Et quamvis longâ deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. Cedo, ſi conata peregit? 210
Perpetua anxietas, nec menſæ tempore ceſſat;
Faucibus ut morbo ſiccis, interque molares

& occultis ictibus verberat, cruciante mente ſecretum flagrum incutiente? At ſuum teſtem diu noctuque ferre in animo, grave eſt ſupplicium longeque durius iis quæ excogitavit ſeverus etiam Cæditius, vel Rhadamanthus. Lacedæmonio cuipiam Pythia fatidica reſponſum dedit: non inultum olim futurum quoniam ambigeret creditum non reddere, ac fallaciam aſſerere perjurio. Explorabat nimirum quod foret Dei conſilium, atque utrum Phœbus ei ſuggereret iſtud ſcelus. Reſtituit igitur per *formidinem, non* per *indolem: ac nihilominus integrum reſponſum penetralis fano congruum & verax expertus eſt, periit*que *ſimul cum omni ſobole, atque familiâ, & cognatis, antiquo licet genere propagatis. Eam fert animadverſionem conſilium duntaxat* ſcelus *patrandi. Quiſquis enim apud ſe meditatur arcanum aliquod facinus, perpetrati culpam contrahit:* quid autem, *quæſo, ſi tentata perfecerit? Continua ſollicitudo ne* quidem *per cænam deſinit; arido gutture, ſicut* in *ægritudine;*

ANNOTATIONES.

197 *Cæditius, Rhadamanthus.*] *Cæditius* erat Judex valde ſeverus, tempore Vitellii. De eo Sat. 14. *Rhadamanthus* unus ex Inferorum Judicibus. Vide Sat. 1. v. 10. ad vocem, *Æacus.*

198 *Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.*] Conſcientiam non teſtem ſolùm, ſed etiam judicem, carnificem, atque, ut mox dicebat Juvenalis, tortorem.

199 *Spartano cuidam reſpondit*, &c.] Glauco Epicydidis filio, apud quem ob juſtitiæ famam, Mileſius quidam vir Spartam veniens redactam ex bonorum dimidio pecuniam depoſuit, eâ lege, ut qui certam notam exhibens nummos repoſceret, hos ſtatim reciperet. Interjecto tempore ad Glaucum accedunt filii ejus qui depoſuerat: notam oſtendunt: repetuntque id quod fuerat à patre depoſitum. Tum verò Glaucus tergiverſari, & dicere ſe non reminiſci; facturum tamen quod juſtum eſt, intra menſes quatuor, ſi reminiſcatur. Abeunt Mileſii amiſſam pecuniam exiſtimantes. Interim ille Delphos pergit, conſulitque oraculum, an jurejurando pecuniam deprædari debeat. Cui per Pythiam Apollo reſpondit: vel ob hoc quòd dubitârit depoſitum reſtituere, pœnis fore obnoxium; nam par eſſe flagitium, Deum tentare, ac perpetrâſſe. His verò territus Glaucus Mileſios acceſſit, atque pecuniam creditam reſtituit: neque pœnas effugit tamen: ſed extincta illius progenies, & ex Sparta radicitùs extrita eſt. Hæc ex Herodot. Lib. 2.

Pythia.] Sacrificula Apollinis, qui dictus Pythius à Pythone ſerpente ſagittis confecto. Ovid. Metamorph. 1. Fab. 8. Porrò illa domicilium habebat in ſpelunca profunda, ore anguſto, in cujus aditu locatum tripodem inſcendens, divinationis afflabatur ſpiritu, indeque reſponſa reddebat.

200 *Quod dubitaret depoſitum retinere*, &c.] Tantùm quòd anceps fuiſſet redderet ne depoſitum, an repetentes defraudaret.

204 *Reddidit ergo metu*, &c.] Ergo depoſitum reſtituit Glaucus ob incuſſum ab Oraculo timorem, non ob juſtitiæ fideique reverentiam.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ:
Oderunt peccare boni virtutis amore.

205 *Adyti.*] Intimus Fani receſſus *adytum* vocatur, ab *α* priv. & *δίω*, *ingredior*: nec enim fas erat cuilibet illuc ſubire, ſed Sacerdotibus tantùm.

212 *Molares.*] Dentes majores à molendo cibo atterendoque dicti.

Digitized by Google

atque eſca ſub molaribus augeſcente. Verum infelix reſpuit merum: ſordet Albanum antiquum vetuſtate exquiſitum. Si *ſuavius exhibeas, plicæ multiplices in frontem coëunt quaſi acerbo Falerno productæ.* Quod *ſi caſu ſomnum exiguum noctu conceſſit anxietas, ac per omnem modo lectum converſi artus requieſcunt, ſtatim fanum atque altaria Dei læſi, quodque majoribus animum laboribus premit, te aſpicit inter ſoporem; effigies tua religioſa, atque humanâ grandior percellit trepidantem, & adigit confiteri. Iſti ſunt qui pavent atque expalleſcunt ad cuncta fulgetra, quoties intonat,* ferè *expirantes ſingulis fragoribus aëris, tanquam non caſu, neque flatuum furore, ſed indignabundus ignis in terras decidat atque ulciſcatur.* Si *hæc procella non læſerit, poſterior formidatur majori anxietate,*

Difficili creſcente cibo. Sed vina miſellus
Exſpuit: Albani veteris pretioſa ſenectus
Diſplicet. Oſtendas melius, denſiſſima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem ſi fortè indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata toro jam membra quieſcunt,
Continuò templum, & violati Numinis aras,
Et (quod præcipuis mentem ſudoribus urget)
Te videt in ſomnis. Tua ſacra & major imago
Humanâ turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cœli;
Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, curâ graviore timetur

ANNOTATIONES.

213 *Difficili creſcente cibo.*] Dum mens ægrè habet, & corpus ægrum ſit: hinc cibus vix dentibus abſumitur, videturque in ore creſcere præ nauſea & faſtidio, cùm non niſi difficulter deglutitur.

214 *Albani veteris pretioſa ſenectus,* &c.] Nec ſapit ei vinum licet optimum è collibus Albanis. Vide Sat. 5. v. 33. ibique annotata.

215 *Denſiſſima ruga cogitur in frontem.*] Frons caperatur, ob mœrorem, & animi æſtus quos patitur.

216 *Velut acri ducta Falerno.*] Quaſi aceto; vel quòd Falernum, per ſe mite & jucundum, ipſi auſterum & acre videatur. Vide Sat. 4. v. 138. annot.

219 *Continuò templum,* &c.] Cruciatur animus, dum ei ſemper obſervatur templum in quo pejeravit, Deoſque violavit. Maximè verò torquetur, cùm tu menti ejus redis; & cùm præſentem veluti habet te, cui, depoſitum negando, fidem fregit.

2[illegible] *Sacra.*] Execrabilis, religionem incutiens ac pavorem homini ſacrilego.

Major imago humanâ.] Quales videntur umbræ, dum apparent. Suet. Claud. cap. 1. *Hoſtem,* inquit, *frequenter cæſum, ac penitus in intimas ſolitudines actum, non prius deſtitit inſequi* (Druſus nempe Claudii pater) *quam ſpecies barbara mulieris humanâ amplior, victorem tendere ultrà ſermone Latino prohibuiſſet.*

222 *Fateri.*] Fraudem, perjurium, meritas pœnas.

223 *Ad omnia fulgura pallent.*] Sic Caligula Sueton. cap. 51. *Ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere, ad majora verò proripere ſe è ſtrato, & ſub lectum condere ſolebat,* &c. Quædam tamen fulgura ac tonitrua boni fuiſſe ominis creditum, ut quæ ex ſiniſtra parte, item quæ ab Ortu veniunt. Vide Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 13. & 27.

225 *Fortuitu.*] Ex opinione Epicureorum, qui expunctâ divinâ providentiâ, caſui & Fortunæ omnia tribuebant.

Ventorum rabie.] Ex nubium, ac ventorum conflictu & colliſione. Vet. Schol. Sic & Plutarch. de Homero ait, cùm in nube ventus includitur, eamque vi perrumpit, tonitrua fulguraque gigni, & ſimul emitti fulmen. Obſervandum itaque hîc loqui Juvenalem ex opinione vulgi, nam conſtat tonitru fieri quoties exhalatio quædam calida ad ſecundam aëris regionem elata, nubibus conſtricta colluctatur ut erumpat: fulgur autem, cùm ſicca illa exhalatio motu rareſcit igneſcitque, & per nubem exit & emicat, denique fulmen eſſe exhalationem illam compactam & accenſam, quæ magno impetu & fragore nubes effringit, ſæpe in terras delabitur, ac modò ingenti ſtrage quævis perrumpet, modò incendio abſumit.

226 *Vindicet ignis.*] Vibratus ab irato Jove hominum crimina ulciſcente.

Proxima

Digitized by Google

Proxima tempeſtas; velut hoc dilata ſereno.
Prætereà lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, miſſum ad ſua corpora morbum
Infeſto credunt à Numine; ſaxa Deorum
Hæc, & tela putant. Pecudem ſpondere ſacello
Balantem, & Laribus criſtam promittere galli
Non audent. Quid enim ſperare nocentibus ægris
Conceſſum? Vel quæ non dignior hoſtia vitâ?
Mobilis & varia eſt fermè natura malorum.
Cùm ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia; quid fas,
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire, peractis
Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia. Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi? Quando recepit
Ejectum ſemel attritâ de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris uno
Flagitio? Dabit in laqueum veſtigia noſter
Perfidus, & nigri patietur carceris uncum,
Aut maris Ægæi rupem, ſcopuloſque frequentes

quaſi reſervata poſt *illud ſudum. Deinde ſi incipiunt ſentire tormentum lateris cum febricula inſomni, languorem putant ſuis corporibus immiſſum a Diis adverſis, eos Numinum lapides & jacula exiſtimant. Fano vovere balans animal, & Penatibus galli criſtam timent polliceri. Nam quid exſpectare licet ſceleratis ægrotantibus? Aut quæ victima non magis meretur vivere? Improborum indoles mutabilis eſt ut plurimum & inconſtans. Quando ſcelus patrant, exſtat firmitudo: admiſſis denique flagitiis auſpicantur intelligere quid licitum atque illicitum. Nihilominus ad culpatos actus redit indoles firmata, nec facilis immutari. Ecquis enim præſtituit ſibi modum criminibus: ecquando recuperavit pudorem è fronte perfricta exutum? Ecquis eſt hominum, cui te ſcelus unicum ſatis eſſe perſpexeris? Noſter defraudator mittet pedes in catenas, & obſcuri ergaſtuli uncum perferet, vel cautes & ſaxa Ægæi maris ſummis ex-*

ANNOTATIONES.

229 *Lateris vigili cum febre dolorem.*] Pleuritida, ſeu lateralem morbum, cum febre ſomnum adimente ob nimios æſtus.

231 *Saxa Deorum hæc, & tela putant.*] Quibus petunt improbos ac mulctant Dii.

232 *Pecudem ſpondere ſacello non audent.* Ovem non audent vovere pro ſanitate à Diis impetranda, quia ſe illis nôrunt exoſos, adeoque deſperant quidquam ab eis conſequi.

233 *Criſtâm galli.*] Id eſt, criſtatum gallum, quem Laribus & Æſculapio ſolebant mactare, præſertim à morbo convaleſcentes. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 16. cap. 12, & 13.

235 *Quæ non dignior hoſtia.*] Quàm ſceleratus homo, pro cujus ſalute voveretur.

237 *Quid fas, atque nefas, tandem incipiunt ſentire,* &c.] Poſtquam ſcelus eſt admiſſum tum ejus gravitas ſentitur, quod anteà blandum ac ſuave cupido ac libidinoſo videbatur.

239 *Ad mores natura recurrit.*] Horat. Lib. 1. Epiſt. 10.

Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.

240 *Fixa & mutari neſcia.*] Obfirmata conſuetudine peccandi. S. Auguſtin. Confeſſ. Lib. 8. cap. 5. *Suſpirabam,* inquit, *ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (inde catenam appellavi) tenebat me obſtrictum dura ſervitus.*

244 *Dabit in laqueum veſtigia,* &c.] Etſi impune perfido fuit prius flagitium, pauliſper exſpecta: ſtatim aliud perpetrabit, propter quod in vincula trudetur, ac pro utriſque dabit pœnas, ſeu exilio, ſeu capite mulctatus.

245 *Nigri patietur carceris uncum.*] Carceris tædia & horrorem feret, ibique unco ferreo conſtringetur, vel inde trahetur unco, & raptabitur ad ſcalas Gemonias. Vetus Schol. Vide quæ notavi in Sat. 10. v. 66.

246 *Maris Ægæi.*] Vide Annot. ad Perſ. Sat. 5. v. 142.

Rupem ſcopuloſque.] Ad ſcopuloſas iſtas Inſulas, in quibus exulent inſignes Rei bene multi, procul hinc deportabitur,

terribus notiſſima. Lætaberis acri ſupplicio exoſi nominis, ac denique hilaris confitebere, neque ſurdum, neque par *Tireſiæ eſſe ullum Numinum.*

Exulibus magnis. Pœnâ gaudebis amarâ
Nominis inviſi. Tandemque fatebere lætus
Nec ſurdum, nec Tireſiam quenquam eſſe Deorum.

ANNOTATIONES.

244 *Pœnâ gaudebis amarâ,* &c.] Tum certè cum ingenti gaudio accipies graviter & juſte plecti inviſum tibi hominem depoſiti raptorem. Tùm verò Deos non ampliùs incuſabis, quòd ſcelera non vindicent, quòd ſceleratis parcant, ut modò faciebas.

249 *Surdum.*] Quaſi tua Dii vota non audierint vindictam poſcentis.

Tireſiam.] Id eſt, cœcum, inſtar Tireſiæ Thebani, quaſi non viderent Dii, aut certè connivèrent ad perjuria, & alia tot improbe facta in hoc inferiori orbe. De *Tireſia* Vate ab irata Junone excœcato, vel,ut alii volunt, à Pallade, Ovid. Metamorph. 3. Fab. 4.

SATIRA XIV.

O Fuſcine, multa ſunt & lævam exiſtimationem merentia, & rebus mundis labem & rugam inurentia, quæ genitores ipſi docent ac ingerunt filiis. Si pernicioſa alea delectat vetulum, etiam ludit hæres bullam gerens & ſimilia verſat inſtrumenta mediocri pyrgo. Neque meliorem de ſe expectationem ulli cognato dabit puer qui tubera humi ſcalpere,

PLURIMA ſunt, Fuſcine, & famâ digna ſiniſtrâ,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monſtrant ipſi pueris traduntque parentes.
Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec de ſe melius cuiquam ſperare propinquo
Concedet juvenis, qui radere tubera terræ,

ANNOTATIONES.

1. *PLurima ſunt,* &c.] Graviſſima eſt hæc Satira, in qua redarguuntur parentes prava filiis exempla monſtrantes, quibus & ipſi pravi fiunt atque omni vitiorum genere corruptiſſimi.

Fuſcine.] Is quiſnam fuerit haud benè patet.

2 *Nitidis maculam ac rugam figentia rebus.*] Res ex ſe bonas corrumpentia.

Ac rugam.] Quidam legunt, *haſuram.* Nonnulli etiam Codices poſt primum verſum habent :

Et quod majorum vitio ſequiturque minores.
Sed hunc verſiculum velut ineptum, ut ſententiæ turbatorem, denique velut peregrinum in urbem irrepentem, id eſt, è titulo, vel margine in Satiram ipſam ab imperitis inſertum, jure proſcribit Juſt. Lipſius Epiſtolic. Quæſt. Lib. 4. Epiſt. 15.

3 *Traduntque parentes.*] Vide Plutarch. de Inſtituendis liberis : ubi ait, ſane juvenes eſſe procaciſſimos illic oportere, ubi ſenes impudentes ſunt ; & qui peccantes ipſi pueros caſtigant, ſui ipſorum accuſatores fieri ; imò peccandi eſſe ipſis auctores & magiſtros. Et Quintil. Lib. 1. cap. 2. *Utinam,* inquit, *liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus. Mollis illa educatio quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit ?* * * * * *Ante palatum eorum quàm mores inſtituimus* * * * * * * *Gaudemus ſi quid licentius dixerint* * * * * *Diſcunt hæc miſeri antequam ſciant hæc vitia eſſe, &c.*

4 *Hæres Bullatus.*] Puer nobilis. Vide quæ annotavi ad Perſ. Sat. 5. v. 31.

5 *Parvo.*] Ætati, & parvæ ſuæ manui apto.

Arma.] Teſſeras, talos, alveolum.

Fritillo.] Pyrgo, turriculâ, pyxide corneâ oblongâ, è qua tali mittuntur. Vide Perſ. Sat. 3. v. 50. Annot.

7 *Radere tubera.*] Expurgare, & in cibum parare, & condire. Vide Annot. ad Sat. 5. v. 116.

Digitized by Google

Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,
Et cana monſtrante gula. Cùm ſeptimus annus
Tranſierit, puero nondum omni dente renato 11
Barbatos licèt admoveas mille inde magiſtros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, & à magna non degenerare culina. 14
Mitem animum,&mores modicis erroribus æquos
Præcipit,atque animos ſervorum & corpora noſtra
Materia conſtare putat, paribuſque elementis:
An ſævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus? 20

fungos condire, atque pari juſculo immerſus perfundere ficedulas eruditus eſt nugatore patre atque alba ingluvie docente. Statim ac juvenis annum ſeptimum exceſſerit, necdum exortis cunctis dentibus, quamvis hinc millenos præceptores barbâ inſignes adhibeas, totque illinc, nunquam non volet grandi apparatu cœnare, & à pingui coquina non deficere. An Rutilus manſuetum docet ingenium, indolemque temperatam paucis vitiis, atque famulorum mentes, & corpora, materiâ noſtrâ, & principiis ſimilibus conflata exiſtimat; an verò *crudelem eſſe monſtrat, qui ſævo delectatur verberum ſonitu, ac nullam Sirenem confert flagris,* velut *Antiphates & Polyphemus domus timidæ?*

ANNOTATIONES.

8 *Boletum.*] Vide cit. Sat. 5. v. 147.

Eodem jure.] Eodem condimento, quo boletum & tubera.

9 *Ficedulas.*] Aviculas boni ſucci, de quibus Athen. Lib. 2. cap. 24. & Plin. Lib. 10. cap. 29. Nullam avem, præter fideculam, totam comeſſe oportere,ex placito & palato luxurioſorum, affirmat Lib. 15. cap. 8. A. Gellius. Dicta fidecula, ab edenda ficu, ſed quòd eâ ſaginetur.

Martial. Lib. 13. Epigram. 49.

Cum me ficus alat, cum paſcar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Nebulone.] Guloſo, lurcone, luxurioſo.

10 *Canâ monſtrante gulâ.*] Vetulo gulæ pridem addicto, nec albis licèt & caneſcentibus capillis ſibi temperante.

11 *Dente renato.*] Macrob. Lib. 1. in Somn. Scip. cap. 6. ait, *Poſt ſeptem menſes mandibulis dentes emergere infantibus, poſt annos ſeptem qui primi dentes emerſerant, aliis aptioribus ad cibum ſolidum naſcentibus cedere.* Sic & Plin. Lib. 7. cap. 16. *Editis infantibus primores dentes ſeptimo gigni menſe: eoſdem anno ſeptimo decidere; alioſque ſuffici.*

12 *Barbatos.*] Sapientes, Philoſophos. Vide Annot. ad Perſ. Sat. 4. v. 1.

13 *Cupiet lauto cœnare paratu, &c.*] Sicut à teneris aſſuevit, ita grandior laute veſci volet, neque frugalitatem doceri poterit. Tull. de Invent. *Vetus conſuetudo naturæ vim obtinet.* Et de Finib. *quaſi altera natura eſt,* inquit. *Hinc venatores in nive pernoctant, in montibus uri ſe patiuntur;* ut ait idem Cicero Tuſc. 2. n. 40. Virgil. Georgic. 2:

Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.

Horat. Lib. 1. Epiſt. 2.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

15 *Mitem animum, &c.*] An clementiam, an crudelitatem docet filios qui in ſervos ipſe crudelis ſævit?

Mores modicis erroribus æquos.] Horat. Lib. 1. Sat. 3.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt
Qui minimis urgetur.

16 *Animos ſervorum.*] Non de elementorum materia qualibet, ſed ex nihilo creatum hominis cujuſcumque animam,ex D. Auguſtino aſſerit Cœl. Rhodig. Lib. 2. cap. 12. Eo quòd ſi ex elementis conſtaret, ſanè foret corporea. Porrò immortales æqualeſque eſſe omnium hominum animas, non fide ſolùm Chriſtianâ certum eſt, ſed & Sapientes Ethnici agnovere. Vide Cœl. Rhodig. cit. cap. & ſeq.

Noſtrâ.] Eadem quâ nos.

17 *Paribuſque elementis.*] Aquâ, terrâ, aëre, igne, ſimul commixtis.

18 *Rutilus.*] An is, de quo non ſemel initio Sat. 11.

19 *Nullam Sirena flagellis comparat.*] Nullius cantum Sirenis, ſuavem licèt, æque audire cupit ut ſonum flagellorum ſervis inflictorum.

Sirena.] Vide Sat. 9. v. ultimo.

20 *Antiphates trepidi laris, &c.*] Familiæ ſuæ tam metuendus ac formidabilis, quàm fuere pridem vel Anthropophagus ille Rex Læſtrigonum Antiphates, vel immanis Polyphemus Cyclopum unus.

Antiphates.] Vide Homer. Odyſſ. 10.

Laris.] Vide Annot. Sat. 8. v. 14.

Polyphemus.] Vide Sat. 9. v. 64.

Tum

Tum felix quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.
Quid ſuadet juveni lætus ſtridore catenæ,
Quem mirè afficiunt inſcripta ergaſtula, carcer
Ruſticus? Exſpectas ut non ſit adultera Largæ
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam citò, nec tanto poterit contexere curſu,
Ut non ter decies reſpiret? Conſcia matri
Virgo fuit: ceras nunc hâc dictante puſillas
Implet, & ad mœchum dat eiſdem ferre cinædis.
Sic natura jubet: velocius & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cùm ſubeunt animos auctoribus. Unus, & alter
Forſitan hæc ſpernant juvenes, quibus arte benignâ,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt;
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abſtineas igitur damnandis; hujus enim vel
Una potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur

Is tunc beatus, quando quiſpiam accerſito carnifice aduritur laminâ *ferreâ candenti, ob lintea bina* ſurrepta. *Quid puero ſuggerit* qui *gaudet ſtrepitu vinculorum, quem valdè juvant notata mancipia, agreſte ergaſtulum?* An *ſperas ut mœcha non ſit Larga nata, quæ matris adulteros recenſere nunquam adeo velociter, neque feſtinatione tantâ enumerare queat, ut non tricies reſpiret?* Dum eſſet *adoleſcentula, fuit conſcia parenti; jam illâ docente ceratas* tabellas *parvas perſcribit, atque ad adulterum deferri mandat* per *eoſdem *** Ita natura præcipit: promptius ac facilius depravant nos familiaria ſcelerum exempla, quoniam mentem penetrant ſummis ſuaſoribus. Ea fortaſſe contemnant unus vel duo pueri, quibus induſtriâ propitiâ atque* ex *argilla nobiliore firmavit animos Prometheus. At alios abripiunt evitanda parentum exempla, & diuturni criminis rota pridem oſtenſa abducit. Ergo fuge culpanda. Nam iſtius etiam una eſt efficax cauſa, ut non ſcelera noſtra imitentur*

ANNOTATIONES.

21 *Tum felix quoties,* &c.] Quoties occaſionem ſæviendi nanciſcitur, toties lætus ille eſt.

23 *Catenæ.*] Servo injectæ & impactæ.

24 *Inſcripta ergaſtula.*] Metonym. pro ſervis in ergaſtula compeditis, in fronte verò candenti ferro ſeu cauterio inuſtis, ac certis litteris aut ſtigmate notatis & compunctis, ob aliquod furtum, aliudve crimen. Hinc illi apud Ciceronem 2 Offic. n. 2. *Stigmatiæ*, vel *Stigmatici* vocantur. Plin. mox citand. *Inſcripti vultus*; Plaut. & Apul. Metam. 9. *Literati.* Vide Cœl. Rhodig. Lib. 7. cap. ult. & Alex. ab Alex. Lib. 3. cap. 20.

Ergaſtula.] Vide Sat. 6. v. 150

Carcer Ruſticus.] Seu quòd ſervi in villarum ergaſtulis, id eſt, cellis ſubterraneis cuſtodiebantur: de quibus vide Briſſon. Lib. 2. cap. 9. ſeu quòd operi ruſtico addicebantur. Hinc Plin. Lib. 18. cap. 3. *Vincti pedes*, inquit, *damnatæ manus, inſcripti vultus rura exercent.* Et cap. 6. ejuſdem Libri, *coli rura ab ergaſtulis peſſimum eſt, quicquid agitur à deſperantibus.*

25 *Largæ.*] Adulteræ famoſæ illo ævo.

2 *Nunquam maternos dicere mœchos,*] Adeò nempè multi ſunt.

29 *Ceras puſillas.*] Ætati & manui accommodatos pugillares.

30 *Dat eiſdem ferre.*] Iiſdem famulis ac internunciis per quos mater ſolet miſſitare literas amatorias ad ſuos mœchos.

32 *Magnis auctoribus.*] Parentibus ac majoribus, quorum potens apud filios exemplum atque auctoritas. Cic. Epiſt. Lib. 4. ad Ser. Sulpic. Epiſt. 3. *Quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant.*

34 *Forſitan hæc ſpernant,* &c.] Prava exempla parentum pauci fortè abhorreant juvenes bene nati, & ad virtutem proni. Vide Senec. Epiſt. 97. ubi *ad deteriora faciles ſumus*, inquit, &c.

35 *Titan.*] Vide Ovid. Metam. 1. Fab. 2. & quæ notavi ad Sat. 4. v. 133. Item Sat. 8. v. 132. ad vocem, *Titanida.*

36 *Fugienda.*] Peſſima, improba.

37 *Orbita.*] Propriè orbita currentis eſt rotæ veſtigium. Docet Tullius ad Attic. Lib. 2. Epiſt. 21. ubi ait, *Sic orbem Reipublicæ eſſe converſum, ut vix ſonitum audire, vix ingreſſam orbitam videre quis poſſet.* Hic verò ſignificat conſuetum agendi morem, & quotidiana vitiorum exempla pueris monſtrata.

38 *Damnandis.*] Alii legunt, *damnis; hujuſce etenim vel*, pari ſenſu, id eſt, facinoribus damnoſis familiæ.

39 *Una potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur.*] Etſi aliæ deſint rationes, at hæc una debeat à vitiis nos avocare, ne ſcilicet filios ac familiares exemplo noſtro corrumpamus.

Ex

Digitized by Google

Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes ſumus; & Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque ſub axe.
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus uſquam.
Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt. Procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.
Nam ſi quid dignum Cenſoris fecerit irâ,
Quandoquidem ſimilem tibi ſe non corpore tantùm,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & cum
Omnia deteriùs tua per veſtigia peccet,
Corripies nimirùm & caſtigabis acerbo
Clamore, ac poſt hæc tabulas mutare parabis.
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Cùm facias pejora ſenex, vacuumque cerebro

ex nobis orti: quia cuncti ſumus faciles *doceri*, & *æmulari fœda atque perverſa. Catilinam verò cernas qualibet in gente, quavis in regione, at neque Brutus aderit uſquam, neque Bruti avunculus. Nil turpe dictu vel aſpectu eam domum attingat, in qua eſt adoleſcentulus. Longè illinc, longè iſtinc lenonum juvencula & cantiones paraſiti noctem* commeſſando *traducentis. Summa habenda eſt* erga *puerum obſervantia: Si moliris aliquid fœdum, ne tu puerulï annos ſpreveris; verum te crimen admiſſurum impediat filius* licèt *juvenculus. Etenim ſi quidpiam Cenſoris animadverſioni obnoxiam egerit, quia ſe parem tibi exhibebit non ſolum corpore vel facie,* ſed *etiam indolis filius; & quando nihil non prave faciet ad tuum exemplum, redargues ſcilicet atque objurgabis acri vociferatione, deinde verò codicillos immutare tentabis. Unde tibi* ſumes *frontem ac patris auctoritatem, quandoquidem vetulis deteriora perpetras*

ANNOTATIONES.

41 *Catilinam quocunque in populo videas.*] Frequentes malos ubique reperias, non etiam bonos. Seneca ad Lucil. Epiſt. 97. *Omne tempus Clodios, non omne Catones fert.*

Catilinam.] Catilinæ ſimiles, flagitioſos, patriæ hoſtes, omni ſcelere inquinatos. Vide Ciceronem, Saluſtium, &c.

42 *Axe.*] Orbem terræ velut axe volvi, qui duobus hinc inde cardinibus ſuſtineatur, Arctico & Antarctico, Geographi finxere.

43 *Brutus.*] Vir bonus, amans virtutis, libertatis vindex, patriæ liberator, etiam capitis periculo. Vide Sat. 5. 37.

Bruti avunculus.] Cato Uticenſis, cujus ſoror Servilia mater fuit Bruti. Vide Sat. v. 40. Annot.

45 *Puellæ Lenonum.*] Meretrices.

46 *Paraſiti.*] Vide Sat. 1. v. 139

47 *Maxima debetur puero reverentia.*] Plutarch. in Vita Catonis Cenſorii, refert eum præſente puero filio, ſic à verborum turpitudine temperâſſe, velut arbitris virginibus Veſtalibus locuturus fuiſſet: neque cum filio unquam lavaſſe, quod & tunc à Romanis factitatum.

48 *Nec tu pueri contempſeris annos.*] Ne exiſtimes tuum peccandi exemplum non ei fore noxium, qui valdè juvenis ſit & mali ignarus. Imò vel ob hoc abſtine, quòd ætas illa eſt in vitium flecti facilis, & quaſi cerea, ut ait Horatius ad Piſones, v. 163.

52 *Morum quoque filius.*] Hæres & æmulus paternæ Improbitatis.

55 *Poſt hæc tabulas mutare parabis.*] Quâ fronte minaberis teſtamenti mutare tabulas, & illum exhæredare ob flagitia? Agell. Lib. 1. cap. 6. *Parentes, ſi pergunt liberi errare, bonis exhæredant; inquit Metellus.*

56 *Frontem libertatemque parentis.*] Severitatem atque audaciam caſtigandi qualis patrem decet.

57 *Vacuumque cerebro.*] Carens mente & ſapientiâ. Nam ex Macrob. Lib. 7. cap. 9. *Cerebrum conſilii ſedes eſt.* Et cap. 9. *Anima habitatio eſt in cerebro, indeque ſenſus ingeruntur & gubernantur.* Et Plin. Lib. 11. cap. 37. *Cerebrum eſt velut arx ſenſuum: huc venarum omnis à corde vis tendit, hic deſinit: hic culmen altiſſimum, hic mentis eſt regimen.* Vide Cœl. Rhodig. Lib. 2. cap. 28. & alibi.

Jampridem

Digitized by Google

Jampridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?
Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuorum:
Verre pavimentum; nitidas oſtende columnas;
Arida cum tota deſcendat aranea tela: 61
Hic lavet argentum; vaſa aſpera tergeat alter:
Vox domini fremit inſtantis, virgamq; tenentis.
Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici, 65
Ne perfuſa luto ſit porticus; & tamen uno
Semodio ſcobis hæc emendat ſervulus unus.
Illud non agitas, ut ſanctam filius omni
Aſpiciat ſine labe domum, vitioq; carentem?
Gratum eſt, quod patriæ civem populoq; dediſti,
Si facis, ut patriæ ſit idoneus, utilis agris, 71
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.

atque vento plena cucurbitula jamdudum inveſtigat caput illud tuum *inane? Cum hoſpes adventat, nullus famulorum erit otioſus. Pavimentum expurga,* inquies, *mundas exhibe columnas: ſicca aranea dejiciatur cum omni tela: iſte abluat argentea* vaſa; *alius inæqualia vaſcula abſtergat. Clamor obſtrepit heri urgentis, & virgam intentantis. Times igitur ô infelix, ne veſtibulum caninis ſordibus inquinatum offendat oculos familiaris accedentis,* neve *xyſtum cœno ſit aſperſum: ac nihilominus famulus unicus ea purgat uno pulviſculi ſemimodio. Hoc* verò *non laboras, ut filius puras ædes videat abſque ulla macula, & ſcelere vacantes? Placet quòd civem donaſti patriæ & plebi, modò efficias ut evadat patriæ utilis, ruri fructuoſus, aptus adminiſtrandis cùm militiæ tum otii negotiis.*

ANNOTATIONES.

58 *Caput hoc ventoſa cucurbita quærat.*] Id eſt, tuum caput malè ſanum eget cucurbitâ, ſive cucurbitulâ, quâ inciſo occipitio adhibitâ, curetur tua phreneſis. Ex Corn. Celſ. Lib. 3. c. 18.

Ventoſa cucurbita.] Levis, tenuis, cava.

Cucurbita.] Sunt qui putent hanc perinde ac helleborum inſaniæ mederi: adeoque hîc intelligi cucurbitam, maximè ſilveſtrem, ut colocynthidem, &c. De hujus virtutibus & facultatibus Plin. Lib. 20. cap. 3. & alibi. Athenæus autem Lib. 2. cap. 18. ait, cucurbitam corporis habitum humectare, egeri celeriter, bonum ſuccum generare, &c. Alii volunt hîc à Juvenale deſignari cucurbitulam, Gallice *VENTOUSES*, Anglicè autem *A CUPPING-GLASS*. Iſtud nomen Cucurbita, vel à cucurbitæ ſimilitudine, vel quòd è cucurbitis facta ſint primùm ea vaſcula, quæ ſubinde ænea, cornea, vitrea, quibus Medici utuntur ad noxios humores & ſanguinem, levi interdum ſcarificatione, aut etiam ſine illa, educendos. Vide Corn. Celſ. Lib. 2. cap. 11. Plin. Lib. 32. cap. 10. *Eadem eſt*, inquit, *earum* (hirundinum) *curatio quæ cucurbitularum medicinalium, ad corpora levanda ſanguine, ſpiramentaq; laxanda.* Plutarchus Lib. *de animi tranquillitate*, affert exemplum cucurbitularum, quæ peſſimum humorem è carne ad ſe trahunt. At in Quæſt. Platon. circà medium ita rem explicat: Πρῶτον μὲν οὖν τὸ περὶ τὴν σικύαν τοιοῦτον ἐστιν· ὁ περιληφθεὶς ὑπ' αὐτῆς πρὸς τῇ σαρκὶ μετὰ θερμότητος ἀὴρ ἐκπυρωθεὶς, καὶ γενόμενος τῶν τοῦ χαλκοῦ πόρων ἀραιότερος, ἐπέπεσεν οὐκ εἰς κενὸν χώραν (οὐ γάρ ἐστιν) εἰς δὲ τὸν περιεστῶτα τὴν σικύαν ἔξωθεν ἀέρα, κἀκεῖνον ἀπέωσεν, ὁ δὲ τὸν πρὸ αὐτοῦ, καὶ τοῦτο πάσχων ἀεὶ καὶ ἄγων ὁ ἔμπροσθεν ὑποχωρεῖ τῆς κενουμένης γλιχόμενος χώρας, ἣν ὁ πρῶτος ἐξέλιπεν· οὕτω δὲ τῇ σαρκὶ περιπίπτων, ἧς ἡ σικύα δέδρακται, καὶ ἀναξέων αμα συνεκθλίβει τὸ ὑγρὸν εἰς τὴν σικύαν. *In cucurbitula ſic ſe res habet: Aër in illa comprehenſus, poſtquam adhæſit carni, factus per calorem ſubtilior poris ænei vaſis, effert ſe non vacuum in locum (nullus enim eſt) ſed in illum aerem qui cucurbitulam foris circumſtat, eumque diſpellit: hic verò eum qui ante ipſum eſt. Idque patiens aſſiduè agenſque, aër anterior cedit in locum quem prior vacuum reliquit. Ita verò circumfuſus carni, quam cucurbitula prehendit, vellicans ſimul humorem in cucurbitulam exprimit.*

61 *Aranea.*] Vide Plin. Lib. 11. cap. 24.

62 *Hic lavet argentum.*] Legunt quidam: *leve argentum*; id eſt, politum, nullâque cælaturâ aſperum & inæquale.

Aſpera.] Ob extantia ſigna inſculpta, anaglypha.

67 *Semodio ſcobis hæc emendat*, &c.] Id eſt, & tamen totam domum everrens, & ſingula tergens ac deradens ſervus vix inde ſcobis aufert ſemodium, ſeu modium dimidium pulveris atque ramentorum.

70 *Gratum eſt, quod patriæ civem*, &c.] Quòd genueris filium, modò ille futurus ſit aliquando patriæ utilis, benè eſt.

Plurimum

Digitized by Google

Plurimùm enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas. Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta:
Illi eadem ſumptis quærunt animalia pennis.
Vultur jumento, & canibus, crucibuſque relictis,
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.
Hinc eſt ergo cibus magni quoque vulturis, & ſe
Paſcentis, propria cùm jam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream, famulæ Jovis, & generoſæ
In ſaltu venantur aves: hinc præda cubili
Ponitur: inde autem, cùm ſe matura levabit
Progenies ſtimulante fame, feſtinat ad illam,
Quam primùm rupto prædam guſtaverit ovo.
Ædificator erat Centronius, & modò curvo
Littore Caietæ, ſumma nunc Tiburis arce,

Nam valdè refert quibus illum tu diſciplinis, quibuſque inſtitutis informes. Ciconia pullos alit anguibus & lacertis per remotos agros repertis: hi acceptis alis inveſtigant ejuſmodi animantes. Vultur mortuos *equos & canes, & patibula dimittens ad pullos advolat, & cadaveris fruſtum portat: illinc igitur eſca eſt grandis etiam vulturis ſeque metipſum nutrientis, quando jam nidum extruit,* in *arbore peculiari. At leporem vel capream in ſilva captant miniſtræ Jovis, ac nobiles volucres. Inde præda nido collocatur. Quando verò ſe hinc efferet adulta proles, excitante eſurie, properat ad eam prædam quam ovo diſcluſo ſtatim delibavit. Centronius erat ædificandi* cupidus, *& jam incurva Caietæ ripa jam alto vertice Tiburis,*

ANNOTATIONES.

73 *Quibus hunc tu moribus inſtituas.*] Plutarchus antè citatus de inſtitutione liberorum, optimè affirmat, naturæ bonitatem ſocordiâ labefactari, contrà verò pravam licet indolem doctrinâ & inſtitutione emendari: adeò valent ſedulitas & labor. Vide ſuprà.

74 *Serpente ciconia pullos nutrit*, &c.] Probat exemplis, ſumptam à teneris annis conſuetudinem, præſertim à parentibus inditam, retineri in adulta ætate.

Ciconia.] Plutarch. Quæſt. Convival. Lib. 8. cap. 7. ait Ciconiam quæ nullam ab homine opem accipit, ei tamen opitulari, ſiquidem inſidiantes rubetas & angues circumvagans perimit. Idem de Iſide ait, Theſſalis coli ciconias ob ſerpentes deletos. Similiter & Plin. lib. 10. cap. 23. Tantum ciconiis honorem in Theſſalia fuiſſe, ut eas occidiſſe, perinde ac hominem, capitale fuerit. Ex S. Ambroſio Hexameron Lib. 5. cap. 16. & Cœl. Rhodig. Lib. 11. cap 17. Ciconia Romano uſu *pia* vocatur, quòd pulli parentibus jam ſenio confectis, nec alimenta ſibi conquirere valentibus opem & victum ſuppeditant. Hinc à Petronio ciconia nuncupatur, *pietatis cultrix.*

76 *Illi eadem ſumpti quærunt animalia pennis.*] Pulli ciconiæ jam pennati veſcuntur item ſerpentibus.

77 *Vultur.*] Vide Annot. Sat. 4. v. 111. ad vocem *Vulturibus.*

Crucibuſque relictis.] In quibus pendent humana cadavera, quorum eſt avidus.

79 *Hinc eſt ergo cibus magni quoque vulturis.*] Nimirum è cadaveribus quibuſcunque. Alii legunt, *Hic eſt ergo cibus*, &c.

80 *Propria cum jam facit arbore nidos.*] Affirmat contrà Plinius Lib. 10. cap. 6. non in arboribus, ſed in excelſis valdè rupibus vultures nidificare. Favet & Plutarch. Qu. Cent. Rom. 93. ubi ait, Vix ulli inventum vulturis nidum.

81 *Famula Jovis.*] Aquilæ; quæ ſic nuncupantur, ſive quòd nectar Jovi portârit Aquila, cùm ille apud Cretam in antro educaretur, ut eſt apud Athen. Lib. 11. cap. 12. Seu quòd Ganymedem, jubente Jove, rapuit. Ex Hygin. Aſtrol. Poët. Seu quòd Jovi fulmina adversùs Gigantes bellanti ſubminiſtraret Aquila, ut fabulantur: Seu denique quòd fulminata nunquam Aquila, ideoque Jovis armigera credita eſt, quod refert Plin. Lib. 10. cap. 3. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 13. cap. 20.

Generoſæ aves.] Accipitres, falcones, &c.

86 *Ædificator erat Centronius.*] Amabat ædificare Centronius, & ſuas opes ædificando perdidit: pariter & ejus filius inſanas ſubſtructiones amando bona quæ ſupererant, dilapidavit, paternum ſecutus exemplum.

87 *Curvo littore Caietæ.*] Hæc urbs vulgò *Gaeta*, Latii novi pridem, hodie Terræ Laboris, in ora Tyrrheni maris ſita, ad collis radices, portum habet atque arcem. Nomen habet à curvo, quòd Laconiâ Linguâ Caietam dicunt, vel ab Æneæ nutrice, ex Virgil. Æneid. 7.

Tiburis.] Sat. 3. v. 192.

Nunc

modò Prænestinis in collibus excelſa moliebatur domorum faſtigia, Græcis & procul quæſitis marmoribus ſuperans Fortunæ & Herculis templa, ſicut Poſides Eunuchus ſuperabat noſtra Capitolia. Itaq; dum ſic habitandas ſtruit *ædes Centronius, bona dilapidavit, facultates attrivit; nihilominus haud modica erat amplitudo reſiduæ portionis. Etiam verò abſumpſit omnem inſanus filius, cum recentes è nobiliori marmore domos fabricatur. Nonnulli parentem adepti Sabbati obſervantem, nihil niſi nubila, & Cæli Deum colunt;*

Nunc Præneſtinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem;
Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.
Dum ſic ergo habitat Centronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen menſura relictæ
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & Cœli Numen adorant:

ANNOTATIONES.

88 *Prænestinis.*] Sat. 3. v. 190.

89 *Græcis.*] Plin. Lib. 36. cap. 7. *Pretioſi quidem generis*, inquit, *marmor extitit Lacedæmonium viride, cunctiſque hilarius.*

Longè petitis.] Ex Ægypto, Numidiâ, Plin. mox cit. *Auguſtum marmor, ac deinde Tiberianum in Ægypto, Auguſti ac Tiberii primum principatu reperta: Auguſtum undatim criſpum in vortices, Tiberianum ſparſim convolutâ canitie & luce. Adde Naxium, quod diu placuit ante alia; ita vocantur cotes in Cypro Inſula genitæ: & quod poſteà vicit, Armenium.* Plin. ibid. *Adde, ſi vis, Parium candore & luce pretioſum: Chium, Sicyonium, Synnadicum maculis diſtinctum, Numidicum purpureo colore exquiſitum, &c.*

90 *Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem.*] Licèt magnificè & Imperatorio ſumptu extructam, Fortunæ quidem, à Nerone marmoream: Herculi verò, à Martio Philippo Auguſti vitrico. Vide Sueton. Auguſt. cap. 29. Sed nec ſolùm Romæ, ſed & Tibure, & Præneſte. Vide Plin. Lib. 36. cap. 22. & 25. &c.

91 *Capitolia noſtra.*] Non unum fuiſſe Capitolium indicat. Certè Romæ duplex, vetus & novum, hoc regione ſextâ, octavâ illud; Romanamque illam arcem inter orbis miracula numeratam, teſte etiam Ammiano Marcellino, refert Cœl. Rhodig. Lib. 23. cap. 6. Alia etiam erant per Italiam Capitolia, ut Capuæ, Beneventi, Pompeiis. De quibus Hadr. Turneb. Lib. 11. cap. 2. Alex. ab Alex. Lib. 6. cap. 11. Vel Juvenalis reſpicit ad Capitolii vices, quod primò quidem à Tarquinio ex Apiolarum Latinorum urbis prædâ extructum, ex Plin. Lib. 3. cap. 5. Cùm deflagrâſſet deinde à Sylla reſtitutum, exornatumque eſt, tùm à Veſpaſiano Domitianoque, cùm ab aliis. Vide Alex. cit. Porrò arx illa condita eſt in monte, qui Saturnius primùm, dein Tarpeius à Tarpeia Virgine Veſtali Sabinorum ſcutis ibi obruta: demùm Capitolinus dictus, unde & Capitolii nomen, ſcilicet ob humanum caput vivo ſimile, recenti & calido ſanguine inde profluente, ibidem cùm fundamenta foderentur, inventum. Auctor eſt Dionyſ. Halic. Lib. 4. Capitolii ſubſtructiones inſanas admirationi fuiſſe, refert Plin. Lib. 36. cap. 15.

Poſides] Is erat libertus Claudii Imperatoris. Sueton. Claud. cap. 28. ita ſcribit: *Libertorum præcipuè ſuſpexit Poſiden ſpadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donavit.* Magnificas autem balineas in Bajano ſinu ac littore ab illo conſtructas, quæ & Poſidianæ vocarentur, accepto nomine à Claudii Cæſaris liberto, teſtatur Plin. Lib. 31. cap. 2.

93 *Relictæ partis.*] Hæreditatis filio tranſmiſſæ.

96 *Quidam ſortiti*, &c.] Superſtitionem etiam pueri diſcunt à parentibus ſuperſtitioſis.

Metuentem Sabbata.] Judaicos ritus ac religiones colentem.

Sabbata.] Vide Annot. Sat. 6. v. 159.

97 *Nil præter nubes*, &c.] Videtur alludere ad id quod legitur Exod. 13. v. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis; & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris utroque tempore.* Et cap. 19. v. 9. ait Moſi Dominus: *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te*, &c. Vel eò Judæos calumniatur adorare nubes, quòd Deum in Cœlo regnantem colerent, ac precando Cœlum ſuſpicerent. Simili propè ratione Socratem velut nubes adorantem ſugillabat Ariſtophanes.

Cœli Numen.] Legunt alii, *lumen.* Tac. Hiſtor. 5. initio, multa de Moſe & Judæis mentitur: at verò hoc, *Mente ſola*, inquit, *unumque Numen intelligunt, ſummum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum: profanos verò putant, qui Deum imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingunt. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis ſunt, &c.*

Digitized by Google

Nec diſtare putant humana carne ſuillam,
Quâ pater abſtinuit: mox & præputia ponunt:
Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaïcum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes,
Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.
Sed pater in cauſa, cui ſeptima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam,
Sponte tamen juvenes imitantur cætera: ſolam

neque arbitrantur ab humana carne differre porcinam, qua parens abhorruit: deinde, reſecant etiam præputia, Romanorum vero Jura ſpernere aſſueti diſcunt, tenentque & verentur Legem Judæorum, & *quicquid ſecreto codice mandavit Moſes: haud iter indicare præterquam eandem religionem profitenti,* atque *ad petitam ſcaturiginem tantummodo circumciſos dirigere. Auctor vero parens, qui otioſam duxit diem unamquamque ſeptimam, nullumque vitæ munus obiit. At alia ultro æmulantur adoleſcentes, unam*

ANNOTATIONES.

98 *Nec diſtare putant,* &c.] Tam abhorrent ab edenda ſuilla carne, quàm ab humana; Judæorum more. Hi enim ſue abſtinent, inquit Cornel. Tacit. mox cit. ubi & falſam addit rationem, nempè quòd ſcabie laborârint, cui morbo id animal obnoxium: at vera eſt quæ habetur Levit. 11. nimirùm quòd immundum ſit hoc animal, atque luto amicum, ut ait Horatius. Sic enim docebantur illi abſtrahere mentem à ſordidis ac imis cogitationibus, atque ad cœleſtia erigere. Vide Lactantium.

99 *Præputia ponunt.*] Cornelius Tacitus ibid. *Judæi genitalia circumcidunt, ut diverſitate noſcantur. Tranſgreſſi in morem eorum idem uſurpant.* Vide Geneſ. cap. 17. v. 10 & ſeq. Deuteron. cap. 11. v. 16. Item Annot. ad Perſ. Sat. 5. v. 184.

102 *Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.*] Nec enim Gentibus evulgabant Judæi ſuos ritus ac mores, quos Moſes ſcripto commendavit eis Pentateucho. Conſtat nihilominùs Ethnicis non latuiſſe Sacros Libros, cùm ex eis pleraque ſuas in Fabulas traduxerint. Sic diluvii generalis, ac Noëmi ejuſque filiorum Hiſtoriam Deucalioneis commentis utcunque expreſſerunt: ſic & Iphigeniâ ſuâ, Iſaacum, & Jephte filiam, &c.

Moſes.] Vox Hebraica ſignificans *abſtractum.* Is revera ex aquis aſſumptus à filia Pharaonis Regis Ægypti & ejus curâ educatus fuit; ut fusè narratur Exod. cap. 2. Annos natus octoginta, apparente ſibi Deo in rubo ardente, conſtitutus eſt Iſraelitarum Dux: tum è ſervitute vindicatos per aquas Rubri maris mirabiliter interruptas tranſvexit; Pharaonem verò & Ægyptos jam multis anteà prodigiis fractos, fluctibus denique ſubmerſit. Diem ſuum obiit ſupremum anno ætatis centeſimo vigeſimo, ante Chriſtum ferè milleſimo quingenteſimo, ſuccedente ipſi Joſue. Plin. Lib. 30. cap. 1. Moſen ut artis Magicæ anteſignanum celebrat, accenſetque Jamni aliiſque Magis Pharaonis. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 10. cap. 1.

103 *Non monſtrare vias,* &c. Unis adeo ſuâ religione imbutis conſueſcere ſoliti ſunt, ut nec errantes in viam, nec ſitientes ad quæſitas aquas perducant alienos. Tacit. cit. *Separati epulis, diſcreti cubilibus, miſericordiam inter ſe, adverſus alios omnes hoſtile odium exercent,* inquit. Verùm id imperârat ſapienter Deus, ne profanis Gentium religionibus ipsâque idololatriâ contaminarentur. Deuteron. 7. De iis Cic. Offic. 3. n. 55. *Quid aliud eſt erranti viam non monſtrare, quod Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt,* &c. Cæterùm hunc verſum & ſequentem non nemo collocandos putavit ante iſtos, *Judaicum ediſcunt,* &c. Id quidem textum & ſenſum facit aliquantò clariorem; at repugnant optimorum Exemplarium fides.

104 *Verpos.*] Apellas vocat Horatius; recutitos Perſius. Vide Annot. ad Perſ. Sat. 5. v. 184.

105 *Sed pater in cauſa.*] Superſtitioſus pater exemplo ſuo ſuperſtitioſum fecit filium.

Septima lux ignava.] Feriata ſine ullo opere. Ita per Moſen Deus Populo ſuo mandaverat. Exod. 35. & Deuteron. 5. Vide ſuprà in voce *Sabbata.* Corn. Tacit. jam cit. ſic habet: *Septimo die otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit: dein blandiente inertia ſeptimum quoque annum ignaviæ datum,* &c.

106 *Partem vitæ non attigit ullam.*] Nihil operis eâ die peregit. Ad laborem vivimus, nec vivere cenſetur qui nihil agit. Ergo pars vitæ præcipua quidem labor eſt & opus. Atque ad id homo damnatus. Geneſ. 3. Natus verò dicitur ad laborem, Job cap. 5. v. 7.

107 *Sponte tamen juvenes imitantur,* &c.] Avarum patrem habentes filii avaritiam diſcunt, & quaſi laudabilem parſimoniam colunt.

Digitized by Google

Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.
FALLIT enim vitium ſpecie virtutis & umbra,
Cum ſit triſte habitu, vultuque & veſte ſeverum.
Nec dubiè tanquam frugi laudatur avarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum
Certa magis, quàm ſi fortunas ſervet eaſdem
Heſperidum ſerpens, aut Ponticus. Adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat, atque verendum
Artificem: quippe his creſcunt patrimonia fabris,
Sed creſcunt quocunque modo, majoraque fiunt
Incude aſſidua, ſemperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati

autem *avaritiam reluctantes etiam coguntur amplecti. Nam vitium decipit imagine & ſimulatione virtutis, quoniam habitu grave eſt ac fronte veſtimentoq; auſterum. Neque dubitanter avarus commendatur velut frugalis, ut vir temperans: atque fortunarum ipſius cuſtodia ſecurior, quàm ſi opes iſtas tueatur Heſperidum vel Ponti draco. Accedit quod eum, de quo verba facio, præclarum exiſtimat plebs & venerandum opificem. Nam ejuſmodi artificibus amplificantur divitiæ, at augentur quavis ratione, & accreſcunt diligenti incude, atque fornace nunquam non ſuccenſa. Itaque parens etiam beatos mente avaros putat, qui divitias laudat, qui nulla egentis felicis exempla*

ANNOTATIONES.

109 *Fallit enim vitium ſpecie virtutis.*] Horatius ad Piſones, v. 25.

Decipimur ſpecie recti.

110 *Cum ſit triſte habitu,* &c.] Quoniam avaritiæ vitium hominem facit triſtem, ſeverum, luxuriæ inimicum, hinc vanâ virtutis umbrâ & ſpecie parùm cautos decipit: & parvo contentus ac temperans habetur qui triparcus & turpis eſt avarus, Senec. *Timidus ſe cautum vocat; ſordidus parcum, &c.*

112 *Tanquam parcus,* &c.] Horatius ad Piſones, v. 170.

Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.

114 *Heſperidum ſerpens.*] Draco pervigil aurea mala cuſtodiens in horto Heſperidum. Vide Annot. Sat. 5. v. 152.

Ponticus.] Sat. 1. v. 10. Diximus de Dracone altero Aurei Velleris cuſtode, quod tamen annitente Medeâ Jaſon rapuit è Colchide regione Ponti.

115 *Verendum artificem.*] Alii legunt, *acquirendi artificem.*

116 *Fabris, incude, camino.*] Metaphora à monetæ fabricatoribus.

117 *Sed creſcunt quocunque modo.*] Per fas & nefas.

118 *Incude aſſiduâ.*] Pertinaci labore & operâ, ſudoribus aſſiduis ac vigiliis, cupiditate flagrantes, lucro ſemper inhiantes quæſtum faciunt illi, augentque opes, ac nummos veluti cudunt & congerunt.

119 *Et pater ergo animi felices credit avaros.*] Horatius Lib. 1. Epiſt. 15. v. ult.

Vos ſapere, & ſolos aio benè vivere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

120 *Nulla exempla beati pauperis.*] Attamen cum Deus interrogaretur, quis finem ac fidem veræ felicitatis impleſſet, Apollinis oraculo declaratus eſt feliciſſimus Aglaus Arcas qui nunquam agellum patrium exceſſerat: inquit vetus Schol. poſt Plin. Lib. 7. cap. 46. quem vide. Paupertatis encomium Apuleius egregiè perſequitur in Apolog. ubi ſic habet: *Enimverò paupertas olim Philoſophiæ vernacula eſt, frugi, ſobria, parvo potens, æmula laudis, adverſum divitias poſſeſſa, habitu ſecura, cultu ſimplex, conſilio beneſuada: neminem unquam ſuperbia inflavit, neminem impotentia depravavit, neminem tyrannide efferavit. Delicias ventris & inguinum neque vult ullas, neque poteſt. Quippe hæc & alia vitia & flagitia divitiarum alumni ſolent. Maxima quæque ſcelera ſi ex omni memoria hominum percenſeas, nullum in illis pauperem reperies: ubi contra hæc temerè inter illuſtres viros & divites comparent; ſed quemcumque in aliqua laude miramur, cum paupertas ab incunabulis nutricata eſt. Paupertas, inquam, priſca apud ſæcula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim eſt paupertas apud Græcos in Ariſtide juſta; in Phocione benigna, in Epaminonda ſtrenua, in Socrate ſapiens, in Homero diſerta. Eadem paupertas etiam Populo Romano Imperium à primordio fundavit: proque eo in hodiernum Diis immortalibus ſimpurio & catino fictili ſacrificat;* &c. quæ ibid. lege.

Digitized by Google

Pauperis eſſe putat, juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediſcere ſordes.
Mox acquirendi docet inſatiabile votum.
Servorum ventres modio caſtigat iniquo,
Ipſe quoque eſuriens: neque enim omnia ſuſtinet unquam
Mucida cœrulei panis conſumere fruſta,
Heſternum ſolitus medio ſervare minutal
Septembri; nec non differre in tempora cœnæ
Alterius, conchem æſtivi cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique ſiluro,
Filaque ſectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.
Sed quò divitias hæc per tormenta coactas?
Cum furor haud dubius, cum ſit manifeſta phreneſis,

extare *arbitratur, monet adoleſcentes ut idem iter ineant ac ſimile inſtitutum colant. Sunt aliqua ſcelerum principia: his ſtatim eos informat, jubetque tenuiſſimas* lucri *fœditates edoceri: tum ſuggerit inexplebile* opes *accumulandi deſiderium. Famulorum abdomen defraudat injuſto modio, ipſe pariter famelicus. Nam haud* ſibi *indulget unquam cuncta comedere fragmenta panis* licet e *rancore cyanci; aſſuetus pridianum minutal dimidio Septembri cuſtodire, atq;* in aliam *diem reſervare conchem alterius prandii obſignatam, cum particula lacerti æſtivalis, aut colia medio & fœtente; & computatos porri ſectilis ſarculos includere. Quiſpiam de ponte ad iſta vocatus abnuet. At quorſum opes per iſtos cruciatus accumulatas? Quandoquidem certa eſt inſania & aperta dementia,*

ANNOTATIONES.

121 *Juvenes hortatur, &c.*] Vide Horat. ad Piſones v. 324. & ſeq.

122 *Eidem incumbere ſecta.*] Sequi exempla & rationes fœneratorum & avarorum.

124 *Cogit minimas ediſcere ſordes.*] Pater filios erudit in arte quæſtus faciendi etiam circa minima: docet eos diligenter ſordidæ cupiditatis aſtus omnes technaſque vel tenuiſſimas.

126 *Modio iniquo.*] Menſura ciborum nimis parva: dimenſo cibo. Quaternos frumenti modios in menſem ſervi accipiebant: hocque dimenſum vocabatur; inquit Donat. in Terent.

129 *Minutal.*] Vel e carnibus reſiduis minutatim conciſis; vel condimenti genus a marino piſce, liquamine, oleo, vino, porris, coriandro.

130 *Septembri.*] Autumnali tempore, quo facile corrumpuntur obſonia ob humidam tepidamque cœli temperiem. Vide Annot. Sat. 6. v. 516.

131 *Conchem.*] Vide. Sat. 3. v. 293. & ibid. Annot.

Æſtivi.] Alii legunt, *Æſtivam.*

Æſtivi lacerti.] Æſtivo calore facile putreſcentis. Attamen ſalſum piſcem ait vetus Schol. Colias vocatur Athenæo & Plinio. Athen. Lib. 3. cap. 33. ait Coliam & Sardam magnitudine pares: Coliam glutinoſiorem, acriori ſcillæ guſtu, mordaciorem, pejori ſucco; præſtandiorem eſſe Amyclanum, & Hiſpanum, qui Sexitanus dicitur, cui nimirum tenuior & dulcior caro eſt. Additque ex Strabone 3. Geograph. prope Herculis Inſulas & Carthaginem novam eſſe urbem Sexitaniam, a qua ſalſamenta cognominantur. Plin. Lib. 32. cap. 11. *Colias,* inquit, *ſivè Parianus, ſive Sexitanus à patria Bætica, lacertorum minimus,* vel ut alii legunt, *Æmulus.* Hujus piſciculi cauda imprimis laudabatur, teſte Martiale lib. 7. Epigram. 77.

Dum Sexitani ponatur cauda lacerti,
Et benè ſi cœnas, conchis inuncta tibi eſt.

132 *Signatam.*] Sigillo munitam adverſus gulam & fraudem ſervorum. Vide Perſ. Sat. 6. v. 17. Annot.

Siluro.] Piſciculo, de quo ante, Satir. 4. v. 33.

133 *Sectivi porri.*] Non capitati, quod majus eſt. De utriſque Plin. lib. 19. cap. 6 ubi & *porro ſectivo datam auctoritatem a Nerone Principe, vocis gratia,* inquit idem Lib. 20. cap. 6.

Includere.] In Promptuario.

134 *Aliquis de ponte.*] Mendicus ad pontis iter ſedens. Vide Sat. 4. v. 116. ibique annotata.

Negabit.] Reſpuet ejuſmodi cibaria.

135 *Sed quo divitias, &c.*] Ad quid habes divitias ſi non iis uteris.

Phreneſis.] Horatius.

Danda eſt ellebori multo pars maxima avaris?

Digitized by Google

Ut locuples moriaris egenti vivere fato?
Interea pleno cum turget ſacculus ore,
CRESCIT amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit:
Et minus hanc optat, qui non habet. Ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non ſufficit unum,
Et proferre libet fines; majorque videtur,
Et melior vicina ſeges. Mercaris & hanc, &
Arbuſta, & denſâ montem qui canet olivâ.
Quorum ſi pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, laſſoque famelica collo
Armenta ad virides hujus mittuntur ariſtas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia ſævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix poſſis, quam multi talia plorent,
Et quot venales injuria fecerit agros.
Sed qui ſermones? Quæ fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc? Inquit. Tunicam mihi malo lupini,

inopi ſorte victitare, ut dives excedas e vita? *Interim quando loculus inflatur ore redundanti, ut ipſi nummi augeſcunt*, ita *augeſcit pecuniæ cupiditas : quique illis caret, minus cupit. Itaque tibi ſecunda acquiritur domus* ruſtica, *quando villa unica haud ſatis eſt, placetque terminos extendere : agrum autem finitimum ampliorem & fertiliorem judicas ; illum etiam emis, arbuſtaque, & collem oleis frequentibus albeſcentem, quorum ſi poſſeſſor nullâ pecuniâ ſuperatur, macilent boves & armenta fatigatâ cervice eſurientia noctu deducuntur ad virentem illius ſegetem, neque hinc* ad *ædes* retrahuntur, *antequam univerſæ fruges in diras fauces tranſierint*; ita *ut putâris* rem *falcibus confectam. Difficulter enumeraveris quot lugeant ſimilia, & quam multos campos vendere coëgerit moleſtia. Verum enimverò quinam rumores? Quæ turpis exiſtimationis tuba? Ecquid obeſt illud? ait: potiorem mihi duco ſiliquam lupini,*

ANNOTATIONES.

137 *Egenti vivere fato.*] Fatali paupertate temetipſum excruciare, genium defraudare, metu futuræ inopiæ. Cic. de Senect. n. 65. *Avaritia verò ſenilis, quid ſibi velit non intelligo: poteſt enim eſſe quidquam abſurdius, quàm quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?*

139 *Creſcit amor nummi.*] Horatius Lib. 3. Ode 16.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames.

142 *Majorque videtur, &c.*] Hor. lib. 1. Sat. 1.

Quodque aliena capella gerat diſtentius uber,
Tabeſcat.

144 *Canet olivâ.*] Albentibus oleæ floribus caneſcit.

145 *Quorum ſi pretio, &c.*] Quod ſi vicinæ ſegetis, arbuſti & oliveti dominus ea vendere renuit oblato pretio; tum vero potens avarus adeo moleſtiis & injuriis fatigat, ut ille vel invitus ad venundandos agros & prædia cogatur.

147 *Armenta ad virides hujus mittuntur ariſtas.*] Immiſſa noctu a vicino divite *armenta*, vel, ut alii legunt, *jumenta*, ſegetem depaſcuntur ac devaſtant: unde illius dominus redactus ad paupertatem, agrum vendit ut vivat: iſte vero ſic fruitur optatis.

148 *Novalia.*] Novale eſt quod alternis annis ſeritur. Plin. lib. 18. cap. 19.

149 *In ventres abeant.*] Nempe devorata a jumentis & pecoribus.

Falcibus actum.] Segetem falcibus ſucciſam.

152 *Sed qui ſermones?*] Poëta ad avarum ait: etenim malam tibi famam comparas.

153 *Quid nocet hoc?*] Reſpondet avarus; mala fama quid nocet? Pluris facio lupini tunicam, vilem rem licet, quam bonam famam & exiſtimationem cum paupertate.

Sat. 1. v. 48.

Quid enim ſalvis infamia nummis?

Horat. Sat. 1.

Quidam memoratur Athenis,
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Lupini.] Lupinum leguminis genus valde amarum, de quo Athen. lib. 2. cap. 14. in quo refert Zenonem erga familiares durum atque iracundum, at cum vino ſe largius ingurgitaſſet, lenem ac benignum, aliquando interrogatum fuiſſe a quodam: Quid ita fieret, & quomodo ſic ingenium mutaret? Reſpondiſſe, id ſibi accidere quod lupinis: nam lupinos antequam madefiant aqua, amariſſimos eſſe, at cum macerati ſunt & appoti, fieri mitiſſimos: Plin. lib. 18. cap. 14. ait *Lupinum hominibus juxta & quadrupedibus utile, cum Sole quotidie circumagi, horaſque agricolis etiam nubilo demonſtrare.* Eraſm. Chiliad. 2. Cent. 7. Adag. 98. *Lupinum potum dicitur*, inquit, *adverſus eos qui gravi periculo voluptatem emunt.*

iam

Quam ſi me toto laudet vicinia pago
Exigui ruris pauciſſima farra ſecantem.
Scilicet & morbis & debilitate carebis,
Et luctum & curam effugies, & tempora vitæ
Longa tibi poſt hæc fato meliore dabuntur;
Si tantum culti ſolus poſſederis agri,
Quantum ſub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica paſſis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladioſque Moloſſos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus. Merces ea ſanguinis atque laboris
Nullis viſa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ. Saturabat glebula talis
Patrem ipſum, turbamque caſæ, quâ fœta jacebat
Uxor, & infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: ſed magnis fratribus horum
A ſcrobe vel ſulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri noſtro non ſufficit horto.
Inde fere ſcelerum cauſæ, nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius ullum

quàm ſi vicinitas omni me vico celebret metentem agelli parvi exiguam ſegetem. Nimirum ægrotationis etiam ac infirmitatis eris expers, atq; mæſtitiam & ægritudinem eluctaberis, ac diuturnum vivendi ſpatium tibi poſteà concedetur benigniori ſorte, ſi tantundem exculti campi unus habueris, quantum Romana Plebs colebat ſub Tatio. Dein quoque ſenio debilitatis, & Carthaginienſes pugnas expertis, aut immitem Pyrrhum, & Moloſſorum enſes, denique pro frequentibus plagis duo jugera ad ſummum concedebantur. Id cruoris ſudorumque pretium nullis unquam meritis inferius habitum eſt, *vel immemoris patriæ exigua pietas. Agellus iſtiuſmodi nutriebat parentem ipſum, & numeroſam tugurii familiam; ubi conjux puerpera cubabat, ludebantq; puerili quaterni, ſervulus unus, heri terni: iſtorum verò fratribus grandioribus à foſſa vel ſulco reverſis aliud prandium majus* parabatur, *ingenteſque lebetes pultibus fumabant. Jam* vero *campus ille modicus haud ſatis eſt horto noſtro. Hinc fermè criminum origo: nullumque humani ingenii vitium* aut *toxicum ſæpius temperavit,*

ANNOTATIONES.

154 *Pago.*] πηγῶν, Dorice παγῶν dicitur, quod prope fontes, ut adaquatio ſit facilior, exſtrui villæ ſolent. Vide Turneb. lib. 2. cap. 3.

156 *Scilicet & morbis, &c.*] Hæc ironice Poëta in avarum: ſcilicet cum pecunia abundabis, habebis omne bonum, nec te ulla ægritudo impugnabit; fugient morbi, & luctus; arcebis etiam mortem, aut ſaltem ævum produces.

260 *Quantum ſub Tatio.*] Tum anguſti erant imperii naſcentis fines, quando Titus Tatius Dux Sabinorum, icto fœdere cum Romulo, in urbem receptus conſociavit Imperium. Livius, Florus, *&c.*

161 *Mox etiam fractis, &c.*] Priſcorum Romanorum frugalitatem obiter commendat.

Punica Prælia.] Vide Sat. 10. v. 155. & præced. ibidemque Annot. De bellis autem Punicis Florum Lib. 2. cap. 2. 6, & 15. Tit. Liv. &c.

162 *Pyrrhum immanem.*] Regem illum Epirotarum acris adeo bellicoſiq; animi, ut nec vincens nec victus poſſet quieſcere, reſque ſemper novas moliretur, teſte Plutarcho in ejus vita. De eo Florus Lib. 1. cap. 18. Juſtinus Lib. 16. & ſeq. &c.

Moloſſos.] Vide Sat. 12. v. 108. ibique Annot.

163 *Jugera bina dabantur.*] Scilicet militibus Romanis emeritæ præmium militiæ.

170 *A ſcrobe vel ſulco.*] A fodiendo, vel arando.

Cœna amplior.] Ratione majoris laboris.

171 *Pultibus.*] Vide Annot. Sat. 7. v. 185. Præſertim vero Perſ. Sat. 6. v. 40.

172 *Modus hic agri.*] Duo jugera nobis non ſufficiunt ad hortos ac delicias, quæ pridem ſatis erant ad alendam ſuo proventu familiam integram.

173 *Inde ferè ſcelerum cauſæ.*] E cupiditate veneficia, homicidia, latrocinia, omniumque ſcelerum fluxit eluvies. Apoſt. Paul. 1. ad Timoth. cap. 6. *Radix omnium malorum cupiditas.*

Virgil. Æneid. 3.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

vel telo ſaviit frequentius, quam dira cupiditas opum infinitarum. Quiſquis enim cupit eſſe locuples, etiam repente eſſe cupit. Quænam verò legum obſervantia? Quis timor unquam eſt aut verecundia avari feſtinantis? Marſus & Hernicus, & Veſtinus ſenex, aiebat pridem; o juvenes, ſatis habete tuguria hæc & montes: arando paremus victum ſufficientem menſa: id placet agreſtibus Diis, quorum favore & adminiculo quercus antiqua nauſea cepit homines poſt dona jucundioris ſegetis. Prohibitum nihil perpetraſſe cupiet qui non erubeſcit per gelu excelſo perone veſtiri, qui Euros arcet inverſis pellibus. Ad crimen & flagitium quodibet incitat purpura externa & nobis incognita. Priſci illi dabant *ea monita junioribus: jam vero*

Humanæ mentis vitium, quam ſæva cupido
Indomiti cenſus. Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quæ reverentia legum?
Quis metus, aut pudor eſt unquam properantis avari?
Vivite contenti caſulis, & collibus iſtis,
O pueri, Marſus dicebat & Hernicus olim,
Veſtinuſque ſenex: panem quæramus aratro,
Qui ſatis eſt menſis. Laudant hoc Numina ruris,
Quorum ope & auxilio, gratæ poſt munus ariſtæ,
Contingunt homini veteris faſtidia quercus.
Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi; qui ſummovet Euros
Pellibus inverſis. Peregrina ignotaque nobis
Ad ſcelus atque nefas, quodcumque eſt, purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus. At nunc

ANNOTATIONES.

178 *Properantis.*] Ad magnas opes, & cito ditari cupientis.

179 *Collibus iſtis.*] Montanis agris, quos paulo difficulter colendo panem habeamus, & victum neceſſarium.

180 *Marſus.*] Marſi Italiæ populi ſub Samnitibus, a Marſo Circes filio dicti, Solino teſte; hodie, *Ducato de Marſi.*

Hernicus.] Et hic fuit Latii populus, vetus colonia Pelaſgorum, ab Hernico Duce nuncupatus. Macrob. lib. 5. Saturnal. c. 18. ex. Jul. Hygino.

181 *Veſtinus.*] Ea gens Samnitibus proxima.

183 *Grata poſt munus ariſta.*] *Poſtquam Ceres invenit frumenta; cum antea glande veſcerentur: eadem verò molere, & conficere in Attica, Italia, & Sicilia, ob idque Dea judicata.* Hæc Plinius, Lib. 7. cap. 56. initio.

Virgilius Georgic. 1.

Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta.

Et Ovid. Faſt. Lib. 1.

Placentur frugum matres Telluſque, Cereſque
Farre ſuo, &c.
Hæc præbet cauſam frugibus, illa locum.
Conſortes operum, per quas correcta vetuſtas
Quernaque glans victa eſt utiliore cibo.

Et Faſt. Lib. 4.

Panis erant primis virides mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modo carpebant vivax è ceſpite gramen,
Nunc epulæ tenerà fronde cacumen erant.
Poſtmodo glans nata eſt: benè erat, jam glande repertà;
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.

Vide Cœl. Rhodig. Lib. 16. cap. 3. ubi ſic habet: *Arcadas glandibus veſci docuit Rex eorum Pelaſgus, perſeveravitque diu pleriſque diæta ratio hæc, inquit Pauſanias,* &c. Deinde, *Mitiorem Arcadibus victum induxiſſe Arcas dicitur primus, ac panis docuiſſe rationem,* &c. Idem Pauſanias in Laconicis, ait Myletam Lelegis filium molam primum reperiſſe, ejuſque uſum in molendis frugibus.

184 *Contingunt homini veteris faſtidia quercus.*] Homines jam meliore fruentes alimento, viliores ac deteriores cibos, e quercu glandes, quibus ante veſcebantur, faſtidire cœperunt.

186 *Perone.*] Vide Annot. Ad Perſ. Sat. 5. v. 102. ad vocem *Peronatus.*

Euros.] Ventorum frigus & moleſtiam.

187 *Pellibus inverſis.*] Converſis ad corpus lana, villis, pilis, non tam ornatus quam caloris fovendi gratia.

Peregrina.] Tyria, Laconica, Africana.

Ignotaque.] Quia Romæ non conficitur.

188 *Purpura.*] Synecdoche, Luxus & pompa veſtium, magnificæ ſupellectilis cupido, ambitio, ſuperbia.

Digitized by Google

Poſt finem Autumni mediâ de nocte ſupinum
Clamoſus juvenem pater excitat; accipe ceras,
Scribe puer, vigila, cauſas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem poſce libello.
Sed caput intactum buxo, nareſque piloſas
Annotet, & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, caſtella Brigantum,
Ut locupletem Aquilam tibi ſexageſimus annus
Afferat: aut longas caſtrorum ferre labores
Si piget, & trepido ſolvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares quod vendere poſſis

Autumno tranſacto, nocte concubiâ, parens aſſidue vociferans deſidem puerum jubet ſurgere, *aitque*; o *juvenis, ſume* tabellas *ceratas, literas exara, elucubra, orationes conſcribe, evolve rubeas antiquorum leges, vel ſcripto vitem pete. At Lælius obſervet impexum buxo caput, & naſum pilis* hirſutum, *magnaſque laudet axillas. Everte mapalia Numidarum, ac Britannorum caſtella, ut ætas ſexagenaria tibi producat Aquilam divitem. Vel ſi tædet ſuſtinere labores militiæ diuturnos, ac tibi trementi laxant alvum audita cornua cum buccinis, compara quod venundare queas*

ANNOTATIONES.

190 *Poſt finem Autumni.*] Quo tempore lucubrationes ſuas ſtudioſi veteres auſpicabantur: noctibus jam longioribus, vel ſæviente hyeme & frigore, non parcit, urget, excitat. Hoc melius.

Supinum.] Dormientem, pigrum.

191 *Ceras.*] In ceratis enim tabellis ſtylo ſcribebant olim.

192 *Cauſas age.*] Agendas in foro contexe orationes.

Rubras majorum leges.] Rubricas juris. Vetus Schol. Quintil. Lib. 12. c. 3. *Alii ſe ad album ac rubricas tranſtulerunt, & Formularii, vel, ut ait Cicero, Leguleii quidam eſſe maluerunt, tanquam utiliora eligentes,* &c. Ubi per album, prætorium Jus, per rubricas Jus Civile, quod duodecim tabulis continebatur, intellexit Fabius, ex Turnebo Lib. 4. cap. 5. Vide Annot. ad Perſ. Sat. 5. v. 90. in voce, *Rubrica.*

193 *Vitem.*] Centurionis munus, cujus inſigne vitis erat, quique vite caſtigabat milites. Vide Plutarchum in vita Galbæ, ſub finem. Et quæ notavi Sat. 8. v. 247.

Libello.] vel ſupplice, vel laudatorio, ad animum imperatoris demerendum.

194 *Sed caput intactum buxo, nareſque piloſas, &c.*] Exhibe vero te incultum ac piloſum: ſic enim videbere ſtrenuus ac militiæ magis idoneus.

Buxo.] Pectine e buxo.

195 *Grandes alas.*] Grandibus pilis hirſutas, quod te robuſtum probabit. Vide Sat. 2. v. 11.

Lælius.] Clarus aliquis Imperator, ſub quo militabis, ſimilis ejus Lælii Scipioni Africano admodum familiaris, de quo etiam multa Cicero.

196 *Dirue Maurorum attegias, &c.*] Aerem vero te bellatorem oſtende, ut hinc aſſequare dignitates ac munera bellica quibus diteris.

Attegias.] Tabernacula, caſas, quas ſibi Mauri ſtruere conſueverunt.

Brigantum.] Britanniæ ſeu Angliæ populorum, quos Eboracenſes eſſe volunt nonnulli.

197 *Ut locupletem Aquilam tibi ſexageſimus annus afferat.*] Id eſt, ut annos ſexaginta natus, emeritis jam ſtipendiis, obtineas ſigniferi munus, quo locupletere. Vide Sat. 10. v. 43. ibique annot.

Sexageſimus annus.] Tunc enim honeſta militibus dabatur miſſio. Vetus Schol. Alii miſſionem quinquagenario militi dari ſolitam affirmant, Vide Alex. ab Alex. Lib. 6. cap. 22. &c.

198 *Aut longos caſtrorum ferre labores ſi piget.*] Quod ſi militare piget, mercaturam & negotiationem exerce, & quocumque modo quæſtum fac.

199 *Trepido ſolvunt tibi cornua ventrem.*] Si bellorum horror ac periculi metus tibi laxat alvum, teque adeo deterret. Ex Ariſtot. Problem. & Macrob. Lib. 7. cap. 11. *Laxamentum ventris comitatur timorem; quia muſculi quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugientes introrſum anima virtute deſtituti, laxant vincula quibus retrimenta uſque ad digeſtionis opportunitatem continebantur.*

Cornua cum lituis.] Educendi exercitus & conferendi certaminis ſignum apud Romanos concentus erat tubarum & cornuum, & ſi quando ſilentio educendum foret, teſſeram fuiſſe accepimus. Tubam Tyrrhenus Piſæus invenit primus æneam (ex. Plin. lib. 7. cap. 56.) cum antea ex cornu bubulo fieret: tuba pedites, equites lituo ad pugnam vocabantur. Cum movenda erant caſtra, cornicines ſignum dabant: excubias autem ſomnique & vigiliarum tempora buccina deſignabat. Quod ſi legiones in hoſtem ducendæ, & acie decernendum foret, aut receptui canendum, tum ſimul cornua tubæque canebant, &c. quæ habet Alex. ab. Alex. Lib. 4. cap. 2. Vide Macrob. lib. 6. cap. 8.

T 3 Pluris

Pluris dimidio, nec te faſtidia mercis
Ullius ſubeant ablegandæ Tiberim ultra:
Neu credas ponendum aliquid diſcriminis inter
Unguenta & corium. Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet. Illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur, Diis atque ipſo Jove digna, Poëtæ:
Unde habeas, quærit nemo, ſed oportet habere.
Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem;
Hoc diſcunt omnes ante Alpha & Beta puellæ.

dimidio majore pretio, *neque te invadat nauſea ullius mercis mittendæ trans Tiberim, nec quidquam diſtare exiſtima unguentum a pelle. Gratus eſt odor quæſtus è quacunque re. In ore tuo volvatur aſſidue pronunciatum illud vatis* Ennii, *dignum Numinibus ipſoque Jove: nullus petit undè poſſideas* opes, *at poſſidere neceſſe eſt. Anus id docent parvulos aſſem rogantes; id cunctæ ſciunt adoleſcentulæ præ Alpha & Beta.*

ANNOTATIONES.

201 *Pluris dimidio.*] Quam conſtiterat.

Nec te faſtidia mercis ullius ſubeant.] Nec mercem ullam fœtidam licet aſpernare, modo fructuoſa ſit & quæſtuoſa.

202 *Ablegandæ Tiberim ultra.*] Scilicet in Tranſtiberina regione exercebantur opera ſordida, ut excoriationes, ſulphurata, &c. Martial. Lib. 1. Epigram. 42.

Hoc quod Tranſtiberinus ambulator,
Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis.

Et Lib. 6. Epigram. 93.

Non detracta cani Tranſtiberina cutis.

203 *Neu credas ponendum aliquid diſcriminis inter, &c.*] Quæſtuoſa ſi quæ ſunt, perinde habe, ſive unguenta bene & ſuave olentia, ſive corium male olens ac fœtidum.

204 *Lucri bonus eſt odor ex re quâlibet.*] Alludit ad id quod de Veſpaſiano Suetonius refert cap. 32. Is nempe *reprehendenti filio Tito; quòd etiam urinæ vectigal commentus eſſet, pecuniam ex prima penſione admovit ad nares, ſciſcitans num odore offenderetur: & illo negante; Atqui inquit, è lotio eſt.*

206 *Poëta.*] Ennii ſcilicet, qui quidem ironice ſententiam iſtam pronunciavit: pariter & Juvenalis hic.

208 *Hoc monſtrat vetulæ pueris poſcentibus aſſem.*] Pravum hoc avaritiæ ſtudium vetulæ monſtrant pueris, jam tum cum crepundia duntaxat amant, & ad ea emenda frequenter aſſem petunt. Vide Annot. Sat 5. v. 144. ad eas voces *Aſſemque rogatum.* Item præcedent. & ſequent. is profecto ſenſus eſt. Hinc vero nonnulli corrigunt (magna quanquam mutatio!)

Hoc monſtrant vetulæ pueris repentibus aſſæ:

Id eſt, pueris vixdum gradientibus hoc monſtrant vetulæ aſſæ, ſeu nutrices & famulæ iis cuſtodiendis & curandis adhiberi ſolitæ. *Aſſas nutrices*, inquit Nonnius Marcellus, *difficilis multi exiſtimant intellectus. At verò acri intentione indagare potuimus, ob eam proprietatem officii, eo nomine nuncupari, quòd aſſint his quos nutriunt, nec ab eis vel exiguo divellantur: unde & aſſeculas, ſeu aſſeclas, eo quòd aſſint, & omnibus juſſis dominorum præſtò ſint, eſſe vocitatas.* Adſtipulator etiam adeſt vetus Schol. atque tum lectioni iſti tum interpretationi favet. *Aſſa*, inquit, *dicitur nutrix, quæ lac non præſtat infantibus, ſed diligentiam & munditiam adhibet. Illa ergo nutricula ſicca vetuſta infantibus monſtrat*, ſcilicet avaros jam tum eſſe. Accedit porro Johan. Iſaac. Pontanus: ac ne aſymbolus venire videatur, conjecturam e conjectura contexens, hic aſſerit legendum, *pueris paſcentibus*, non *poſcentibus*, quod tamen in manuſcriptis, diſerteque in ſuo fatetur legi. Illud vero ſic aſſerit, *ne vel ipſi Pyrrhonii Philoſophi, qui de omnibus addubitare ſolebant, addubitent*, Hæc ille ſuis in Notis ad Macrob. Saturn. Lib. 7, cap. 16. Sua ſit fides ariolis conjectoribus ac divinis: veruntamen prima lectio retinenda cenſeatur; eaque integra ſervetur.

209 *Hoc diſcunt omnes ante Alpha & Beta puellæ.*] Has etiam avaritiæ ſordes edocentur a teneris ipſæ puellulæ antequam legere addiſcant, litteraſq; primas Alphabeticas noſſe & appellare.

Alpha & Beta.] Heus Heus corruptores: hem ad rectam Græce pronunciandi rationem, vel duce Poeta noſtro, ſi ſapitis, redite. Age vero, Joannes Britannice, alioqui bonus Interpres, quid hic garris? *Legendum eſt*, inquis, *Vita, non, Beta; cum nomina ſint Græcarum literarum;* Ohe, vir cætera ſapiens, quis te malus repente afflavit Genius? An vero tam ſupinum Juvenali errorem impingere non dubitas? Ipſum vero frementem audi, tibique occinentem e Satira ſua 6. v. 28, & 29.

Certe ſanus eras ———
Dic quâ Tiſiphone, quibus exagitare colubris?

At quoniam inſanire libet tibi, dic ſaltem, amabo, dic quibus in Codicibus, quibus in Manuſcriptis uſquam talia comperiſti?

Talibus inſtantem monitis quemcunque parentem
Sic poſſem affari: dic, o vaniſſime, quis te
Feſtinare jubet? Meliorem præſto magiſtro
Diſcipulum. Securus abi: vinceris, ut Ajax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum eſt teneris; nondum implevere medullas
Nativæ mala nequitiæ: cum pectere barbam
Cœperit, & longi mucronem admittere cultri,
Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſumma
Exigua, Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam jam crede nurum, ſi limina veſtra
Mortifera cum dote ſubit. Quibus illa premetur
Per ſomnum digitis? Nam quæ terraque mariq;
Acquirenda putes, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni ſceleris labor. Hæc ego nunquam

Ejuſmodi cohortationibus urgentem quemlibet patrem ita fas eſſet alloqui: fare, o leviſſime, quiſnam te properare adigit? Diſcipulum prabeo doctore ſolertiorem. Diſcede tutus; ſuperaberis, velut Ajax Telamonem vicit, ſicut Achilles Peleum anteceſſit. Indulgendum eſt mollioribus: naturalis, improbitatis perverſitas non replevit adhuc medullas: quando barbam inceperit depectere, & oblonga novacula aciem admovere, fiet teſtis mendax, perjuria venundabit modica pecunia, Cereris etiam altare ac baſim contingens. Jam exiſtima ſepultam nurum, ſi veſtram domum ingreditur cum dote lethifera. Qualibus ea digitis opprimetur per ſoporem? Quæ etenim expetenda crediderit & terra & mari, hæc præbebit ei ratio celerior. Nulla quippe difficultas ingentis criminis. Tu ali-

ANNOTATIONES.

211 *Quis te feſtinare jubet?*] Quis cogit tam citò depravare filium tuum, & vitiis inquinare, maxime avaritiâ?

212 *Meliorem præſto magiſtro Diſcipulum.*] Ne ſis adeo ſollicitus de filio tuo: quieſce; ſpondeo illum in componendis ſceleribus fore peritiorem te qui docuiſti.

213 *Vinceris, ut Ajax, &c.*] Improbitate & avaritia ſuperabit te filius tuus, ſicut virtute bellica Telamonem Ajax, & Peleum Achilles vicit.

Ajax.] Telamonis filius, inter bellatores Græcos inſignis. De eo jam ad Sat. 7. v. 115.

214 *Achilles.*] Pelei filius, Græcorum fortiſſimus, fama ſuper æthera notus.

215 *Parcendum eſt teneris.*] Imitatio Virgilii Georgic. Senſus eſt hic: expecta dum puer adoleverit, videbis cum ætate creviſſe perverſitatem.

Nondum implevere medullas nativa mala nequitiæ.] *Medullas*, id eſt, præcordia intima. Senſus eſt: nondum roborata eſt malitia, quam tuo exemplo didicit, necdum plane animum occupavit.

219 *Cum pectere barbam cœperit.*] Cum radere barbam cœperit, jamque perfecta virum ætas fecerit, firmatam in eo avaritiam omnemque nequitiam intelliges.

212 *Cereris tangens aram.*] Ubi juramenti fides habebatur ſanctiſſima; ſicut & Cereris Sacra pariter & myſteria nihil niſi ſanctum admittebant. Vide Sat. 6. v. 50. ibique annot. & Alex. ab Alex. Lib. 6. v. 19.

Tangens aramque.] Jam notavi Sat. 13. v. 89. eos qui jurabant aras tenere ſolitos, quaſi fidem Numinum conteſtantes. Exhibetur ergo hic pejerantis audacia intrepide aras tangentis ſine ulla Numinis vindicis reverentia, ut ait Juvenalis loco mox cit. Sat. 13.

Pedemque.] Vel ſtatuæ Cereris pedem ipſum, vel baſim.

221 *Mortifera cum dote.*] Quæ mortis ei cauſa ſit: Uxorem enim veneno aliave ratione extinguet ille, ut dotem occupet. Vide Perſ. Sat. 2. v. 14. ibique Annot. ad verba hæc,

Nerio jam tertia ducitur uxor.

Quibus illa premetur per ſomnum digitis?] Vel ſtrangulantibus, vel pudendo muliebri venenum affricantibus inficientibuſque, & ſic clam & cito enecantibus. Plin. Lib. 27. cap. 2. *Omnium*, inquit, *venenorum conſtat ocyſſimum eſſe aconitum, & tactis genitalibus fœminei ſexus animalium, eodem die inferre mortem. Hoc venenum fuit, quo interemptas dormientes a Calpurnio Beſtia uxores M. Cæcilius accuſator objecit. Hinc atrox illa peroratio, ejus in digito mortuas,*

222 *Terra marique.*] Seu negotiando & navigando; ſeu militando, variaſque ærumnas exantlando.

223 *Brevior via conferet.*] Uxoris occulta cædes conferet avaro divitias.

224 *Nullus enim magni ſceleris labor.*] Facinus ingens ubi quæſtuoſum eſt, facile perpetratur.

Hæc ego nunquam mandavi.] Excuſatio patris, quam refellit ſtatim Poeta.

Digitized by Google

Nunc Præneſtinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem;
Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.
Dum ſic ergo habitat Centronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen menſura relictæ
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & Cœli Numen adorant:

modò Præneſtinis in collibus excelſa moliebatur domorum faſtigia, Græcis & procul quæſitis marmoribus ſuperans Fortunæ & Herculis templa, ſicut Poſides Eunuchus ſuperabat noſtra Capitolia. Itaq; dum ſic habitandas ſtruit æ*des Centronius, bona dilapidavit, facultates attrivit; nihilominus haud modica erat amplitudo reſidua portionis. Etiam verò abſumpſit omnem inſanus filius, cum recentes è nobiliori marmore domos fabricatur. Nonnulli parentem adepti Sabbati obſervantem, nihil niſi nubila, & Cœli Deum colunt;*

ANNOTATIONES.

88 *Præneſtinis.*] Sat. 3. v. 190.

89 *Græcis.*] Plin. Lib. 36. cap. 7. *Pretioſi quidem generis,* inquit, *marmor extitit Lacedæmonium viride, cunctiſque hilarius.*

Longè petitis.] Ex Ægypto, Numidiâ, Plin. mox cit. *Auguſtum marmor, ac deinde Tiberianum in Ægypto, Auguſti ac Tiberii primum principatu reperta: Auguſtum undatim criſpum in vortices, Tiberianum ſparſim convolutâ canitie & luce. Adde Naxium, quod diu placuit ante alia; ita vocantur cotes in Cypro Inſula genitæ: & quod poſteà vicit, Armenium.* Plin. ibid. *Adde, ſi vis, Parium candore & luce pretioſum: Chium, Sicyonium, Synnadicum maculis diſtinctum, Numidicum purpureo colore exquiſitum, &c.*

90 *Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem.*] Licèt magnificè & Imperatorio ſumptu extructam, Fortunæ quidem, à Nerone marmoream: Herculi verò, à Martio Philippo Auguſti vitrico. Vide Sueton. Auguſt. cap. 29. Sed nec ſolùm Romæ, ſed & Tibure, & Præneſte. Vide Plin. Lib. 36. cap. 22. & 25. &c.

91 *Capitolia noſtra.*] Non unum fuiſſe Capitolium indicat. Certè Romæ duplex, vetus & novum, hoc regione ſextâ, octavâ illud; Romanamque illam arcem inter orbis miracula numeratam, teſte etiam Ammiano Marcellino, refert Cœl. Rhodig. Lib. 23. cap. 6. Alia etiam erant per Italiam Capitolia, ut Capuæ, Beneventi, Pompeiis. De quibus Hadr. Turneb. Lib. 11. cap. 2. Alex. ab Alex. Lib. 6. cap. 11. Vel Juvenalis reſpicit ad Capitolii vices, quod primò quidem à Tarquinio ex Apiolarum Latinorum urbis prædâ extructum, ex Plin. Lib. 3. cap. 5. Cùm deflagrâſſet deinde à Sylla reſtitutum, exornatumque eſt, tùm à Veſpaſiano Domitianoque, cùm ab aliis. Vide Alex. cit. Porrò arx illa condita eſt in monte, qui Saturnius primùm, dein Tarpeius à Tarpeia Virgine Veſtali Sabinorum ſcutis ibi obruta: demùm Capitolinus dictus, unde & Capitolii nomen; ſcilicet ob humanum caput vivo ſimile, recenti & calido ſanguine inde profluente, ibidem cùm fundamenta foderentur, inventum. Auctor eſt Dionyſ. Halic. Lib. 4. Capitolii ſubſtructiones inſanas admirationi fuiſſe, refert Plin. Lib. 36. cap. 15.

Poſides] Is erat libertus Claudii Imperatoris. Sueton. Claud. cap. 28. ita ſcribit: *Libertorum præcipuè ſuſpexit Poſiden ſpadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donavit.* Magnificas autem balineas in Bajano ſinu ac littore ab illo conſtructas, quæ & Poſidianæ vocarentur, accepto nomine à Claudii Cæſaris liberto, teſtatur Plin. Lib. 31. cap. 2.

93 *Relictæ partis.*] Hæreditatis filio tranſmiſſæ.

96 *Quidam ſortiti,* &c.] Superſtitionem etiam pueri diſcunt à parentibus ſuperſtitioſis.

Metuentem Sabbata.] Judaicos ritus ac religiones colentem.

Sabbata.] Vide Annot. Sat. 6. v. 159.

97 *Nil præter nubes,* &c.] Videtur alludere ad id quod legitur Exod. 13. v. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis; & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris utroque tempore.* Et cap. 19. v. 9. ait Moſi Dominus: *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te,* &c. Vel eò Judæos calumniatur adorare nubes, quòd Deum in Cœlo regnantem colerent, ac precando Cœlum ſuſpicerent. Simili propè ratione Socratem velut nubes adorantem ſugillabat Ariſtophanes.

Cœli Numen.] Legunt alii, *lumen.* Tac. Hiſtor. 5. initio, multa de Moſe & Judæis mentitur: at verò hoc, *Mente ſola,* inquit, *unumque Numen intelligunt, ſummum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum: profanos verò putant, qui Deum imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingunt. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis ſunt, &c.*

Digitized by Google

Nec

Nec diſtare putant humana carne ſuillam,
Quâ pater abſtinuit: mox & præputia ponunt:
Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaïcum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes,
Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.
Sed pater in cauſa, cui ſeptima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam,
Sponte tamen juvenes imitantur cætera: ſolam

neque arbitrantur ab *humana carne differre porcinam, qua parens abhorruit: deinde, reſecant etiam præputia, Romanorum vero Jura ſpernere aſſueti diſcunt, tenentque & verentur Leges Judaeorum,* & *quicquid ſecreto codice mandavit Moſes: haud iter indicare præterquam eandem religionem profitenti,* atque *ad petitam ſcaturiginem tantummodo circumciſos dirigere. Auctor vero parens, qui otioſam duxit diem unamquamque ſeptimam, nullumque vitæ munus obiit. At alia ultro æmulantur adoleſcentes, unam*

ANNOTATIONES.

98 *Nec diſtare putant,* &c.] Tam abhorrent ab edenda ſuilla carne, quàm ab humana; Judæorum more. Hi enim ſue abſtinent, inquit Cornel. Tacit. mox cit. ubi & falſam addit rationem, nempè quòd ſcabie laborârint, cui morbo id animal obnoxium: at vera eſt quæ habetur Levit. 11. nimirùm quòd immundum ſit hoc animal, atque luto amicum, ut ait Horatius. Sic enim docebantur illi abſtrahere mentem à ſordidis ac imis cogitationibus, atque ad cœleſtia erigere. Vide Lactantium.

99 *Præputia ponunt.*] Cornelius Tacitus ibid. *Judæi genitalia circumcidunt, ut diverſitate noſcantur. Tranſgreſſi in morem eorum idem uſurpant.* Vide Geneſ. cap. 17. v. 10 & ſeq. Deuteron. cap. 11. v. 16. Item Annot. ad Perſ. Sat. 5. v. 184.

102 *Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.*] Nec enim Gentibus evulgabant Judæi ſuos ritus ac mores, quos Moſes ſcripto commendavit eis Pentateucho. Conſtat nihilominùs Ethnicis non latuiſſe Sacros Libros, cùm ex eis pleraque ſuas in Fabulas traduxerint. Sic diluvii generalis, ac Noëmi ejuſque filiorum Hiſtoriam Deucalioneis commentis utcunque expreſſerunt: ſic & Iphigeniâ ſuâ, Iſaacum, & Jephte filiam, *&c.*

Moſes.] Vox Hebraica ſignificans *abſtractum.* Is revera ex aquis aſſumptus à filia Pharaonis Regis Ægypti & ejus curâ educatus fuit; ut fusè narratur Exod. cap. 2. Annos natus octoginta, apparente ſibi Deo in rubo ardente, conſtitutus eſt Iſraelitarum Dux: tum è ſervitute vindicatos per aquas Rubri maris mirabiliter interruptas tranſvexit; Pharaonem verò & Ægyptos jam multis anteà prodigiis fractos, fluctibus denique ſubmerſit. Diem ſuum obiit ſupremum anno ætatis centeſimo vigeſimo, ante Chriſtum ferè milleſimo quingenteſimo, ſuccedente ipſi Joſuë. Plin. Lib. 30. cap. 1. Moſen ut artis Magicæ anteſignanum celebrat, accenſetque Jamni aliiſque Magis Pharaonis. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 10. cap. 1.

103 *Non monſtrare vias,* &c. Unis adeo ſuâ religione imbutis conſueſcere ſoliti ſunt, ut nec errantes in viam, nec ſitientes ad quæſitas aquas perducant alienos. Tacit. cit. *Separati epulis, diſcreti cubilibus, miſericordiam inter ſe, adverſus alios omnes hoſtile odium exercent,* inquit. Verùm id imperârat ſapienter Deus, ne profanis Gentium religionibus ipſâque idololatriâ contaminarentur. Deuteron. 7. De iis Cic. Offic. 3. n. 55. *Quid aliud eſt erranti viam non monſtrare, quod Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt,* &c. Cæterùm hunc verſum & ſequentem non nemo collocandos putavit ante iſtos, *Judaicum ediſcunt,* &c. Id quidem textum & ſenſum facit aliquantò clariorem; at repugnant optimorum Exemplarium fides.

104 *Verpos.*] Apellas vocat Horatius; recutitos Perſius. Vide Annot. ad Perſ. Sat. 5. v. 184.

105 *Sed pater in cauſa.*] Superſtitioſus pater exemplo ſuo ſuperſtitioſum fecit filium.

Septima lux ignava.] Feriata ſine ullo opere. Ita per Moſen Deus Populo ſuo mandaverat. Exod. 35. & Deuteron. 5. Vide ſuprà in voce *Sabbata.* Corn. Tacit. jam cit. ſic habet: *Septimo die otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit: dein blandiente inertia ſeptimum quoque annum ignaviæ datum,* &c.

106 *Partem vitæ non attigit ullam.*] Nihil operis eâ die peregit. Ad laborem vivimus, nec vivere cenſetur qui nihil agit. Ergo pars vitæ præcipua quidem labor eſt & opus. Atque ad id homo damnatus. Geneſ. 3. Natus verò dicitur ad laborem, Job cap. 5. v. 7.

107 *Sponte tamen juvenes imitantur,* &c.] Avarum patrem habentes filii avaritiam diſcunt, & quaſi laudabilem parſimoniam colunt.

Inviti

Digitized by Google

autem avaritiam reluctantes etiam coguntur amplecti. Nam vitium decipit imagine & ſimulatione virtutis, quoniam habitu grave eſt ac fronte veſtimentoq; auſterum. Neque dubitanter avarus commendatur velut frugalis, ut vir temperans: atque fortunarum ipſius cuſtodia ſecurior, quàm ſi opes iſtas tueatur Heſperidum vel Ponti draco. Accedit quod eum, de quo verba facio, præclarum exiſtimat plebs & venerandum opificem. Nam ejuſmodi artificibus amplificantur divitiæ, at augentur quavis ratione, & accreſcunt diligenti incude, atque fornace nunquam non ſuccenſa. Itaque parens etiam beatos mente avaros putat, qui divitias laudat, qui nulla egentis felicis exempla

Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.
FALLIT enim vitium ſpecie virtutis & umbra,
Cum ſit triſte habitu, vultuque & veſte ſeverum.
Nec dubiè tanquam frugi laudatur avarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum
Certa magis, quàm ſi fortunas ſervet eaſdem
Heſperidum ſerpens, aut Ponticus. Adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat, atque verendum
Artificem: quippe his creſcunt patrimonia fabris,
Sed creſcunt quocunque modo, majoraque fiunt
Incude aſſidua, ſemperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati

ANNOTATIONES.

109 *Fallit enim vitium ſpecie virtutis.*] Horatius ad Piſones, v. 25.

Decipimur ſpecie recti.

110 *Cum ſit triſte habitu,* &c.] Quoniam avaritiæ vitium hominem facit triſtem, ſeverum, luxuriæ inimicum, hinc vanâ virtutis umbrâ & ſpecie parùm cautos decipit: & parvo contentus ac temperans habetur qui triparcus & turpis eſt avarus, Senec. *Timidus ſe cautum vocat; ſordidus parcum, &c.*

112 *Tanquam parcus,* &c.] Horatius ad Piſones, v. 170.

Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.

114 *Heſperidum ſerpens.*] Draco pervigil aurea mala cuſtodiens in horto Heſperidum. Vide Annot. Sat. 5. v. 152.

Ponticus.] Sat. 1. v. 10. Diximus de Dracone altero Aurei Velleris cuſtode, quod tamen annitente Medeâ Jaſon rapuit è Colchide regione Ponti.

115 *Verendum artificem.*] Alii legunt, *acquirendi artificem.*

116 *Eabris, incude, camino.*] Metaphora à monetæ fabricatoribus.

117 *Sed creſcunt quocunque modo.*] Per fas & nefas.

118 *Incude aſſiduâ.*] Pertinaci labore & operâ, ſudoribus aſſiduis ac vigiliis, cupiditate flagrantes, lucro ſemper inhiantes quæſtum faciunt illi, augentque opes, ac nummos veluti cudunt & congerunt.

119 *Et pater ergo animi felices credit avaros.*] Horatius Lib. 1. Epiſt. 15, v. ult.

Vos ſapere, & ſolos aio benè vivere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

120 *Nulla exempla beati pauperis.*] Attamen cum Deus interrogaretur, quis finem ac fidem veræ felicitatis impleſſet, Apollinis oraculo declaratus eſt feliciſſimus Aglaus Arcas qui nunquam agellum patrium exceſſerat: inquit vetus Schol. poſt Plin. Lib. 7. cap. 46. quem vide. Paupertatis encomium Apuleius egregiè perſequitur in Apolog. ubi ſic habet: *Enimverò paupertas olim Philoſophiæ vernacula eſt, frugi, ſobria, parvo potens, æmula laudis, adverſum divitias poſſeſſa, habitu ſecura, cultu ſimplex, conſilio beneſuada: neminem unquam ſuperbia inflavit, neminem impotentia depravavit, neminem tyrannide efferavit. Delicias ventris & inguinum neque vult ullas, neque poteſt. Quippe hæc & alia vitia & flagitia divitiarum alumni ſolent. Maxima quæque ſcelera ſi ex omni memoria hominum percenſeas, nullum in illis pauperem reperies: ubi contra hæc temerè inter illuſtres viros & divites comparent; ſed quemcumque in aliqua laude miramur, cum paupertas ab incunabulis nutricata eſt. Paupertas, inquam, priſca apud ſæcula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim eſt paupertas apud Græcos in Ariſtide juſta; in Phocione benigna, in Epaminonda ſtrenua, in Socrate ſapiens, in Homero diſerta. Eadem paupertas etiam Populo Romano Imperium à primordio fundavit; proque eo in hodiernum Diis immortalibus ſimpurio & catino fictili ſacrificat;* &c. quæ ibid. lege.

Pauperis

Digitized by Google

Pauperis eſſe putat, juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediſcere ſordes.
Mox acquirendi docet inſatiabile votum.
Servorum ventres modio caſtigat iniquo,
Ipſe quoque eſuriens: neque enim omnia ſuſtinet unquam
Mucida cœrulei panis conſumere fruſta,
Heſternum ſolitus medio ſervare minutal
Septembri; nec non differre in tempora cœnæ
Alterius, conchem æſtivi cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique ſiluro,
Filaque ſectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.
Sed quò divitias hæc per tormenta coactas?
Cum furor haud dubius, cum ſit manifeſta phreneſis,

extare *arbitratur, monet adoleſcentes ut idem iter ineant ac ſimile inſtitutum colant. Sunt aliqua ſcelerum principia: his ſtatim eos informat, jubetque tenuiſſimas* lucri *fœditates edoceri: tum ſuggerit inexplebile* opes *accumulandi deſiderium. Famulorum abdomen defraudat injuſto modio, ipſe pariter famelicus.* Nam *haud* ſibi *indulget unquam cuncta comedere fragmenta panis* licet e *rancore cyanci; aſſuetus pridianum minutal dimidio Septembri cuſtodire, atq;* in aliam *diem reſervare conchem alterius prandii obſignatam, cum particula lacerti æſtivalis, aut colia medio & fœtente; & computatos porri ſectilis ſarculos includere. Quiſpiam de ponte ad iſta vocatus abnuet. At quorſum opes per iſtos cruciatus accumulatas? Quandoquidem certa eſt inſania & aperta dementia,*

ANNOTATIONES.

121 *Juvenes hortatur, &c.*] Vide Horat. ad Piſones v. 324. & ſeq.

122 *Eidem incumbere ſecta.*] Sequi exempla & rationes fœneratorum & avarorum.

124 *Cogit minimas ediſcere ſordes.*] Pater filios erudit in arte quæſtus faciendi etiam circa minima: docet eos diligenter ſordidæ cupiditatis aſtus omnes technaſque vel tenuiſſimas.

126 *Modio iniquo.*] Menſura ciborum nimis parva: dimenſo cibo. Quaternos frumenti modios in menſem ſervi accipiebant: hocque dimenſum vocabatur; inquit Donat. in Terent.

129 *Minutal.*] Vel e carnibus reſiduis minutatim conciſis; vel condimenti genus a marino piſce, liquamine, oleo, vino, porris, coriandro.

130 *Septembri.*] Autumnali tempore, quo facile corrumpuntur obſonia ob humidam tepidamque cœli temperiem. Vide Annot. Sat. 6. v. 516.

131 *Conchem.*] Vide Sat. 3. v. 293. & ibid. Annot.

Æſtivi.] Alii legunt, *Æſtivam.*

Æſtivi lacerti.] Æſtivo calore facile putreſcentis. Attamen ſalſum piſcem ait vetus Schol. Colias vocatur Athenæo & Plinio. Athen. Lib. 3. cap. 33. ait Coliam & Sardam magnitudine pares: Coliam glutinoſiorem, acriori ſcillæ guſtu, mordaciorem, pejori ſucco; præſtantiorem eſſe Amyclanum, & Hiſpanum, qui Sexitanus dicitur, cui nimirum tenuior & dulcior caro eſt. Additque ex Strabone 3. Geograph. prope Herculis Inſulas & Carthaginem novam eſſe urbem Sexitaniam, a qua ſalſamenta cognominantur. Plin. Lib. 32. cap. 11. *Colias*, inquit, *ſive Parianus, ſive Sexitanus à patria Bætica, lacertorum minimus*, vel ut alii legunt, *Æmulus*. Hujus piſciculi cauda imprimis laudabatur, teſte Martiale lib. 7. Epigram. 77.

Dum Sexitani ponatur cauda lacerti,
Et benè ſi cœnas, conchis inuncta tibi eſt.

132 *Signatam.*] Sigillo munitam adverſus gulam & fraudem ſervorum. Vide Perſ. Sat. 6. v. 17. Annot.

Siluro.] Piſciculo, de quo ante, Satir. 4. v. 33.

133 *Sectivi porri.*] Non capitati, quod majus eſt. De utriſque Plin. lib. 19. cap. 6 ubi & *porro ſectivo datam auctoritatem a Nerone Principe, vocis gratia*, inquit idem Lib. 20. cap. 6.

Includere.] In Promptuario.

134 *Aliquis de ponte.*] Mendicus ad pontis iter ſedens. Vide Sat. 4. v. 116. ibique annotata.

Negabit.] Reſpuet ejuſmodi cibaria.

135 *Sed quo divitias, &c.*] Ad quid habes divitias ſi non iis uteris.

Phreneſis.] Horatius.

Danda eſt ellebori multo pars maxima avaris?

Ut locuples moriaris egenti vivere fato?
Interea pleno cum turget ſacculus ore,
CRESCIT amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit:
Et minus hanc optat, qui non habet. Ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non ſufficit unum,
Et proferre libet fines; majorque videtur,
Et melior vicina ſeges. Mercaris hanc, &
Arbuſta, & denſâ montem qui canet olivâ.
Quorum ſi pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, laſſoque famelica collo
Armenta ad virides hujus mittuntur ariſtas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia ſævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix poſſis, quam multi talia plorent,
Et quot venales injuria fecerit agros.
Sed qui ſermones? Quæ fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc? Inquit. Tunicam mihi malo lupini,

inopi ſorte victitare, ut dives excedas e vita? *Interim quando loculus inflatur ore redundanti, ut ipſi nummi augeſcunt,* ita *augeſcit pecunia cupiditas: quique illis caret, minus cupit. Itaque tibi ſecunda acquiritur domus* ruſtica, *quando villa unica haud ſatis eſt, placetque terminos extendere: agrum autem finitimum ampliorem & fertiliorem judicas; illum etiam emis, arbuſtaque, & collem oleis frequentibus albeſcentem, quorum ſi poſſeſſor nullâ pecuniâ ſuperatur, macilent boves & armenta fatigatâ cervice eſurientia noctu deducuntur ad virentem illius ſegetem, neque hinc* ad *ædes* retrahuntur, *antequam univerſæ fruges in diras fauces tranſierint*; ita *ut putâris* rem *falcibus confectam. Difficulter enumeraveris quot lugeant ſimilia, & quam multos campos vendere coëgerit moleſtia. Verum enimverò quinam rumores? Quæ turpis exiſtimationis tuba? Ecquid obeſt illud? ait: potiorem mihi duco ſiliquam lupini,*

ANNOTATIONES.

137 *Egenti vivere fato.*] Fatali paupertate temetipſum excruciare, genium defraudare, metu futuræ inopiæ. Cic. de Senect. n. 65. *Avaritia verò ſenilis, quid ſibi velit non intelligo: poteſt enim eſſe quidquam abſurdius, quàm quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?*

139 *Creſcit amor nummi.*] Horatius Lib. 3. Ode 16.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames.

142 *Majorque videtur, &c.*] Hor. lib. 1. Sat. 1.

Quodque aliena capella gerat diſtentius uber,
Tabeſcat.

144 *Canet olivâ.*] Albentibus oleæ floribus caneſcit.

145 *Quorum ſi pretio, &c.*] Quod ſi vicinæ ſegetis, arbuſti & oliveti dominus ea vendere renuit oblato pretio; tum vero potens avarus adeo moleſtiis & injuriis fatigat, ut ille vel invitus ad venundandos agros & prædia cogatur.

147 *Armenta ad virides hujus mittuntur ariſtas.*] Immiſſa noctu a vicino divite *armenta*, vel, ut alii legunt, *jumenta*, ſegetem depaſcuntur ac devaſtant: unde illius dominus redactus ad paupertatem, agrum vendit ut vivat: iſte vero ſic fruitur optatis.

148 *Novalia.*] Novale eſt quod alternis annis ſeritur. Plin. lib. 18. cap. 19.

149 *In ventres abeant.*] Nempe devorata a jumentis & pecoribus.

Falcibus actum.] Segetem falcibus ſuccisſam.

152 *Sed qui ſermones?*] Poëta ad avarum ait: etenim malam tibi famam comparas.

153 *Quid nocet hoc?*] Reſpondet avarus; mala fama quid nocet? Pluris facio lupini tunicam, vilem rem licet, quam bonam famam & exiſtimationem cum paupertate.

Sat. 1. v. 48.

Quid enim ſalvis infamia nummis?

Horat. Sat. 1.

Quidam memoratur Athenis,
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Lupini.] Lupinum leguminis genus valde amarum, de quo Athen. lib. 2. cap. 14. in quo refert Zenonem erga familiares durum atque iracundum, at cum vino ſe largius ingurgitaſſet, lenem ac benignum, aliquando interrogatum fuiſſe a quodam: Quid ita fieret, & quomodo ſic ingenium mutaret? Reſpondiſſe, id ſibi accidere quod lupinis: nam lupinos antequam madefiant aqua, amariſſimos eſſe, at cum macerati ſunt & appoti, fieri mitiſſimos! Plin. lib. 18. cap. 14. ait *Lupinum hominibus juxta & quadrupedibus utile, cum Sole quotidie circumagi, horaſque agricolis etiam nubilo demonſtrare.* Eraſm. Chiliad. 2. Cent. 7. Adag. 98. *Lupinum potum dicitur*, inquit, *adverſus eos qui gravi periculo voluptatem emunt.*

iam

Digitized by Google

Quam ſi me toto laudet vicinia pago
Exigui ruris pauciſſima farra ſecantem.
Scilicet & morbis & debilitate carebis,
Et luctum & curam effugies, & tempora vitæ
Longa tibi poſt hæc fato meliore dabuntur;
Si tantum culti ſolus poſſederis agri,
Quantum ſub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica paſſis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladioſque Moloſſos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus. Merces ea ſanguinis atque laboris
Nullis viſa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ. Saturabat glebula talis
Patrem ipſum, turbamque caſæ, quâ fœta jacebat
Uxor, & infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: ſed magnis fratribus horum
A ſcrobe vel ſulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri noſtro non ſufficit horto.
Inde fere ſcelerum cauſæ, nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius ullum

quàm ſi vicinitas omni me vico celebret metentem agelli parvi exiguam ſegetem. Nimirum ægrotationis etiam ac infirmitatis eris expers, atq; mæſtitiam & ægritudinem eluctaberis, ac diuturnum vivendi ſpatium tibi poſteà concedetur benigniori ſorte, ſi tantundem exculti campi unus habueris, quantum Romana Plebs colebat ſub Tatio. Dein quoque ſenio debilitatis, & Carthaginienſes pugnas expertis, aut immitem Pyrrhum, & Moloſſorum enſes, denique pro frequentibus plagis duo jugera ad ſummum concedebantur. Id cruoris ſudorumque pretium nullis unquam meritis inferius habitum eſt, *vel immemoris patriæ exigua pietas. Agellus iſtiuſmodi nutriebat parentem ipſum, & numeroſam tugurii familiam; ubi conjux puerpera cubabat, ludebantq; puerculi quaterni, ſervulus unus, heri terni: iſtorum verò fratribus grandioribus à foſſa vel ſulco reverſis aliud prandium majus* parabatur, *ingenteſque lebetes pultibus fumabant. Jam* vero *campus ille modicus haud ſatis eſt horto noſtro. Hinc fermè criminum* origo: *nullumque humani ingenii vitium* aut *toxicum ſæpius temperavit,*

ANNOTATIONES.

154 *Pago.*] πηγῶν, Dorice παγῶν dicitur, quod prope fontes, ut adaquatio ſit facilior, exſtrui villæ ſolent. Vide Turneb. lib. 2. cap. 3.

156 *Scilicet & morbis, &c.*] Hæc ironice Poëta in avarum: ſcilicet cum pecunia abundabis, habebis omne bonum, nec te ulla ægritudo impugnabit; fugient morbi, & luctus; arcebis etiam mortem, aut ſaltem ævum produces.

260 *Quantum ſub Tatio.*] Tum anguſti erant imperii naſcentis fines, quando Titus Tatius Dux Sabinorum, icto fœdere cum Romulo, in urbem receptus conſociavit Imperium. Livius, Florus, *&c.*

161 *Mox etiam fractis, &c.*] Priſcorum Romanorum frugalitatem obiter commendat.

Punica Prælia.] Vide Sat. 10. v. 155. & præced. ibidemque Annot. De bellis autem Punicis Florum Lib. 2. cap. 2. 6, & 15. Tit. Liv. &c.

162 *Pyrrhum immanem.*] Regem illum Epirotarum acris adeo bellicoſiq; animi, ut nec vincens nec victus poſſet quieſcere, reſque ſemper novas moliretur, teſte Plutarcho in ejus vita. De eo Florus Lib. 1. cap. 18. Juſtinus Lib. 16. & ſeq. &c.

Moloſſos.] Vide Sat. 12. v. 108. ibique Annot.

163 *Jugera bina dabantur.*] Scilicet militibus Romanis emeritæ præmium militiæ.

170 *A ſcrobe vel ſulco.*] A fodiendo, vel arando.

Cœna amplior.] Ratione majoris laboris.

171 *Pultibus.*] Vide Annot. Sat. 7. v. 185. Præſertim vero Perſ. Sat. 6. v. 40.

172 *Modus hic agri.*] Duo jugera nobis non ſufficiunt ad hortos ac delicias, quæ pridem ſatis erant ad alendam ſuo proventu familiam integram.

173 *Inde ferè ſcelerum cauſa.*] E cupiditate veneficia, homicidia, latrocinia, omniumque ſcelerum fluxit eluvies. Apoſt. Paul. 1. ad Timoth. cap. 6. *Radix omnium malorum cupiditas.*

Virgil. Æneid. 3.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Humanæ mentis vitium, quam ſæva cupido
Indomiti cenſus. Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quæ reverentia legum?
Quis metus, aut pudor eſt unquam properantis avari?
Vivite contenti caſulis, & collibus iſtis,
O pueri, Marſus dicebat & Hernicus olim,
Veſtinuſque ſenex: panem quæramus aratro,
Qui ſatis eſt menſis. Laudant hoc Numina ruris,
Quorum ope & auxilio, gratæ poſt munus ariſtæ,
Contingunt homini veteris faſtidia quercus.
Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi; qui ſummovet Euros
Pellibus inverſis. Peregrina ignotaque nobis
Ad ſcelus atque nefas, quodcumque eſt, purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus. At nunc

vel telo ſæviit frequentius, quam dira cupiditas opum infinitarum. Quiſquis enim cupit eſſe locuples, etiam repente eſſe cupit. Quænam verò legum obſervantia? Quis timor unquam eſt aut verecundia avari feſtinantis? Marſus & Hernicus, & Veſtinus ſenex, aiebat pridem; o juvenes, ſatis habete tuguria hæc & montes: arando paremus victum ſufficientem menſæ: id placet agreſtibus Diis, quorum favore & adminiculo quercus antiqua nauſea cepit homines poſt dona jucundioris ſegetis. Prohibitum nihil perpetraſſe cupiet qui non erubeſcit per gelu excelſo perone veſtiri, qui Euros arcet inverſis pellibus. Ad crimen & flagitium quodlibet incitat purpura externa & nobis incognita. Priſci illi dabant *ea monita junioribus: jam vero*

ANNOTATIONES.

178 *Properantis.*] Ad magnas opes, & cito ditari cupientis.

179 *Collibus iſtis.*] Montanis agris, quos paulo difficulter colendo panem habeamus, & victum neceſſarium.

180 *Marſus.*] Marſi Italiæ populi ſub Samnitibus, a Marſo Circes filio dicti, Solino teſte; hodie, *Ducato de Marſi.*

Hernicus.] Et hic fuit Latii populus, vetus colonia Pelaſgorum, ab Hernico Duce nuncupatus. Macrob. lib. 5. Saturnal. c. 18. ex. Jul. Hygino.

181 *Veſtinus.*] Ea gens Samnitibus proxima.

183 *Grata poſt munus ariſta.*] *Poſtquam Ceres invenit frumenta; cum antea glande veſcerentur: eadem verò molere, & conficere in Attica, Italia, & Sicilia, ob idque Dea judicata.* Hæc Plinius, Lib. 7. cap. 56. initio.

Virgilius Georgic. 1.

Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta.

Et Ovid. Faſt. Lib. 1.

Placentur frugum matres Telluſque, Cereſque
Farre ſuo, &c.
Hæc præbet cauſam frugibus, illa locum.
Conſortes operum, per quas correcta vetuſtas
Quernaque glans victa eſt utiliore cibo.

Et Faſt. Lib. 4.

Panis erant primis virides mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modo carpebant vivam è ceſpite gramen,
Nunc epulæ tenerâ fronde cacumen erant.
Poſtmodo glans nata eſt: bene erat, jam glande repertâ;
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.

Vide Cœl. Rhodig. Lib. 16. cap. 3. ubi ſic habet: *Arcadas glandibus veſci docuit Rex eorum Pelaſgus, perſeveravitque diu pleriſque diæta ratio hæc, inquit Pauſanias,* &c. Deinde, *Mitiorem Arcadibus victum induxiſſe Arcas dicitur primus, ac panis docuiſſe rationem,* &c. Idem Pauſanias in Laconicis, ait Myletam Lelegis filium molam primum reperiſſe, ejuſque uſum in molendis frugibus.

184 *Contingunt homini veteris faſtidia quercus.*] Homines jam meliore fruentes alimento, viliores ac deteriores cibos, e quercu glandes, quibus ante veſcebantur, faſtidire cœperunt.

186 *Perone.*] Vide Annot. Ad Perſ. Sat. 5. v. 102. ad vocem *Peronatus.*

Euros.] Ventorum frigus & moleſtiam.

187 *Pellibus inverſis.*] Converſis ad corpus lana, villis, pilis, non tam ornatus quam caloris fovendi gratia.

Peregrina.] Tyria, Laconica, Africana.

Ignotaque.] Quia Romæ non conficitur.

188 *Purpura.*] Synecdoche, Luxus & pompa veſtium, magnificæ ſupellectilis cupido, ambitio, ſuperbia.

Poſt

Digitized by Google

Poſt finem Autumni mediâ de nocte ſupinum
Clamoſus juvenem pater excitat; accipe ceras,
Scribe puer, vigila, cauſas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem poſce libello.
Sed caput intactum buxo, nareſque piloſas
Annotet, & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, caſtella Brigantum,
Ut locupletem Aquilam tibi ſexageſimus annus
Afferat: aut longas caſtrorum ferre labores
Si piget, & trepido ſolvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares quod vendere poſſis

Autumno tranſacto, nocte concubiâ, parens aſſidue vociferans deſidem puerum jubet ſurgere, *aitque*; o *juvenis, ſume* tabellas *ceratas, literas exara, elucubra, orationes conſcribe, evolve rubeas antiquorum leges, vel ſcripto vitem pete. At Lælius obſervet impexum buxo caput, & naſum pilis* hirſutum, *magnaſque laudet axillas. Everte mapalia Numidarum, ac Britannorum caſtella, ut ætas ſexagenaria tibi producat Aquilam divitem. Vel ſi tædet ſuſtinere labores militiæ diuturnos, ac tibi trementi laxant alvum audita cornua cum buccinis, compara quod vennundare queas*

ANNOTATIONES.

190 *Poſt finem Autumni.*] Quo tempore lucubrationes ſuas ſtudioſi veteres auſpicabantur: noctibus jam longioribus, vel ſæviente hyeme & frigore, non parcit, urget, excitat. Hoc melius.

Supinum.] Dormientem, pigrum.

191 *Ceras.*] In ceratis enim tabellis ſtylo ſcribebant olim.

192 *Cauſas age.*] Agendas in foro contexe orationes.

Rubras majorum leges.] Rubricas juris. Vetus Schol. Quintil. Lib. 12. c. 3. *Alii ſe ad album ac rubricas tranſtulerunt, & Formularii, vel, ut ait Cicero, Leguleii quidam eſſe maluerunt, tanquam utiliora eligentes,* &c. Ubi per album, prætorium Jus, per rubricas Jus Civile, quod duodecim tabulis continebatur, intellexit Fabius, ex Turnebo Lib. 4. cap. 5. Vide Annot. ad Perſ. Sat. 5. v. 90. in voce, *Rubrica.*

193 *Vitem.*] Centurionis munus, cujus inſigne vitis erat, quique vite caſtigabat milites. Vide Plutarchum in vita Galbæ, ſub finem. Et quæ notavi Sat. 8. v. 247.

Libello.] vel ſupplice, vel laudatorio, ad animum imperatoris demerendum.

194 *Sed caput intactum buxo, nareſque piloſas, &c.*] Exhibe vero te incultum ac piloſum: ſic enim videbere ſtrenuus ac militiæ magis idoneus.

Buxo.] Pectine e buxo.

195 *Grandes alas.*] Grandibus pilis hirſutas, quod te robuſtum probabit. Vide Sat. 2. v. 11.

Lælius.] Clarus aliquis Imperator, ſub quo militabis, ſimilis ejus Lælii Scipioni Africano admodum familiaris, de quo etiam multa Cicero.

196 *Dirue Maurorum attegias, &c.*] Aerem vero te bellatorem oſtende, ut hinc aſſequare dignitates ac munera bellica quibus diteris.

Attegias.] Tabernacula, caſas, quas ſibi Mauri ſtruere conſueverunt.

Brigantum.] Britanniæ ſeu Angliæ populorum, quos Eboracenſes eſſe volunt nonnulli.

197 *Ut locupletem Aquilam tibi ſexageſimus annus afferat.*] Id eſt, ut annos ſexaginta natus, emeritis jam ſtipendiis, obtineas ſigniferi munus, quo locupletere. Vide Sat. 10. v. 43. ibique annot.

Sexageſimus annus.] Tunc enim honeſta militibus dabatur miſſio. Vetus Schol. Alii miſſionem quinquagenario militi dari ſolitam affirmant, Vide Alex. ab Alex. Lib. 6. cap. 22. &c.

198 *Aut longos caſtrorum ferre labores ſi piget.*] Quod ſi militare piget, mercaturam & negotiationem exerce, & quocumque modo quæſtum fac.

199 *Trepido ſolvunt tibi cornua ventrem.*] Si bellorum horror ac periculi metus tibi laxat alvum, teque adeo deterret. Ex Ariſtot. Problem. & Macrob. Lib. 7. cap. 11. *Laxamentum ventris comitatur timorem; quia muſculi quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugientes introrſum anima virtute deſtituti, laxant vincula quibus retrimenta uſque ad digeſtionis opportunitatem continebantur.*

Cornua cum lituis.] Educendi exercitus & conferendi certaminis ſignum apud Romanos concentus erat tubarum & cornuum, & ſi quando ſilentio educendum foret, teſſeram fuiſſe accepimus. Tubam Tyrrhenus Piſæus invenit primus æneam (ex. Plin. lib. 7. cap. 56.) cum antea ex cornu bubulo fieret: tuba pedites, equites lituo ad pugnam vocabantur. Cum movenda erant caſtra, cornicines ſignum dabant: excubias autem ſomnique & vigiliarum tempora buccina deſignabat. Quod ſi legiones in hoſtem ducendæ, & acie decernendum foret, aut receptui canendum, tum ſimul cornua tubæque canebant, &c. quæ habet Alex. ab. Alex. Lib. 4. cap. 2. Vide Macrob. lib. 6. cap. 8.

Pluria

Digitized by Google

Pluris dimidio, nec te faſtidia mercis
Ullius ſubeant ablegandæ Tiberim ultra:
Neu credas ponendum aliquid diſcriminis inter
Unguenta & corium. Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet. Illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur, Diis atque ipſo Jove digna, Poëtæ:
Unde habeas, quærit nemo, ſed oportet habere.
Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem;
Hoc diſcunt omnes ante Alpha & Beta puellæ.

*dimidio majore pre*tio, *neque te invadat nauſea ullius mercis mittendæ trans Tiberim, nec quidquam diſtare exiſtima unguentum a pelle. Gratus eſt odor quæſtus è quacunque re. In ore tuo volvatur aſſiduè pronunciatum illud vatis* Ennii, *dignum Numinibus ipſoque Jove: nullus petit undè poſſideas* opes, *at poſſidere neceſſe eſt. Anus id docent parvulos aſſem rogantes; id cunctæ ſciunt adoleſcentulæ præ Alpha & Beta.*

ANNOTATIONES.

201 *Pluris dimidio.*] Quam conſtiterat.

Nec te faſtidia mercis ullius ſubeant.] Nec mercem ullam fœtidam licet aſpernare, modo fructuoſa ſit & quæſtuoſa.

202 *Ablegandæ Tiberim ultra.*] Scilicet in Tranſtiberina regione exercebantur opera ſordida, ut excoriationes, ſulphurata, &c. Martial. Lib. 1. Epigram. 42.

Hoc quod Tranſtiberinus ambulator,
Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis.

Et Lib. 6. Epigram. 93.

Non detracta cani Tranſtiberina cutis.

203 *Neu credas ponendum aliquid diſcriminis inter, &c.*] Quæſtuoſa ſi quæ ſunt, perinde habe, ſive unguenta bene & ſuave olentia, ſive corium male olens ac fœtidum.

204 *Lucri bonus eſt odor ex re qualibet.*] Alludit ad id quod de Veſpaſiano Suetonius refert cap. 32. Is nempe *reprehendenti filio Tito; quòd etiam urinæ vectigal commentus eſſet, pecuniam ex prima penſione admovit ad nares, ſciſcitans num odore offenderetur: & illo negante; Atqui inquit, è lotio eſt.*

206 *Poëta.*] Ennii ſcilicet, qui quidem ironice ſententiam illam pronunciavit: pariter & Juvenalis hic.

208 *Hoc monſtrat vetulæ pueris poſcentibus aſſem.*] Pravum hoc avaritiæ ſtudium vetulæ monſtrant pueris, jam tum cum crepundia duntaxat amant, & ad ea emenda frequenter aſſem petunt. Vide Annot. Sat 5. v. 144. ad eas voces *Aſſemque rogatum.* Item præcedent. & ſequent. is profecto ſenſus eſt. Hinc vero nonnulli corrigunt (magna quanquam mutatio!)

Hoc monſtrant vetulæ pueris repentibus aſſæ:

Id eſt, pueris vixdum gradientibus hoc monſtrant vetulæ aſſæ, ſeu nutrices & famulæ iis cuſtodiendis & curandis adhiberi ſolitæ. *Aſſas nutrices,* inquit Nonnius Marcellus, *difficilis multi exiſtimant intellectus. At verò acri intentione indagare potuimus, ob eam proprietatem officii, eo nomine nuncupari, quòd aſſint his quos nutriunt, nec ab eis vel exiguo divellantur: unde & aſſeculas, ſeu aſſeclas, eo quòd aſſint, & omnibus juſſis dominorum praſtò ſint, eſſe vocitatas.* Adſtipulator etiam adeſt vetus Schol. atque tum lectioni iſti tum interpretationi favet. *Aſſa,* inquit, *dicitur nutrix, quæ lac non præſtat infantibus, ſed diligentiam & munditiam adhibet. Illa ergo nutricula ſicca vetuſta infantibus monſtrat,* ſcilicet avaros jam tum eſſe. Accedit porro Johan. Iſaac. Pontanus: ac ne aſymbolus venire videatur, conjecturam e conjectura contexens, hic aſſerit legendum, *pueris paſcentibus,* non *poſcentibus,* quod tamen in manuſcriptis, diſerteque in ſuo fatetur legi. Illud vero ſic aſſerit, *ne vel ipſi Pyrrhonii Philoſophi, qui de omnibus addubitare ſolebant, addubitent.* Hæc ille ſuis in Notis ad Macrob. Saturn. Lib. 7. cap. 16. Sua ſit fides ariolis conjectoribus ac divinis: veruntamen prima lectio retinenda cenſeatur; eaque integra ſervetur.

209 *Hoc diſcunt omnes ante Alpha & Beta puellæ.*] Has etiam avaritiæ ſordes edocentur a teneris ipſæ puellulæ antequam legere addiſcant, litteraſq; primas Alphabeticas noſſe & appellare.

Alpha & Beta.] Heus Heus corruptores: hem ad rectam Græce pronunciandi rationem, vel duce Poeta noſtro, ſi ſapitis, redite. Age vero, Joannes Britannice, alioqui bonus Interpres, quid hic garris? *Legendum eſt,* inquis, *Vita, non, Beta; cum nomina ſint Græcarum litterarum;* Ohe, vir cætera ſapiens, quis te malus repente afflavit Genius? An vero tam ſupinum Juvenali errorem impingere non dubitas? Ipſum vero frementem audi, tibique occinentem e Satira ſua 6. v. 28, & 29.

Certe ſanus eras ———
Dic quâ Tiſiphone, quibus exagitare colubris?

At quoniam inſanire libet tibi, dic ſaltem, amabo, dic quibus in Codicibus, quibus in Manuſcriptis uſquam talia comperiſti?

Talibus

Digitized by Google

Talibus inſtantem monitis quemcunque parentem
Sic poſſem affari: dic, o vaniſſime, quis te
Feſtinare jubet? Meliorem præſto magiſtro
Diſcipulum. Securus abi: vinceris, ut Ajax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum eſt teneris; nondum implevere medullas
Nativæ mala nequitiæ: cum pectere barbam
Cœperit, & longi mucrōnem admittere cultri,
Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſumma
Exigua, Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam jam crede nurum, ſi limina veſtra
Mortifera cum dote ſubit. Quibus illa premetur
Per ſomnum digitis? Nam quæ terraque mariq;
Acquirenda putes, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni ſceleris labor. Hæc ego nunquam

Ejuſmodi cohortationibus urgentem quemlibet patrem ita fas eſſet alloqui: fare, o leviſſime, quiſnam te properare adigit? Diſcipulum prabeo doctore ſolertiorem. Diſcede tutus; ſuperaberis, velut Ajax Telamonem vicit, ſicut Achilles Peleum anteceſſit. Indulgendum eſt mollioribus: naturalis, improbitatis perverſitas non replevit adhuc medullas: quando barbam inceperit depectere, & oblonga novacula aciem admovere, fiet teſtis mendax, perjuria venundabit modica pecunia, Cereris etiam altare ac baſim contingens. Jam exiſtima ſepultam nurum, ſi veſtram domum ingreditur cum dote lethifera. Qualibus ea digitis opprimetur per ſoporem? Quæ etenim expetenda credideris & terra & mari, hæc *prabebit ei ratio celerior. Nulla quippe difficultas ingentis criminis.* Tu *ali-*

ANNOTATIONES.

211 *Quis te feſtinare jubet?*] Quis cogit tam citò depravare filium tuum, & vitiis inquinare, maxime avaritiâ?

212 *Meliorem præſto magiſtro Diſcipulum.*] Ne ſis adeo ſollicitus de filio tuo: quieſce; ſpondeo illum in componendis ſceleribus fore peritiorem te qui docuiſti.

213 *Vinceris, ut Ajax, &c.*] Improbitate & avaritia ſuperabit te filius tuus, ſicut virtute bellica Telamonem Ajax, & Peleum Achilles vicit.

Ajax.] Telamonis filius, inter bellatores Græcos inſignis. De eo jam ad Sat. 7. v. 115.

214 *Achilles.*] Pelei filius, Græcorum fortiſſimus, fama ſuper æthera notus.

215 *Parcendum eſt teneris.*] Imitatio Virgilii Georgic. Senſus eſt hic: expecta dum puer adoleverit, videbis cum ætate creviſſe perverſitatem.

Nondum implevere medullas nativa mala nequitiæ.] *Medullas*, id eſt, præcordia intima. Senſus eſt: nondum roborata eſt malitia, quam tuo exemplo didicit, necdum plane animum occupavit.

219 *Cum pectere barbam cœperit.*] Cum radere barbam cœperit, jamque perfecta virum ætas fecerit, firmatam in eo avaritiam omnemque nequitiam intelliges.

212 *Cereris tangens aram.*] Ubi juramenti fides habebatur ſanctiſſima; ſicut & Cereris Sacra pariter & myſteria nihil niſi ſanctum admittebant. Vide Sat. 6. v. 50. ibique annot. & Alex. ab Alex. Lib. 6. v. 19.

Tangens aramque.] Jam notavi Sat. 13. v. 89. eos qui jurabant aras tenere ſolitos, quaſi fidem Numinum conteſtantes. Exhibetur ergo hic pejerantis audacia intrepide aras tangentis ſine ulla Numinis vindicis reverentia, ut ait Juvenalis loco mox cit. Sat. 13.

Pedemque.] Vel ſtatuæ Cereris pedem ipſum, vel baſim.

221 *Mortifera cum dote.*] Quæ mortis ei cauſa ſit: Uxorem enim veneno aliave ratione extinguet ille, ut dotem occupet. Vide Perſ. Sat. 2. v. 14. ibique Annot. ad verba hæc,

Nerio jam tertia ducitur uxor.

Quibus illa premetur per ſomnum digitis?] Vel ſtrangulantibus, vel pudendo muliebri venenum affricantibus inficientibuſque, & ſic clam & cito enecantibus. Plin. Lib. 27. cap. 2. *Omnium*, inquit, *venenorum conſtat ocyſſimum eſſe aconitum, & tactis genitalibus fœminei ſexus animalium, eodem die inferre mortem. Hoc venenum fuit, quo interemptas dormientes a Calpurnio Beſtia uxores M. Cæcilius accuſator objecit. Hinc atrox illa peroratio, ejus in digito mortuas.*

222 *Terra marique.*] Seu negotiando & navigando; ſeu militando, variaſque ærumnas exantlando.

223 *Brevior via conferet.*] Uxoris occulta cædes conferet avaro divitias.

224 *Nullus enim magni ſceleris labor.*] Facinus ingens ubi quæſtuoſum eſt, facile perpetratur.

Hæc ego nunquam mandavi.] Excuſatio patris, quam refellit ſtatim Poeta.

Digitized by Google

Mandavi, dices olim, nec talia ſuaſi:
Mentis cauſa malæ tamen eſt, & origo penes te.
Nam quiſquis magni cenſus præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros:
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo; quem ſi revoces, ſubſiſtere neſcit,
Et te contempto rapitur, metiſque relictis.
Nemo ſatis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent ſibi latius ipſi.
Cum dicis juveni ſtultum qui donet amico,
Qui paupertatem levet attollatque propinqui;
Et ſpoliare doces, & circumſcribere, & omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te eſt,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, ſi Græcia vera, Menœceus;
In quarum ſulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis naſcuntur, & horrida bella capeſſunt
Continuo, tanquam & tubicen ſurrexerit una.
Ergo ignem, cujus ſcintillas ipſe dediſti,
Flagrantem late, & rapientem cuncta videbis:
Nec tibi parcetur miſero, trepidumq; magiſtrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.

Quando inquies, ego iſta nunquam imperavi, neq; præcepi ſimilia. Nihilominus apud te eſt fons & principium improbæ indolis. Quicunque enim ſummas juſſit opes diligere, ſiniſtra etiam adhortatione parvulos facit avaros: & qui bona per fallacias geminandi licentiam concedit, omnes curſui habenas laxat; quem ſi retrahas, ſtare non novit, teque ſpreto fertur præceps, *metaſque tranſilit: Nullus putat ſat peccare tantundem quantum ſinas: ita ſibimetipſis donant amplius. Quando puero ais, fatuum* eſſe *qui familiari largiatur, qui opituletur inopi cognato, &* eum *erigat, monſtras & denudare, & circumvenire, atque quovis flagitio congerere opes, quarum cupiditas in te eſt* tanta, *quanta erat patriæ* charitas *in Deciorum corde, quantum Thebas amavit Menœceus, in quarum ſulcis legiones cum ſcutis exoriuntur e dentibus ſerpentis, ſtatimque tetra ineunt certamina, quaſi buccinator ſimul etiam enatus eſſet. Incendium igitur, cujus ſcintillas ipſe præbuiſti, inflammari valde & omnia devaſtare aſpicies. Neque tibi condonabitur infelici, trementem vero te præceptorem occidet, ſicut nutritorem leo in cavea horrendum ſæviens.*

ANNOTATIONES.

225 *Talia.*] Veneficium, parricidium, &c.

230 *Totas effundit habenas, &c.*] Metaphora a decurrentibus in circo: id eſt, omnem dat licentiam quodvis ſcelus audendi.

231 *Curriculo.*] Id eſt, Juveni per multiplices jam avaritiæ ſordes decurrenti.

232 *Te contempto rapitur.*] Virgil.
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

233 *Nemo ſatis credit, &c.*] Ultra præſcriptos fines quiſq; tendit: nemo conceſſis eſt contentus.

237 *Spoliare doces, & circumſcribere.*] Doces & fallere, & deprædari, alieniſque inhiare divitiis per fas & nefas rapiendis.

239 *Deciorum.*] Vide Sat. 8. v. 254. ibique Annot.

240 *Thebas.*] Bœotias, regionis olim iſtius caput, a Cadmo conditas.

Si Græcia vera.] Vide Sat. 10. v. 174.

Menœceus.] Creontis Thebanorum Regis filius, qui ut patriam ſervaret ab Argivis obſeſſam, morti ſe devovit; quoniam ex oraculo comperat ſalvas fore Thebas, ſi ultimus e ſtirpe Cadmæa ſponte moreretur. De hoc Statius Thebaid. 10. Tullius Tuſc. I. circa finem ejus etiam meminit: ſic enim loquitur n. 116. *Menœceus vero non prætermittitur, qui oraculo edito largitus eſt patriæ ſuum ſanguinem,*

241 *In quarum ſulcis, &c.*] In quarum Thebarum agro ſeminatis dentibus draconis a Cadmo interfecti, nati ſunt armati viri, qui ſe continuo mutuis vulneribus conciderunt. Vide Ovid. Metamorphoſ. 3. Fab. I.

243 *Tubicen.*] Ad canendum claſſicum, & bellum ciendum. Vide paulo ante notata ad hæc verba, *Cornua cum lituis.*

244 *Ignem.*] Avaritiæ ardorem, habendi cupiditatem inflammatam.

245 *Rapientem cuncta.*] Jura omnia violantem ad congerendas opes. Allegoria.

246 *Nec tibi parcetur, &c.*] Neque patri tibi avarus ille filius parcet.

247 *Leo.*] Sicut educatorem ſuum devoravit leo ille, Domitiani temporibus. Martial. Spectac. Epigram. 10.

Nota Mathematicis geneſis tua: ſed grave tardas
Expectare colos. Morieris ſtamine nondum
Abrupto. Jam nunc obſtas, & vota moraris;
Jam torquet juvenem longa & cervina ſenectus.
Ocyus Archigenem quære, atque eme quod Mithridates
Compoſuit, ſi vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare roſas. Medicamen habendum eſt,
Sorbere ante cibum quod debeat aut pater aut Rex.
Monſtro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas Prætoris pulpita lauti,
Si ſpectas quanto capitis diſcrimine conſtant

Aſtrologis cognita eſt genitura tua: at moleſtum eſt lentas colos operiri: extingueris filo non adhuc abſciſſo. Modo ponis obicem, ac retardas petita: nunc adoleſcentem cruciat tua *ſenecta diuturnior & cervina. Cito voca Archigenem, & mercare quid Mithridates conflavit, ſi cupis ficum alteram colligere atq; alteras roſas apprehendere. Sumendum præ alimento pharmacum parandum eſt, quale* ſorberi *oporteat vel a patre vel a Rege. Oſtendo præſtans oblectamentum, cui theatra nulla, nulla pulpita Prætoris magnifici poſſis comparare, ſi conſideras quam magno vitæ periculo ſtat*

ANNOTATIONES.

248 *Nota Mathematicis.*] Tibi quidem Mathematici ex horoſcopo tuo prædixerint ac ſpondeant longævam ac ſeram ſenectutem, ſed filius tuus haud expectabit adeo tardans fatum. Sueton. Calig. Cap. 57. *Conſulenti de genitura ſua*, inquit, *Sulla Mathematicus certiſſimam necem appropinquare affirmavit.* Et Tit. cap. 9. Ipſe *dicitur cognita duorum Patriciorum genitura, imminere ambobus periculum affirmaſſe, venturum quandoque & ab alio; ſicut evenit.*

Sed grave tardas expectare colos.] Sed filio tuo erit tædioſa vitæ tuæ diuturnitas. Non poterit ſibi temperare dum Parcæ compleverint colos; ipſe abrumpet filum, teque enecabit, ut hæreditatem citius invadat.

Ovid.

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

249 *Colos.*] Vide Sat. 3. v. 27. Annot. ad vocem, *Lacheſi.*

250 *Jam nunc obſtas.*] Nimirum jam cupiditati effrænatæ filii tui moram injicis, & moleſtiam creas.

251 *Cervina ſenectus.*] Qualem cervis natura conceſſit.

Virgil. Eclog. 7.

Vivacis cornua cervi.

Cic. Tuſcul. 3. n 69. *Theophraſtus*, inquit, *moriens accuſaſſe naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet; hominibus, quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet. Quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſet ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.* Plin. Lib. 8. cap. 32. ita ſcribit, *Vita cervis in confeſſo longa, poſt centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander addiderat, adopertis jam cute in magna obeſitate*, Plutarch. de orac. defectu, ex Heſiodo, ait quatuor ætates cornicis vivere cervum, tres cervi corvum, novem corvi Phœnicem Indicam, &c. Cœl. Rhodig. Lib. 4. cap. 17. *Nonnulli veterum*, inquit, *vitæ longioris, atque (ut Græcis dici aſſuevit) polychronia rationem ſcrutati, e fellis vacuitate dimanare id ſunt ſuſpicati, argumento ex cervorum vita deducto. Sed & Delphinus, qui fellis expers item eſt, longævus eſt*, &c.

252 *Archigenem.*] Peritum ac fidelem Medicum, qui pharmacum depellendis toxicis idoneum tibi temperet. De *Archigene* jam ter Juvenalis.

Quod Mithridates compoſuit.] Antidotum adverſus inſidias & veneficia filii tui. Vide Annotat. ad Sat. 6 v. ult.

253 *Aliam decerpere ficum.*] Alium autumnum videre.

254 *Alias tractare roſas.*] Aliud ver aſpicere, & vitam producere.

255 *Pater aut Rex.*] Uterque ſibi metuens, pater a nequam filiis, Rex a perfidis ſubditis.

256 *Monſtro voluptatem, &c.*] Si mecum vis attendere, monſtrabo tibi curas & labores avarorum, e quorum contemplatione plus voluptatis & oblectamenti capias, quam e ludis ſcenicis.

257 *Prætoris pulpita.*] Vide Sat. 10. v. 36.

Incrementa

Digitized by Google

familiæ amplificatio, ſacculus plurimus in capſa ære munita, pecunia collocanda apud Caſtora cuſtodem, ex quo Mars Vindex caſſidem etiam amiſit, ſuaſque res tueri nequivit. Itaq; dimittas licet cuncta Floræ Cerериſque & Cybelæ periſtromata, occupationes hominum eo jucundiora ſunt *ſpectacula. Numquid plus exhilarant mentem corpora petauro librata, & qui per funem tenſum deſilire aſſueverunt, quam tu qui Coryciâ nave continuo inſiſtis ac permanes, nunquam non jactabundus Cauro atque Auſtro,*

Incrementa domus, ærata multus in arca
Fiſcus, & ad vigilem ponendi Caſtora nummi,
Ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit, & res
Non potuit ſervare ſuas. Ergo omnia Floræ,
Et Cereris licet, & Cybeles aulæa relinquas;
Tanto majores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quiq; ſolent rectum deſcendere funem,
Quam tu, Corycia ſemper qui puppe moraris
Atque habitas, Coro ſemper tollendus & Auſtro,

ANNOTATIONES.

259 *Incrementa domus.*] Locupletio, opum acceſſio.

260 *Ad vigilem ponendi Caſtora nummi.*] Nummi, quos divites deponebant in templis ſub Numinum tutelâ. Vide Brod. Miſcellan. Lib. 4. cap. 17.

261 *Ex quo Mars, &c.*] Anteà quidem ſolebant theſauros condere in foro Martis, ſed ex quo illi à furibus expilati ſunt, in Æde Caſtoris poſuere, excubiaſque addidere.

Mars Ultor.] Sueton. Aug. cap. 29. *Publica opera plurima conſtruxit, ex quibus vel præcipua, forum cum æde Martis Ultoris.*

Galeam quoque perdidit.] Hanc ſcilicet inauratam fures abraſere.

Res non potuit ſervare ſuas.] Sarcaſmus in Deos.

262 *Ergo omnia Floræ, &c.*] Relinque ergo ludorum oblectamenta, ſponte, ut majori voluptate fruaris ſpectando avarorum cruciatus.

Floræ.] Dimitte Floralia. Vide Perſ. Sat. 5. v. 178.

263 *Cereris.*] Ludos Cereales. Tacit. Annal. 15. ad finem, ſcribit decretum eſſe, ut Circenſium Cerealium ludicrum pluribus equorum curſibus celebraretur. Ovid. Faſt. 4.

Circus erit pompa celeber numeroq; Deorum,
Primaque ventoſis palma petetur equis.

Hinc Cereris ludi.

Cybeles.] Megaleſia. Vide Satir. 6. v. 69. De Cybele, Satir. 2. v. 111, &c.

Aulæa.] Ornamenta ſcenæ. Vide Satir. 6. v. 67.

264 *Tanto majores humana negotia ludi.*] Adeò negotia & ſollicitudines hominum lucri cupidorum ſunt majora ludicra, quàm Circus & Circenſes.

265 *An magis oblectant, &c.*] An non par ludus & ſimile ludicrum eſt videre petauriſtas ac funambulos, & mercatorem perpetuò navigantem, qui proinde ventis ac funibus nauticis libratur atque jactatur.

Petauro.] *Petauri* ludus eſt, cùm per circulos quiſpiam veloci curſu tranſvolat, corpore ita librato, ut circulum non offendat, unde petauriſtæ ludiones dicti. Ita Alex. ab Alex. Lib. 3. cap. 21. *Petauriſtæ a veteribus dicebantur qui ſaltibus vel ſchemis levioribus moverentur: & hac proprietas a Græca nominatione deſcendit, ἀπὸ τοῦ πιτᾶσθαι*; inquit Non. Marcel. de prop. ſerm. Alii dicunt *petaurum* fuiſſe ligneam machinam, per quam rotarum impulſu corpora jactabantur per aëra. Martial. Lib. 2. Epigr. 86.

Quid ſi per graciles vias petauri
Invitam jubeas ſubire Ladam?

Et Lib. 11. Epigram. 22.

Quam rota tranſmiſſo toties impacta petauro.

Vid. Turneb. Lib. 8. cap. 4. item Lib. 29. cap. 19. Aliter paulò Manilius rem videtur explicare, Lib. 5. ubi ſic canit:

Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem
Corpora quæ valido ſaliunt excuſſa petauro:
Alternoſque cient motus; elatus & ipſe
Nunc jacet, atque hujus caſu ſuſpenditur ille.

Quem in locum Joſephus Scaliger ait, rotam fuiſſe quam duo verſantes, alter ſupernè, alter infrà nitens, viciſſim dejecti, nunc penderent, nunc erecti ſederent.

267 *Coryciâ puppe.*] Navi dante vela in Ciliciam, ad crocum apportandum, quod ibi copioſè optimum provenit ad oppidum Corycum.

268 *Coro.*] Ventus hic flat ab Occaſu Solſtitiali; Zephyron & Argeſten Græci vocant: Inquit Plin. Lib. 2. cap. 47.

Perditus,

Perditus, ac vilis ſacci mercator olentis;
Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ
Paſſum, & municipes Jovis advexiſſe lagenas?
Hic tamen ancipiti figens veſtigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque, famemque
Illa reſte cavet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius. Aſpice portus
Et plenum magnis trabibus mare. Plus hominum eſt jam
In pelago. Veniet claſſis quocumque vocârit
Spes lucri; nec Carpathium, Gætulaq; tantum
Æquora tranſiliet: ſed longe Calpe relicta,

deſperatus, & ignobilis negotiator ſacculi odorati; qui ex opima veteris Creta ripa delectaris apportare mulſum, & Jovis municipes amphoras: ille nihilominus dubio pede inſigens paſſus, eo præmio cibum lucratur, & hyemem atque eſuriem eo fune devitat: tu vero *inconſideratus* id facis *ob talenta millena, villaſque centenas. Intuere portus, & mare navibus ingentibus refertum. Plures modò ſunt homines in mari,* quam in terra, *ibit claſſis quocumque ſpes quæſtus invitaverit: neque ſolum tranſgredietur Carpathium, & Gætula maria, verùm diſmiſſa procul Calpe,*

ANNOTATIONES.

269 *Sacci olentis.*] Aromatibus atque odoribus pleni.
Alii legunt hic:
Perditus a Siculis ſacci mercator olentis,
id eſt, opobalſamorum atque aromatum mercator advectorum quidem e Sicilia; in qua, Strabone teſte, præter frumentum, mel, &c. crocus etiam apportabatur.

270 *Antiqua Creta.*] Hæc Inſula maris Mediterranei valde celebrata, tum ob alia multa, tum ob Jovis natales. Ejus incolæ perfidiæ fama laborarunt, teſte proprio ipſorum Poëta Epimenide. Unde Apoſtol. ad Tit. cap. 1. ait: *Cretenſes ſemper mendaces, mala beſtia, ventres pigri.*
Lucan. Lib. 4.
Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
Creta vetus populis.

271 *Paſſum.*] Ita vocatur liquor ex uvis ad Solem arefactis expreſſus. Varro de Vita Populi Romani ita ſcribit: *Paſſum nominabant, ſi in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque paſſi eſſent à Sole aduri.*

Municipes Jovis lagenas.] Vinum e Creta, & ex eodem, quo Jupiter, loco & municipio. Sic Sat. 8. v. 33. *Municipes Criſpini ſiluros* appellavit.

272 *Hic tamen.*] Funambulos, petauriſta, geſticulator.

273 *Victum illa mercede parat.*] Victum habet e mercede, quam pro induſtria & ludo percipit.

274 *Tu propter mille talenta, &c.*] Iſte ludio quidem hos labores ſubit, ut victum habeat neceſſarium: unde quaſi invitus hæc agit: tu vero temerarius, eoque dementior, qui tot diſcrimina terra marique ſponte ineas, ut ſuperflua nanciſcaris; & cum parvo natura jubeat contentum eſſe te, & ſatis ſit una villa, quæris opes immenſas & villas centenas.

Talenta.] Talentum Atticum minus, de quo ut plurimum intelligendi Auctores, valebat minas ſexaginta, id eſt, ſexcentos coronatos monetæ Gallicæ, hos quidem æſtimando triginta quinque ſolidis Turonenſibus. Ergo ſingula talenta libellas Turonenſes mille & amplius faciunt, adeoque talenta mille pluſquam millionem. Vide Budæum de Aſſe.

275 *Aſpice portus, &c.*] Ut intelligas quanta ſit hominum avaritia, vide portus & mare navibus plena; & hinc cognoſcere plures eſſe homines in mari navigantes, quam terram incolentes, adeo nullis deterrentur periculis, pluſque movet lucri cupido quam mortis ipſius metus.
Horat. Lib. 1. Epiſt. 1.
Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens; per ſaxa, per ignes.

278 *Carpathium.*] Dictum ab Inſula Carpatho, hodie *Scarpantho*, Rhodum inter & Cretam ſita, quodque eſt ab hac ad illam mare Carpathium vocatur.

Gætula.] Lybica. Jam diximus alibi Gætuliam interiori Libya contineri.

279 *Sed longè Calpe relicta, &c.*] Ultra Calpen progredietur ipſo Hercule audacior, qui hic inſcripſit, *Non plus ultra.*

Calpe.] Mons eſt & urbs Hiſpaniæ Bæticæ, nunc *Gibraltar* vocatur, ut & fretum proximum; una ex Herculis columnis, cui reſpondet altera ex adverſo *Abyla*, mons pariter & oppidum Mauritaniæ.

Audiet

Digitized by Google

ſtrepentem in Herculis freto Solis currum *auſcultabit. Magna erit merces laboris, ſi binc* in *ades queas redire folle diſtento; atque inflatâ pelle jactabundus aſpexiſſe Oceani prodigia & maritimos adoleſcentes. Haud unica vexat animos inſania. Hic in*

Audiet Herculeo ſtridentem gurgite Solem.
Grande operæ pretium eſt, ut tenſo folle reverti
Inde domum poſſis, tumidâque ſuperbus alutâ
Oceani monſtra, & juvenes vidiſſe marinos.
Non unus mentes agitat furor. Ille ſororis

ANNOTATIONES.

280 *Herculeo gurgite.*] Intelligit fretum Gaditanum, quod & Herculeum ab Herculis navigatione ibi finita, extructiſque columnis, de quibus mox: dicitur & Oſtium Oceani, & limen Interni maris; vulgo *Gibraltar*; latum eſt quinque leucas Hiſpanicas aut circiter.

Stridentem Solem.] Nempe dum occidit, ejuſque fervens currus aquis merſus ſtridet, ut candens ferrum ſolet. Ex opinione Poſidonii, Sophiſtæ, & aliorum.
Hinc Statius Sylvar. Lib. 2. in Genethliaco Lucani.

Felix heu nimis & beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus
Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ candentis audis.

Vide Cœl. Rhodig. lib. 24. cap. 13. ubi, *Talpis*, inquit, *cæcior Epicurus, qui tamen unus primusq; hominum veritatem inveniſſe videri vult; Aſtra cum oriuntur accendi, cum occidunt extingui aſtruit*——————*Hinc Solem in Oceanum mergi, cumque mergatur, quaſi candens ferrum ſonum edere*, &c. Porro ſenſus eſt hic, avarum illum mercatorem ad ultimas Occidentis plagas navigare lucri cauſa.

281 *Grande operæ pretium, &c.*] Ironice. Magnum quid feciſſe putas, ſi dives redeas e tam longinqua & periculoſa navigatione.

Tenſo folle.] Marſupio nummis diſtento, crumena plena: ut ſolet vento plenus follis turgere.

282 *Tumidâ alutâ.*] Quidam intelligunt velaventis inflata; alii ipſam crumenam. Nam *aluta* eſt pellis quævis mollior, e qua fiunt ſacculi, crumenæ, &c.

283 *Oceani monſtra.*] Belluas marinas ſtupendæ magnitudinis, orcas, balænas, de quibus Plin. Lib. 9. cap. 6. Idem ibidem cap. 5. meminit belluæ cujuſdem marinæ in Gaditana litora illiſæ, *cujus inter duas pinnas ultimæ caudæ cubiti ſexdecim fuiſſent, dentes centum viginti maximi, dodrantium menſurâ minimi ſemipedum.* Item ait, monſtri illius, *cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romam allata ex oppido Judææ Ioppe, longitudine pedum quadraginta, altitudine coſtarum Indicos elephantos excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali.* Horat. Lib. 1 Ode 3. *monſtra natantia* appellat ingentes illos Oceani piſces.

Juvenes vidiſſe marinos.] Adeoque totum quaſi enavigaſſe Oceanum, in quo cernuntur homines marini interdum, Tritones, Nereides. Maritimi Tritonis mentionem invehit Tullius de Natura Deorum, Lib. 1. n. 79. Plin. Lib. 9. cit. cap. 5. ita ſcribit. *Tiberio Principi nuntiavit Olyſſipponenſium legatio ob id miſſa, viſum auditumque in quodam ſpecu Tritonem conchâ canentem, qua noſcitur formâ. Et Nereidum falſa opinio non eſt, ſquamis, hiſpido corpore, etiam qua humanam effigiem habent. Namque hæc in eodem ſpectata littore eſt, cujus etiam morientis gannitum triſtem accolæ audivere.* Additque: *Divo Auguſto Legatus Galliæ complures in littore apparere exanimes Nereidas ſcripſit.* Tandem ait, *Auctores habeo in Equeſtri Ordine ſplendentes, viſum ab his in Gaditano Oceano marinum hominem, toto corpore abſolutâ ſimilitudine: aſcendere eum navigia nocturnis temporibus, ſtatimque degravari quas inſederit partes; & ſi diutius permaneat, etiam mergi.* Pauſanias Lib. 9. paulo ante medium, Tritonum deſcribens figuram, ait; capitis comam paluſtri apio ſimilem, tum colore, tum quod capillum omnino nullum ab aliis poſſis diſcernere; corpus reliquum minuta ſquama inhorreſcere, eaque valde dura: branchias infra aures habere, nares humanis ſimiles, rictum oris latiorem, pantheræ dentes, oculos glaucos; manus, digitos, ungues, quali ſunt forma ſuperiores conchyliorum teſtæ: pinnulas ſub ventre ac pectore pro pedibus, veluti Delphinis ſunt, &c. Vide Alex. ab Alex. Lib. 3. cap. 8. Georg. Furnerium Hydogr. Lib. 19. cap. 39. Bartholin. Epiſt. Miſcell. Medico-phyſic. Acad. Curioſ. German. &c. Cæterum apud Bibliothecam Sanctæ Genoveſæ Pariſiis ſervatur, atque oſtenditur Sirenæ manus, humana paulo longior.

284 *Non unus mentes agitat furor.*] Tres inſaniæ ſpecies explicat Cornel. Celſus Lib. 3. cap. 8. Senſus Juvenalis hic eſt: fuerit inſanus Oreſtes, fuerit Ajax, inſanior eſt avarus mercator.

Ille ſororis, &c.] Oreſtes occiſa matre Clytemneſtra, Furiis agitatus conſolantem ſe Electram ſororem, & manu circumplexam repellit, ſicque alloquitur: *Dimitte me, quæ una ex mearum Erynnium, quæque me complecteris, es, in Tartarum præcipites.* Apud Euripid. in Oreſte.

In

In manibus; vultu Eumenidum terretur & igni.
Hic bove percuſſo mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum. Parcat tunicis licet atq; lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad ſummum latus, & tabula diſtinguitur unda;
Cum ſit cauſa mali tanti & diſcriminis hujus,
Conciſum argentum in titulos facieſque minutas.
Occurrunt nubes & fulgura; ſolvite funem,
Frumenti dominus clamat, piperiſque coëmptor;
Nil color hic cœli, nil faſcia nigra minatur:

germana brachiis, Furiarum expaveſcit faciem atque flammam. Iſte juvenco interfecto putat mugitus edere Agamemnonem vel Ulyſſem. Qui mercibus navem onerat uſque *ad ſupremum latus, atque aſſere* duntaxat *ſeparatur ab aquis, indiget cuſtode, quamvis non laceret chlamydem & pallium; quandoquidem tam magnæ iſtius peſtis atque periculi origo eſt argentum excuſum in inſcriptiones ac puſillos vultus.* Quod ſi *apparent nebula, & fulgetra, tritici poſſeſſor & mercator piperis vociferatur: rudentes laxate: nihil eſſe cœli color, nihil ater circulus portendit?*

ANNOTATIONES.

285 *Eumenidum.*] Anguibus & facibus armatarum. Furiæ porro dictæ Eumenides per antiphraſim, quod nequaquam benevolæ.

286 *Hic bove percuſſo, &c.*] Ajax in furorem ex ira verſus ob negata ſibi Achillis arma, & Ulyſſi adjudicata, ſævit in pecudes, ſævire credens in Græcos, injuriamque ulciſci. Duos autem arietes eximios raptat, cædit, mactat, Agamemnonem & Ulyſſem exiſtimans. Vide Sophoclis Ajacem Flagelliferum.

Agamemnona.] Græci exercitus Imperatorem, atque inter contendentes de armis Achillis Ajacem & Ulyſſem, Judicum Principem. Vide Ovid. Metamorphoſ. 13. & quæ notavi Sat. 7. v. 115.

287 *Ithacum.*] Ulyſſem natum dominatumque in Ithaca Ionii maris Inſula Cephaleniæ vicina.

Parcat tunicis licet, &c.] Etſi non lacerat veſtes, ut ſolent furioſi, ſanus tamen non eſt avarus ille, quem, ut ait Horat. Sat. 1. l

Neque fervidus æſtus
Dimoveat lucro, neque hyems, ignis, mare, ferrum:
Nil obſtat, &c.

Hinc idem Horat. Lib. 2. Sat. 3.

Danda eſt hellebori multo pars maxima avaris.
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.

288 *Curatoris eget.*] Quippe inſanientibus dabantur curatores patrimonii:

Unde Horat. Lib. 2. Sat. 3.

Interdicto huic (inſano) *omne adimat jus*
Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.

289 *Tabula diſtinguitur unda.*] Legunt alii *tabula diſtinguitur una*; alii, *uda*: pari ſenſu. Vide Sat. 12. v. 58.

290 *Cum ſit cauſa mali tanti, &c.*] Cum tot vitæ adeat ultro pericula, propter nummorum cupiditatem.

291 *Conciſum argentum in titulos facieſque minutas.*] Argentei nummi Principum inſcriptionibus & imaginibus ſignati. Plin. lib. 33. cap. 3. ita ſcribit: *Proximum fecit ſcelus qui primus ex auro denarium ſignavit, quod & ipſum latet auctore incerto. Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem devictum uſus eſt* ——— *Servius Rex primus ſignavit as nota pecudum: undè pecunia appellata,* &c. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 10. cap. 2. & Alex. ab Alex. Lib. 4. cap. 15. de his multa referentem. Sub Numa Pompilio nummi fuere ſcortei, deinde ſtannei, tum ærei. Poſt Attilium Regulum argenteus nummus primum ſignatus: denique aureus. Nota porro fuit initio pecus, ovis, bos, ſus: dein Janus bifrons ex una parte, ex altera vero, navis prora. Poſtea bigæ, quadrigæ, victoria. Unde nummi bigati, quadrigati, victoriati. Demum effigies Cæſarum cum titulis & inſcriptionibus appoſita eſt. Nero quidem Citharœdi, Severus Imperator Alexandri habitu nummis inſculpi ſe voluerunt. Auguſtus Cæſar argenteum nummum percuſſit nota ſideris Capricorni, ſub quo in lucem editus fuerat.

292 *Occurrunt nubes, &c.*] Mercator ille lucri avidus, etiamſi immineat tempeſtas, urget tamen navigare, & portu ſolvere.

294 *Nil color hic Cœli.*] Hic Cœli color quamvis præſagiens tempeſtatem haud avarum deterret. Vide ſeq. Annot.

Faſcia nigra.] Plin. Lib. 18. cap. 35. *Si nubes,* inquit, *Solem circumcludent, quanto minus luminis relinquent, tantò turbidior tempeſtas erit; ſi vero etiam duplex orbis fuerit, eo atrocior* —— *Si Oriens cingetur orbe, ventus expectetur* —— *ſi circa Occidentem circulus erit candidus, levem tempeſtatem; ſi nebula, vehementiorem; ſi ater fuerit circulus, ventum magnum præſagit.*

Æſtivum

Æſtatis eſt tonitru. Infortunatus eadem etiam nocte fortaſſis in mare *devolvetur ruptâ navi; & undis merſus obruetur: atq;* manu *ſiniſtrâ, & dentibus cingulum retinebit. Verum cujus cupiditati non erat ſatis aurum quod defert Tagus & Pactolus lucenti ſabulo,* huic *ſatis erunt panniculi gelidum inguen obtegentes, & eſca parva, quando ſubmerſa navi,* factoque *naufragio mendicabit aſſem, ſeque procella adumbrata ſuſtentabit. Tot ærumnis acquiſita graviore ſollicitudine ac timore cuſtodiuntur. Infelix eſt conſervatio ſummarum opum. Licinus opulentus præparatis hamis famulorum turmam nocte vigilare imperat, timens propter electrum, & ſuas ſtatuas, ac Phrygias columnas,*

Æſtivum tonat. Infelix, ac forſitan ipſa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, & zonam læva morſuque tenebit.
Sed cujus votis modo non ſuffecerat aurum,
Quod Tagus & rutila volvit Pactolus arena,
Frigida ſufficient velantes inguina panni,
Exiguuſque cibus, merſa rate naufragus aſſem
Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur.
Tantis parta malis, cura majore metuque
Servantur. MISERA eſt magni cuſtodia
cenſus.
Diſpoſitis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, ſigniſque ſuis, Phrygiaque columna,

ANNOTATIONES.

295 *Æſtivum tonat.*] Adeoque non diuturnum, ut æſtate ſolet. Vide Plin. lib. 2. cap. 43.

297 *Zonam.*] In qua inſuti nummi & abſconditi. Matth. cap. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.* Sueton. Vitell. cap. 16. *Zona ſe aureorum plena circumdedit.*

Læva morſuque tenebit.] Dum læva dentibuſque zonam retinet, dextra natabit, aut reget tabulam cui innititur.

299 *Tagus.*] Hiſpaniæ fluvius, vernacule, *Taio;* auriferis arenis celebratus, ut teſtatur Plin. Lib. 4. cap. 22. Martial. lib. 1. Epigram. 50. *aureum* vocat *Tagum, auriferum* vero Lib. 10. Epigram. 96.

Pactolus.] Hic Lydiæ fluvius, hodie, *Sarabat*, olim & *Chryſorrhoas* ab arenis aureis dictus, teſte Plin. Lib. 5. cap. 29. Apud Herodot. Lib. 5. dicitur Pactolus e Tmolo monte auri ramenta volvere, dein flumini Hermo commiſceri, cum illo demum in mare influere.

302 *Picta ſe tempeſtate tuetur.*] Vide Sat. 12. v. 21. Perſ. Sat. 1. v. 89. ibique annotata.

305 *Diſpoſitis prædives hamis, &c.*] Licinus pro conſervatione divitiarum anxius famulos plures vigilare cogit.

Hamis.] Ne *hamos* hic, nam penultima producitur, ſed *hamas* accipe. Cato de Re Ruſtica cap. 133. *hamam* recenſet in ruſticis inſtrumentis; Plutarchus, in hauſtoriis. Apud Heſychium idem eſt ἄμη quod σκάφη. Plin. lib. 10. Epiſt. 42. ita ſcribit: *Nicomediæ vaſtiſſimum incendium multas privatorum domos & opera publica duo abſumpſit. Lative autem eſt ſparſum tum violentia venti; tum inertia hominum ——— & alioqui nullus uſquam in publico ſipo, nulla hama; nullum denique inſtrumentum ad incendia compeſcenda*, &c. Quid igitur per hamas intelligemus? Alii uncos ferreos explicant, ſeu ad diruenda in incendio ædificia, ſeu ad capiendos fures. Alii aſtipulantur Turnebo, qui lib. 2. cap. 29. locum hunc Juvenalis explicat de homine incendia metuente, vaſaque multa aquaria ad id præparante. Lib. vero 19. cap. 23 quærens cur Præfectus vigilum juberetur per noctes circumque cum hamis & dolabris, *hamam* interpretatur *vas aquarium rotundioris forma, globoſique ventris*; affertque ad rem Columellam Lib. 17. de cucurbita ſic loquentem:

——————— Sive globoſi
Corporis, atq; utero nimium quæ vaſta tumeſcit,
Ventre leges medio: ſobolem dabit illa capacem
Naryciæ picis, aut Actæi mellis hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam.

Favet vetus Schol. qui ſic loquitur hic: *Per translationem diſciplinæ militaris, Sparteoli Romæ, quorum cohortes in urbis tutelam cum hamis & aqua vigilias conſuerunt curare vicibus:* cauſa ignis videlicet.

Vigilare.] Horat. Sat. 1.

An vigilare metu exanimem, noctéſque dieſque
Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat?

306 *Licinus.*] Quilibet dives. Vide Annot. ad Sat. 1. v. 109. & Perſ. Sat. 2. v. 36.

Pro electro, ſigniſque ſuis, &c.] Pro varia ſupellectile pretioſa, vaſis ex electro, ſtatuis ex auro, argento, &c. columnis e marmore Phrygio, menſis ebore ornatis, diſcubitoriis lectis teſtudinum putaminibus opertis. Vide Sat. 11. v. 94. & 123.

Atque

Atque ebore, & lata teſtudine. Dolia nudi
Non ardent Cynici. Si fregeris, altera fiet
Cras domus; aut eadem plumbo commiſſa manebit.
Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic qui
Nil cuperit, quam qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurus geſtis æquanda pericula rebus.
Nullum numen habes, ſi ſit prudentia; ſed te
Nos facimus, Fortuna, Deam. Menſura tamen quæ
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam.
In quantum ſitis atque fames & frigora poſcunt:
Quantum, Epicure, tibi parvis ſuffecit in hortis:
Quantum Socratici ceperunt ante Penates.
Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit.
Acribus exemplis videor te claudere: miſce

eburque, & amplam teſtudinem. Denudati Cynici dolia non deflagrant. Ea ſi ruperis, ædes aliæ cras fabricantur; vel ipſa plumbo connexa ſubſiſtent. Quando Alexander aſpexit grandem incolam in eo fictili, tum intellexit quantò beatior is qui nihil exoptaret, quam qui mundum ſibi peteret univerſum, paria factis diſcrimina ſubiturus. O *fortuna, nihil divini tibi eſt, ſi* nobis *inſit ſapientia: nos verò te Numen conſecramus. Si nihilominus aliquis ſciſcitetur à me, proferam quis opum modus ſit ſatis.* Nempe *quantum petunt ſitis & eſuries ac gelu: quantum ſatis tibi fuit, o Epicure, in hortulis exiguis: quantum anteà continebat Socratis domus. Nunquam diverſum natura, diverſum prudentia loquitur. Videor te conſtringere ſeveris exemplis. Adhibe*

ANNOTATIONES.

308 *Dolia nudi non ardent Cynici.*] Incendio non ſunt obnoxia; quippe fictilia ſeu teſtacea fuerant olim dolia, teſte Plinio Lib. 35. cap. 12. ubi ſic ait: *Defunctos ſe multi fictilibus doliis condi maluere, ſicut M. Varro.*

309 *Cynici.*] Diogenis pauperculi, cui dolium pro domo fuit. Vide Annot. Sat. 13. v. 121. & Perſ. Sat. 1. v. penult.

310 *Eadem plumbo commiſſa manebit.*] Si frangas dolium teſtaceum, partes ejus diſſolutæ & fragmenta poterunt ferruminatione vel plumbatione conjungi & inſtaurari: Non ita vero dives ædes ſuas reficere poteſt, caſu vel incendio dirutas. Vide Liſp. Epiſtolic. Quæſt. Lib. 4. Epiſt. 25.

311 *Teſta cum vidit in illa.*] Cum vidit Diogenem in dolio ſuo teſtaceo. Diogenis tamen dolium potius ligneum fuiſſe, notat Gujetus, quippe quod ab eo ſæpius illæſum verſaretur, otii vitandi cauſa.

312 *Magnum habitatorem.*] Diogenem parvi dolii habitatorem certe magnum, animo, ſapientia, divitiarum contemptu, ipſoque Alexandro Magno majorem: quod nec Rex ille ignoraſſe videatur. Nam cum Philoſophos complures & viros primarios ſalutatores habuiſſet, adiit ipſe Diogenem; quin & ſe ſuaſque opes deſpicientem adeo eſt admiratus, ut amicis dixerit: *Niſi Alexander eſſem, profecto Diogenes eſſe vellem.* Plutarch. in Alexandri vita Laërt. lib. 6.

313 *Totum ſibi poſceret orbem.*] Vide Sat. 10. v. 168.

314 *Æquanda pericula rebus.*] Si enim magna geſſit Alexander, magna quoque eſt perpeſſus. Pariter & alii ſummi Imperatores, quibus magna ſemper gloria magno ſtetit ambitioſis.

315 *Nullum numen habes, &c.*] Vide Sat. 10. ad calcem.

319 *Quantum, Epicure, &c.*] Vide Sat. 13. v. 122. & Annot. ibid.

320 *Quantum Socratici ceperunt ante Penates.*] Socrates nimirum ante Epicurum vixit. Nam Socrates natus refertur Olympiade ſeptuageſimâ ſeptima, anno ante Chriſtum quadringenteſimo, ſeptuageſimo octavo, & vixiſſe annos ſeptuagenta. Epicurus autem in lucem prodiit Olympiade centeſima nona, vixitque annos nonaginta duos.

Socratici Penates.] Frugalis domus Socratis, quem Laërtius ſcribit, Athenis peſte laborantibus, unum a morbo fuiſſe immunem, ob cibi temperantiam. Vide quæ etiam de illo annotabo ad Perſ. Sat. 4. v. 2. & ſeq.

321 *Nunquam aliud natura, &c.*] Frugalitatem aliaſque virtutes pariter natura & ſapientia præcipiunt. Seneca Epiſt. 50. *Virtus*, inquit, *ſecundum naturam eſt, vitia inimica & infeſta ſunt.*

322 *Acribus exemplis, &c.*] Ad rigida nimis & ſevera exempla te revoco & redigo: id eſt, ſi Philoſophorum auſteritas te deterret; ſi tantam ferre nequis paupertatem: modicis igitur opibus contentus eſto.

Ergo

igitur quiddam e noſtris moribus. Fac ſummam, quam lex Othonis dignam putavit quatuordecim gradibus. Si illud etiam rugam inducit, & labium porrigit, accipe binos Equites; acquire trina quadringenta. Quod *ſi non adhuc ſinum replevi, ſi amplius extenditur; neq; menti ſatisfaciet unquam Crœſi ſors, neq; Perſidis Imperium, neque opes Narciſſi, cui nihil negavit Claudius Cæſar, juſſa cujus peregit coactus interficere conjugem.*

Ergo aliquid noſtris de moribus: effice ſummam
Bis ſeptem Ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque ſi rugam trahit, extenditque labellum;
Sume duos Equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, ſi panditur ultra:
Nec Crœſi fortuna unquam, nec Perſica Regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narciſſi.
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis uxorem occidere juſſus.

ANNOTATIONES.

322 *Miſce ergo aliquid noſtris de moribus.*] Ergo imitare homines hujus ævi, & Romanos noſtros divitias congerere amantes; at modum ſaltem & frænum injice tuæ cupiditati: opes aliquas para, ſed ne, ut illi, quære immenſas.

Effice ſummam, &c.] Cenſum Equeſtrem poſſide, per me licet. Vide Sat. 3. v. 154, & 159. ibique annot.

324 *Quam lex dignatur Othonis.*] Roſcius Otho Tribunus plebis legem tulit, qua nemini licebat ſedere in Theatri gradibus quatuordecim, niſi haberet Equeſtrem cenſum, ſeu quadringenta ſeſtertia. Vide Sat. 3. v. 154, & 159. & annot. ibid.

325 *Hæc quoque ſi rugam, trahit.*] Si anguſtiores etiam hi divitiarum termini, quos præſcribo, triſtem te faciunt.

Extenditque labellum.] Rictum porrigit; ut indignabundis ac mœſtis contingit. Anglice *TO GRIN*, & Gallice, *Faire la moüe.*

326 *Sume duos Equites, &c.*] Equeſtrem ergo cenſum duplica, vel ad ſummum, triplica. Tantum habe divitiarum, quantum ſatis eſſet duobus aut tribus Romanis Equitibus.

327 *Si nondum implevi gremium.*] Si tibi necdum ſatisfacio: ſi fortunis ejuſmodi, quas habere tibi concedo, non es contentus, certe nullis eris.

Si panditur ultrà.] Si plura appetis.

328 *Crœſi.*] Hujus Lydorum Regis opes in proverbium abierunt etiam. Vide Sat. 10. v. 274.

Perſica Regna.] Darii & Xerxis Regum Perſicorum ingentes divitias celebrat Juſtinus, &c.

329 *Nec divitiæ Narciſſi.*] Nec ſufficient opes hujus liberti Claudii Cæſaris, de quo Sueton. Claud. cap. 28. *Suſpexit,* inquit, *ante omnes Narciſſum ab epiſtolis, & Pallantem à rationibus. Quos decreto quoque Senatus non præmiis modò ingentibus, ſed & Quæſtoriis Prætoriiſque ornamentis ornari libenter paſſus eſt: tantum præterea acquirere & rapere, ut querente eo quondam de fiſci exiguitate, non abſurdè ſit dictum; abundaturum, ſi à duobus libertis in conſortium reciperetur.* Plin. etiam Lib. 33. cap. 10. hujus opes notat. *Juvat,* inquit, *inſectari inexplebilem iſtam habendi cupidinem: multos cognovimus ſervitute liberatos opulentiores, pariterque tres Claudii Principatu, Pallantem, Caliſtum, Narciſſum.*

330 *Cujus paruit imperiis, &c.*] Narciſſi obſecutus voluntati Claudius, Meſſalinam uxorem neci addixit. Cornelius Tacitus Annal. 11. ad finem, *Mirum inter hæc ſilentium Claudii: nempè cum indefenſa conjux exitio daretur —— ——omnia liberto obediebant—— —— Ac ni cædem ejus Narciſſus properaviſſet, verterat pernicies in accuſatorem. Et cum Imperatoris langueſcere iram, amorem redire audiſſet, prorumpit Narciſſus, denunciatque Centurionibus & Tribuno, qui aderant, exequi cædem,* &c. Idem alibi. *Nec enim Claudius Meſſalinam uxorem, quæ nupſit Silio, interfecit, niſi properaſſet index, delator adulterii, & quodammodo imperator cædis Narciſſus.* Vide Sat. 10. v. 330. & ſeq.

Digitized by Google

SATIRA XV.

QUIS neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibim.

Ecquis ignorat, o Voluſi Bithynice, quæ monſtra veneretur Ægyptus inſana? Iſta regio Crocodilum colit: Alia reveretur Ibin anguibus ſatiatam.

ANNOTATIONES.

1 *QUIS neſcit, Voluſi.*] In odium forte Criſpini Ægyptii, de quo antea non ſemel, ſcripſit Juvenalis hanc Satiram, in qua ridiculas Ægyptiorum ſuperſtitiones inſectatur, pariter & crudelitatem; ut qui bruta colant, hominem autem quidam eorum devorarint.

Bithynice.] E Bithynia oriunde: quæ eſt Aſiæ minoris regio, Euxino mari & Propontidi vicina.

2 *Ægyptus.*] Africæ regio celebratiſſima, Rubro mari proxima verſus Orientem; ab Occidente Barcana deſerta contingit, a Septentrione mare Mediterraneum, a Meridie Æthiopiam. Urbium olim dicitur habuiſſe millia viginti: quas inter famoſæ Memphis, Alexandria, Peluſium, Babylon nova, hodie *Carius*, Thebæ, Syene, &c.

Qualia potenta colat.] Velut Numina. Quæ vero, quot, & cur, enarrant Strabo Lib. 17. Diodor. Sicul. Lib. 2. cap. 4. Herodot. Lib. 2, &c. Cic. de Nat. Deor. 3. n. 39. *Omne fere genus beſtiarum conſecrarunt Ægyptii*, inquit.

Crocodilon.] Portentoſum certe animal, quod ex ovo anſerino ſimili naſcens, in eam excreſcit magnitudinem, ut cubitos aliquando viginti æquet longitudine, interdum & ſuperet. Quadrupes eſt, ſpecie lacertæ, in terra pariter & in aqua degens. Ad annos ſexaginta vivere, ſemper creſcere, hyeme latere, ac ſine cibo plures menſes durare fertur. Ad Nilum frequens, at præcipuæ magnitudinis eſt apud Gangem Indiæ fluvium: Auctores ſunt Ælianus Hiſtor. animal. Lib. 10. cap. 22. & Lib. 12. cap. 38. & Plin. mox citand. Hoc unum ex animalibus caret lingua: inferiorem maxillam non movet, ſed ſuperiorem inferiori admovet: oculos habet ſuillos, in aquis obtuſos, extra eas perſpicaciſſimos; dentes ingentes, ſerratos & prominentes; ungues robuſtos; pellem dorſi ſquamoſam ac duritie impenetrabilem. Hæc ex Herodoto Lib. 2. Plinio, Lib. 8. cap. 25. Diodoro Siculo, Lib. 1. cap. 3. Cur autem Crocodilos colerent Ægyptii? Diodor. Sicul. Lib. 2 cap. 4. rationem affert, quod ſecuritatem patriæ conferat adverſus Arabiæ Libyæque latrones, qui Crocodilos veriti Nilum non audent tranſire populatum. Alia quoque ibidem affertur ratio, nempe ob Menam Regem a Crocodilo defenſum contra perſequentes canes: unde ille Crocodilam urbem condiderit, Crocodilos ſacros eſſe deinceps, & coli a ſuis juſſerit. Seneca Natural. Quæſt. Lib. 4. cap. 2. Delphinorum in Crocodilos ad oſtium Nili pugnam, quin & victoriam, amœna proſequitur narratiuncula; ſimiliter & Plin. cit. mox loco, ubi & de Ichneumonis calliditate & inſidiis ad conficiendos Crocodilos.

3 *Adorat pars hæc.*] Ex Herodoto citato, Ægyptiorum quibuſdam ſacroſancti ſunt Crocodili, maxime circa Thebas; aliis vero minime, ſed velut hoſtes exagitant. Ex Plinio quoque & Seneca, citatis locis, Crocodilis adverſa eſt plane infenſa Tentyritarum gens, ex Inſula Nili Tentyri vocata. Cum Enim Crocodili ſint erga timidos audaces, in audaces pavidi, Tentyritæ ſtrenue aſſiliunt, voce terrent, fugientes injecto laqueo trahunt, dorſo inequitant, quovis agunt, devorata recens corpora evomere cogunt, ad ſepulturam.

Saturam ſerpentibus Ibim.] Fœda hæc avis ab Ovidio decantata, apud Nili ripas frequens, Ciconiæ non abſimilis, ideo colebatur ab Ægyptiis, quod ſit infeſta ſerpentibus, a quibus ipſi infeſtantur. Hinc Cic. 1. de Natura Deorum, n. 102. *Ipſi*, inquit, *qui irridentur Ægyptii, nullam belluam, niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt; velut ibes maximam vim ſerpentum conficiunt, cum ſint aves excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro: avertunt peſtem ab Ægypto, cum volucres angues ex Libya vaſtitate vento Africo invectas interficiunt atque conſumunt. Ex quo fit ut illæ nec morſu vivæ noceant, nec odore mortuæ. Poſſem de Ichneumonum utilitate, de Crocodilorum, de felium dicere, ſed nolo eſſe longus.* Herodot. Lib. 2. meminit alatorum ſerpentum in Ægyptum vere ineunte advolantium, quos ſtatim conficiunt Ibides, quæ idcirco magno ibi in honore ſunt.

Digitized by Google

Sacrati cercopitheci fulget imago ex auro, ubi magicæ fides crepant mutilo Memnone, ac priſca Theba cum *centum januis dejecta procumbunt. Ibi cæruleos, iſtic fluvii piſcem, alibi*

Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone
chordæ,
Atque vetus Thebê centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piſcem fluminis, illic

ANNOTATIONES.

Ibin porro duplicis eſſe generis ait; alteram, quæ: tota nigra eſt, gruinis cruribus, roſtro valde adunco, & cum ſerpentibus pugnat: alteram, quæ pedes habet humanis ſimiles, gracile caput, & collum, pennas candidas, crura & roſtrum alteri conſentanea. Diodor. Sic. Lib. 2. cap. 4. ex avibus Ibin utiliſſimam ad ſerpentes & locuſtas brucoſque delendos refert. Plin. Lib. 10. c. 28. *Invocant Ægyptii Ibes ſuas*, inquit, *contra ſerpentium adventum*. Et cap. 30. *Ibis circa Peluſium tantum nigra eſt: cæteris omnibus locis candida*. Cœl. Rhodig. lib. 13. c. 1. ex Minutiano Cæcilio Auctore, obſervat Corvinum ab Ovidio appellatum fuiſſe Ibin, ex avis fœditate, cui ventrem roſtro purgare inſitum. Hoc idem teſtatur Plin. Lib. 8. cap. 27. ubi ſic habet: *Simile quiddam monſtravit in Ægypto Ibis, quæ roſtri aduncitate per eam partem ſe perluit, quâ reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt*. Et Plutarch. de Iſide & Oſir. paulo ante finem, quædam habet de Ibi non omittenda; quod Medicos purgationis uſum docuerit, cum ſpectaretur ablui & purgari a ſeipſa: quod Ægyptii Sacerdotes ea ſe luſtrant aqua, quam Ibis biberit. Hæc enim nunquam inſalubrem aut veneno infectam bibit vel attingit; &c.

4 *Nitet.*] Adornatur ad cultum.

Cercopitheci.] Caudatæ ſimiæ, quam colebat Ægyptus. κέρκος, *cauda*, πίθηκος, *ſimia*, Plin. lib. 8. c. 54. *ſimiæ caudis inter ſe diſtinguuntur*.

5 *Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ.*] Apud Thebas Ægyptias in templo Serapidis (ut vult Plin. Lib. 36. cap. 7.) ſaxea viſebatur Memnonis effigies, citharam tenens, quæ quotidie Solis orientis percuſſa radiis, ſonum edebat citharæ ſimilem. Strabo vidit audivitque; at iſtius rei cauſam non aſſequi ſe fatetur: ejus autem ſtatuæ partem mediam, terræ motu corruiſſe narrat. Hinc Juvenalis *dimidium* vocat *Memnonem*: *Magicas* porro *chordas* ait, quia per Magicam artem ſonare creditum eſt. Nam & cum diruiſſet Thebas Rex Perſarum Cambyſes, ſtatuam illam aperuit, ratus mechanicum aliquod intus latere, quo ſonitus is fieret; verum nihil reperit: aperta vero ſtatua conſuetum edere ſonum perſeveravit. Vetus Schol. Pauſan. in Atticis. Philoſtrat. in Iconib. Cœl. Rhodig. Lib. 22. cap. 5.

6 *Vetus Thebe.*] Ex Diodor. Sicul. Lib. 2. cap. 1. Thebæi ſe omnium antiquiſſimos jactabant: primoſque Philoſophiam & Aſtronomiam inveniſſe, &c.

Centum jacet obruta portis.] Portas ſeptem habuit Thebe Bœotia, ut dixi ad Sat. 13. v. 17. at Ægyptia, Hecatompylus inde dicta, portas centum, vel ut alii volunt, aulas ac domos Principum centenas; a Buſiride Rege condita; centum & quadraginta ſtadiorum pomœrium oſtentabat. Plin. Lib. 36. c. 14. Herodot. Lib. 2. Thebas olim Ægyptum vocatas refert. Diodor. Sic. Lib. 2. cap. 1. ait, *Buſirim condidiſſe magnam civitatem, Thebas à Græcis, ab Ægyptiis autem Solis urbem dictam:* (Strabo Dioſpolim, non Heliopolim vocatam tradit, aliique) *Pulcris & ingentibus ædificiis, ac ſpecioſis Deorum templis exornaſſe: privatorum etiam ædes uſque ad quartam aut quintam contignationem conſtruxiſſe: hanc demum non ſolum Ægypti, ſed totius orbis feliciſſimam ac florentiſſimam reddidiſſe.* Dein ſubjungit, *non centum portas civitatis a quibuſdam afferri, ſed plures & egregias templorum januas à quibus dicta fuerit centum cenplurium portarum; Ex ea vero curruum millia viginti ad bellum prodire ſolita*, &c. Sanctus Hieronymus dictam ſuo tempore Thebeſtim ſcribit, Epiſt. ad Galat. Thebaïdis olim regionis caput fuit; nunc detrita omnino paucis conſtat incolis, vocaturque *Mino*, teſte Sanſone; inter Memphim ad Boream, & Syenem ad Auſtrum ſita.

Jacet obruta.] Diodor. mox cit. refert ædificata Memphi opportuniore ſitu, poſteros Reges, Thebis relictis, Regiam illuc tranſtuliſſe; unde ſint imminutæ jam Thebarum opes. Idem Ibid. pariter Herodot. & Lib. 3. narrant Cambyſem Perſarum Regem Ægyptum occupaſſe, Ægyptios male mulctâſſe, clariſſimas urbes, multaque Deorum templa, ad Thebas maxime, ſpoliâſſe; & in Aſiam aſportaſſe aurum, argentum, ſigna, artifices, &c. Hæc facta circa Olympiadem ſexageſimam tertiam teſtatur Euſeb. Chron. Plin. Lib. 36. cap. 9. *Cambyſes Rex*, inquit, *cum Thebas expugnaret, graſſareturque incendium ad crepidines obeliſci, extingui ignem juſſit, molis reverentia, qui urbis nullam habuerat.*

7 *Cæruleos.*] Id eſt, piſces maris cœrulei. Brodæus, Turneb. Lib. 7. cap. 8. aliique legunt. *æluros*, id eſt, feles quos venerabantur Ægyptii, ut paſſim oſtendunt Herodot. & Diodor. cit.

Digitized by Google

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina? Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa. Nefas illic fœtum jugulare capellæ;
Carnibus humanis veſci licet. Attonito cum
Tale ſuper cœnam facinus narraret Ulyſſes

canem urbes integra colunt, nullus vero Dianam. Scelus eſt apprehendere porrum & cepas, dentibuſque rumpere. O religioſam nationem, cui iſti creſcunt in hortulis Dii? Brutis lanigeris parcunt ſingula menſa: Ibi capra catulum occidere prohibetur, fas vero eſt hominis carnem comedere. Quando Ulyſſes inter epulas ejuſmodi facta commemorabat

ANNOTATIONES.

8 *Oppida tota canem venerantur.*] Quædam animalia colebant univerſi Ægyptii; e terreſtribus bovem, canem, felem: ex aquatilibus lepidotum, & oxyrinchum: e volatilibus ibin & accipitrem: alia quidam populi, ut ovem Thebani & Saïtæ: latum piſcem Latopolitani; capram & hircum Mendeſii; lupum Lycopolitani, &c. Vide cit. Strab. Diodor. Herodot. &c.

Canem.] Hic tum venationi, tum ad cuſtodiam prodeſt: propterea Deum Anubim capite fingunt canino, ſignificantes cuſtodem corporis Oſiridis atque Iſidis fuiſſe. Adde quod Iſidis canes corpus Oſiridis quæſitum inveſtigarunt: unde in Feſtis Iſidis canes præeunt pompam. Ex Diod. Sicul. cit. Lib. 2. cap. 4. Vide & quæ notavi ad Sat. 6. v. 533.

Nemo Dianam.] Comparatio ironica: canem venerantur omnes; nemo canum dominam ac venatricem Dianam. Ridicula hominum religio! Scribit tamen Herodotus cit. Lib. 2. in urbe Bubaſti pulcherrimo in templo coli Dianam, ipſamque Bubaſtin appellari.

9 *Porrum & cepe nefas violare.*] Plin. l. 19. cap. 6. *Allium*, inquit, *cepaſque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus.* Gel. Lib. 20. cap. 7. *Cepetium*, inquit, *revireſcit & congerminat decedente Luna, contra autem inareſcit adoleſcente. Eam cauſam eſſe dicunt Sacerdotes Ægyptii cur Pelusiota cæpe non edant, quia ſolum olerum omnium contra Lunæ aucta & damna vices minuendi atque augendi habeat contrarias.* Plutarchus de Iſide & Oſir. ait Ægyptios ſacerdotes cæpam averſatos, eo quod lacrymas eliciat, atque Feſtos dies celebrantibus ſit moleſta, ſitim quoque excitet iis gravem, qui religionis cauſa cibo potuque abſtinent.

10 *Naſcuntur in hortis Numina.*] Quidam enim Ægyptii lentem, alii fabam, alii cæpe reverebantur. Diodor. citat.

11 *Lanatis animalibus abſtinet, &c.*] Ovibus abſtinebant, quoniam bis edunt fœtus, lanamque præbentes vario accommodatam uſui, lac præterea caſeumque ſuppeditant. Diodor.

12 *Nefas illic fœtum jugulare capellæ.*] Paulo ante dixi capram Mendeſiis atque hircum adorari. Cic. Tuſc. 5. 78. *Morem Ægyptiorum quis ignorat? Horum imbutæ mentes erroribus quamlibet carnificinam prius ſubierint, quam ibin, aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent: Quorum etiamſi imprudentes quidpiam fecerint, pœnam nullam recuſent.* Diod. citat. Lib. 2. cap. 4. ita refert: *Siquis animalium iſtorum aliquod occiderit, morte damnatur—— ——adeoque mentes hominum pervaſit ea ſuperſtitio, ut quo tempore Ptolemæus Rex à Romanis ſocius & amicus dictus eſt, applaudentibus quidem Ægyptiis, Italoſque ſtudioſe excipientibus, tamen cum quidam Romanus felem interfeciſſet, ad ejus domum concurſu plebis facto, neque à Regiis ad id miſſis principibus, neque Romanorum timore abſterreri à pœna hominis potuerint. Quam rem non auditu percepimus, ſed viſu: cum in Ægyptum eo tempore navigâſſemus.*

13 *Carnibus humanis veſci licet.*] Diodor. cit. mox loco ita pergit: *Premente aliquando Ægyptios fame, adeo ut plures ab humana carne ob inopiam cibi non abſtinerent, animalia ſacra omnino intacta reliquere.*

Attonito cum tale, &c.] Exemplo oſtendit & illuſtrat quæ dixit de immani Ægyptiorum crudelitate.

14 *Narraret Ulyſſes Alcinoo.*] Ulyſſes nempe naufragus ad Corcyram Inſulam enatavit. In ea tum regnabat Alcinöus Phæacum Rex. Hujus filia Nauſicaë nudum & egentem in littore Ulyſſem invenit, ejuſque miſerta ad patrem perduxit: a quo benigne exceptus inter cœnandum enarravit ille ſuos ab annis ſeptem errores ac labores: quemadmodum a Polyphemo Cyclope, atque Antiphate Læſtrygonum Rege anthropophagis quidam e ſuis devorati eſſent, &c. Homer Odyſſ. 6. 7, 9. 10. Talia vero illo referente (inquit Juvenalis) accumbentium Phæacum quidam ridere fabuloſa, alii vanum oſtentatorem indignari, ac dicere vel cogitare apud ſe: hunccine fabulatorem nemo in mare abjicit? Charybdim fingit falſam, at vera eſt dignus ipſe, qua abſorptus pereat, &c.

Alcinoo, bilem aut riſum fortaſſe quibuſdam
Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo
Hunc abicit, ſæva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Læſtrygonas atq; Cyclopas?
Nam citius Scyllam, vel concurrentia ſaxa
Cyanes, plenos & tempeſtatibus utres
Crediderim, aut tenui percuſſum verbere Circes,
Et cum remigibus grunniſſe Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?
Sic aliquis merito nondum ebrius, & minimum qui

*Alcinoo admiranti, indignationem forte vel cachinnos excitaverat nonnullis, tanquam vanus fabulator: ergone illum in mare nullus præcipitavit crudeli ne: fictâ dignum Charybdi, ſævos Læſtrygonas & Cyclopas comminiſcentem? Facilius enim crediderim Scyllam, aut Cyaneas rupes coëuntes, atq; utres procellis refertos, vel levi Circes ictu pulſatam Elpenorem grunnitum edidiſſe cum ſuibus remos agi*tantibus. *Adeone inani cerebro exiſtimavit Phæacum gentem? Ita quiſpiam jure* ſenſiſſet, *non adhuc temulentus, quique pauxillum*

ANNOTATIONES.

16 *Arretalogus.*] Sueton. Auguſt. cap. 74. *inter cœnandum*, inquit, *aut acroamata & hiſtriones, aut etiam triviales è circo ludios interponebat, ac frequentiſſime aretalogos.* Hos vero Caſaubonus ibid. paraſitos Philoſophos interpretatur, qui de virtutibus diſputare ſoliti ſint apud menſas divitum: ab ἀρετῆ λέγω. Ipſos vocat circulatores Seneca Epiſt. 29. Alii ex Porphyrione in Horat. Serm. propriæ virtutis oſtentatorem aretalogum eſſe aiunt, alii nugatorem & ſcurram, ſeu feſtiva & faceta, ad oblectandos audientium animos, effutientem: ab ἀρετὸς *blandus, gratus.* Turneb. Lib. 10. cap. 12.

17 *Charybdi.*] Voragine naves abſorbente. Vide Sat. 5. v. 102. Annot.

18 *Læſtrygonas atque Cyclopas.*] Plin. Lib. 7. cap. 2. *Cogitemus in medio terrarum orbe, in Sicilia atque Italia homines hujus monſtri, Cyclopas & Læſtrygonas, qui corporibus humanis veſcerentur.*

Læſtrygonas.] *Formia antiqua Læſtrygonum ſedes,* inquit Plin. Lib. 3. cap. 5.

Cyclopas.] Similes Polyphemi, a quo devoratis jam Ulyſſis comitibus, ipſe tantum non peremptus eſt. Vide Homer. cit. & Sat. 9. v. 64. Annot. Vide & Turneb. Lib. 24. c. 10. & Lib. 21. cap. 46.

19 *Nam citus Scyllam, &c.*] Potius quam eſſe credam homines alios comedentes.

Scyllam.] Proximus eſt & adverſus Charybdi ſcopulus in freto Siculo, navigantibus uterque formidabilis. Hinc adagium: *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.* Porro fabulati ſunt meretrices eſſe portentoſas, a quibus tranſeuntes devorabantur.

Virgil. Eclog. 6.

Quid loquar aut Scyllam Niſi, aut quam fama ſecuta eſt
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexâſſe rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceràſſe marinis!

Vide Cœl. Rhodig. Lib. 30. cap. 34. Ovid Metamorphoſ. 13. & 14.

Concurrentia ſaxa Cyanes.] Alias vocantur *Symplegades* iſti duo ſcopuli, ad os Thracii Boſphori, qui cum a ſe parum diſtent, navigantibus concurrere videntur & collidi. Hinc inſtabiles vocat Ovid. Triſt. 1. Eleg. 9.

20 *Plenos tempeſtatibus utres.*] Æolum nempe fabulantur ventos utribus incluſos dediſſe Ulyſſi navigaturo; at hujus comites ratos aliud intus latere, aperuiſſe: unde ſoluti venti tempeſtates excitarunt horrendas. Homer. cit.

21 *Circes.*] Famoſa hæc venefica Solis e Perſe filia, Colchorum Regis ſoror, in Italiam profuga apud Circæum Promontorium habitavit. Ibi vero Ulyſſem tempeſtate actum ſuſcepit, ejuſque ſocios veneficiis in porcos mutavit, moxque priſtinæ formæ virga tactos reſtituit. Homer. Odyſſ. cit. Ovid. Metamorphoſ.

Virgil. Eclog. 8.

Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis.

Plutarch. de Homer. Lib. fabularum hanc explicat. Plin. Lib. 25. cap. 2. ejus facit mentionem.

22 *Elpenora.*] Unum e ſociis Ulyſſis. Vide notam præcedentem.

23 *Tam vacui capitis, &c.*] Adeone bardos ac ſtolidos nos putat iſte, ut ejus fabulis habeamus fidem?

Populum Phæaca.] Populum inſulæ Corcyræ, quæ hodie *Corfu*, ad oram Epiri ſitæ. Huic olim nomen dederat Corcyra Nympha: e qua Neptunus ſuſcepit Phæacem; unde Phæacia dicta, & populi Phæaces vocati.

24 *Sic aliquis.*] Aliquis convivarum & epulantium cum Ulyſſe ad menſam Alcinoi Regis Corcyræ.

De

De Corcyræa temetum duxerat urna.
Solus enim hoc Ithacus nullo ſub teſte canebat.
Nos miranda quidem, ſed nuper Conſule Junio
Geſta, ſuper calidæ referemus mœnia Copti;
Nos vulgi ſcelus, & cunctis graviora cothurnis.
Nam ſcelus a Pyrrha, quanquam omnia ſyrmata volvas,
Nullus apud Tragicos populus facit. Accipe noſtro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.
Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc, Ombos & Tentyra. Summus utrinque
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum

vini hauſerat ex amphora Corcyræ: Quippe unus Ithacus ea recitabat nemine atteſtante. Nos ſtupenda certe, at non ita pridem facta Junio Conſule, extra muros Copti ardentis, nos crimen totius *populi narrabimus, & pejora omnibus cothurnis. Enimvero licet cuncta ſyrmata expendas, à Pyrrha* ſæculo, *nuſquam plebs* omnis *crimen patrat apud Tragœdiarum ſcriptores. Audi quodnam exemplum edidit noſtris temporibus ſæva crudelitas. Inveterata pridem alienatio, jugis invidia, plagaque immedicabilis fervet hactenus vicinos inter Ombos atque Tentiritas. Hinc & illinc indignatio plebi maxima, quoniam ambæ regiones finitimorum*

ANNOTATIONES.

24 *Minimum qui de Corcyræa temetum duxerat urna.*] Sapiens quidam vir, vino moderate ſumpto, plane ſui compos.

26 *Solus enim hoc, &c.*] Quippe unus evaſerat emerſeratque e naufragio; quare nemo aderat qui atteſtaretur vera eſſe quæ ab eo narrabantur.

Ithacus.] Ulyſſes apud Ithaeam natus Inſulam. Vide Annot. Satir. 14. v. 287.

27 *Nos miranda quidem, &c.*] Quod Juvenalis ego referam, teſtes habeat, ipſeque vidi in Ægypto nuper, dum Romæ Conſul erat Junius.

Conſule Junio.] Quid hic certi ſtatuemus? Alii legunt, *Junco*; alii *Vinco*: de his ita ſcribit Juſt. Lipſ. Epiſtolic. Quæſt. Lib. 4. Ep. 20. *Vincum, ſive Juncum Conſules non invenio: & intricata pars illa faſtorum ob Conſules crebro ſuffectos.* Alii legunt, *Junio*; & quidam Junium Sabinum intelligunt, qui fuit Conſul cum Domitiano, anno Urbis conditæ octingenteſimo, trigeſimo ſexto. Quidam Q. Junium Ruſticum Imperatoris Hadriani Collegam afferunt, anno urbis conditæ octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Salmaſ. in Plin. &c.

28 *Copti.*] *Coptos* urbs Ægypti, ſive Thebaidis, ad Nilum, celebre eſt emporium Arabibus & Ægyptiis Tropico ſubjecta, & unde *calidam* vocat. Vide Strab. Lib. 17, &c.

29 *Nos vulgi ſcelus, &c.*] Non unius hominis ſcelus, ut olim Atrei, Thyeſtis, Medeæ, Oreſtis, Alcmæonis; ſed totius populi crimen profero, quale nunquam auditum eſt, nec Tragicis decantatum.

Graviora cothurnis.] Graviora iis quæ in Tragœdiis tractari ſolent, quarum Actores cothurnos induunt. De his vide Annot. Sat. 6. v. 633. ad vocem, *cothurnum*.

30 *A Pyrrha.*] A diluvio, quod contigit ſub Deucalione & Pyrrha. De quibus Sat. 1. v. 81, & 84.

Syrmata.] Tragicas veſtes, pro tragicis argumentis. Synecd. Vide Sat. 8. v. 229.

33 *Inter finitimos.*] Jam narrat facinus & facinoris cauſas. Nempe diverſitas religionis odium inter eos generat atrox quidem: hinc rixæ, & cædes, & belluina feritas utrinque ſævit.

34 *Nunquam ſanabile vulnus.*] Animorum offenſio & alienatio vix unquam reconcilianda.

35 *Ardet adhuc.*] A tot ſæculis.

Ombos & Tentyra.] Urbs utraque finitima, Ægyptiis & Arabibus communis, non longe ab iſthmo Rubri maris, mirum in modum diſſentit: nam, ut jam ſupra notavi, Tentyritæ Crocodilum inſectantur & perimunt: Ombi vero (ſeu Combi, ut aliis placet) eum adeo colunt, ut ſuos ab eo liberos devorari non ferant ſolum, ſed etiam lætentur.

36 *Numina vicinorum odit uterque locus, &c.*] Diodor. Sicul. ante cit. Lib. 2. cap. 4. ait, *Apud priſcos Reges deſciſcente frequenter populo, quempiam prudentiâ conſpicuum diviſiſſe Ægyptum in varias partes, ſingulisque edixiſſe quæ animalia ſeparatim colerint; eo conſilio ut dum certa quique animantia pro Diis haberent, quæ ab aliis colerentur contemptis, alteri, alteros peroſi, nequaquam ſimul adverſus Principes conſpirarint. Quod & ſecutum eſt: Nam diverſorum finium homines invicem diſſentiunt, mutuò ſibi inſultus impietatem objicientes.*

Odit uterq; locus; cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit. Sed tempore feſto
Alterius populi rapienda occaſio cunctis
Viſa inimicorum primoribus ac ducibus; ne
Lætum hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent poſitis ad templa & compita menſis,
Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interea Sol invenit. Horrida ſane
Ægyptus: ſed luxuriâ quantum ipſe notavi,
Barbara famoſo non cedit turba Canopo.
Adde quod & facilis victoria de madidis &
Blæſis, atque mero titubantibus. Inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta, & flores, multæque in fronte coronæ:
Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus: paucæ ſine vulnere malæ:
Vix cuiquam aut nulli toto certamine naſus
Integer. Aſpiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Oſſa genis, plenos oculorum ſanguine pugnos.

Deos averſantur, quandoquidem æſtimant ea Numina duntaxat cenſenda eſſe, quæ ipſa venerantur. Atqui feſto die alterius plebis, univerſi proceres & magnates hoſtium decreverunt captare opportunitatem vetandi *quominus feſtivam lucem ac jucundam* haberet illa, *neve guſtaret lætitiam ingentium epularum, ſtatutis apud fana ac trivia menſis, atq; vigilanti lecto, quem noctu diuque ſtratum ſeptima lux interim reperit. Barbara certè* pars hæc *Ægypti: at quemadmodum ego obſervavi, ferox* illa *multitudo luxu non concedit Canopo infami. Accedit quod nec arduus* videbatur *triumphus de udis & balbutientibus & nutantibus* præ *vino. Hinc tripudia hominum* ad *fuſcum tibicinem, unguenta vulgaria, floreſque & corollâ plurima circum tempora: Illinc famelica offenſio. At enim prior contentio emicare cœpit mentibus fervidis. Ea certaminis buccina. Mox æquali vociferatione congrediuntur: a. pro ſpiculo denudata dextra pugnat: rara maxilla abſque plaga: raro alicui vel nemini incolumes nares per omnem dimicationem. Modo cerneres in omnibus turmis facies mutilatas, vultus diverſos, atque oſſa diviſa fractis malis pugniſque oculorum cruore perfuſos.*

ANNOTATIONES.

39 *Alterius populi.*] Omborum Diis ſuis ſacros & feſtos dies celebrantium.

40 *Inimicorum primoribus.*] Tentyritis.

43 *Pervigilique toro, &c.*] Lecto diſcubitorio, quo pervigiles epulas ex more agebant, genioque indulgebant per continuos dies ſeptem atque noctes.

44 *Septimus interea.*] Quidam legunt, *interdum.*

45 *Ægyptus.*] Ea regio, in qua ſunt urbes prædictæ, & in qua ego præſens vidi quæ refero, inquit Juvenalis: quem proinde conſtat in Ægypto fuiſſe.

46 *Canopo.*] Vide Sat. 1. v. 26. Annot.

47 *Adde quod & facilis victoria.*] Victoriæ de Ombis tum ebriis reportandæ facilitas hoſtes eorum Tentyritas movit ad eos impetendos & laceſſendos, ex invidia ſcilicet.

De madidis.] Unguento perfuſis ex more & laſcivientibus.

48 *Blæſis.*] Ariſtot. in Problemat. ſcribit linguam vinolentis oberrare, vel quod uti totum corpus, ſic & lingua titubat: vel quod linguæ caro mollis inſtar ſpongiæ, madeſcendo ampliatur, hincque ob molem tardior non ita ſincere verba exprimit.

Inde virorum.] Ex parte Omborum.

49 *Nigro tibicine.*] Mauro, Æthiope, tibia ludente, Ombi ſaltabant ad numerum.

51 *Hinc jejunum odium.*] Contra vero Tentyritæ jejuni, & infeſti.

52 *Hæc tuba rixæ.*] Velut Claſſicum.

57 *Alias facies.*] Immutatas ac deformatas vulneribus & cruore.

58 *Oculorum ſanguine.*] Quos eruerint, aut foderint, aut cruentarint.

Ludere

Digitized by Google

Ludere ſe credunt ipſi tamen, & pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.
Et ſane quo tot rixantis millia turbæ,
Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus, & jam
Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione
Tela; nec hunc lapidem, quali ſe Turnus, & Ajax;
Vel quo Tydides percuſſit pondere coxam
Æneæ; ſed quem valeant emittere dextræ
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero,
Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.
Ergo Deus quicunque aſpexit, ridet & odit.
A diverticulo repetatur fabula. Poſtquam
Subſidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet, & infeſtis pugnam inſtaurare ſagittis.

Iſti nihilominus jocari ſe arbitrantur, & certamina puerorum agitare, quoniam cadavera nulla proterunt. Et certe quorſum tot millia populi dimicantis, ſi cuncti ſuperſtant? Itaque gravior fit incurſus: jamque ordiuntur jacere lapides per terram collectos demiſſis brachiis, prompta ſeditioſorum arma. Neque vero *id ſaxum, quo ſe Turnus atque Ajax defen*derunt, *aut quâ mole Tydei* filius *cecidit Æneæ coxendicem, ſed qualem vibrare queant manus iis diſpares, ævoque noſtro procreatæ. Illa enim progenies jam diminuebatur, Homero ſuperſtite. Modò humus gignit homines improbos & parvos. Numen igitur quodlibet viderit, deridet atque averſatur. A digreſſione ſermo revocetur. Poſteaquàm auxiliaribus* copiis *roborati* ſunt, *acies una ferrum diſtringere aggreſſa* eſt, *atque inimicis telis prælium redintegrare.*

ANNOTATIONES.

60 *Nulla cadavera calcent.*] Nemine adhuc trucidato, cujus cadaver pedibus conculcent.

61 *Et ſane quo tot, &c.*] Ironia.

64 *Domeſtica ſeditione tela.*] Conſueta, familiaria.
Virgil. Æneid. 2.
Jamque faces & ſaxa volant.

65 *Nec hunc lapidem.*] Neque vero tantum jaciunt, quantum olim Turnus, Ajax, Diomedes. Hi torquebant ingentem unum; illi heroibus inferiores non niſi leviores multos poterant movere.

Turnus.] Adverſus Æneam intorſit ſaxum Turnus: illud autem ingens, immane, limitem agro poſitum dicit Virg. Æneid. 12. ſub finem.

Ajax.] Hic ſingulari certamine cum Hectore commiſſus. Illiad. 7.

66 *Tydides.*] Diomedes Tydei filius Æneam graviter vulnerat, cit. Ilad.

69 *Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.*] Homer. Iliad. 5. v. 303.
Ὃ οὐ δύο δ' ἄνδρε φέροιεν, Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.
Quem imitatus Virgil. Æneid. cit.
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent;
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
S. Auguſtin. de Civit. Dei Lib. 15. cap. 9. *Non credunt,* inquit, *magnitudines corporum tunc fuiſſe longè ampliores, quam nunc ſunt* ——— *Sed incredulos convincunt nudata per vetuſtatem, ſeu per vim fluminum, varioſque caſus ſepulchra, ubi incredibilis magnitudinis oſſa mortuorum apparuerunt. Vidi ipſe non ſolus, ſed aliquot mecum, in Uticenſi littore, molarem hominis dentem tam ingentem, ut ſi in noſtrorum dentium modulos minutatem concideretur, centum nobis videretur facere potuiſſe: ſed eum gigantis alicujus fuiſſe crediderim.* ——— Plinius Secundus *commemorat naturam ferre minora corpora, idque Homerum ſæpè carmine conqueſtum* &c. Plin. Lib. 7. cap. 16. ita ſcribit: *Cuncto mortalium generi minorem in dies menſuram fieri propemodum obſervatur.* ——— *Sub Divo Claudio Principe viſus Arabs quidam nomine Gabbara novem pedes altus. Oreſtis corpus ſeptem cubitos habuit. In Creta terra motu rupto monte, inventum corpus quadraginta ſex cubitorum, quod alii Orionis, alii Oti fuiſſe aiunt,* &c. Gellius Lib. 3. cap. 13. ſic habet: *Herodotus homo fabulator, Hiſtor. 1. ſcribit inventum eſſe ſub terra Oreſtis corpus cubita longitudinis habens ſeptem, quæ faciunt pedes duodecim cum quadrante: niſi ſi (ut Homerus opinatus eſt) vaſtiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum; & nunc quaſi jam ſeneſcente mundo, rerum atque hominum decrementa ſint.* Cœl. Rhodig. Lib. 18. cap. 31. *In fluvii Orontis alveo,* inquit, *repertum eſt cadaver Indi cujuſdam Orontis nomine, cubitos undecim longum, & amplius.*

71 *Ridet & odit.*] Odit malos, ridet puſillos.

72 *A diverticulo repetatur fabula.*] Relinquamus Turni, Ajacis, ac Diomedis Hiſtoriam, & ad noſtram redeamus.

Digitized by Google

Tum qui Tentyra habitant palmetis umbriferis proxima, urgent cunctos dorſum præcipiti fuga dantes. Iſtic quiſpiam corruit præ metu immodico properans aufugere, & comprehenditur. Hunc vero multas in partes & fruſtula diſcerptum, ut unus exanimis pluribus ſatis eſſet, integrum devoravit ſuperior multitudo, arroſis etiam oſſibus: neque fervente cacabo verubuſve coxit. Ita diuturnum ac lentum exiſtimavit caminum operiri, crudo corpore ſatis gaudens. Inde fas eſt lætari, quod non ignem polluerit, quem è ſuprema cœli regione ablatum terris dedit Prometheus. Congratulor elemento & teque gaudere arbitror. At qui mandare cadaver haud dubitavit, nihil unquam deglutivit eâ carne jucundius. In tali enim facinore, ni ſciſciteris & ambigas utrum prior ingluvies delicias captârit: at qui poſtremus acceſſit, ductis humi digitis quidpiam delibat è cruore hominis jam integro cadavere devorati. Vaſcones, ut ferunt, cibis ejuſmodi veſcentes vitam in longius traxerunt. At res abſimilis. Hic enimvero,

Terga fugæ celeri præſtantibus omnibus inſtant
Qui vicina colunt umbroſæ Tentyra palmæ.
Labitur hic quidam nimia formidine curſum
Præcipitans, capiturque: aſt illum in plurima ſectum
Fruſta ac particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corroſis oſſibus edit
Victrix turba; nec ardenti decoxit aheno,
Aut verubus: longum uſque adeo, tardumque putavit
Expectare focos, contenta cadavere crudo.
Hinc gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem ſumma cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. Elemento gratulor, & te
Exultare reor. Sed qui mordere cadaver
Suſtinuit, nihil unquam hac carne libentius edit.
Nam ſcelere in tanto ne quæras, & dubites, an
Prima voluptatem gula ſenſerit: ultimus autem
Qui ſtetit abſumpto jam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de ſanguine guſtat.
Vaſcones, ut fama eſt, alimentis talibus uſi
Produxere animas: ſed res diverſa; ſed illic

ANNOTATIONES.

75 *Terga fugæ celeri, &c.*] Ombis univerſis fugæ ſe dantibus inſtant armati Tentyritæ, in quorum terra creſcunt palmæ complures.

76 *Palmæ.*] Vide multa ſcitu digna de palmis, apud Herodot. Lib. 4. Plutarch. Nat. Quæſt. Plin. paſſim. Athen. Lib. 2, & 14 Cœl. Rhodig. lib. 5. cap 6, &c.

77 *Labitur hic quidam.*] Unus ex Ombis fugiens cecidit, & ab hoſtibus captus eſt.

81 *Nec ardenti decoxit aheno, &c.*] Humanam vero carnem tam avide appetiverunt, ut nec elixam nec aſſatam, ſed crudam voraverint.

84 *Ignem.*] Quem velut ſacrum gentes multæ coluerunt. Vide Cic. 4. Acad. Quæſt. n. 118. de Nat Deor. 3. de Leg. 2. n. 20. Plutarch. de Placit. Philoſ. 1. cap. 3. & de facie in orbe Lunæ. Herodot. Lib. 3. paulo poſt initium. Cœl. Rhodig. Lib. 15. cap. 14, & 15. Alex. ab Alex. Lib. 6. cap. 26, &c.

85 *Promethus.*] Vide Sat. 4. v. 133. Cœl. Rhodig. Lib. 7. cap. 19, 20, & 21, &c.

86 *Elemento gratulor.*] Igni gratulor quod non ſit violatus, coquendo carnes humanas, quibus impii Tentyritæ ſatiarentur.

Et te exultare reor.] Te, o Voluſi, credo mecum ſentire & lætari.

89 *Ne quæras, & dubites, an, &c.*] Ne dubites voracibus illis anthropophagis cibos impios maxime jucundos fuiſſe, cum de corpore hoſtili epulati ſunt: quandoquidem is qui tarde venerat, ſaltem cruoris guttas humi colligit, & abligurit mira cupiditate. Nam primi non carnes ſolum abſumpſerant, ſed & oſſa corroſerant.

93 *Vaſcones, ut fama eſt, &c.*] Ex comparitione exaggerat crudelitatem Ægyptiorum.

Vaſcones.] Hi pridem Tarraconenſis Hiſpaniæ populi eam tenebant regionem, quæ ſita eſt Iberum fluvium inter & Pyrenæos montes, & Navarra modo nuncupatur. Subinde vero in Galliam tranſgreſſi Aquitaniæ partem occuparunt: eique ſuum indidere nomen, vernacule, *la Gaſcogne*.

Alimentis talibus uſi.] Corporibus humanis ii ſumma quidem neceſſitate victitarunt. Alii legunt, *Alimentis talibus olim.*

Digitized by Google

Fortunæ invidia eſt, bellorumque ultima, caſus
Extremi, longæ dira obſidionis egeſtas.
Hujus enim, quod nunc agitur, miſerabile debet
Exemplum eſſe cibi: ſicut modo dicta mihi gens
Poſt omnes herbas, poſt cuncta animalia, quicquid
Cogebat vacui ventris furor hoſtibus ipſis
Pallorem, ac maciem, & tenues miſerantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, eſſe parati
Et ſua. Quiſnam hominum veniam dare, quiſve Deorum,
Urbibus abnuerit dira atque immania paſſis;
Et quibus ipſorum poterant ignoſcere manes,
Quorum corporibus veſcebantur? Melius nos
Zenonis præcepta monent. Nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoïcus, antiqui præſertim ætate Metelli?

ſortis malignitas eſt, atque militia ſummum infortunium; *ærumna ultima*, atque *diuturnæ obſeſſionis ſæva inopia. Nam iſtius alimenti exemplum quod modo affertur, debet cenſeri miſeratione dignum. Quemadmodum populus mox à me nominatus, poſt cuncta olera, poſt animantia univerſa, quodcumq; adigebat abdominis jejuni rabies, ipſis hoſtibus miſericordiâ* commotis ob *pallorem, ac tabem, exileſque artus, aliorum membra* per *eſuriem laniabant, prompti etiam edere propria. Ecquis mortalium, aut quis Numinum recuſarit ignoſcere civitatibus ſæva perpeſſis & inhumana; quibus etiam indulgere potuiſſent eorum manes quorum cadaveribus paſcebantur?* At *ſanctius nos inſtituunt Zenonis documenta. Nam neque univerſa quævis agenda pro vita cenſet. Verum quomodò Cantaber Stoïcus foret, ævo priſci Metelli præcipue?*

ANNOTATIONES.

96 *Longæ diræ obſidionis egeſtas.*] Quando nempe Calaguris, hodie *Calahorra*, urbs in Vaſconum finibus, ad Iberum fluvium, a Pompeio & Metello obſeſſa, atque ad extrema redacta eſt; cum a Sertorianis teneretur. Strabo, Plutarchus, Appianus. L. Florus, Lib. 3. cap. 22. ita ſcribit: *In fame nihil non experta Calaguris.* Et Valer. Maxim. Lib. 7. cap. 6. *Numantinos in dira fame humanorum corporum dapibus uſos, ſupergreſſa eſt Calaguritanorum execrabilis impietas: qui quo perſeverantius interempti Sertorii cineribus fidem præſtarent, Cneii Pompeii obſidionem fruſtantes; quia nullum jam ſupererat animal in urbe ipſorum, uxores ſuas ac natos ad uſum nefariæ dapis verterunt*, &c.

102 *Membra aliena.*] Vel ab hoſtibus, vel ab ipſiſmet occiſorum.

Eſſe parati & ſua.] Nam quidam inedia preſſi brachia ſua nonnunquam arroſere.

104 *Urbibus.*] Calaguri, Numantiæ, Sagunto. Alii legunt, *Viribus*; id eſt, virilibus animi, vel viris fortibus.

105 *Manes.*] Vide Perſ. Sat. 5. v. 152 Annot.

106 *Melius nos, &c.*] Nolim tamen excuſare omnino Vaſcones, inquit Juvenalis, qui potius debebant mori quam cibis tam impiis vitam producere. Nos certe Romani melius inſtituti, ſentimus cum Zenone, & ſummum credimus nefas animam præferre pudori, neque ob vitam perdere velimus vivendi cauſas, ſcilicet honeſtatem, humanitatem, pietatem. Seneca Epiſt. 72. *Non omni pretio vita emenda eſt*, inquit. Et Plin. Lib. 28. cap. 1. *Vitam quidam non adeo expetendam cenſemus, ut quoquo modo protrahenda ſit. Quiſquis es talis, æque moriere, etiam cum obſcœnus vixeris aut nefandus.*

107 *Zenonis.*] Stoicorum Principis. Vide Laërtium, &c.

108 *Sed Cantaber unde Stoicus.*] Unde vero ſapientiam Stoicorum accepiſſet barbara gens? Non ergo mirum ſi tale facinus perpetrare non exhorruerit.

Cantaber.] Vaſconibus in Iberia finitimus eſt. Metonym. Biſcaïa vocatur nunc, quæ dudum Cantabria.

109 *Stoicus.*] Vide Sat. 13. v. 121.

Metelli.] Hic a Pompeio miſſus in Iberiam ad expugnandum Sertorium. Appian Lib. 1. & Florus cit. *Cum Romana res*, inquit, *uno Imperatore non poſſet tanto hoſti* (Sertorio) *reſiſtere, additus eſt Metello Cn. Pompeius*, &c. *Antiqui*, vero dicit, quia Metelli alii exinde floruerunt.

Nunc

Jam vero *mundus omnis poſſidet Græcas & noſtrates Athenas. Gallia diſerta Britannos oratores erudiit,* & *Thule modo conſulat de Rhetorica* magiſtro mercede *accerſendo. Nihilominus ea præſtans natio, de qua locuti ſumus, & Saguntini robore & fidelitate ſimiles, damno vero ſuperiores, quidpiam ejuſcemodi liberant culpâ. At Ægyptus altari Mæotico crudelior* eſt. *Hæc enim quæ dirum ſacrificium inſtituit Taurica homines mactat ſolum, ſi quidem exiſtimes fidem mereri quæ ferunt poëmata: nihil amplius aut gladio pejus metuit victima. Jam* vero *quæ calamitas*

Nunc totus Graias, noſtraſque habet orbis Athenas.
Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur jam Rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & par
Virtute atque fide, ſed major clade Saguntus,
Tale quid excuſat. Mœotide ſævior arâ
Ægyptus. Quippe illa nefandi Taurica ſacri
Inventrix homines (ut jam quæ carmina tradant
Digna fide credas) tantum immolat: ulterius nil
Aut gravius cultro timet hoſtia. Quis modo caſus

ANNOTATIONES.

110 *Nunc totus Graias, noſtraſque habet orbis Athenas.*] Ubique jam diſſeminata ſunt ſapientiæ inſtituta, literæque tam Græcæ quam Latinæ: nemo igitur poteſt amplius ignorantia vel barbarie excuſari, ſi quid peccet contra humanitatem. Cic. pro Flacco. *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur.*

111 *Gallia cauſidicos, &c.*] E Gallia tranſierunt in Britanniam diſciplinæ liberales & Philoſophiæ documenta: ſicut e Græcia in Italiam & Ægyptum profecta ſunt, &c.

Facunda.] Vide Sat. 1. v. 44. & Sat. 7. v. 148. ibique Annot.

Britannos.] Vide. Sat. 2. v. 161. Annot.

112 *De conducendo loquitur, &c.*] Ipſa Thule ad mundi fines poſita vult conducere præceptorem, a quo erudiatur. Hyperbole.

Thule.] Hanc Ortelius Norvegiæ tractum eſſe dicit: Aliis eſt Inſula Oceani Septentrionalis, nunc Iſlandia, *ultima Thule,* dicta Virgilio. *De Thule obſcura eſt hiſtoria,* inquit Strabo, *propter ejus in ultima loca remotionem: hanc ſiquidem ad Septentrionem expoſitam locant.* Hæc ab Europæis frequentari cœpta circa annum Chriſti milleſimum: longo eſt leucas Gallicas ducentas, lata circiter centum. Regi Daniæ paret. Montem Heclam habet ignivomum, & Dæmonum ſpectris, ut referunt, terribilem. De hoc ſi vacat & lubet, miranda multa lege apud Philipp. Camerar. Medit. Hiſtor. cap. 16.

113 *Nobilis ille tamen populus.*] Vaſcones fide & virtute clari.

114 *Major clade Saguntus.*] Hæc urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis olim præclara, nec hodie ignobilis in Regno Valentiæ, vulgo, *Morvedre. Major clade*; quoniam Saguntini, cum eſſent Romanis fœderati, octo menſes Annibali repugnarunt; tandem extrema paſſi, incenſo rogo, ſe ſuaque maluerunt igne comburere, quam ſe hoſti dedere, a quo expugnari ſe animadvertebant. Abiit in proverbium *Saguntina fames.* Polyb. Lib. 3. Tit. Liv. 21. Plin. Lib. 7. cap. 3. ita ſcribit: *Eſt inter exempla, in uterum protinus reverſus infans Sagunti, quo anno ab Annibale deleta eſt.*

115 *Mæotide ſævior arâ.*] Ad quam homines mactabantur. Mæotis palus, ſeu lacus, aut potius ſinus Sarmatici maris, Tanaim omnem recipit. Euxino Ponto per Boſphorum Cimmerium jungitur: rigat Tauricam regionem ſeu Cherſoneſum, ubi pridem hoſpites & advenas Dianæ immolare mos & fas erat. Quod perſeveraſſe aiunt uſque ad Oreſtis ac Pyladis adventum; quos agnoſcens Iphigenia ibi tum ſacrificula, inito cum iis conſilio, Dianæ ſimulacrum inde aufugiens rapuit, atque Ariciæ conſecravit.

116 *Taurica.*] Hæc primum *Gazaria*: poſt occupantibus Tauris Scythiæ populis, *Taurica*; hodie, *Tartaria minor,* Mœotico & Euxino mari circumfunditur.

Nefandi ſacri inventrix.] Tauricæ Cherſoneſi Rex Thoas id nefas inſtituit.

117 *Quæ carmina tradunt.*] Vide Euripid. Trag. Iphigen. in Tauris.

Homines tantum immolat.] Tantum immolat, non etiam laniat dentibus ac devorat, ut faciunt Ægyptii, barbaris proinde omnibus immaniores.

119 *Quis modò caſus impulit hos?*] Iterum ex collatione crimen Ægyptiorum auget. An, inquit, neceſſitas impulit? Imo crudelitas.

Impulit hos? Quæ tanta fames, infeſtaque vallo
Arma coëgerunt, tam deteſtabile monſtrum
Audere? Anne aliam terrâ Memphitide ſiccâ
Invidiam facerent nolenti ſurgere Nilo?
Quam nec terribiles Cimbri, nec Brittones unquam,
Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrſi,
Hac ſævit rabie imbelle & inutile vulgus,
Parvula fictilibus ſolitum dare vela phaſelis,
Et brevibus pictæ remis incumbere teſtæ.
Nec pœnam ſceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares ſunt
Et ſimiles ira atque fames. Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit. Hæc noſtri pars optima ſenſûs.
Plorare ergo jubet cauſam lugentis amici,
Squalloremq; rei, pupillum ad jura vocantem
Circumſcriptorem, cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,

iſtos coëgit? Quæ tam gravis inedia, & quis exercitus aggere contrarius adegit moliri portentum adeò execrabile? Numquid offenſionem diverſam crearent, Nilo intumeſcere abnuenti, ſi aruerit ſolum Memphiticum? Quâ rabie nunquam ſævierunt *aut Cimbri truces, aut Aremorici, feroceſque Sarmatæ, vel crudeles Agathyrſi, eâ ſævit inepta bello & ignava plebs, aſſueta lembis teſtaceis exigua vela expandere, curtoſq; remos fictilis colorati impellere. Neque reperies crimini punitionem, neque pœnas idoneas conſtitues illis gentibus, in quorum animo odium & eſuries æqualia ſunt atq; parilia. Præcordia tenerrima donare ſe hominibus oſtendit natura, quæ donavit fletus. Ea portio præcipua noſtræ indolis. Itaque præcipit flere cauſam familiaris dolentis, & ſordes rei,* atque *pupillum defraudatori diem dicentem, cujus crines virginales ambiguum reddunt vultum lacrymis defluentem. Juſſu naturæ ingemiſcimus quando* nobis *obviam fiunt exequiæ puellæ grandioris, aut* cum *puerulus humo conditur,*

ANNOTATIONES.

120 *Quæ tanta fames, infeſtaque, &c.*] Ut Vaſcones, Numantinos, &c.

121 *Monſtrum.*] Monſtroſum ſcelus.

122 *Anne aliam.*] Quid pejus committere potuiſſent ad irritandum Nilum, ut eo offenſus, impiamque terram averſatus, jam nollet exundans illam fœcundare?

Memphitide.] Synecdoche, pro Ægypto, cujus urbs Memphis pyramidibus celebrata Martiali, *&c.*

123 *Nilo.*] De hoc antea non ſemel.

124 *Cimbri.*] De his Sat. 8. v. 249.

Brittones.] Galliæ Celticæ Gens apud Sidonium; apud Cornel. Tacitum vero Germaniæ populi.

125 *Sauromatæ.*] Vide Sat. 2. v. 1.

Agathyrſi.] Sarmatiæ populi, dicti ab Agathyrſo Herculis filio. Horum fuiſſe regionem ubi nunc eſt Moſcovia, dicunt nonnulli.

126 *Imbelle & inutile vulgus.*] Tentyritæ præ illis populus ignobiles tale audent facinus, quale nunquam alii ulli.

127 *Parvula fictilibus ſolitum dare vela phaſelis.*] Teſtaceis ſcaphis ac naviculis Nilum flumen enavigantes. Strabo Lib. 17.

130 *In quorum mente pares ſunt—ira atque fames.*] Qui per iram ea committunt infanda, quæ ſola fames admittet, & quodammodo excuſat.

133 *Hæc noſtri pars optima ſenſus.*] Humanæ propria eſt indolis miſeratio.

135 *Squalloremque rei.*] Solebant rei veſtium affectare ſordes & ſqualiorem, ut miſericordiam excitarent Judicum.

136 *Circumſcriptorem.*] Tutorem, qui pupilli bona fraude ſurripuit. Vide Satir. 10. v. 222.

137 *Ora puellares, &c.*] Capilli more puellarum oblongi & paſſi dubitare faciunt, ſitne puer an puella.

138 *Adultæ virginis.*] Jam nubilis puellæ immaturo fato ſublatæ.

Digitized by Google

etiam minor flammâ pyræ. Nam quis probus vel dignus tedâ ſecretâ, qualem cupit eſſe ſacrificulus Cereris, ærumnas quaslibet à ſe remotas putat? Illud nos diſtinguit à grege mutorum: proindeque ſoli animum honore dignum adepti, & divina comprehendentes, idoneique diſcendis tractandiſque artibus, oriundum ab Cœli palatio duximus animum, quo carent pecudes *ad humum converſa & aſpicientes. Orbis primordio communis creator iis ſolum animas conceſſit, nobis* vero *mentem etiam, ut par charitas vos cogerit implorare opem, ac præbere; diſſipatos congregare in civitatem, antiqua è ſylva diſcedere*

Et minor igne rogi. Quis enim bonus, aut face dignus
Arcana, qualem Cereris vult eſſe Sacerdos,
Ulla aliena ſibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendiſq; artibus apti,
Senſum a cœleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque; mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet,
Diſperſos trahere in populum, migrare vetuſto

ANNOTATIONES.

140 *Minor igne rogi.*] Junior, quam ut fas eſſet cremari corpuſculum. Plin. Lib. 7. cap. 16. *Editis infantibus primores ſeptimo menſe gigni dentes haud dubium,* inquit, ——— *Priuſquam genita dente cremari, mos gentium non eſt.* Et cap. 54. *Cremare apud Romanos non fuit veteris inſtitui. Terrâ condebantur* ——— ———*Nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus,* &c. Aiunt mortuos infantes in ſuggrundariis condi ſolere. Fab. Planciad. Fulgentius Expoſit. Serm. antiq. ſic habet: *Suggrundia antiqui dicebant ſepulchra infantium, qui necdum quadraginta dies impleſſent: quia nec buſta dici poterant; quia oſſa quæ comburerentur non erant: nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumeſceret, undè Rutilus Geminus Aſtyanacte ait: Melius ſuggrundarium miſero quæreres, quàm ſepulchrum.*

Face dignus arcanâ, qualem Cereris. &c.] Dignus initiari vel intereſſe Sacris Cereris, quæ noctu peragebantur ardentibus lampadibus & faculis, in memoriam Cereris, quæ Proſerpinam filiam accenſa face quæſierat. Porro, ut jam alibi notavimus, Eleuſina ſeu Cerealia illa ſolos caſtos admittebant: tumque probitas integritaſque alicujus Sacerdoti probabatur, face non extincta cucurriſſet. Vide Sat. 6. v. 50.

Claudian.

——— ... *Sanctaſque faces extollit Eleuſis.*

Ovid. Faſt. 4.

Illic accendit geminas pro lampade pinus;
Hinc Cereris ſacris nunc quoque tæda datur.

142 *Ulla aliena ſibi credat mala:*] Qui ſibi non credat poſſe accidere, quod accidere aliis videt.

Terent.

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.

Separat hoc nos, &c.] Naturalis pietas diſcernit homines a pecudibus.

146 *Senſum a cœleſti demiſſum traximus arce.*] Cic. Tuſc. 1. n. 66. *Animorum nulla in terris origo inveniri poteſt* ——— ——— *Ita quicquid eſt illud quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, cœleſte & divinum eſt, ideoque æternum,* &c.

Virgil.

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo. Horat.
Divinæ particulam auræ.

147 *Cujus egent prona.*] Cic. de Natura Deorum: *Figuram quoque corporis habilem & aptam ingenio dedit. Nam cum cæteras animantes Deus adjeciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad cœli quaſi cognitionem, domicilii unde deſcenderat, excitavit.*

Ovid.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, &c.

149 *Tantum animas.*] Vegetantem, ſentientem.

151 *Diſperſos trahere in populum.*] Cic. Tuſc. 5. n. 5. *Tu urbs peperiſti; tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxiſti, &c.*

Horat. Lib. 1. Sat. 3.

Oppida cœperunt munire, & ponere leges,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

De

Digitized by Google

De nemore, & proavis habitatas linquere ſylvas;
Ædificare domos, laribus conjungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limine ſomnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere civem;
Communi dare ſigna tuba, defendier îſdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.
Sed jam ſerpentûm major concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam: ſævis inter ſe convenit urſis.
Aſt homini ferrum lethale incude nefanda
Produxiſſe parum eſt, cum raſtra & ſarcula tantum
Aſſueti coquere, & marris ac vomere laſſi
Neſcierint primi gladios excudere fabri.
Aſpicimus populus quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abſtinuit qui

& nemora deſerere majoribus habitata, ædes conſtruere, domui noſtra domum alteram addere, ut mutua contiguo domicilio fidentia ſecurum conferret ſoporem, armis tueri civem, proſtratum, vel grandi plaga titubantem; publice buccina claſſicum canere, iiſdem protegi turribus, unàque includi forium clave. At nunc major eſt anguium conſenſio. Paribus notis par bellua indulget. Quandonam leo valentior ademit vitam leoni? Qua in ſylva grandioris apri dentibus occiſus eſt unquam aper? Tigris India furibunda concordiam habet perennem cum tigride. Urſi feroces invicem conſentiunt. Homini verò parum videtur mortifera tela fabricaſſe incude nefaria, quando raſtros & ſarcula duntaxat excoquere ſoliti, atque marris & aratro fatigati veteres fabri haud noverant fabricare enſes. Cernimus gentem, cujus haud furori ſatis eſt quempiam trucidaſſe: verum thoracem, lacertos, ora, quoddam eſſe alimentum putat. Ecquid igitur loqueretur, aut quo non ſecederet Pythagoras, ſi jam ea portenta conſpiceret, qui animantibus omnibus

ANNOTATIONES.

152 *Linquere ſilvas.*] Cic. de Invent. 1. *Fuit quondam tempus, cum in agris paſſim homines beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant.*

Horat. ad Piſones, v. 291.

Sylveſtres homines ———
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus, &c.

155 *Ut collata daret fiducia.*] Junctis ædibus vicinus vicino fert opem indigenti facile.

158 *Una portarum clave teneri.*] Vide Athen. Lib. 14. cap. 23. ubi ſatis lepide Athenion arti coquinariæ ſeu culinariæ tribuit ea omnia quæ ſupra Juvenalis humanæ rationi, & Philoſophiæ vulgo attribuunt.

159 *Parcit cognatis maculis ſimiles fera, &c.*] Pardus pardo, tigris tigridi, lynx lynci non movet bellum; ſimiles notas, parem naturam veretur: ſolus homo eſt homini lupus. Cicer. Offic. *Nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur,* Plinius in Proœmio Libri 7. *Cætera animantia in ſuo genere probe degunt; congregari videmus & ſtare contra diſſimilia: leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes: nec maris quidem belluæ niſi in diverſa genera ſæviunt. At hercule homini plurima ex homine ſunt mala.* Vide Senec. Epiſt. 104. & Brod. Miſcel. Lib. 3. cap. 28.

163 *Indica Tigris.*] Vide Sat. 6. v. 270. & Sat. 8. v. 36. ibique annot.

168. *Gladios excudere.*] Alii legunt, *extendere.*

169 *Aſpicimus populos.*] Ægyptios, Tentyritas,

171 *Crediderint genus eſſe cibi.*] Id nefas perpetrare etiamnum familiare eſt Caribis, Americæ Meridionalis in Guajana regione populis, ut cum aliquem ex hoſtibus ſuis bello ceperint, diſcerpant, & membra igne aſſata devorent.

172 *Quo non fugeret.*] Portentoſa nefandaque averſatus ſcelera.

173 *Pythagoras.*] Is Italicæ Philoſophiæ fuit Princeps. Floruit circa Olympiadem ſexageſimam, & ad annos Octoginta, vel, ut alii ſcribunt, nonaginta conſenuit. Ortus in Inſula

Tanquam

Digitized by Google

ſicut homine temperavit, neq; alvo legumentum quodlibet impertivit? | Tanquam homine, & ventri indulſit non omne legumen? 174

ANNOTATIONES.

Samo, poſt multas peregrinationes, venit in Italiam, & Crotonæ conſedit, ubi diſcipulos illuſtres multos habuit. Mortuum Olympiade 70. dicit Euſeb. Vide Laërtium, Lib. 8. Lactantium, Lib. 3, &c. Cicero Tuſc. 1. n. 38. regnante ſuperbo Tarquinio in Italiam fuiſſe teſtatur. Et Tuſc. 4. n. 2. in Italia fuiſſe iiſdem temporibus, quibus L. Brutus patriam liberavit. Tuſcul. 5. n. 10. *Cum in Italiam veniſſet, exornaviſſe eam Græciam, quæ magna dicta eſt, & privatim, & publicè præſtantiſſimis inſtitutis & artibus.*

Animalibus abſtinuit.] Cum enim Pythagoras Metempſychoſim aſſereret, ab animatis cibis abſtinebat, ne videretur in animam ſævire humanam, quam e corpore hominis in corpus animalium tranſmigrare credebat, docebatque.

174 *Indulſit non omne legumen.*] Loquitur Juvenalis ex opinione eorum qui aiunt Pythagoram abſtinuiſſe a fabis, item ab animantibus: de quibus Laert. cit. Cicero Divin. 2. n. 119. *Faba quidem Pythagorei utique abſtinuere; quaſi vero eo cibo mens non venter infletur.* Plutarchus, Sympoſ. Lib. 8. Problem. 8. ſcribit Pythagoreos omnino victimarum immolatarum carnes guſtare ſolitos: piſcem vero ab eis immolari nullum. Idem Orat. 1. de eſu carnium, ait illos carnibus abſtinuiſſe. Plinius Lib. 18. cap. 12. affirmat, *Faba ſenſus hebetari, gignique inſomnia, atque idcirco Pythagoræ ſententia damnatum; vel quod mortuorum animæ ſint in ea; qua de cauſa parentando aſſumitur, &c.* Athenæus Lib. 4. cap. 17. ex Antiphane ait, Pythagoricos animati nihil ſolitos edere. At Lib. 7. cap. 16. ſcribit illos modice aliis quidem animatis veſcentes, quædam etiam ſacrificantes, ſolos omnino piſces ne guſtaſſe quidem, nimirum quia ſilentium colebant. Gellius, Lib. 4. cap. 11. ſic habet; *Opinio vetus falſa occupavit & convaluit Pythagoram Philoſophum non eſitaviſſe ex animalibus, etiam abſtinuiſſe fabulo, quem κύαμον Græci appellant* —— *ex eadem item opinione M. Cic. Lib. de Divin. primo, hæc verba poſuit: jubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne fabâ veſcerentur; quæ res habet inflationem magnam. Is cibus tranquillitatem mentis quærentibus conſtat eſſe contrarius. Hæc quidem Cicero, ſed Ariſtoxenus Muſicus, vir literarum veterum diligentiſſimus, Ariſtotelis auditor, in Libro quem de Pythagora reliquit, nullo ſæpius legumento Pythagoram dicit uſum quàm fabis, quoniam is cibus & ſubduceret ſenſim alvum ac lævigaret* —— *Porculis quoque minuſculis, & hædis tenuioribus victitaſſe refert idem Ariſtoxenus* —— *Ac de animalibus etiam docet Alexis Poeta in Comœdia, quæ Pythagora vita inſcribitur,* &c. Cæterum frugales admodum Pythagoram & Pythagoreos conſtat, atque pomis & oluſculis, interdum pane ac melle contentos fuiſſe. Athen. Lib. 10. cap. 5 & alib. Cœl. Rhodig. Lib. 21. cap. 3. & Lib. 30. cap. 36. Idem Lib. 28. cap. 12 ita ſcribit; *Legimus in Græcorum theſauris, reddito Romæ oraculo, ut Græcæ gentis prudentiſſimi ac fortiſſimi ſtatuas erigerent, mox in foro Pythagoræ & Alcibiadis ex ære Iconas dedicâſſe.* Vide & ſupra Sat. 3. v. 229.

SATIRA XVI.

O Galle, quis poſſit fortunati belli commoda per- | QUIS numerare queat felicis præmia, Galle,

ANNOTATIONES.

1 *QUis numerare queat, &c.*] *Exploditur Satira hæc pleriſque, ac dicitur non eſſe Juvenalis,* inquit vetus Schol. & alii poſt eum multi. Veruntamen ex ea quædam tanquam Juvenalis afferri a Priſciano Lib. 8. & a Servio in 1, & 2. Æneid. non perperam obſervatum ſit. Priſcianus cit. Lib. 8. cap. 6. iterumque cap. 14. affert verba iſta hujus Satiræ 16. v. 2.

Si ſubeantur proſpera caſtra.

Quicquid ſit in ea notatur militum petulantia, dum militiæ commoda referuntur. Aiunt vero,

Militiæ?

Digitized by Google

Militiæ? Nam ſi ſubeantur proſpera caſtra,
Me pavidum excipiat tyronem porta ſecundo
Sidere. Plus etenim fati valet hora benigni,
Quam ſi nos Veneris commendet epiſtola Marti,
Et Samiâ genitrix quæ delectatur arenâ.
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulſare togatus
Audeat: immo & ſi pulſetur, diſſimulet, nec
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculos Medico nil promittente relictos.
Bardiacus Judex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad ſubſellia ſuræ,

cenſere? Etenim ſi intr caſtra felicia, protecto exoptarim ut *aſtro benigno meticuloſum me tyronem admittat janua. Nam magis poteſt hora fortis proſpera quam ſi nos Marti laudent litera Veneris, ac mater quæ Samio gaudet ſabulo. Agamus primò de generalibus emolumentis, quorum hoc non erit infimum,* quod *te percutere vereatur toga indutus; quin etiam taceat ſi verberetur* a te: *vixque ſuſtineat Prætori monſtrare evulſos* ictu *dentes, atque atram carnem in vultu, turgentem,* ac *lividam: & oculos reſtantes, Medico nihil ſpondente. Iſta* vero *caſtigare cupienti donatur quæſitor bardiacus, calceus, ingenteſque ocreæ in excelſo tribunali,*

ANNOTATIONES.

quidam Satiram hanc a Juvenale ſcriptam in Ægypto, quo relegatus fuerat jam ſenex ſub ſpecie honoris ac præfecturæ cohortis, id agente per invidiam hiſtrione Paride, quem offenderat Sat. 7. v. 90. his verbis,

Quod non dant proceres, dabit hiſtrio.

2 *Si ſubeantur proſpera caſtra.*] Si felicibus auſpiciis militia ineatur, qualia mihi contigerunt, inquit Juvenalis, certe præmia militiæ tanta ſunt, ut ea contemplantem cupido arripiat militandi, etſi pavidus tyro fuerim. Iſtud vero dicit Juvenalis, ut ſignificet Paridi ſe non hoc exilio cruciari, imo lætari; atque ut ipſi Paridi moleſtiam & invidiam exinde creet.

3 *Porta.*] Duplex erat caſtrorum Porta. Altera dicebatur *Prætoria*, quæ ad hoſtes ſpectabat: altera *Decumana*, per quam educebantur ad pœnam milites delinquentes. Vide Veget. de Re Milit. & Lipſ. de Milit. Rom.

4 *Plus fati valet hora benigni, &c.*] Ut militia ſit felix, plus valet ac facit benignus ſiderum aſpectus, & fatum proſperum, quam ipſius Martis favor tibi conciliatus per literas amicæ Veneris, vel matris ejus Junonis commendatitias.

5 *Veneris.*] Vide initium Carm. Lucretii.

6 *Samiâ genetrix, &c.*] Juno Martis genitrix, quæ colebatur apud Samum, quæque proinde Inſulam hanc diligebat. De Samo Vide Sat. 3. v. 70. ibique Annot.

8 *Ne te pulſare togatus audeat.*] Hæc prima eſt utilitas militantium, quod eos civium nemo auſit offendere, imo quiſque timeat ac revereatur.

Togatus.] Domi togam, militiæ ſagum gerebant.

9 *Diſſimulet.*] Nam conquerendo, & in jus trahendo militem, nihil proficeret, imo ſibi novam accerſeret injuriam a commilitonibus ejus qui pulſavit, partes ipſius per fas & nefas tuentibus.

10 *Prætori.*] Seu judiciorum ſeu caſtrorum Præfecto.

11 *Offam.*] Cicatricem, vibicem, in vultu carnis tumorem, ac livorem ex percuſſione.

12 *Oculos Medico nil promittente relictos.*] Vel alterum, vel utrumque oculum ictu contuſum, tantum non excuſſum; atque ita male affectum, ut periculum ſit perdendi viſus, nihilq; certæ opis ac ſalutis audeat ſpondere Medicus.

13 *Bardiacus judex datur.*] Quod ſi togatus a milite læſus vindictam petat, nihil agit aut conſequitur: nam militem deferenti datur cognitor & judex militaris, qui proinde militi favet.

Bardiacus.] Vox deducta a Bardis Galliæ pridem populis; ſive legas *Bardaïcus*, cum Turnebo, & aliis; ſive *Bardiacus*, cum cæteris. Intelligendus itaque vel Judex militaris barbarus Gallicus; vel amictus & lacerna ſine cucullo, craſſior, & villoſa, cujus in caſtris ad excubandum uſus frequens, quemadmodum & bardocuculli, de quo Sat. 8. v. 145. Vide Turneb. Lib. 23. cap. 25. Vallam, &c. Martial. Lib. 4. Epigram. 4.

Laſſi bardiacus quod evocati.

14 *Calceus, & grandes, &c.*] Hinc videtur habitus deſcribi Centurionis, veſte caſtrenſi, de more in tribunali ſedentis & negotia militum diſceptantis. Datur, inquit, Judex bardiacus, id eſt, bardiaco veſtitus, forte & cucullo caput adopertus, caligatus, peronatus, ſuras grandes, ocreas, perones ac tibialia indutus, cujus vel aſpectus civem deterreat a litigando apud talem Judicem. Vide Sat. 3. v. ultimo.

Legibus

Digitized by Google

ritu veteri caſtrorum, atque inſtituto Camilli cuſtodito, ne litem agat miles trans aggerem, ac longe à vexillis. Æquiſſima eſt ergo Centurionum diſceptatio de milite: dabiturque mihi vindicta, ſi producatur ratio recta querimonia. Nihilominus omnis phalanx ſtat contra; atque turma univerſa ſummâ concordiâ obſiſtunt. Efficietis ut ultio fiat atrocior quam prior *iniquitas. Erit igitur congruum animo Vagelli Mutinenſis cauſidici, quando binas habes tibias, lædere tot caligatos, millia clavorum. Ecquis adeo ſit alienus à civitate? Inſuper quis ita Pylades, ut prodeat ultra vallum? Statim areſcant fletus, neque urgeamus familiares detrectaturos,*

Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul a ſignis. Juſtiſſima Centurionum
Cognitio eſt igitur de milite; nec mihi deerit
Ultio, ſi juſtæ defertur cauſa querelæ.
Tota cohors tamen eſt inimica, omneſq; manipli
Conſenſu magno officiunt. Curabitis, ut ſit
Vindicta gravior quam injuria. Dignum erit ergo
Declamatoris Mutinenſis corde Vagelli,
Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos,
Millia clavorum. Quis tam procul abſit ab urbe?
Præterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? lacrymæ ſiccentur protinus, & ſe
Excuſaturos non ſollicitemus amicos.

ANNOTATIONES.

15 *More Camilli.*] L. Furius Camillus Dictator, in decennali Veiorum obſidione, edixit, ne miles extra vallum litigaret, nempe ut præſto quiſque ſemper adeſſet, quoties erat cum hoſte dimicandum. Vide Liv. Lib. 5. Plut. &c.

17 *Juſtiſſima Centuriorum cognitio, &c.*] Illud Camilli inſtitutum maxime juſtum eſt, & e re publica, ob rationem allatam: adeoque civis non habet quod conqueratur, ſi coram Centurione, & apud caſtra, litigandum eſt & agendum adverſus militem.

18 *Nec mihi deerit ultio, &c.*] Mihi vero militi a cive ad Judicem tracto etiam juſte, non deerit ultio. Nam commilitones mei obſtrepunt ne damner; ac ſi forte damnatus fuero utpote nocens, at ultrix adeſt tota cohors, tamque male accipit civem judicio victorem, ut eum pœniteat viciſſe, & militi non indulſiſſe.

20 *Tota cohors tamen eſt inimica.*] Probe notat indolem militantium omnia per vim agentium, & ubique per fas & nefas vincere, ac nihil non ſibi licere contendentium.

Cohors, manipli.] Manipulus continebat viginti milites ac turbam ſcutatorum. De *Cohorte* dixi ad Sat. 1. v. 58. & alibi.

21 *Curabitis, ut ſit.*] Videte igitur, o cives, quid agatis, adverſus militem litigando. Scilicet novam accerſitis vobis injuriam priori graviorem. Quidam legunt: *efficiunt, curabilis ut ſit vindicta & gravior*, &c. alii *plorabilis*, &c. textumque jungunt. Non valde refert ad ſenſum, quoquo modo legas.

22 *Vindicta gravior quam injuria.*] Totius cohortis omniumque manipulorum vindicta eſt gravior, quam injuria ab uno milite accepta pro qua litigatur.

Dignum erit ergo, &c.] Ergo qui militem offenderit, vel offenſus accuſabit ac defert, is tam ſtultus ac temerarius exiſtimandus eſt, quam erat declamator ille ſeu cauſidicus Mutinenſis, qui quaſlibet cauſas ſuſcipiebat, malas etiam ac periculoſas.

23 *Mutinenſis.*] Oriundi e Mutina, quæ urbs eſt Longobardiæ in Italia. Hodie vulgo *Modena*, Ducatus titulo fulget. Quidam legunt, *Mulino*, id eſt, bruto ac ſtolido.

24 *Cum duo crura habeas, &c.*] Id eſt, cum integro & ſano ſis corpore, ſtulte ageres ſi invidiam & offenſionem tibi crees militum, qui te mutilarent, & crus alterum vel utrumque frangerent, iracundi ut ſunt & ad ultionem prompti.

Tot caligatos, millia clavorum.] Tot milites indutos caligis ac tibialibus clavatis. Vide Sat. 3. v. 248. ibique Annot. Item. Turneb. Lib. 4. cap. 7. ubi militum caligæ clavis ſuffixæ erant, inquit. Legunt alii, & corrigunt ad rem ſatis: *Tot caligas, tot millia clavorum.*

25 *Quis tam procul abſit ab urbe?*] Quis tam imperitus rerum urbanarum, tamque moris ac inſolentiæ militum ignarus?

26 *Quis tam Pylades?*] Quis tam amicus alicui, ut tot pericula pro eo ſponte velit incurrere, litigandi contra militem opem ferendo, & ad uſque caſtra comitando, &c. ſicut Pylades Oreſti ubique adfuit, omnium periculorum comes ac particeps, pro quo etiam morti ſeſe objecit apud Tauricam regionem. De quo vide Euripid. Iphigen. in Tauris.

Molem aggeris ultra ut veniat.] Tranſeundo vallum, intra caſtra pergat ad jus; ut ante eſt annotatum.

27 *Lacrymæ ſiccentur.*] Ergo melius erit acceptam a milite injuriam diſſimulare, neque ſollicitare amicos ut præſtent nobis officium tam periculoſum. Nam certe illi rerum gnari ex-

Da

Digitized by Google

Da teſtem, judex cum dixerit: audeat ille
Neſcio quis, pugnos vidit qui, dicere; Vidi;
Et credam dignum barba, dignumque capillis
Majorum. Citius falſum producere teſtem
Contra Paganum poſſis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati contraque pudorem.
Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi ſi vicinus ademit,
Aut ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo,
Debitor aut ſumptos pergit non reddere nummos,
Vana ſupervacui dicens chirographa ligni:
Expectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi; ſed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ; toties ſubſellia tantum
Sternuntur; jam facundo ponente lacernas
Cæditio, & Fuſco jam micturiente, parati

Quando cognitor juſſerit, adduc teſtem; qui pugnos conſpexit, quiſquis iſte; ne dubitet affirmare, Vidi; atque illum *putabo dignum barba, dignumque capillis antiquorum. Mendacem teſtem facilius dare queas adverſus ruſticum, quàm veracem adverſus bona, atque adverſus honorem bellatoris. Cætera jam munera, cæteraque jurisjurandi commoda obſervemus. Si mihi nequam vicinus abſtulit vallum vel agrum prædii majorum; vel mediis è finibus ſanctum eruit lapidem, quem quotannis coluit mea plus cum ingenti placenta: vel* ſi *debitor perſevera: non reſtituere pecuniam acceptam, affirmans falſa chirographa inutilis ligni, opperiri* cogar *annum qui plebis univerſa controverſias incipiat. Tum verò ſexcenta etiam moleſtia, ſexcenta dilationes erunt ſuſtinenda. Toties tribunal duntaxat paratur. Nunc diſerto Cæditio pallium adjiciente, & Fuſco dum mingente, inſtructi*

ANNOTATIONES.

cuſabunt ſe ac detrectabunt vel nos ad caſtra comitari militem delaturos, vel contra illum dicere teſtimonium, vel cauſam noſtram agere apud Centurionem, obſtrepente interim ac minas jactante univerſa cohorte & omnibus manipulis: quemadmodum antea dictum eſt.

29 *Da teſtem, judex cum dixerit.*] Legunt alii, *quem dixerit.*

31 *Dignum barba, &c.*] Antiquæ virum fidei, & virilis conſtantiæ, quales erant majores noſtri, cum mos nondum eſſet barbam tondere. De hoc nos alibi.

33 *Paganum.*] Vide Annot. ad Sat. 14. v. 154. & Turneb. Lib. 2. cap. 3. Porro ſubinde Pagani ſunt appellati Ethnici & Idololatræ, ex quo, propagata jam Fide Chriſtiana, illi urbibus pulſi in pagos ac villas ruſticas conceſſerunt.

35 *Præmia nunc alia, &c.*] Alia militum commoda, in litigando: deinde in jure condendi teſtamentum. Cœlius Rhodiginus Lib. 23. cap. 23. quærit cur militi ac viro forti tantum honoris tribuatur, pluſque prærogativæ, quam doctrinarum antiſtiti vel maximo: reſpondetq; ex Ariſtotelis ſententia, Rhetor. 1. eas virtutes cenſeri maximas, quæ noſcuntur aliis utiliſſimæ, & hinc juſtis viris pariter & fortibus plurimum deferri: quoniam altera virtus in pace, in bello altera prodeſſe præcellenter valet.

36 *Sacramentorum.*] Id eſt, militiæ, vel militum, qui ſacramento ſe obſtrinxerint apud imperatorem, bonam ſe Reipublicæ navaturos operam, neque ante finita ſtipendia diſceſſuros.

Convallem ruris aviti, &c.] Agrum collibus ſeptum, ab avis & majoribus, hæreditario jure, vel teſtamento, ad me tranſmiſſum: prædium in valle ſitum.

38 *Sacrum effodit medio de limite ſaxum.*] Protulit limitem agri, ſuo adjuncturus quod meo deraſiſſet. *Sacrum*: quia ſeparandis agris poſitus lapis Jovi Terminali ſacer habebatur.

39 *Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo.*] Cujus agri cum vetus ſim poſſeſſor, ex more Jovi ac Termino dudum ſacrifico quotannis, pultem & liba ſuper ſaxum ponens: idq; ex inſtituto Numæ Pompilii, qui frugum primitias Termino ſacrificari juſſit. Dionyſ. Halic. lib. 2.

40 *Debitor.*] Cui vel fœnore, vel mutuo credidi pecuniam.

41 *Vana ſupervacui, &c.*] Eundem verſum, & in hunc Annot. vide Sat. 13. v. 137.

42 *Expectandus erit, qui, &c.*] Donec ad judicandum conveniant Centumviri, qui ex tribubus triginta tribus adeoq; e toto populo electi. Hi porro vix & raro conveniebant; unde multa erant tædia perferenda litigantibus apud ipſos, de iis quorum cognitio ad eos pertinebat, v. g. de Depoſito, de Tutelis, de Finibus, &c.

Qui lites inchoet, annus, &c.] Locum hunc aliter alii explicant; ſic vero e Servio: Expectandus cuique ſuus ordo, Anglice, *his turn, or lot*; Gallice autem, *le Rolle*. Nam & tunc ob litium multitudinem, cauſæ per ſortem audiebantur, ut evitaretur tumultus. Plin. lib. 4. Epiſt. 16. *Proxime cum dicturus apud Centumviros eſſem, adeundi mihi locus, niſi a tribunali, niſi per ipſos Judices non fuit: tanta ſtipatione cætera tenebantur.*

44 *Subſellia tantum ſternuntur.*] Paratur duntaxat & adornatur tribunal.

45 *Ponente lacernas Cæditio.*] Dum Judex lacernam ponit ob æſtum, & frigus captat, veluti mox cauſas auditurus. Is vero tamdiu moratur, ut fruſtretur expectantes, & mora fatigatos cogat abire, infecta re, quamvis paratos ad dicendum.

46 *Cæditio.*] De eo Sat. 13. v. 197.

Fuſco.] Vide Sat. 4. v. 112. Hic Aurelius Fuſcus apud Martialem ut ebrioſus notatur.

Micturiente.] Locum hunc explicat id quod de ejuſmodi judicibus habet Macrob. Lib. 3. cap. 16.

Digitized by Google

Terga fugæ celeri præſtantibus omnibus inſtant
Qui vicina colunt umbroſæ Tentyra palmæ.
Labitur hic quidam nimia formidine curſum
Præcipitans, capiturque : aſt illum in plurima ſectum
Fruſta ac particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corroſis oſſibus edit
Victrix turba; nec ardenti decoxit aheno,
Aut verubus : longum uſque adeo, tardumque putavit
Expectare focos, contenta cadavere crudo.
Hinc gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem ſumma cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. Elemento gratulor, & te
Exultare reor. Sed qui mordere cadaver
Suſtinuit, nihil unquam hac carne libentius edit.
Nam ſcelere in tanto ne quæras, & dubites, an
Prima voluptatem gula ſenſerit : ultimus autem
Qui ſtetit abſumpto jam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de ſanguine guſtat.
Vaſcones, ut fama eſt, alimentis talibus uſi
Produxere animas: ſed res diverſa; ſed illic

Tum *qui Tentyra habitant palmetis umbriferis proxima, urgent cunctos dorſum præcipiti fuga dantes. Iſtic quiſpiam corruit* præ *metu immodico properans aufugere, & comprehenditur. Hunc vero multas in partes & fruſtula diſcerptum, ut unus exanimis pluribus* ſatis *eſſet, integrum devoravit ſuperior multitudo, arroſis* etiam *oſſibus : neque fervente cacabo verubuſve coxit. Ita diuturnum ac lentum. exiſtimavit caminum operiri, crudo corpore* ſatis *gaudens. Inde fas eſt lætari, quod non ignem polluerit, quem è ſuprema cœli regione ablatum terris dedit Prometheus. Congratulor elemento : teque gaudere arbitror. At qui mandare cadaver haud dubitavit, nihil unquam degluttivit eâ carne jucundius. In tali enim facinore, ni ſciſcitteris & ambigas utrum prior ingluvies delicias captârit : at qui poſtremus acceſſit, ductis humi digitis quidpiam delibat è cruore* hominis *jam integro cadavere devorati. Vaſcones, ut ferunt, cibis ejuſmodi veſcentes vitam in longius traxerunt. At res abſimilis. Hic enimvero,*

ANNOTATIONES.

75 *Terga fugæ celeri, &c.*] Ombis univerſis fugæ ſe dantibus inſtant armati Tentyritæ, in quorum terra creſcunt palmæ complures.

76 *Palmæ.*] Vide multa ſcitu digna de palmis, apud Herodot. Lib. 4. Plutarch. Nat. Quæſt. Plin. paſſim. Athen. Lib. 2, & 14 Cœl. Rhodig. lib. 5. cap 6, &c.

77 *Labitur hic quidam.*] Unus ex Ombis fugiens cecidit, & ab hoſtibus captus eſt.

81 *Nec ardenti decoxit aheno, &c.*] Humanam vero carnem tam avide appetiverunt, ut nec elixam nec aſſatam, ſed crudam voraverint.

84 *Ignem.*] Quem velut ſacrum gentes multæ coluerunt. Vide Cic. 4. Acad. Quæſt. n. 118. de Nat Deor. 3. de Leg. 2. n. 20. Plutarch. de Placit. Philoſ. 1. cap. 3. & de facie in orbe Lunæ. Herodot. Lib. 3. paulo poſt initium. Cœl. Rhodig. Lib. 15. cap. 14, & 15. Alex. ab Alex. Lib. 6. cap. 26, &c.

85 *Promethus.*] Vide Sat. 4. v. 133. Cœl. Rhodig. Lib. 7. cap. 19, 20, & 21, &c.

86 *Elemento gratulor.*] Igni gratulor quod non ſit violatus, coquendo carnes humanas, quibus impii Tentyritæ ſatiarentur.

Et te exultare reor.] Te, o Voluſi, credo mecum ſentire & lætari.

89 *Ne quæras, & dubites, an, &c.*] Ne dubites voracibus illis anthropophagis cibos impios maxime jucundos fuiſſe, cum de corpore hoſtili epulati ſunt : quandoquidem is qui tarde venerat, ſaltem cruoris guttas humi colligit, & abligurit mira cupiditate. Nam primi non carnes ſolum abſumpſerant, ſed & oſſa corroſerant.

93 *Vaſcones, ut fama eſt, &c.*] Ex comparitione exaggerat crudelitatem Ægyptiorum.

Vaſcones.] Hi pridem Tarraconenſis Hiſpaniæ populi eam tenebant regionem, quæ ſita eſt Iberum fluvium inter & Pyrenæos montes, & Navarra modo nuncupatur. Subinde vero in Galliam tranſgreſſi Aquitaniæ partem occuparunt : eique ſuum indidere nomen, vernacule, *la Gaſcogne.*

Alimentis talibus uſi.] Corporibus humanis ii ſumma quidem neceſſitate victitarunt. Alii legunt, *Alimentis talibus olim.*

Fortunæ

Digitized by Google

Fortunæ invidia eſt, bellorumque ultima, caſus
Extremi, longæ dira obſidionis egeſtas.
Hujus enim, quod nunc agitur, miſerabile debet
Exemplum eſſe cibi: ſicut modo dicta mihi gens
Poſt omnes herbas, poſt cuncta animalia, quicquid
Cogebat vacui ventris furor hoſtibus ipſis
Pallorem, ac maciem, & tenues miſerantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, eſſe parati
Et ſua. Quiſnam hominum veniam dare, quiſve Deorum,
Urbibus abnuerit dira atque immania paſſis;
Et quibus ipſorum poterant ignoſcere manes,
Quorum corporibus veſcebantur? Melius nos
Zenonis præcepta monent. Nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoïcus, antiqui præſertim ætate Metelli?

ſortis malignitas eſt, atque militiæ ſummum infortunium; *ærumna ultima, atque diuturnæ obſeſſionis ſæva inopia. Nam iſtius alimenti exemplum quod modo affertur, debet cenſeri miſeratione dignum. Quemadmodum populus mox à me nominatus, poſt cuncta olera, poſt animantia univerſa, quodcumq; adigebat abdominis jejuni rabies, ipſis hoſtibus miſericordiâ* commotis ob *pallorem, ac tabem, exileſque artus, aliorum membra* per *eſuriem laniabant, prompti etiam edere propria. Ecquis mortalium, aut quis Numinum recuſarit ignoſcere civitatibus ſæva perpeſſis & inhumana; quibus etiam indulgere potuiſſent eorum manes quorum cadaveribus paſcebantur?* At *ſanctius nos inſtituunt Zenonis documenta. Nam neque univerſa quævis agenda pro vita cenſet. Verum quomodò Cantaber Stoïcus foret, ævo priſci Metelli præcipue?*

ANNOTATIONES.

96 *Longæ diræ obſidionis egeſtas.*] Quando nempe Calaguris, hodie *Calahorra*, urbs in Vaſconum finibus, ad Iberum fluvium, a Pompeio & Metello obſeſſa, atque ad extrema redacta eſt; cum a Sertorianis teneretur. Strabo, Plutarchus, Appianus. L. Florus, Lib. 3. cap. 22. ita ſcribit: *In fame nihil non experta Calaguris.* Et Valer. Maxim. Lib. 7. cap. 6. *Numantinos in dira fame humanorum corporum dapibus uſos, ſupergreſſa eſt Calagurritanorum execrabilis impietas: qui quo perſeverantius interempti Sertorii cineribus fidem præſtarent, Cneii Pompeii obſidionem fruſtrantes; quia nullum jam ſupererat animal in urbe ipſorum, uxores ſuas ac natos ad uſum nefariæ dapis verterunt*, &c.

102 *Membra aliena.*] Vel ab hoſtibus, vel ab ipſiſmet occiſorum.

Eſſe parati & ſua.] Nam quidam inedia preſſi brachia ſua nonnunquam arroſere.

104 *Urbibus.*] Calaguri, Numantiæ, Sagunto. Alii legunt, *Viribus*; id eſt, virilibus animi, vel viris fortibus.

105 *Manes.*] Vide Perſ. Sat. 5. v. 152 Annot.

106 *Melius nos, &c.*] Nolim tamen excuſare omnino Vaſcones, inquit Juvenalis, qui potius debebant mori quam cibis tam impiis vitam producere. Nos certe Romani melius inſtituti, ſentimus cum Zenone, & ſummum credimus nefas animam præferre pudori, neque ob vitam perdere velimus vivendi cauſas, ſcilicet honeſtatem, humanitatem, pietatem. Seneca Epiſt. 72. *Non omni pretio vita emenda eſt*, inquit. Et Plin. Lib. 28. cap. 1. *Vitam quidam non adeo expetendam cenſemus, ut quoquo modo protrahenda ſit. Quiſquis es talis, æque moriere, etiam cum obſcœnus vixeris aut nefandus.*

107 *Zenonis.*] Stoicorum Principis. Vide Laërtium, &c.

108 *Sed Cantaber unde Stoicus.*] Unde veram ſapientiam Stoicorum accepiſſet barbara gens? Non ergo mirum ſi tale facinus perpetrare non exhorruerit.

Cantaber.] Vaſconibus in Iberia finitimus eſt. Metonym. Biſcaïa vocatur nunc, quæ dudum Cantabria.

109 *Stoicus.*] Vide Sat. 13. v. 121.

Metelli.] Hic a Pompeio miſſus in Iberiam ad expugnandum Sertorium. Appian Lib. 1. & Florus cit. *Cum Romana res*, inquit, *uno Imperatore non poſſet tanto hoſti* (Sertorio) *reſiſtere, additus eſt Metello Cn. Pompeius*, &c. *Antiqui*, vero dicit, quia Metelli alii exinde floruerunt.

Digitized by Google

Jam vero *mundus omnis poſſidet Græcas & noſtrates Athenas. Gallia diſerta Britannos oratores erudiit,* & *Thule modo conſulat de Rhetorica* magiſtro mercede *accerſendo. Nihilominus ea præſtans natio, de qua locuti ſumus, & Saguntini robore & fidelitate ſimiles, damno vero ſuperiores, quidpiam ejuſcemodi liberant culpâ.* At *Ægyptus altari Mœotico crudelior* eſt. *Hæc enim quæ dirum ſacrificium inſtituit Taurica homines mactat ſolum, ſi quidem exiſtimes fidem mereri quæ ferunt poëmata: nihil amplius aut gladio pejus metuit victima.* Jam vero *quæ calamitas*

Nunc totus Graias, noſtraſque habet orbis Athenas.
Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur jam Rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & par
Virtute atque fide, ſed major clade Saguntus,
Tale quid excuſat. Mœotide ſævior arâ
Ægyptus. Quippe illa nefandi Taurica ſacri
Inventrix homines (ut jam quæ carmina tradant
Digna fide credas) tantum immolat: ulterius nil
Aut gravius cultro timet hoſtia. Quis modo caſus

ANNOTATIONES.

110 *Nunc totus Graias, noſtraſque habet orbis Athenas.*] Ubique jam diſſeminata ſunt ſapientiæ inſtituta, literæque tam Græcæ quam Latinæ: nemo igitur poteſt amplius ignorantia vel barbarie excuſari, ſi quid peccet contra humanitatem. Cic. pro Flacco. *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur.*

111 *Gallia cauſidicos, &c.*] E Gallia tranſierunt in Britanniam diſciplinæ liberales & Philoſophiæ documenta: ſicut e Græcia in Italiam & Ægyptum profecta ſunt, &c.

Facunda.] Vide Sat. 1. v. 44. & Sat. 7. v. 148. ibique Annot.

Britannos.] Vide. Sat. 2. v. 161. Annot.

112 *De conducendo loquitur, &c.*] Ipſa Thule ad mundi fines poſita vult conducere præceptorem, a quo erudiatur. Hyperbole.

Thule.] Hanc Ortelius Norvegiæ tractum eſſe dicit: Aliis eſt Inſula Oceani Septentrionalis, nunc Iſlandia, *ultima Thule,* dicta Virgilio. *De Thule obſcura eſt hiſtoria,* inquit Strabo, *propter ejus in ultima loca remotionem: hanc ſiquidem ad Septentrionem expoſitam locant.* Hæc ab Europæis frequentari cœpta circa annum Chriſti milleſimum: longo eſt leucas Gallicas ducentas, lata circiter centum. Regi Daniæ paret. Montem Heclam habet ignivomum, & Dæmonum ſpectris, ut referunt, terribilem. De hoc ſi vacat & lubet, miranda multa lege apud Philipp. Camerar. Medit. Hiſtor. cap. 16.

113 *Nobilis ille tamen populus.*] Vaſcones fide & virtute clari.

114 *Major clade Saguntus.*] Hæc urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis olim præclara, nec hodie ignobilis in Regno Valentiæ, vulgo, *Morvedre. Major clade*; quoniam Saguntini, cum eſſent Romanis fœderati, octo menſes Annibali repugnarunt; tandem extrema paſſi, incenſo rogo, ſe ſuaque maluerunt igne comburere, quam ſe hoſti dedere, a quo expugnari ſe animadvertebant. Abiit in proverbium *Saguntina fames.* Polyb. Lib. 3. Tit. Liv. 21. Plin. Lib. 7. cap. 3. ita ſcribit: *Eſt inter exempla, in uterum protinus reverſus infans Sagunti, quo anno ab Annibale deleta eſt.*

115 *Mœotide ſævior arâ.*] Ad quam homines mactabantur. Mæotis palus, ſeu lacus, aut potius ſinus Sarmatici maris, Tanaim omnem recipit. Euxino Ponto per Boſphorum Cimmerium jungitur: rigat Tauricam regionem ſeu Cherſoneſum, ubi pridem hoſpites & advenas Dianæ immolare mos & fas erat. Quod perſeveraſſe aiunt uſque ad Oreſtis ac Pyladis adventum; quos agnoſcens Iphigenia ibi tum ſacrificula, inito cum iis conſilio, Dianæ ſimulacrum inde aufugiens rapuit, atque Ariciæ conſecravit.

116 *Taurica.*] Hæc primum *Gazaria*: poſt occupantibus Tauris Scythiæ populis, *Taurica*; hodie, *Tartaria minor,* Mœotico & Euxino mari circumfunditur.

Nefandi ſacri inventrix.] Tauricæ Cherſoneſi Rex Thoas id nefas inſtituit.

117 *Quæ carmina tradunt.*] Vide Euripid. Trag. Iphigen. in Tauris.

Homines tantum immolat.] Tantum immolat, non etiam laniat dentibus ac devorat, ut faciunt Ægyptii, barbaris proinde omnibus immaniores.

119 *Quis modò caſus impulit hos?*] Iterum ex collatione crimen Ægyptiorum auget. An, inquit, neceſſitas impulit? Imo crudelitas.

Impulit

Digitized by Google

Impulit hos? Quæ tanta fames, infeſtaque vallo
Arma coëgerunt, tam deteſtabile monſtrum
Audere? Anne aliam terrâ Memphitide ſiccâ
Invidiam facerent nolenti ſurgere Nilo?
Quam nec terribiles Cimbri, nec Brittones unquam,
Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrſi,
Hac ſævit rabie imbelle & inutile vulgus,
Parvula fictilibus ſolitum dare vela phaſelis,
Et brevibus pictæ remis incumbere teſtæ.
Nec pœnam ſceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares ſunt
Et ſimiles ira atque fames. Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit. Hæc noſtri pars optima ſenſûs.
Plorare ergo jubet cauſam lugentis amici,
Squalloremq; rei, pupillum ad jura vocantem
Circumſcriptorem, cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,

iſtos coëgit? Quæ tam gravis inedia, & quis exercitus aggere contrarius adegit moliri portentum adeò execrabile? Numquid offenſionem diverſam crearent, Nilo intumeſcere abnuenti, ſi aruerit ſolum Memphiticum? Quâ rabie nunquam ſævierunt *aut Cimbri truces, aut Aremorici, feroceſque Sarmatæ, vel crudeles Agathyrſi, eâ ſævit inepta bello & ignava plebs, aſſueta lembis teſtaceis exigua vela expandere, curtoſq; remos fictilis colorati impellere. Neque reperies crimini punitionem, neque pœnas idoneas conſtitues illis gentibus, in quarum animo odium & eſuries æqualia ſunt atq; parilia. Præcordia tenerrima donare ſe hominibus oſtendit natura, quæ donavit fletus. Ea portio præcipua noſtræ indolis. Itaque præcipit flere cauſam familiaris dolentis, & ſordes rei,* atque *pupillum defraudatori diem dicentem, cujus crines virginales ambiguum reddunt vultum lacrymis defluentem. Juſſu naturæ ingemiſcimus quando* nobis *obviam fiunt exequiæ puellæ grandioris, aut* cum *puerulus humo conditur,*

ANNOTATIONES.

120 *Quæ tanta fames, infeſtaque, &c.*] Ut Vaſcones, Numantinos, &c.

121 *Monſtrum.*] Monltroſum ſcelus.

122 *Anne aliam.*] Quid pejus committere potuiſſent ad irritandum Nilum, ut eo offenſus, impiamque terram averſatus, jam nollet exundans illam fœcundare?

Memphitide.] Synecdoche, pro Ægypto, cujus urbs Memphis pyramidibus celebrata Martiali, *&c.*

123 *Nilo.*] De hoc antea non ſemel.

124 *Cimbri.*] De his Sat. 8. v. 249.

Brittones.] Galliæ Celticæ Gens apud Sidonium; apud Cornel. Tacitum vero Germaniæ populi.

125 *Sauromatæ.*] Vide Sat. 2. v. 1.

Agathyrſi.] Sarmatiæ populi, dicti ab Agathyrſo Herculis filio. Horum fuiſſe regionem ubi nunc eſt Moſcovia, dicunt nonnulli.

126 *Imbelle & inutile vulgus.*] Tentyritæ præ illis populus ignobiles tale audent facinus, quale nunquam alii ulli.

127 *Parvula fictilibus ſolitum dare vela phaſelis.*] Teſtaceis ſcaphis ac naviculis Nilum flumen enavigantes. Strabo Lib. 17.

130 *In quorum mente pares ſunt—ira atque fames.*] Qui per iram ea committunt infanda, quæ ſola fames admittet, & quodammodo excuſat.

133 *Hæc noſtri pars optima ſenſus.*] Humanæ propria eſt indolis mileratio.

135 *Squalloremque rei.*] Solebant rei veſtium affectare ſordes & ſquallorem, ut miſericordiam excitarent Judicum.

136 *Circumſcriptorem.*] Tutorem, qui pupilli bona fraude ſurripuit. Vide Satir. 10. v. 222.

137 *Ora puellares, &c.*] Capilli more puellarum oblongi & paſſi dubitare faciunt, ſitne puer an puella.

138 *Adultæ virginis.*] Jam nubilis puellæ immaturo fato ſublatæ.

Digitized by Google

etiam minor flammâ pyra. Nam quis probus vel dignus tedâ ſecretâ, qualem cupit eſſe ſacrificulus Cereris, ærumnas quaſlibet à ſe remotas putat? Illud nos diſtinguit à grege mutorum: proindeque ſoli animum honore dignum adepti, & divina comprehendentes, idoneique diſcendis tractandiſque artibus, oriundum ab Cœli palatio duximus animum, quo carent pecudes *ad humum converſa & aſpicientes. Orbis primordio communis creator iis ſolum animus conceſſit, nobis* vero *mentem etiam, ut par charitas vos cogerit implorare opem, ac præbere; diſſipatos congregare in civitatem, antiqua è ſylva diſcedere*

Et minor igne rogi. Quis enim bonus, aut face dignus
Arcana, qualem Cereris vult eſſe Sacerdos,
Ulla aliena ſibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendiſq; artibus apti,
Senſum a cœleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque; mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet,
Diſperſos trahere in populum, migrare vetuſto

ANNOTATIONES.

140 *Minor igne rogi.*] Junior, quam ut fas eſſet cremari corpuſculum. Plin. Lib. 7. cap. 16. *Editis infantibus primores ſeptimo menſe gigni dentes haud dubium,* inquit, ——— *Priuſquam genita dente cremari, mos gentium non eſt.* Et cap. 54. *Cremare apud Romanos non fuit veteris inſtitui. Terrâ condebantur* ——— ———*Nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus,* &c. Aiunt mortuos infantes in ſuggrundariis condi ſolere. Fab. Planciad. Fulgentius Expoſit. Serm. antiq. ſic habet: *Suggrundia antiqui dicebant ſepulchra infantium, qui necdum quadraginta dies impleſſent: quia nec buſta dici poterant; quia oſſa quæ comburerentur non erant: nec tanta cadaveris immanitas, quæ locus tumeſceret, undè Rutilus Geminus Aſtyanacte ait: Melius ſuggrundarium miſero quæreres, quàm ſepulchrum.*

Face dignus arcanâ, qualem Cereris. &c.] Dignus initiari vel intereſſe Sacris Cereris, quæ noctu peragebantur ardentibus lampadibus & faculis, in memoriam Cereris, quæ Proſerpinam filiam accenſa face quæſierat. Porro, ut jam alibi notavimus, Eleuſina ſeu Cerealia illa ſolos caſtos admittebant: tumque probitas integritaſque alicujus Sacerdoti probabatur, face non extincta cucurriſſet. Vide Sat. 6. v. 50.
Claudian.

———.--*Sanctaſque faces extollit Eleuſis.*

Ovid. Faſt. 4.

Illic accendit geminas pro lampade pinus;
Hinc Cereris ſacris nunc quoque tæda datur.

142 *Ulla aliena ſibi credat mala:*] Qui ſibi non credat poſſe accidere, quod accidere aliis videt.
Terent.

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.

Separat hoc nos, &c.] Naturalis pietas diſcernit homines a pecudibus.

146 *Senſum a cœleſti demiſſum traximus arce.*] Cic. Tuſc. 1. n. 66. *Animorum nulla in terris origo inveniri poteſt* ——— *Ita quicquid eſt illud quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, cœleſte & divinum eſt, ideoque æternum,* &c.
Virgil.

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo. Horat.
Divinæ particulam auræ.

147 *Cujus egent prona.*] Cic. de Natura Deorum: *Figuram quoque corporis habilem & aptam ingenio dedit. Nam cum cæteras animantes Deus adjeciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad cœli quaſi cognitionem, domicilii unde deſcenderat, excitavit.*
Ovid.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, &c.

149 *Tantum animas.*] Vegetantem, ſentientem.

151 *Diſperſos trahere in populum.*] Cic. Tuſc. 5. n. 5. *Tu urbs peperiſti; tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxiſti, &c.*
Horat. Lib. 1. Sat. 3.

Oppida cœperunt munire, & ponere leges,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

Digitized by Google

De nemore, & proavis habitatas linquere ſylvas;
Ædificare domos, laribus conjungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limine ſomnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere civem;
Communi dare ſigna tuba, defendier iiſdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.
Sed jam ſerpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam: ſævis inter ſe convenit urſis.
Aſt homini ferrum lethale incude nefanda
Produxiſſe parum eſt, cum raſtra & ſarcula tantum
Aſſueti coquere, & marris ac vomere laſſi
Neſcierint primi gladios excudere fabri.
Aſpicimus populus quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abſtinuit qui

& nemora deſerere majoribus habitata, ædes conſtruere, domui noſtra domum alteram addere, ut mutua conſigno domicilio fidentia ſecurum conferret ſoporem, armis tueri civem, proſtratum, vel grandi plaga titubantem; publice buccina claſſicum canere, iiſdem protegi turribus, unaque includi forium clave. At nunc major eſt anguium conſenſio. Paribus notis par bellua indulget. Quandonam leo valentior ademit vitam leoni? Qua in *ſylva grandioris apri dentibus occiſus eſt unquam aper? Tigris India furibunda concordiam habet perennem cum tigride. Urſi feroces invicem conſentiunt.* Homini *verò parum videtur mortifera tela fabricaſſe incude nefaria, quando raſtros & ſarcula duntaxat excoquere ſoliti, atque marris & aratro fatigati veteres fabri haud noverant fabricare enſes. Cernimus gentem, cujus haud furori ſatis eſt quempiam trucidaſſe: verum thoracem, lacertos, ora, quoddam eſſe alimentum putat. Ecquid igitur loqueretur, aut quo non ſecederet Pythagoras, ſi jam ea portenta conſpiceret, qui animantibus omnibus*

ANNOTATIONES.

152 *Linquere ſilvas.*] Cic. de Invent. 1. *Fuit quondam tempus, cum in agris paſſim homines beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant.*
Horat. ad Piſones, v. 291.
Sylveſtres homines ———
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus, &c.

155 *Ut collata daret fiducia.*] Junctis ædibus vicinus vicino fert opem indigenti facile.

158 *Una portarum clave teneri.*] Vide Athen. Lib. 14. cap. 23. ubi ſatis lepide Athenion arti coquinariæ ſeu culinariæ tribuit ea omnia quæ ſupra Juvenalis humanæ rationi, & Philoſophiæ vulgo attribuunt.

159 *Parcit cognatis maculis ſimiles fera, &c.*] Pardus pardo, tigris tigridi, lynx lynci non movet bellum; ſimiles notas, parem naturam veretur: ſolus homo eſt homini lupus. Cicer. Offic. *Nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur*, Plinius in Proœmio Libri 7. *Cætera animantia in ſuo genere probe degunt; congregari videmus & ſtare contra diſſimilia: leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes: nec maris quidem belluæ niſi in diverſa genera ſæviunt. At hercule homini plurima ex homine ſunt mala.* Vide Senec. Epiſt. 104. & Brod. Miſcel. Lib. 3. cap. 28.

163 *Indica Tigris.*] Vide Sat. 6. v. 270. & Sat. 8. v. 36. ibique annot.

168. *Gladios excudere.*] Alii legunt, *extendere.*

169 *Aſpicimus populos.*] Ægyptios, Tentyritas,

171 *Crediderint genus eſſe cibi.*] Id nefas perpetrare etiamnum familiare eſt Caribis, Americæ Meridionalis in Guajana regione populis, ut cum aliquem ex hoſtibus ſuis bello ceperint, diſcerpant, & membra igne aſſata devorent.

172 *Quo non fugeret.*] Portentoſa nefandaque averſatus ſcelera.

173 *Pythagoras.*] Is Italicæ Philoſophiæ fuit Princeps. Floruit circa Olympiadem ſexageſimam, & ad annos Octoginta, vel, ut alii ſcribunt, nonaginta conſenuit. Ortus in Inſula

Tanquam

Digitized by Google

ſicut homine temperavit, neq; alvo legumentum quodlibet impertivit? | Tanquam homine, & ventri indulſit non omne legumen? 174

ANNOTATIONES.

Samo, poſt multas peregrinationes, venit in Italiam, & Crotonæ conſedit, ubi diſcipulos illuſtres multos habuit. Mortuum Olympiade 70. dicit Euſeb. Vide Laërtium, Lib. 8. Lactantium, Lib. 3, &c. Cicero Tuſc. 1. n. 38. regnante Superbo Tarquinio in Italiam fuiſſe teſtatur. Et Tuſc. 4. n. 2. in Italia fuiſſe iiſdem temporibus, quibus L. Brutus patriam liberavit. Tuſcul. 5. n. 10. *Cum in Italiam veniſſet, exornaviſſe eam Græciam, quæ magna dicta eſt, & privatim, & publicè præſtantiſſimis inſtitutis & artibus.*

Animalibus abſtinuit.] Cum enim Pythagoras Metempſychoſim aſſereret, ab animatis cibis abſtinebat, ne videretur in animam ſævire humanam, quam e corpore hominis in corpus animalium tranſmigrare credebat, docebatque.

174 *Indulſit non omne legumen.*] Loquitur Juvenalis ex opinione eorum qui aiunt Pythagoram abſtinuiſſe a fabis, item ab animantibus: de quibus Laert. cit. Cicero Divin. 2. n. 119. *Faba quidem Pythagorei utique abſtinuere; quaſi vero eo cibo mens non venter infletur.* Plutarchus, Sympoſ. Lib. 8. Problem. 8. ſcribit Pythagoreos omnino victimarum immolatarum carnes guſtare ſolitos: piſcem vero ab eis immolari nullum. Idem Orat. 1. de eſu carnium, ait illos carnibus abſtinuiſſe. Plinius Lib. 18. cap. 12. affirmat, *Faba ſenſus hebetari, gignique inſomnia, atque idcirco Pythagoræ ſententia damnatum; vel quod mortuorum animæ ſint in ea; qua de cauſa parentando aſſumitur, &c.* Athenæus Lib. 4. cap. 17. ex Antiphane ait, Pythagoricos animati nihil ſolitos edere. At Lib. 7. cap. 16. ſcribit illos modice aliis quidem animatis veſcentes, quædam etiam ſacrificantes, ſolos omnino piſces ne guſtaſſe quidem, nimirum quia ſilentium colebant. Gellius, Lib. 4. cap. 11. ſic habet; *Opinio vetus falſa occupavit & convaluit Pythagoram Philoſophum non eſitaviſſe ex animalibus, etiam abſtinuiſſe fabulo, quem κύαμον Græci appellant* ——— *ex eadem item opinione M. Cic. Lib. de Divin. primo, hæc verba poſuit: jubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne fabâ veſcerentur; quæ res habet inflationem magnam. Is cibus tranquillitatem mentis quærentibus conſtat eſſe contrarius.* Hæc quidem Cicero, *ſed Ariſtoxenus Muſicus, vir literarum veterum diligentiſſimus, Ariſtotelis auditor, in Libro quem de Pythagora reliquit, nullo ſæpius legumento Pythagoram dicit uſum quàm fabis, quoniam is cibus & ſubduceret ſenſim alvum ac lævigaret* ——— *Porculis quoque minuſculis, & hædis tenerioribus victitaſſe refert idem Ariſtoxenus* ——— *Ac de animalibus etiam docet Alexis Poeta in Comœdia, quæ Pythagoræ vita inſcribitur,* &c. Cæterum frugales admodum Pythagoram & Pythagoreos conſtat, atque pomis & oluſculis, interdum pane ac melle contentos fuiſſe. Athen. Lib. 10. cap. 5 & alib. Cœl. Rhodig. Lib. 21. cap. 3. & Lib. 30. cap. 36. Idem Lib. 28. cap. 12 ita ſcribit; *Legimus in Græcorum theſauris, reddito Romæ oraculo, ut Græcæ gentis prudentiſſimi ac fortiſſimi ſtatuas erigerent, mox in foro Pythagoræ & Alcibiadis ex ære Iconas dedicâſſe.* Vide & ſupra Sat. 3. v. 229.

SATIRA XVI.

O Galle, quis poſſit fortunati belli commoda per- | QUIS numerare queat felicis præmia, Galle,

ANNOTATIONES.

1 *Quis numerare queat, &c.*] *Exploditur Satira hæc pleriſque, ac dicitur non eſſe Juvenalis,* inquit vetus Schol. & alii poſt eum multi. Veruntamen ex ea quædam tanquam Juvenalis afferri a Priſciano Lib. 8. & a Servio in 1, & 2. Æneid. non perperam obſervatum ſit. Priſcianus cit. Lib. 8. cap. 6. iterumque cap. 14. affert verba iſta hujus Satiræ 16. v. 2.

Si ſubeantur proſpera caſtra.

Quicquid eſt in ea notatur militum petulantia, dum militiæ commoda referuntur. Aiunt vero,

Militiæ?

Digitized by Google

Militiæ ? Nam ſi ſubeantur proſpera caſtra,
Me pavidum excipiat tyronem porta ſecundo
Sidere. Plus etenim fati valet hora benigni,
Quam ſi nos Veneris commendet epiſtola Marti,
Et Samiâ genitrix quæ delectatur arenâ.
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulſare togatus
Audeat: immo & ſi pulſetur, diſſimulet, nec
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculos Medico nil promittente relictos.
Bardiacus Judex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad ſubſellia ſuræ,

cenſere ? Etenim ſi inter caſtra felicia, protecto exoptarim ut aſtro benigno meticuloſum me tyronem admittat janua. Nam magis poteſt hora ſortis proſpera quam ſi nos Marti laudent litera Veneris, ac mater quæ Samio gaudet ſabulo. Agamus primò de generalibus emolumentis, quorum hoc non erit infimum, quod *te percutere vereatur toga indutus; quin etiam taceat ſi verberetur a te: vixque ſuſtineat Prætori monſtrare evulſos* ictu *dentes, atque atram carnem in vultu, turgentem,* ac *lividam: & oculos reſtantes, Medico nihil ſpondente. Iſta* vero *caſtigare cupienti donatur quæſitor bardiacus, calceus, ingenteſque ocreæ in excelſo tribunali,*

ANNOTATIONES.

quidam Satiram hanc a Juvenale ſcriptam in Ægypto, quo relegatus fuerat jam ſenex ſub ſpecie honoris ac præfecturæ cohortis, id agente per invidiam hiſtrione Paride, quem offenderat Sat. 7. v. 90. his verbis,

Quod non dant proceres, dabit hiſtrio.

2 *Si ſubeantur proſpera caſtra.*] Si felicibus auſpiciis militia ineatur, qualia mihi contigerunt, inquit Juvenalis, certe præmia militiæ tanta ſunt, ut ea contemplantem cupido arripiat militandi, etſi pavidus tyro fuerim. Iſtud vero dicit Juvenalis, ut ſignificet Paridi ſe non hoc exilio cruciari, imo lætari; atque ut ipſi Paridi moleſtiam & invidiam exinde creet.

3 *Porta.*] Duplex erat caſtrorum Porta. Altera dicebatur *Prætoria*, quæ ad hoſtes ſpectabat: altera *Decumana*, per quam educebantur ad pœnam milites delinquentes. Vide Veget. de Re Milit. & Lipſ. de Milit. Rom.

4 *Plus fati valet hora benigni, &c.*] Ut militia ſit felix, plus valet ac facit benignus ſiderum aſpectus, & fatum proſperum, quam ipſius Martis favor tibi conciliatus per literas amicæ Veneris, vel matris ejus Junonis commendatitias.

5 *Veneris.*] Vide initium Carm. Lucretii.

6 *Samiâ genetrix, &c.*] Juno Martis genitrix, quæ colebatur apud Samum, quæque proinde Inſulam hanc diligebat. De Samo Vide Sat. 3. v. 70. ibique Annot.

8 *Ne te pulſare togatus audeat.*] Hæc prima eſt utilitas militantium, quod eos civium nemo auſit offendere, imo quiſque timeat ac revereatur.

Togatus.] Domi togam, militiæ ſagum gerebant.

9 *Diſſimulet.*] Nam conquerendo, & in jus trahendo militem, nihil proficeret, imo ſibi novam accerſeret injuriam a commilitonibus ejus qui pulſavit, partes ipſius per fas & nefas tuentibus.

10 *Prætori.*] Seu judiciorum ſeu caſtrorum Præfecto.

11 *Offam.*] Cicatricem, vibicem, in vultu carnis tumorem, ac livorem ex percuſſione.

12 *Oculos Medico nil promittente relictos.*] Vel alterum, vel utrumque oculum ictu contuſum, tantum non excuſſum; atque ita male affectum, ut periculum ſit perdendi viſus, nihilq; certæ opis ac ſalutis audeat ſpondere Medicus.

13 *Bardiacus judex datur.*] Quod ſi togatus a milite læſus vindictam petat, nihil agit aut conſequitur: nam militem deferenti datur cognitor & judex militaris, qui proinde militi favet.

Bardiacus.] Vox deducta a Bardis Galliæ pridem populis; ſive legas *Bardaïcus*, cum Turnebo, & aliis; ſive *Bardiacus*, cum cæteris. Intelligendus itaque vel Judex militaris barbarus Gallicus; vel amictus & lacerna ſine cucullo, craſſior, & villoſa, cujus in caſtris ad excubandum uſus frequens, quemadmodum & bardocuculli, de quo Sat. 8. v. 145. Vide Turneb. Lib. 23. cap. 25. Vallam, &c. Martial. Lib. 4. Epigram. 4.

Laſſi bardiacus quod evocati.

14 *Calceus, & grandes, &c.*] Hinc videtur habitus deſcribi Centurionis, veſte caſtrenſi, de more in tribunali ſedentis & negotia militum diſceptantis. Datur, inquit, Judex bardiacus, id eſt, bardiaco veſtitus, forte & cucullo caput adopertus, caligatus, peronatus, ſuras grandes, ocreas, perones ac tibialia indutus, cujus vel aſpectus civem deterreat a litigando apud talem Judicem. Vide Sat. 3. v. ultimo.

Legibus

Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra, 16
Et procul a ſignis. Juſtiſſima Centurionum
Cognitio eſt igitur de milite; nec mihi deerit
Ultio, ſi juſtæ defertur cauſa querelæ.
Tota cohors tamen eſt inimica, omneſq; manipli 20
Conſenſu magno officiunt. Curabitis, ut ſit
Vindicta gravior quam injuria. Dignum erit ergo
Declamatoris Mutinenſis corde Vagelli,
Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos,
Millia clavorum. Quis tam procul abſit ab urbe?
Præterea, quis tam Pylades, molem aggeris ultra 26
Ut veniat? lacrymæ ſiccentur protinus, & ſe
Excuſaturos non ſollicitemus amicos.

ritu veteri caſtrorum, atque inſtituto Camilli cuſtodito, ne litem agat miles trans aggerem, ac longe à vexillis. Æquiſſima eſt ergo Centurionum diſceptatio de milite: dabiturque mihi vindicta, ſi producatur ratio recta querimoniæ. Nihilominus omnis phalanx ſtat contra; atque turma univerſa ſummâ concordiâ obſiſtunt. Efficietis ut ultio fiat atrocior quam prior *iniquitas. Erit igitur congruum animo Vagelli Mutinenſis cauſidici, quando binas habes tibias, lædere tot caligatos, millia clavorum. Ecquis adeo ſit alienus à civitate? Inſuper quis ita Pylades, ut prodeat ultra vallum? Statim areſcant fletus, neque urgeamus familiares detrectaturos.*

ANNOTATIONES.

15 *More Camilli.*] L. Furius Camillus Dictator, in decennali Veiorum obſidione, edixit, ne miles extra vallum litigaret, nempe ut præſto quiſque ſemper adeſſet, quoties erat cum hoſte dimicandum. Vide Liv. Lib. 5. Plut. &c.

17 *Juſtiſſima Centuriorum cognitio, &c.*] Illud Camilli inſtitutum maxime juſtum eſt, & e re publica, ob rationem allatam: adeoque civis non habet quod conqueratur, ſi coram Centurione, & apud caſtra, litigandum eſt & agendum adverſus militem.

18 *Nec mihi deerit ultio, &c.*] Mihi vero militi a cive ad Judicem tracto etiam juſte, non deerit ultio. Nam commilitones mei obſtrepunt ne damner; ac ſi forte damnatus fuero utpote nocens, at ultrix adeſt tota cohors, tamque male accipit civem judicio victorem, ut eum pœniteat viciſſe, & militi non indulſiſſe.

20 *Tota cohors tamen eſt inimica.*] Probe notat indolem militantium omnia per vim agentium, & ubique per fas & nefas vincere, ac nihil non ſibi licere contendentium.

Cohors, manipli.] Manipulus continebat viginti milites ac turbam ſcutatorum. De *Cohorte* dixi ad Sat. 1. v. 58. & alibi.

21 *Curabitis, ut ſit.*] Videte igitur, o cives, quid agatis, adverſus militem litigando. Scilicet novam accerſitis vobis injuriam priori graviorem. Quidam legunt: *efficiunt, curabilis ut ſit vindicta & gravior*, &c. alii *plorabilis*, &c. textumque jungunt. Non valde refert ad ſenſum, quoquo modo legas.

22 *Vindicta gravior quam injuria.*] Totius cohortis omniumque manipulorum vindicta eſt gravior, quam injuria ab uno milite accepta pro qua litigatur.

Dignum erit ergo, &c.] Ergo qui militem offenderit, vel offenſus accuſabit ac defert, is tam ſtultus ac temerarius exiſtimandus eſt, quam erat declamator ille ſeu cauſidicus Mutinenſis, qui quaſlibet cauſas ſuſcipiebat, malas etiam ac periculoſas.

23 *Mutinenſis.*] Oriundi e Mutina, quæ urbs eſt Longobardiæ in Italia. Hodie vulgo *Modena*, Ducatus titulo fulget. Quidam legunt, *Mulino*, id eſt, bruto ac ſtolido.

24 *Cum duo crura habeas, &c.*] Id eſt, cum integro & ſano ſis corpore, ſtulte ageres ſi invidiam & offenſionem tibi crees militum, qui te mutilarent, & crus alterum vel utrumque frangerent, iracundi ut ſunt & ad ultionem prompti.

Tot caligatos, millia clavorum.] Tot milites indutos caligis ac tibialibus clavatis. Vide Sat. 3. v. 248. ibique Annot. Item. Turneb. Lib. 4. cap. 7. ubi militum caligæ clavis ſuffixæ erant, inquit. Leguntalii, & corrigunt ad rem ſatis: *Tot caligas, tot millia clavorum.*

25 *Quis tam procul abſit ab urbe?*] Quis tam imperitus rerum urbanarum, tamque moris ac inſolentiæ militum ignarus?

26 *Quis tam Pylades?*] Quis tam amicus alicui, ut tot pericula pro eo ſponte velit incurrere, litigandi contra militem opem ferendo, & ad uſque caſtra comitando, &c. ſicut Pylades Oreſti ubique adfuit, omnium periculorum comes ac particeps, pro quo etiam morti ſeſe objecit apud Tauricam regionem. De quo vide Euripid. Iphigen. in Tauris.

Molem aggeris ultra ut veniat.] Tranſeundo vallum, intra caſtra pergat ad jus; ut ante eſt annotatum.

27 *Lacrymæ ſiccentur.*] Ergo melius erit acceptam a milite injuriam diſſimulare, neque ſollicitare amicos ut præſtent nobis officium tam periculoſum. Nam certe illi rerum gnari ex-

Digitized by Google

Da teſtem, judex cum dixerit: audeat ille
Neſcio quis, pugnos vidit qui, dicere; Vidi;
Et credam dignum barba, dignumque capillis
Majorum. Citius falſum producere teſtem
Contra Paganum poſſis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati contraque pudorem.
Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi ſi vicinus ademit,
Aut ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo,
Debitor aut ſumptos pergit non reddere nummos,
Vana ſupervacui dicens chirographa ligni:
Expectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi; ſed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ; toties ſubſellia tantum
Sternuntur; jam facundo ponente lacernas
Cæditio, & Fuſco jam micturiente, parati

Quando cognitor juſſerit, adduc teſtem; qui pugnos conſpexit, quiſquis iſte; ne dubitet affirmare, Vidi; atque illum *putabo dignum barba, dignumque capillis antiquorum. Mendacem teſtem facilius dare queas adverſus ruſticum, quàm veracem adverſus bona, atque adverſus honorem bellatoris. Cætera jam munera, cæteraque jurisjurandi commoda obſervemus. Si mihi nequam vicinus abſtulit vallum vel agrum prædii majorum; vel mediis è finibus ſanctum eruit lapidem, quem quotannis coluit mea plus cum ingenti placenta: vel* ſi *debitor perſeverat non reſtituere pecuniam acceptam, affirmans falſa chirographa inutilis ligni, opperiri* cogar *annum qui plebis univerſa controverſias incipiat. Tum verò ſexcenta etiam moleſtiæ, ſexcenta dilationes erunt ſuſtinendæ. Toties tribunal duntaxat paratur. Nunc diſerto Cæditio pallium adjiciente, & Fuſco dum mingente, inſtructi*

ANNOTATIONES.

cuſabunt ſe ac detrectabunt vel nos ad caſtra comitari militem delaturos, vel contra illum dicere teſtimonium, vel cauſam noſtram agere apud Centurionem, obſtrepente interim ac minas jactante univerſa cohorte & omnibus manipulis: quemadmodum antea dictum eſt.

29 *Da teſtem, judex cum dixerit.*] Legunt alii, *quem dixerit.*

31 *Dignum barba, &c.*] Antiquæ virum fidei, & virilis conſtantiæ, quales erant majores noſtri, cum mos nondum eſſet barbam tondere. De hoc nos alibi.

33 *Paganum.*] Vide Annot. ad Sat. 14. v. 154. & Turneb. Lib. 2. cap. 3. Porro ſubinde Pagani ſunt appellati Ethnici & Idololatræ, ex quo, propagata jam Fide Chriſtiana, illi urbibus pulſi in pagos ac villas ruſticas conceſſerunt.

35 *Præmia nunc alia, &c.*] Alia militum commoda, in litigando: deinde in jure condendi teſtamentum. Cœlius Rhodiginus Lib. 23. cap. 23. quærit cur militi ac viro forti tantum honoris tribuatur, pluſque prærogativæ, quam doctrinarum antiſtiti vel maximo: reſpondetq; ex Ariſtotelis ſententia, Rhetor. 1. eas virtutes cenſeri maximas, quæ noſcuntur aliis utiliſſimæ, & hinc juſtis viris pariter & fortibus plurimum deferri: quoniam altera virtus in pace, in bello altera prodeſſe præcellenter valet.

36 *Sacramentorum.*] Id eſt, militiæ, vel militum, qui ſacramento ſe obſtrinxerint apud imperatorem, bonam ſe Reipublicæ navaturos operam, neque ante finita ſtipendia diſceſſuros.

Convallem ruris aviti, &c.] Agrum collibus ſeptum, ab avis & majoribus, hæreditario jure, vel teſtamento, ad me tranſmiſſum: prædium in valle ſitum.

38 *Sacrum effodit medio de limite ſaxum.*] Protulit limitem agri, ſuo adjuncturus quod meo deraſiſſet. *Sacrum*: quia ſeparandis agris poſitus lapis Jovi Terminali ſacer habebatur.

39 *Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo.*] Cujus agri cum vetus ſim poſſeſſor, ex more Jovi ac Termino dudum ſacrifico quotannis, pultem & liba ſuper ſaxum ponens: idq; ex inſtituto Numæ Pompilii, qui frugum primitias Termino ſacrificari juſſit. Dionyſ. Halic. lib. 2.

40 *Debitor.*] Cui vel fœnore, vel mutuo credidi pecuniam.

41 *Vana ſupervacui, &c.*] Eundem verſum, & in hunc Annot. vide Sat. 13. v. 137.

42 *Expectandus erit, qui, &c.*] Donec ad judicandum conveniant Centumviri, qui ex tribubus triginta tribus adeoq; e toto populo electi. Hi porro vix & raro conveniebant; unde multa erant tædia perferenda litigantibus apud ipſos, de iis quorum cognitio ad eos pertinebat, v. g. de Depoſito, de Tutelis, de Finibus, &c.

Qui lites inchoet, annus, &c.] Locum hunc aliter alii explicant; ſic vero e Servio: Expectandus cuique ſuus ordo, Anglice, *his turn, or lot*; Gallice autem, *le Rolle*. Nam & tunc ob litium multitudinem, cauſæ per ſortem audiebantur, ut evitaretur tumultus. Plin. lib4. Epiſt. 16. *Proxime cum dicturus apud Centumviros eſſem, adeundi mihi locus, niſi a tribunali, niſi per ipſos Judices non fuit: tanta ſtipatione cætera tenebantur.*

44 *Subſellia tantum ſternuntur.*] Paratur duntaxat & adornatur tribunal.

45 *Ponente lacernas Cæditio.*] Dum Judex lacernam ponit ob æſtum, & frigus captat, veluti mox cauſas auditurus. Is vero tamdiu moratur, ut fruſtretur expectantes, & mora fatigatos cogat abire, infecta re, quamvis paratos ad dicendum.

46 *Cæditio.*] De eo Sat. 13. v. 197.

Fuſco.] Vide Sat. 4. v. 112. Hic Aurelius Fuſcus apud Martialem ut ebrioſus notatur.

Micturiente.] Locum hunc explicat id quod de ejuſmodi judicibus habet Macrob. Lib. 3. cap. 16. Digredimur

Digitized by Google

Digredimur, lentaque fori pugnamus arena.
Aſt illis, quos arma tegunt & balteus ambit,
Quod placitum eſt, illis præſtatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo ſufflamine litis.
Solis præterea teſtandi militibus jus
Vivo patre datur. Nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſus,
Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranum
Signorum comitem, caſtrorumque æra merentem,
Quamvis jam tremulus captat pater. Hunc labor æquus
Provehit, & pulcro reddit ſua dona labori.
Ipſius certe Ducis hoc referre videtur,
Ut qui fortis erit, ſit feliciſſimus idem;
Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

diſcedimus, atque tardo fori ſabulo decertamus. Iis autem quos arma operiunt, accingit balteus, quodcumque libet iis litigandi tempus conceditur, neque deperditur negotium prolixâ controverſiæ morâ. Adde quod unis bellantibus licet condere teſtamentum vivente genitore. Enimverò quæ ſunt bellicis acquiſita laboribus ſtatutum eſt haud cenſeri bonorum ſummâ, quorum univerſam parens adminiſtrationem poſſidet. Itaque Coranum vexillorum ſectatorem & militia ſtipendia obtinentem palpat genitor, licet modò ſenio *titubans. Illum juſta promovet opera, atq; honeſto ſtudio ſua præmia dilargitur. Id profectò videtur intereſſe ipſius Imperatoris, ut qui ſtrenuus fuerit, ipſe ſit beatus; ut cuncti phaleris cuncti etiam torquibus gaudeant.*

ANNOTATIONES.

C. Titius, inquit, *vir ætatis Luciliana, in oratione quâ legem Fanniam ſuaſit --- deſcribens homines prodigos in forum ad judicandum ebrios commeantes; quæque ſoleant ſermocinari inter ſe, ſic ait. Ludunt aleâ ſtudioſe unguentis delibuti --- ubi hora decem ſunt, jubent puerum vocari ut comitium eat percontatum, quid in foro geſtum ſit; qui ſuaſerint, qui diſſuaſerint: quot tribus juſſerint, quot vetuerint. Inde ad comitium vadunt ne litem faciant ſuam. Dum eunt, nulla eſt in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui veſicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium triſtes: jubent dicere: quorum negotium eſt narrant: Judex teſtes poſcit: ipſus it mictum. Ubi redit, ait ſe audiſſe omnia: tabulas poſcit: literas inſpicit: vix præ vino ſuſtinet palpebras.*

47 *Lentaque fori pugnamus arena.*] Metaph. a Circo, & gladiatoribus. Id eſt, vix litis finem videmus, adeo lente omnia procedunt.

50 *Sufflamine.*] Dilatione remota, impedimento. Quid ſit proprie *ſufflamen*, dixi ad Sat. 8. v. 148.

51 *Solis præterea teſtandi militibus jus, &c.*] Nam filius familias, etiamſi pater conſentiat, teſtari non poterat niſi de peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi. Juſtinian. de militari teſtamento. Ulpian. in Lege 2. Digeſt. in Teſtam. milit. ſic habet: *Militibus liberam teſtandi factionem primus quidem D. Julius Cæſar conceſſit: ſed ea conceſſio temporalis erat. Poſteà vero D. Titus dedit: poſt hoc Domitianus: Poſteà D. Nerva pleniſſimam indulgentiam in milites contulit: eamque & Trajanus ſecutus eſt.* Et infra. *Exinde mandatis inſeri cœpit caput tale; cum in notitiam meam pervenerit ——-- Simplicitati eorum* (militum) *conſulendum exiſtimavi; ut quoquo modo teſtati fuiſſent, rata eſſet eorum voluntas. Faciant igitur teſtamenta quomodo volent, faciant quomodo poterint; ſufficiatque ad bonorum ſuorum diviſionem faciendam nuda voluntas teſtatoris.*

54 *Coranum.*] Hunc de quo forte Horatius Serm. Lib. 2. Sat. 5.

Captatorque dabit riſus Naſicæ Corano.

55 *Caſtrorumque æra merentem.*] Diu Romanos ſuis ſtipendiis militaſſe, ac poſtea mercedem e publico accepiſſe, alibi notavimus; nimirum Sat. 3. v. 132. & enarrat Alex. ab Alex. l. 6. 22, &c.

56 *Quamvis jam tremulus captat pater.*] Pater jam ſenio licet confectus filium captat militantem, ut ab eo nuncupetur hæres bonorum militia partorum. Tria veteribus fuere teſtamentorum genera: unum quod calatis comitiis fiebat: alterum quod per æs & libram, libripende adhibito, & emptore familiæ. Tertium militare ſeu procinctum vocabatur, cum milites ituri in prælium, nulla legum ſolemnitate; tribus aut quatuor adhibitis teſtibus, antequam ſe accingerent ad dimicandum, hæredem ſibi nuncupabant, ſi quid in acie ſecus eveniret. Alex. ab Alex. Lib. 4. cap. 3.

57 *Hunc labor æquus provehit, &c.*] Præterea milites per bellicos labores ad munera provehuntur, honores a Duce conſequuntur & præmia, phaleras, torques, armillas, coronas, &c.

58 *Ipſius certè Ducis hoc referre videtur, &c.*] Refert Ducis militantes honorari, & locupletari. Nam donis ac donorum ſpe virtus excitatur militum, aliique ad militandum alliciuntur.

60 *Ut læti phaleris omnes, &c.*] Ut ſtrenui ſint omnes, adeoque donis militaribus exornentur. Plin. Lib. 33. cap. 2. *Romani auxiliares & externos torquibus aureis donavere: at cives non niſi argenteis.* Agellius Lib. 2. cap. 11. refert *Lucium Sicinium Dentatum, ob eximiam virtutem appellatum Achillem Romanum, pugnaſſe in hoſtes centum & viginti præliis: cicatricem averſam nullam, adverſas quinque & quadraginta tuliſſe: coronis eſſe donatum aureis octo, obſidionali una, muralibus tribus, civicis quatuordecim; torquibus tribus & octoginta: armillis plus centum & ſexaginta; haſtis duodeviginti, phaleris item donatum quinquies viciesque: populi militaria dona habuiſſe multijuga, in his provocatoria pleraque: denique triumphaſſe cum Imperatoribus ſuis triumphos novem.*

AUL

AULI
PERSII FLACCI
SATIRÆ SEX.

PROLOGUS.

NEC fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut repente ſic Poëta prodirem.
Heliconidaſque, pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces. Ipſe ſemipaganus
Ad ſacra Vatum carmen affero noſtrum.

NEque immerſi labia in fonte equino, neque recordor me indormiiſſe in monte Parnaſſo bivertice, ut ſubito fierem ita Vates. Et muſas & Pirenen pallidam relinquo illis quorum ſtatuas ambiunt hederæ tenaces. Ego ſubruſticus defero meos verſus ad ſacra Poëtarum.

ANNOTATIONES.

1 *NEC fonte labra prolui, &c.*] Irridet Perſius vanitatem eorum Poetarum, qui ſeſe jactant afflatos ab Apolline & Muſis, imitari volentes Heſiodum, qui Thegoniæ initio ait ſe a Muſis divina canendi facultate donatum. Hunc locum imitatus Sidonius Apollinar. Lib. 8. Epiſtola ultima, ita ſcribit: *Non hic ego commentitiam Terpſichoren more ſtudii veteris adſcivi: nec juxta ſcaturiginem fontis Aganippici per roſcidas ripas, & pumices muſcidos ſtylum traxi. Atque utinam nihil molle, nihil fluidum, nil de triviis compitalibus mutuatum reperiatur; &c.*

Prolui.] Id eſt, leviter delibavi, non autem immerſis labiis ad ſatietatem hauſi.

Caballino fonte.] Pegaſus alatus equus ungula percutiens radicem montis Parnaſſi, elicuit fontem qui inde dictus eſt *Hippocrene*: e quo bibentes ſtatim Poëtas fieri fabulantur. Vide Ovid. Metamorphoſ. Lib. 5. Fab. 4.

2 *Nec in bicipiti ſomniaſſe, &c.*] Neque, ut Ennius, ſomniavi, immigraſſe in me animam Homeri aut alterius eximii Poëtæ. Vide infra Sat. 6. ad hæc verba, *Cor jubet hoc Enni*, &c.

Parnaſſo.] Mons eſt Phocidis in Achaia, Apollini ſacer ac Muſis, ſicut & Helicon mons alter in Bœotia.

4 *Pirenen.*] Fons erat Muſis dicatus in Acrocorintho monte, juxta urbem Corinthum in Peloponneſo, *Pallidam* autem vocat Perſius, eo quod qui plurimum ſtudent pallidi fiunt. Vide poſtea Sat. 4. v. 62. Vel ſpectat Fabulam de Pirene muliere, cujus e lacrymis fons iſte emanaſſe fertur.

6 *Hedera.*] Boni poëtæ hedera coronabantur. Vide Horat. Lib. 1. Ode 1. *Sequaces*; vel quod facile adhæreſcant: vel quod ſequantur eximios poëtas velut præmium: quemadmodum ante dixi.

Semipaganus.] Prope ruſticus & *agreſtis*: *fere* tam imperitus ac rudis, quam paganus. Vide Juvenal. Sat. 14. v. 154. Annot. ad vocem, *Pago*. Item Sat. 16. v. 33. ad vocem, *Paganum*.

7 *Ad ſacra Vatum, &c.*] Auguſtus in ſuo palatio ſacraverat ædem Muſis & Apollini;

 Quis

Quis docuit pſittacum ſuum illud χαῖρε *& picas eniti humanas voces ? Venter artium doctor, ingenii dator, peritus aſſequi verba inconceſſa. Quod ſi appareat ſpes* lucrandæ *pecuniæ fallacis,* tum *putaveris corvos Poëtas, & picas Poëtrias canere carmen Pegaſeium.*

Quis expedivit pſittaco ſuum XAIPE?
Picaſque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingenîque largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Corvos Poëtas & poëtridas picas
Cantare credas Pegaſeium melos.

ANNOTATIONES.

teſte Suetonio, Octav. cap. 25. Eo docti conveniebant, ſcriptaque deferebant ſua. Hinc Horat. Lib. 1. Epiſt. 3.

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Vide infra, ad eas voces, *Sede leges celſa.*

8 *Quis expedivit, &c.*] Sunt qui de ipſo Perſio hæc intelligant; quaſi vero tam miſera fuerit ejus fortuna, ut paupertate adactus ſit ad ſcribendos verſus, quemadmodum alii quidam iſtius temporis. Verum in Sat. 5. bulla ſe ornatum, adeoque nobilem indicat. Adde, carminis quod ſectatur genus, abalienandis certe hominum potentium animis potius idoneum, quam parandis amicis. Itaque dicendus eſt Perſius in his ſeipſum quidem petere, at ferire alios, qui divinam Poëſeos facultatem velut artem quæſtuoſam arripiebant, quamvis a natura negatam.

Pſittaco.] Sicut avis iſta non conceſſas alioqui voces, fame tamen ſtimulante, conatur exprimere: ſic & quidam ut victum habeant, utcunque verſus ſcribunt, quod divitibus offerant; invita quidem Minerva. Vide Plin. Lib. 10. cap. 42.

Suum χαῖρε.] Quaſi propriam aviculis iſtis ſalutandi rationem.

9 *Noſtra verba.*] Nobis hominibus proprium ſermonem.

Interſerunt hic aliqui ſpurium ſane verſiculum hunc:

Corvos quis olim concavum ſalutare?

Id eſt, quis etiam docuit corvum rauca voce & concava ſalutare Cæſarem Auguſtum, poſt Actiacam victoriam? Vide Martial. Lib. 14. Epigram. 73, 74, 76. Item Macrob. Saturnal. Lib. 2. cap. 4. ad finem.

11 *Venter negatas artifex ſequi voces.*] Scilicet venter famelicus artem dat & facultatem quam natura negaverat. Proverb. *Multa docet fames:* & apud Græcos:

Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.

12 *Doloſi.*] Nummum doloſum, eo quod doloſos faciat homines, vocari putant nonnulli. Malim ego cum Caſaubono ita dici, quod ſpes ſit ejus comparandi per adulationes doloſas, & falſam præſtantiæ opinionem.

13 *Corvos Poëtas, &c.*] Si modo ſpes lucri affulgeat, carmina conſcribent garruli quilibet, inſulſi, inepti, e trivio Poëtaſtri. Atque ſibi videbuntur ipſis egregia promere, dum æquis rerum æſtimatoribus erunt ludibrio.

14 *Cantare credas.*] Subaudi, *poſſe:* adeo potens eſt lucelli cupido duriſque urgens in rebus egeſtas.

Pegaſeium.] Egregium carmen, quale compoſuerit is qui ex Hippocrene biberit.

Melos.] Quidam ſcribunt, *mellos*, ut metrum conſtet. At vero quidni Perſius produxerit primam iſtius vocis ſyllabam, auctoritate fretus Ennii ac Homeri? Ennii quidam ex Annalibus affertur iſte verſus.

Matronæ melos complent ſpectare faventes.

Homerus autem Hymno 1. in Mercurium ſic habet,

Θεὸς δ' ὑπὸ μέλος ἄειδε.

Quanquam in præcedenti Verſu & alibi ſæpius corripit. Nimirum id permittunt liquidæ conſonantes. Vetus Schol. *in aliis eſt nectar*, inquit. Hinc forte Angelus Politianus lectionem iſtam adſtruit; rejicitque vocem *melos*, quippe cujus prima ſit brevis. At profecto Marullus eum appoſite ſimul ac feſtive redarguit, ſic occinens:

Poſſe negas dici melos, facunde Poëta,
Atque adeo picas nectar ais canere.
Sed neque divinus male μέλος ἄειδεν *Homerus;*
Nec, niſi qui laudat nectar, inepte canit.

SATIRA

SATIRA I.

O Curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!
(cule. Nemo?
Quis leget hæc? Min' tu iſtud ais? Nemo her-
Vel duo, vel nemo. Turpe, & miſerabile. Quare?
Ne mihi Polydamas, & Troïades Labeonem 4
Prætulerint. Nugæ. Non, ſiquid turbida Roma
Elevet, accedas: examenve improbum in illa
Caſtiges trutina: nec te quæſiveris extra.
Nam Romæ quis non? Ah ſi fas dicere! Sed fas
Tunc cum ad canitiem, & noſtrum iſtud vivere triſte

O Cupiditates hominum! Quanta eſt vanitas in rebus? Quis evolvet hæc carmina? Mihine tu hoc dicis? Nullus certe leget. Nullus? Unus aut alter, vel ne unus quidem: res pudenda & indigna. Cur? Ne Polydamas & Trojani mihi anteponant Labeonem. Ineptia. Ne aſſentiaris, ſi Roma tumultuoſa aliquid elevet; neve expendas judicium injuſtum in illa libra: neque petas extra teipſum. Enimvero quis Romæ non id facit? *Ah ſi liceat loqui! Sed licet tunc quando video canos capillos; & noſtram illam vitam*

ANNOTATIONES.

1 O *Curas hominum!*] In quibuſdam libris reperies appoſitas literas *P. & M.* Re quidem ipſa Dialogiſmus eſt inter Poëtam Satiras ſcribere aventem, & Monitorem qui conatur eum deterrere a ſcribendo. Neque vero conveniunt omnes, quæ ſint aſſignanda Poëtæ, quæ Monitori: ſed ſuum quiſque ad arbitrium verſus & perſonas illis diſtribuit.

2 *Quis leget hæc?*] Monitor ſtatim, quis eas reprehenſiones tuas libens accipiet? deſine igitur inutilia monita dare.

Nemo hercule.] Agellius Lib. 11. cap. 6. ait Romæ viros jurare ſolitos per Herculem, fœminas per Caſtorem, non contra: quamobrem vero, obſcurum eſſe dicit. Illud porro apud Apuleium reperies non obſervatum, apud quem & fœminæ per Herculem jurant. Vide Juvenal. Sat. 2. v. 98. Annot.

4 *Ne mihi Polydamas.*] Scilicet verebor quod olim Hector veritus eſt; ne, *&c.* Legunt nonnulli, *næ*, id eſt, certe. Alluſit hic Perſius ad Homeri Iliad. χ non longe ab initio. Quod idem fecerat Tullius ad Attic. Lib. 2. Epiſt. 5. & Lib. 7. Epiſt. 1.

Polydamus.] Princeps Trojanus, per quem optime notatur Nero Hiſtoriæ Trojanæ plus æquo ſtudioſus.

Labeonem.] Actius Labeo ineptus Poëta, Neroni nihilominus charus, eo quod Homeri Iliados libros aliquot in Latinos verſus quamvis male tranſtuliſſet. De eo nihil habemus præter verſum hunc, quem citat vetus Scholiaſtes,

Crudum manduces Priamum Priamique Piſinnos.

6 *Elevet.*] *Elevare* ſignificat duo contraria; nempe & augere, minuere: neque conſtat quo ſenſu hic a Perſio intelligatur. Metaphora a ponderibus, in quibus ut lanx gravior attollatur & par alteri fiat, ex ea aliquid detrahitur.

Accedas.] Id eſt, ne te adjungas ad iniquos Judices Romanos, ſive bonos verſus contemnant, ſive malos æſtiment.

Examen.] Ex bilancis haſta, filum, lingula, qua ſtante, in neutram vergente partem, & ſub anſa latente, æquilibrium cognoſcitur. Metaphorice ponitur pro judicio.

7 *Trutina.*] Proprie eſt illud foramen, intra quod libratur bilancis lingua, de quo mox. Hic ſumitur pro tota bilance.

Nec te quæſiveris extra.] Ne extra te Judicem quære aut judicium. Tu ipſe res dijudica.

8 *Nam Romæ quis non?*] Apoſiopœſis eſt: id eſt, quis Romæ errore communi lapſus, & extra ſe judicium quærens, non male judicat? Vel, quis Romæ non affectat laudem Poëſeos? Quo quidem perſtringitur ipſe Nero.

Sed fas tunc, &c.] Totum hunc locum alii aliter interpretantur. Quidam volunt Perſium loqui in propria perſona, ita ut dicat ſibi tandem licere invehi in hominum vitia, cum ipſe jam, ſi minus ætate, at moribus ſenex ſibi eſſe videatur: fas, inquit, mihi eſt pravos mores reprehendere, cum conſidero meæ mentis canitiem, & meum vivendi genus ſeverum, maturamque relictis nugis ſapientiam. Alii tamen videntur melius Perſii ſenſum aſſecuti, qui aiunt illum homines ſuæ ætatis carpere, qui ætate licet provecti & moribus vultuque graves, adhuc tamen ſcribendis verſiculis, qui juvenum luſus ſunt, laudem captabant.

 Aſpexi,

Digitized by Google

ſeveram ; & quæ agimus depoſitis nucibus : quando imitamur patruos ſeveritate, *tum* inquam, *tum condonate. Nolo. Quid agam ? Atqui ſum irriſor* ob *lienem procacem. Componimus clauſi, alius carmina, alius ſolutus metro, operoſum quiddam, quod pulmo peramplus ſpiritus proferat. Nempe & comptus, & veſte nova, & candidus denique, cum gemma natalis diei, iſta plebi recitabis e ſublimi cathedra, poſtquam laveris fauces flexibiles*

Aſpexi, & nucibus facimus quæcumque relictis :
Cum ſapimus patruos, tunc, tunc ignoſcite. Nolo.
Quid faciam ? Sed ſum petulanti ſplene cachinno.
Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexuſque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus,
Sede leges celſa, liquido cum plaſmate guttur

ANNOTATIONES.

10 *Nucibus.*] Id eſt, puerilibus ludis ac nugis quibuſlibet. Sueton. Auguſt. cap. 83. refert illum cum pueris minutis interdum nucibus luſitaſſe.

11 *Cum ſapimus patruos.*] Qui ſunt nepotum duri ſæpe caſtigatores.

Ignoſcite.] Sinite me corrupta hominum judicia notare.

Nolo.] Non ſinam, inquit monitor ; ab his abſtineas jubeo.

12 *Quid faciam ?*] Reſpondet Perſius ; at mihi temperare non poſſum : ſplen grandior irriſorem me, & Satiricum facit. In liene Medici affectum riſus collocant.

Petulanti.] Petulans dicitur qui hunc & illum abſque pudore petit.

Cachinno.] Cachinno, onis, eſt homo riſus intemperantior, ſicut cachinnus riſum effuſum ſignificat.

13 *Scribimus incluſi.*] Proſopopœia eſt Poetarum ineptorum illius temporis, quos inducit Perſius ſuam cauſam defendentes. Quid mali facimus, inquiunt, ſiquidem muſæo noſtro clauſi, alius ſtricta, alius ſoluta oratione ſcribimus egregium quoddam opus ?

14 *Quod pulmo animæ.*] Quod cum anhelitu, & non ſine labore & vexatione pulmonis aere & vento diſtenti recitemus. Videtur autem Perſius notare grandiloquentiam affectatam, periodorum longitudinem, & ampullatam turgidamque orationem.

15 *Scilicet hæc populo.*] Excipit ſatirice Perſius: nempe auram popularem captas ſcriptitando & recitando, & vanam eruditionis opinionem affectas.

16 *Natalitia.*] Vel geſtari ſolita die natali, vel dono data.

Albus.] Veſte nova & pretioſa ſplendidus ! fortaſſe etiam, pallidus, ſive ob ſtudium pertinax, ſive ob ingentem curam, qua ſe illi comparabant ad recitandum, ſive denique ob anxium de eventu animum.

Sardonyche.] Ornatus annulo, cujus gemma ſit ſardonyx, lapillus ſubrubei ſimul & ſubcandidi coloris. Vox facta e Sardio lapide rubri coloris, & onyche ſubalbi.

17 *Sede leges celſa.*] Privatæ quædam fiebant recitationes Romæ ſatis frequentes, inter amicos & convivas. Horat. Lib. 1. Sat. 4.

Non recito cuiquam niſi amicis, &c.

Perſius paulo poſt,

Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poemata narrent.

Vide Plin. Lib. 8. Epiſtol. 21. Tull. ad Attic. Lib. 12. Epiſt. 4. & Lib. 15. Epiſt 3.

Aliæ porro recitationes erant publicæ : modo in Athenæo, modo in Apollinis æde, de qua in Prologo ; modo etiam in ædibus ceu mercede conductis, ſive accomodatis ab aliquo viro divite, cui id honorificum ducebatur ; & cujus eo clientes applauſus & celebritatis cauſa convocabantur. Vide Martial. Lib. 4. Epigram. 6. & Lib. 10. Epigram. 70. Plin. in Epiſtolas paſſim, ut Lib. 2. Epiſt. 19. Lib. 9. Epiſt. 27. luculentiſſime vero Lib. 7. Epiſt. 17. & Lib. 8. Epiſt. 12.

Juvenalis autem Sat. 7. docet quanto id fiebat apparatu :

——————*At ſi dulcedine famæ*
Succenſus recites, Maculonus commodat ædes.

Et paulo poſt :

Scit dare libertos extremâ in parte ſedentes
Ordinis & magnas comitum diſponere voces.
Nemo dabit Regum quanti ſubſellia conſtent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæq ; reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris

Ex his patet conſueviſſe recitaturos ſuis impenſis ornare auditorium, ſubſellia auditoribus, ſibi vero pulpitum & ſedem ſublimem diſponere. Idem habetur ex Dialogo de Oratoribus. *Et domum mutuatur, & auditorium exſtruit, & ſubſellia conducit, & libellos diſpergit,* quibus nempe invitentur audituri. Vide Plin. Lib. 1. Epiſt. 13. & Lib. 2. Epiſt. 14. Atque ut fre-

Digitized by Google

Mobile collueris, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas, neq; voce ſerena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis eſcas,
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe!
Quo didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto jecore exierit caprificus?
En pallor, ſeniumque. O mores! Uſq; adeone

potione fluida, diſſolutus oculis laſcivis. Illic nec bono ritu, nec applauſu recto, aſpicias ſubſilire nobiles Romanos, quando verſus penetrant renes, & quando præcordia titillantur carmine trementi. O *ſenex, tune quæris illecebras auribus aliorum? Auribus,* inquam, *quibus pelle deformis etiam dicas, ohe! Quorſum* vero *doctum eſſe, niſi hoc fermentum* appareat; *& aperto hepate prodeat ſilveſtris ficus, quæ aliquando orta eſt intra? Ecce* vultus *pallidus, & ſenectus.* O *indolem* pravam! *Itane vero*

ANNOTATIONES.

quentiores adeſſent auditores, pretio etiam & munuſculis cogebantur.

Horat. in Arte Poet.

Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Aſſentatores jubet ad lucrum ire Poeta.

Et Perſius paulo poſt, tritam lacernam dari, ſumen apponi, ait. Adhibebant præterea ornamenta corporis varia, ut inde recitatione ſplendor accederet. Quod innuit *Perſius hic*: Plutarch. in Pompeio. Seneca Ep. 114. Martial. Lib. 4. Epigram. 41. & Lib. 6. Epigram. pariter 41. Vide & Agell. Lib. 11. cap. 9. ubi reperies, digitum annulo, caput palliolo, aures ligamentis, fauces vellere ceu lana exornari: pexos etiam capillos, togas recentes & ſplendidas.

Plaſmate.] Ad leniendam vocem ſuaviorem que faciendam.

18 *Patranti.*] Patrare proprie eſt παιδοποιεῖν. Unde hic pro libidinoſo aſpectu a Perſio uſurpatur.

19 *Hic.*] Id eſt, in illis recitationibus.

Neque voce ſerena.] Acclamatione confuſa.

20 *Trepidare.*] Exhibendæ lætitiæ & approbationis cauſa.

Horat. in Arte Poet.

Saliet, tundet pede terram.

Titos.] Dicti ſunt Titi nobiles Romani a Tito Tatio, vel a tuendo Imperio.

Lumbum intrant.] Excitando libidinem, cujus ſedes eſt in lumbis: quod faciunt obſcœni verſus.

21 *Tremulo.*] Tremula voce pronunciando, ut mollior ſit ſonus.

22 *Tun' vetule.*] Inſurgit Perſius acriter adverſus eam mollitiem. Ergone qua es ætate ſenex in id unum incumbis, ut tam infames juvenum auribus illecebras ſuppedites.

Vetule.] Vox pertinens ad contemptum.

23 *Cute perditus.*] Senio & rugis deformis

Ohe!] Contendunt aliqui legendum *evoe*, ut ſenſus ſit: O Nero bacchantium vocem in tua Tragœdia gaudes recitare! Sed placet cum melioris notæ Interpretibus & Exemplaribus, *Ohe.* Quæ interjectio vel ſatietatem, vel juvenilem lætitiam ſignificat. Senſus igitur erit; ſenex cum ſis, juveniles etiam voces affectas. Vel potius: laboras ut placeas ineptis laudatoribus; quorum adulationes ipſe adeo expertus es, ut non ſine pudore nimium te laudari ſentiens cogeris dicere, *ohe*: ſatis eſt laudum & plauſuum ſatis.

Horat. Sat. 5. Lib. 2.

Importunus amat laudari? Donec, ohe jam,
Ad cœlum manibus ſublatis, dixerit; urge, &
Creſcentem tumidis infla ſermonibus utrem.

24 *Quò didiciſſe, &c.*] Id eſt, quid prodeſt multa didiciſſe, ni doctus eſſe cognoſcar, inquit homo ſcribendi cupidus.

Fermentum.] Dicitur a fervendo, id eſt, ſicut fruſtra injicias fermentum in maſſam, niſi ut eam inflet & majorem faciat; ſic, quid mea mihi eruditio proderit, niſi erumpat & clariorem me faciat?

Intus.] In animo meo.

25 *Jecore.*] Poni videtur pro corde, in quo affectuum ſedem vulgus collocat.

Caprificus.] Metaphorice deſignat gloriæ cupiditatem, & bene; nam arbor illa erumpit e muris quantumlibet duris, nullos parit fructus, ſed tantum calyces.

26 *En pallor, ſeniumque.*] En ſigna ſtudii noſtri pertinacis, noſtræq; adeo profundæ eruditionis! Quæ verba attribuunt aliqui Perſio Poetaſtros irridenti; melius tamen videntur jungenda cum præcedentibus, ut poſtea Satiricus exclamet; *ô mores.*

Uſque adeone ſcire tuum, &c.] Ergone vanam gloriam velut ultimum finem ſtudiorum tuorum conſtituis; D. Auguſt. Epiſtola 56. Dioſcorum vulgi laudes ſectantem perſtringit Perſiano hoc loco: *Tune, ô Dioſcore, nec Perſium tuum reſpicis*

Digitized by Google

ſcientia tua nihil eſt niſi alii noverint te eſſe ſcientia præditum? At præclarum eſt digito oſtendi, & dici: Ille eſt. An parvi æſtimes fuiſſe tradita centum puerorum *cincinnatorum? En inter calices inquirunt Romani* epulis *ſatiati, quid divina carmina contineant. Illic quidam, cui circa ſcapulas eſt tegmen* coloris *hyacinthini, recitans aliquid fœtidum de naſo balbutienti; ſi* veluti *guttatim fundit* amores *Phyllidis & Hypſipylæ, & triſte aliquid Poetarum; ſi vocabula etiam dejicit palato molli:*

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?
At pulchrum eſt, digito monſtrari, & dicier: Hic eſt.
Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe,
Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula quærunt,
Romulidæ ſaturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna eſt,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus;
Phyllidas, Hypſipylas, vatum & plorabile ſi quid
Eliquat; & tenero ſupplantat verba palato:

ANNOTATIONES.

contorto verſiculo tibi inſultantem, &c. Ubi Perſianam ſententiam affert & graviter explicat. Porro Perſius hic imitatus eſt Lucilium, cujus corruptum paſſim locum optime videtur reſtituiſſe Marcilius, ſic:

————————— Id me
Nolo ſcire mihi cujus ſum conſciu' ſolus,
Ne damnum faciam. Scire eſt neſcire, niſi id me
Scire, alius ſcierit.

28 *At pulchrum eſt, &c.*] Prolepſis eſt ironica. Demoſthenes noſcitari ſe a mulierculis & digito monſtrari lætabatur, Tull. Tuſc. Quæſt. 5.

29 *Ten' cirratorum, &c.*] Id eſt, parvine æſtimes carmina alicujus Poetæ eſſe dictata a ludimagiſtris in ſcholis, ut ea diſcipuli memoriter diſcant. Nero ſuos verſus per ſcholas dictari imperaſſe aiunt: quod & alii velut decorum ſibi affectarunt. Euſebius Lib. 9. narrat Maximum Imperatorem libellos quoſdam in Chriſti deriſionem confictos nomine Pilati, per ludos circumferri, legique præcepiſſe. D. Hieron. hunc Perſii locum, ut & alios ſæpe, bis aut ter uſurpat, adverſus Ruffinum bis, & in Apologet. ad Domnionem.

Cirratorum.] Id eſt, nobilium juvenum, quorum cirrati ſolent eſſe capilli, id eſt, cincinnati, torti.

30 *Ecce inter pocula.*] Reſpondet Perſius: & docet flocci faciendas eſſe eas laudes, quæ dantur inter pocula. Quod antea Horatius fecerat Lib. 2. Sat. 2.

Diſcite non inter lances menſaſque nitentes,
Cum ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cum
Acclivis falſis animus meliora recuſat.

Mos erat ſcilicet apud veteres in conviviis aliquid ex illuſtribus Poetis atque Auctoribus afferre, unde fabulandi inter doctos occaſio præberetur. Vide Athenæum paſſim.

31 *Romulidæ ſaturi.*] Romulidas vocat ironice, quaſi Romulo valde abſimiles. Gell. Lib. 11. cap. 14. refert Romulum ad epulas vocatum non multum bibiſſe, quia poſtridie a mane negotium haberet. Vide Juvenal. Sat. 6. v. 433. & ſeq. ubi & mulieres in convivio judicium ferentes de Virgilio aliiſque Poetis coarguit.

32 *Hyacinthina.*] Veſtis pretioſa notat quempiam nobilem ac delicatum. De cruore Hyacinthi in florem purpureum verſo, Ovid. Metamorph. Lib. 10. Fab. 5. Legunt alii, *Ianthina:* veſtiſque erit violacei coloris, nec minus ſplendida. Græcum eſt nomen ab ἴον *viola*: & ἄνθος *flos*. Perinde eſt.

Læna.] In Tuſcul. tegmen vocatur a Tullio: eſtque veſtis accubitoria, cujus in conviviis uſus erat, & ſupra veſtem album induebatur.

33 *Rancidulum.*] Metaph. a carnibus ad corruptionem vergentibus: hic denotat aliquid inſulſum.

Balba de nare.] Durior paulo hæc metaphora pronunciationem effœminatam, & eductam & naribus vocem exprimit reprehenditque.

34 *Phyllidas, Hypſipylas.*] Hæ mulieres amorem ſuum contemptum ægre ferentes morti occubuerunt. Vide Ovid. Epiſt. 2, & 6.

Vatum & plorabile.] Elegiacum Carmen, cujus ut plurimum materia triſtis. Horat. in Arte Poet.

Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

35 *Eliquat.*] Liquide veluti & guttatim fundit, voce lenta, molli, & affectata pronunciat.

Supplantat.] Verba nondum plane efformata quaſi ſtrangulat ac dejicit mollitiei cauſa. Supplantare proprie eſt ſuppoſito pede in terram dejicere.

Aſſenſere

Digitized by Google

Aſſenſere viri: nunc non cinis ille Poetæ
Felix? Nunc levior cippus non imprimit oſſa?
Laudant convivæ: nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo fortunataque favilla
Naſcentur violæ? Rides (ait), & nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuſet
Os populi meruiſſe: & cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina nec thus?
Quiſquis es, ô modo, quem ex adverſo dicere (feci,
Non ego, cum ſcribo, ſi forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis eſt, ſi quid tamen aptius exit,
Laudari metuam. Neq; enim mihi cornea fibra eſt.
Sed recti finemque extremumque eſſe recuſo
Euge tuum, & belle. Nam belle hoc excute totum;
Quid non intus habet? Non hic eſt Ilias Actii
Ebria veratro: non ſi qua Elegidia crudi

ſtatim *homines acclamant*, An *non manes hujus Vatis nunc beati ſunt?* An *non ceſpes mollius nunc premit ejus oſſa? Commeſſatores celebrant:* an *non è cineribus iſtis,* annon *ex* iſto *ſepulchro & beato pulvere flores deinceps enaſcentur? Irrides (inquit) & nimis ſervis rugato naſo.* An aliquis *erit qui renuat captare laudes vulgi: & poſtquam dixit digna cedro;* recuſet *relinquere* poſteritati *verſus non timentes ſcombros & thus? Quicunque es,* o homo, *quem mox induxi loquentem contra me,* audi *quando compono, ſi fortaſſe concinnum aliquid editur* a me, *quandoquidem eſt infrequens hac volucris, attamen ſi aliquid concinnum editur* a me, *non ego timebo celebrari: Nam cor non habeo* durum *ut cornu. At nego tuum* illud *euge & belle, eſſe ultimum ſcopum bene facti. Enimvero evolve integrum hoc belle: quidnam intra non continet? Non iſtic eſt tamen Actii redundans helleboro: non* eſt *Elegia aliqua, quam compoſuerint*

ANNOTATIONES.

36 *Aſſenſere viri.*] Applaudunt ſtatim omnes, & probant indignas haſce recitandi rationes.

Nunc non cinis.] Poſt tantas aſſentationes an non bene eſt illi Poëtæ? An non quieſcunt ejus oſſa molliter?

37 *Cippus.*] Eſt ſepulchri lapis; vel, ut alii volunt, terra in tumulum aggregata.

38 *Manibus.*] Manes ſunt animæ defunctorum: ſunt etiam Dii Superi & Inferi. Ponitur hic ea vox pro terra ipſa ſepulchri. Vide Sat. 5. v. 152. ad vocem, *Manes.*

39 *Favilla.*] Quaſi fovilla, ad igne fovendo. Spectat Perſius antiquorum morem cremandi cadavera.

40 *Rides (ait).*] Inquit nempe ad Satiricum monitor.

Nimis uncis naribus indulges.] Satiricæ mordacitati nimium ſervis. Naſo ſuſpendere adunco dicitur qui falſe deridet & ſubſannat: & quidem ridendo naſus in rugá contrahitur.

42 *Cedro digna.*] Id eſt, immortalitate, quia ſuccus e cedro corruptionem arcet. Vide Plin. Lib. 13. cap. 5.

43 *Scombros metuentia, &c.*] Scripta inepta, quæ nec vult quiſquam emere, nec poteſt Bibliopola vendere, deputantur involvendis variis mercibus, garo, piperi, thuri, &c.

Scombros.] Piſces, e quibus optimum fiebat garum ſive ſalſamentum. Vide Plin. Lib. 9. cap. 15. & Athenæum, Lib. 7. ubi naturam hujus piſcis deſcribit, variaſque proprietates.

44 *Quiſquis es.*] Verba ſunt Perſii, quibus eleganter diſtinguit finem recte facti, & ejus conſectaria quædam. Dicitque ſe non reſpuere laudem virtuti nunquam non adjunctam, non tamen eam ſpectare velut ultimum finem.

46 *Rara avis.*] Proverbium eſt de Phœnice. Vide Plin. Lib. 10. cap. 2. Ovid. Metamorphoſ. 15. cap. 37. & alios.

47 *Cornea fibra.*] Cor mihi durum non eſt & hebes, quod laudis amor non tangat.

Fibra.] Synecdochicωs pro corde, cujus extremitates, ſicut & aliarum quarundam rerum, fibræ appellantur.

49 *Belle hoc excute.*] Scrutare mentem applaudentium, & approbandi rationes.

50 *Quid non intus.*] Meras adulationes eſſe videbis.

Non eſt hic Ilias Actii.] Hic, inquit Perſius, in meis Satiris non idem reperies quod in verſiculis Actii Labeonis. Vide ſupra, v. 4.

51 *Ebria veratro.*] Compoſita ab homine, qui quanquam acuendi ingenii cauſa hellebori plurimum ſumpſerat, non melius proinde ſcripſit, quippe reluctabatur Minerva: neque ars dare potuit quod natura negaverat.

Veratro.] Album eſt helleborum, quod utile ad purgandum cerebrum, & excitandos ſpiritus,

Dictarunt

Digitized by Google

Primates ſaturi; tandem non eſt id omne quod exaratur recumbendo *in thoris è citro.* Tu *noſti apponere ſumen fervidum. Noſti dare vetus pallium aſſeclæ pauperculo:* & poſtea *dicis, diligo veritatem; veritatem mihi aperi. De me (quomodo id fiat? Viſne* ego *aperiam* tibi veritatem? *Ineptis, quandoquidem,* o *Calve, tibi prominet venter obeſus, uno pede & dimidio protenſus.* O felix *Jane, quem a tergo nulla tundit ciconia,*

Dictârunt proceres; non quicquid deniq; lectis
Scribitur in citreis. Calidum ſcis ponere ſumen.
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et verum, inquis, amo; verum mihi dicite. De me
(Qui pote? Vis dicam? Nugaris, cum tibi, Calve,
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.
O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinſit,

ANNOTATIONES.

adhibitumque identidem a ſtudioſis, auctor eſt Plin. Lib. 25. cap. 5. Item Gell. Lib. 17. cap. 15.

Eligidia.] Diminutivum ab Elegia.

Crudi.] Vel pleni cibo nondum bene cocto: vel metaphorice, ſcioli, qui quod didicerunt qualitercumque, nondum plane concoxerunt, nec perfecte callent.

52 *Proceres.*] Proprie ſunt capita trabium, ſeu mutili in ædificiis prominentes. Metaphorice ſunt Primates & Principes civitatis.

Lectis ſcribitur.] Interpretantur aliqui tabellas inceratas in quibus ſcribebant ſi quos mens parturiret verſiculos, ne perirent. At quidni accipiantur ipſi lecti, ſeu lucubratorii in quibus ſtudebant ſcribebantque veteres, ut unus vult Caſaubonus contra cæteros interpretes; ſeu triclinares & accubitorii, in quibus etiam inter cœnam verſus dictabant, ut volunt alii? Lege Sueton. in Auguſt. cap. 78. A. Gell. Lib. 19. cap. 10. Plin. Lib. 4. Epiſt. 14.

53 *Citreis.*] E citro pretioſa arbore. Quo Perſius Nobiles Romanos perpetuo notat Poëſiaas ſtudio perperam affectos.

Scis ponere.] Laute excipis homines, quorum emas hoc pacto ſuffragia & applauſus.

Sumen.] Ferculum erat delicatiſſimum e mammis porcæ poſt recentem partum ſectis & ſale conditis. Plin. Lib. 8. cap. 51. Quod autem, *calidum*, addit Perſius; ne putes redundare epithetum, inquit Caſaubonus; ferventiſſimos enim cibos interre moris erat.

54 *Scis comitem horridulum.*] Horat. Lib. 1. Epiſt. 19.

Non ego ventoſa plebis ſuffragia venor
Impenſis cœnarum & tritæ munere veſtis.

55 *Et verum, inquis, amo.*] Quaſi vero bene ſentire, & dicere verum queant, quos muneribus corrupiſti. Et quaſi de verſibus tuis recte judicare, & quamvis bene judicaverint, quod ſentiunt, tibi ſincere aperire liceat convivis. Illi certe ita muneribus tuis devincti, non niſi cumulare te laudibus audebunt coram, etſi poſtea forte te deriſuri ſunt clam.

Horat. in Arte Poet.

Si vero eſt unctum qui recte ponere poſſit
——————Mirabor ſi ſciet inter--
Noſcere mendacem verumque beatus amicum!
Tu ſeu donaris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ. Clamabit enim, pulchre, bene, recte, &c.

Verum mihi dicite.] Plaut. Moſt. Act. 1. Sic. 3.

Ego verum amo, verum volo mihi dici: mendacem odi.

56 *Qui pote.*] Quomodo id fieri poſſit, ut veritatem tibi dicant iſti?

Horat. Lib. 1. Sat. 2.

Male verum examinat omnis
Corruptus Judex.

Pote.] *Pote*, ſignificat quaſi poſſibile. Catullus Carm. 77. quod eſt ad ſeipſum:

Hoc facies, ſive id non pote, ſive pote.

Vis dicam?] Viſne ut ego verum ingenue tibi dicam, quod fruſtra quæris ab adulatoribus.

Nugaris, cum tibi, &c.] Nugæ ſunt tua carmina & ineptiæ: operam perdis in cudendis verſibus, quos nunquam bonos facies. Nam pinguis & obeſus venter ſubtilem ſenſum non parturit, juxta Græcum illud.

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

57 *Aqualiculus.*] Diminutivum ab aquali & aqualico, quod proprie vas eſt in quo bibunt porci; quanquam ſignificat etiam ventris imam partem.

58 *O Jane.*] Janus Deus, cui binam frontem affinxere veteres; unde a tergo derideri non poſſe affirmat Perſius, hincque felicem eſſe ait: Quod ſi Poëtaſtri bina pariter fronte eſſent, deriſiones a tergo plurimas evitarent, aut ſaltem videntes, quam ſint ridiculi noſſent. De Jano lege ſi vis Macrob. Sat. Lib. 1. cap. 9.

Nulla ciconia pinſit.] Id eſt, nullus digitus

Nec

Digitized by Google

Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas;
Nec linguæ, quantum ſitiat canis Appula, tantum!
Vos ô Patricius ſanguis, quos vivere fas eſt
Occipiti cœco, poſticæ occurrite ſannæ.
Quis populi ſermo eſt? Quis enim, niſi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læve ſeveros
Effundat junctura ungues. Scit tendere verſum
Non ſecus ac ſi oculo rubricam dirigat uno. 66
Sive opus in mores, in luxum, in prandia Regum,

neque manus inflexa expreſſit aures aſini *albas*; *neque irridet* exertæ *lingua tantum, quantum* exerit *canis Apulia ſitibunda. O vos ſanguis Nobilis, queis datum eſt vivere ſine oculis in occipitio, evitate deriſionem poſteriorem.) Quid populus dicit? Quid enim verè* diceret, *niſi verſus jam tandem currere metro facili, adeò ut connexio ſinat ire ungues aſperos per politum.* Ille homo, inquit, *novit ſcribere verſus non aliter quàm ſi uno oculo regat lavillum rubeum. Seu juvat ſcribere in mores, ſeu contra delicias, ſeu in prandia* Regum,

ANNOTATIONES.

ad modum roſtri ciconiæ extenſus; quod primum eſt deriſionis genus. D. Hieronym. Præf. in Sophoniam: *Si ſcirent Holdam viris tacentibus prophetaſſe, nunquam poſt tergum meum manum incurvarent in ciconiam.* Alii tamen volunt deriſionem illam fieri ſolitam, non manus ſed colli extenſione poſt aliquem, inſtar ciconiarum collum extendentium. Quod veriſimilius, & juvat D. Hieronym. loco mox citando, ad Ruſtic. Monach.

59 *Nec manus auriculas.*] Alterum eſt deriſionis genus, appoſitis ad tempora pollicibus, alios digitos & reliquam manum movere eo modo, quo aſinus movet aures.

Albas.] Intus ſcilicet albæ ſunt aures aſininæ.

60 *Nec linguæ, quantum.*] Nec irridet te protracta tantum lingua, quantum protahere ſolent canes ſitibundi in regione calida. *Tria ſunt ſannarum genera: aut manu ſignificare ciconiam: aut appoſito temporibus pollice, auriculas aſininas, aut linguam ſitientis canis*, Hæc vetus Schol. D. autem Hieronym. in Epiſtola ad Ruſticum Monachum: *Ne credas*, inquit, *laudatoribus, imò irriſoribus, qui cum te* adulationibus *ſuis foverint, ſi ſubitò reſpexeris, aut ciconiarum deprehendes poſt te colla curvari, aut manu auriculas agitari aſini, aut æſtuantem canis protendi linguam.*

Canis Appula.] Apulia Italiæ regio verſus oſtium ſinus Adriatici. Ponitur pro qualibet regione calida.

61 *Patricius ſanguis.*] Patricii ſunt Senatorum filii: deſignantur hic quilibet Nobiles Romani. Horat. ad Piſones.

Vos o Pompilius ſanguis.

62 *Occipiti.*] Occiput pars capitis poſterior, ſicut anterior ſinciput.

Occurrite.] Subeant licet ludibrium & deriſionem plebeii; at vos, o Nobiles Romani, ne exiſtimate fortunas & famam veſtram pendere a verſiculis: ab illis faciendis tantiſper abſtinete, aut ſaltem bonos facite. At mementote vos carere Jani oculis, adeoque deriſionem ſecretam timete eorum ipſorum, qui coram vobis applaudunt.

Poſtica ſanna.] *Sanna*, eſt deriſio facta diſtorto vultu: *poſtica*, quæ fit poſt & a tergo hominis deriſi.

63 *Quis populi ſermo eſt?*] Supra habes, *de me*, ante parentheſim: id eſt, quid de meis verſiculis ſentit populus, quid dicit? inquit Poeta vanæ gloriæ cupiditate excœcatus.

Quis enim, &c.] Quis alius eſſet ſermo, id eſt, quid aliud dicere poſſet, niſi elegantes & ſublimes eſſe tuos verſus? Reſpondet adulator.

64 *Ut per læve ſeveros.*] Tam molles & politi ſunt tui verſus ut ſimiles ſint lævigato marmori, ſupra quod ſine remora ducuntur & fluunt ungues.

66 *Rubricam.*] Genus eſt terræ foſſilis, coloris rubri, quæ primum reperta ad urbem Sinopem, ad littus Euxini maris in Paphlagonia, unde vocatur etiam Sinopis. Plin. Lib. 35. cap. 6. hæc utilis ad notandas lineas, Architectis, &c.

Oculo dirigat uno.] Metaphora a Fabris, qui lineam ducturi rectam, hanc ſeu creta ſeu rubrica notaturi, alterum claudunt oculum, ne radii viſuales diſtrahantur, & aberrent.

67 *Sive opus in mores.*] Sive ſcribenda Comœdia. Ita vetus Interpres; & alii quidam ejus auctoritatem ſecuti. Repugnat Caſaubonus, & jungit hæc, in mores, in luxum; explicatque de Satira, quæ tunc uſitatiſſima erat, cum alioqui Comœdiæ ſcriptio jampridem frigere incœpiſſet.

In luxum.] Hæc verba Satiræ materiam proculdubio exhibent: ſicut mores Comœdiæ, quæ morum eſt expreſſio, & vitæ communis adumbratio: Siquidem ea, ut mox dixi, ſeparanda ſunt.

In prandia Regum.] Sive ſcribenda Tragœ-

Dicere

Dicere res grandes noſtro dat Muſa Poetæ.
Ecce modo heroas ſenſus afferre videmus
Nugari ſolitos Græce, nec ponere lucum
Artifices; nec rus ſaturum laudare, ubi corbes,
Et focus, & porci, fumoſa Palilia fœno:
Unde Remus, ſulcoq; terens dentalia, Quinti,
Quem trepida ante boves Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. Euge, Poeta;

Muſa inſpirat ſublimia noſtro Vati. Ecce nunc cernimus non nullos, ſcribere heroum facta, qui ſolebant tractare nugas Græce, & non peritos deſcribere nemus, nec celebrare agrum abundantem, in quo cophini, & caminus, & ſues, & feſta Palis Deæ *fœno* ardente *fumantia: ex quo* rure prodiit *Remus, &* tu quoque, o *Quinti, atterens aratrum ſulcata* humo, *quem ante boves conjux attonita veſtivit Dictatoris veſte, & viator reportavit aratrum tuum in ædes* tuas. *Macte, o Vates;*

ANNOTATIONES.

dia, quæ Principum facta continet. Alludit hic Perſius ad Thyeſtæ cœnam, in qua ille coctos filios ab Atreo fatre, inſcius rei, & imprudens devoravit. Vide Senecam Tragicum.

68 *Res grandes, &c.*] Ironica ſunt iſta.

69 *Ecce modo heroas, &c.*] Heroicum carmen ſcribendum nonnullos cernimus ſuſcipere etiam imperitos.

70 *Nugari ſolitos Græce.*] An qui carmina Græcorum inepte in Latinos verſus transferunt, ut fecit Actius Labeo? An qui Linguam Græcam vix dum delibarunt, neque adeo ſatis eruditi videntur ad tale tantumque opus, quale eſt Epicum Carmen, quod ſummos per omnia Poëtas requirit? Legunt aliqui: *Ecce modo heroas ſenſus afferre docemus, Nugari ſolitos Græce:* aiuntque reprehendi ipſos Magiſtros ac Præceptores qui diſcipulos ſuos inſtituendo ad grandiloquentiam, non tam ad ſublimem, quam ad turgidum ineptumque ſtylum eos deducebant: quod videtur confirmare ſequentia: ubi, *nec ponere lucum artifices*, &c. rudes tyrunculi intelligi poſſunt, ſicut & nugari Græce ſoliti, cum Romæ juvenes Linguam primum Græcam doceri conſueviſſent. Verum his omnibus omiſſis, placet interpretari; in ſcribendo laſcivire, more Græcorum, quibus id familiare in deſcriptionibus, & in aliis paſſim.

Nec ponere lucum artifices, &c.] Vix peritos tractare ut decet, faciliora argumenta, in quibus ſolent tyrones exerceri: qualia ſunt deſcriptio nemoris, laudatio rei ruſticæ. Vide Horat. initio Artis Poeticæ.

Suſpicatur hic Caſaubonus Perſium habuiſſe in animo ineptum aliquem ſui temporis Poetam, qui de re ruſtica carmen aliquod inconditum compoſuiſſet, quo forte congeſſerat inepte plurima, ut feſta Palis, urbis Romæ Originem, Cincinnati Dictatoris Hiſtoriam: & leviuſcula multa ſtudioſe complexus fuerat, ut corbes, focum, porcos, *&c.* At ſuſpicionem ille ſuam nullo fulcit argumento.

71 *Rus ſaturum.* Agrum abundantem rebus omnibus.

72 *Palilia.*] Pales Dea Paſtorum, ab iis colebatur 11 Kal. Maii, id eſt, vigeſima prima die Aprilis. Feſtum agebant ad arcendos lupos & morbos a pecore: vel ut felix eſſet & fœcundus pecoris partus: unde legunt quidam, *Parilia.* Vide Athen. Lib. 8. ſub finem. Ovid. 4. Faſtorum.

Fumoſa.] Quia congeſtis fœno & ſtipula ignem accendebant Ruſtici, in Palilis, tranſilienteſque expiari ſe credebant.

Ovid. Faſt. 4.

Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

Et poſt:

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit; idcirco cum duce purgat oves.

73 *Unde Remus.*] Quo ex agro prodiit Remus cum fratre, ſcilicet Romulo; & Romam condiderunt circa Paliliorum diem. Ovid. Faſt. 4.

Dentalia.] Dentale pars aratri lignea, cui præfigitur vomer.

Quinti.] Unde tu quoque prodiiſti, o Quinti Cincinnate, qui ex aratro ad Dictaturam es evocatus. Tit. Liv. Lib. 3.

74 *Dictatorem induit.*] Dictatura, ſummus Romanorum Magiſtratus ſex menſibus durabat: licebat tamen ante tempus abdicare: quod fecit Lucius ille Quintius, poſt dies ſexdecim, redi itque ad opus ruſticum, poſtquam rem Romanam in tuta collocaſſet, liberato Conſule L. Minutio, quem obſeſſum in Algido monte jam dies aliquot tenebant Æqui hoſtes. Tit. Liv. Lib. 3. cap. 27. & ſequentibus.

Uxor.] Racilia; *trepida*, ſive præ gaudio, ſive præ ſtupore ob inexpectatum honorem, & diſcrimen rerum Romanorum.

75 *Euge, Poeta.*] Bono eſto animo: en alii tecum amant etiam antiqua, obſoleta, turgida. Ironice, & ſatyrice.

Eſt nunc, Briſei quem venoſus liber Accî:
Sunt, quos Pacuviuſque, & verrucoſa moretur
Antiopa ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quæriſne unde hæc ſartago loquendi
Venerit in linguas? unde iſtud dedecus, in quo
Troſſulus exultat tibi per ſubſellia lævis?
Nilne pudet capiti non poſſe pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: decenter?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? Crimina raſis

reperitur jam aliquis, *quem* delectant *ſcripta turgida Accii Briſei. Modo repiriuntur* homines, *quos detineat Pacuvius, & Antiopa ſalebroſa animam triſtem* habens *doloribus obſeſſum. Quandoquidem cernis parentes lippientes ſuggerere has præcepta juvenibus, rogaſne unde iſta dicendi patella ad os perveneri:? & unde hoc probrum veniat, ad quod tibi ſubſilit Eques Romanus politus, per ſedes inferiores? Nullone pudore afficeris* quod *nequeas arcere periculum à capite albo, imo cupias auſcultare frigidum illud* verbum, *convenienter? Prædones, inquit Pedio* accuſator. *Ecquid Pedius* reſpondet? *Criminationem*

ANNOTATIONES.

76 *Briſei.*] Hoc Bacchi cognomen tribuitur Accio, vel quod in Bacchi clientela ſunt Poetæ Tragici, vel quod Bacchus Tragœdiam ſcripſerat. Magis tamen placet cum aliis legere, *Briſeis* (quod nomen puellæ eſt, de qua Homerus paſſim in Iliade, & Ovid. Epiſt. 3.) ut ſit titulus Tragœdiæ ab Accio ſcriptæ; quemadmodum ponitur mox Antiopa Pacuvii Tragœdia.

Venoſus liber.] Quaſi venis prominentibus tumens. Porro quid Turnebum moverit ut legendum eſſe, *nævoſus*, ſuſpicaretur, nec ego ſuſpicari poſſum.

Acci.] Cave legas, *Actii.* Nec enim loquitur hic Perſius de Labeone Actio, de quo jam ſatis, ſed de Lucio Accio vetere Poëta & Pacuvii coætaneo, paulo tamen juniore, quem laudant Tull. pro Archia Poeta, Macrob. Saturnal. Lib. 1. cap. 7. Item Lib. 6. cap. 1. 2, & 5. Valerius Max. Lib. 3. cap. 7. art. 11. Vide & Lilyum Giraldum.

77 *Pacuvius.*] Brunduſinus, antiquus Tragœdiographus, imo Tragœdorum Princeps, aliquanto junior Plauto. Ennii ex ſorore nepos fuiſſe dicitur. M. Pacuvii & L. Accii colloquium ex occaſione factum Tarenti, lege apud Agellium lib. 13. c. 2. item utriuſque elogia apud Quintil. l. 10. c. 1. Duorum horumce Poëtarum ſtylus quidem aſper & durus, attamen interlucet ſententiis.

Verrucoſa.] Quaſi verrucis & tumoribus aſpera.

78 *Antiopa.*] Lyci Thebarum Regis uxor, ob Jovis concubitum a viro repudiata. Titulus eſt Tragœdiæ Pacuvianæ, cujus meminit Tullius initio Libri 1. de Finibus.

Ærumnis fulta.] Id eſt, ſuis ſe miſeriis ſuſtentans, indurans: vel circumcincta calamitatibus. Metaphora ſatis dura, quam ex ipſo Pacuvio deprompta hic reprehendi nonnulli autumant: ſicut & vocem, *luctificabile.*

79 *Hos pueris monitus.*] Nempe, ut veteres Poetas ſectentur.

80 *Sartago.*] Vas patulum in quo cibi friguntur. Metaphora pro ſtrepitu ferventis ſartaginis, cui ſimilem edit ſonum oratio confuſa, & vocibus novis ſimul & obſoletis conferta.

81 *Dedecus.*] Infame dicendi ſcribendique genus.

82 *Troſſulus.*] A Troſſulo Tuſcorum oppido ſine peditum ope capto, Equites Romani cognominati ſunt Troſſuli. Accipiunt alii pro Toroſulus diminut. a Toroſus; ut notentur homines delicatuli.

Subſellia.] Vel quibus ſpectabant Ludos Equites Romani, vel quibus recitationes audiebant, ut ſupra fuſe explicui, ad eum locum: *Sede leges celſa.*

83 *Nilne pudet.*] Jam eos inſectatur Perſius qui lenocinia verborum tam ſtudioſe, imo tam ſtulte adhibent, ut in eo vim orationis conſtituant, ipſiſque in cauſis capitalibus valere putent: adeo ſua illos excœcat vana oſtentationis & gloriæ inanis cupido.

84 *Quin tepidum.*] Etiam cum reus capitis periculo liberandus, orationemque ſolida defendendus, captas laudem e futili verborum aucupio, quam potius vera eloquentia quærere deberes.

85 *Pedio.*] Pedius Bleſus ſub Nerone a Cyrenenſibus accuſatus eſt expilaſſe templum Æſculapii. Cornel. Tacit. Annal. Lib. 10. damnatuſque & Senatu motus eſt. Ponitur hic pro quolibet Romani fori oratore & patrono.

Pedius quid?] Id eſt, quid reſpondet, qua ratione removet illatum ſibi ſacrilegii crimen?

Raſis.] Id eſt, politis & elaboratis. Quintil. Lib. 9. cap. 3. in ipſo fine, *Ubi vero atrocitate, invidia, miſeratione pugnandum eſt, quis ferat contra poſitis, & pariter cadentibus, &*

Digitized by Google

Librat in antithetis. Doctas poſuiſſe figuras;
Laudatur. Bellum hoc : Hoc bellum ? An
Romule, ceves ? 87
Men' moveat quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim ? Cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. Verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvaſſe querela. 91
Sed numeris decor eſt, & junctura addita crudis.

expendit in antitheſibus politis. Erudita adhibuiſſe ſchémata, laudi vertitur. Pulcrum illud. Illud, ais *pulchrum* eſt? *Numquid turpiter? adularis,* o *Romane? Enimverò ſi canat is qui fecit naufragium, an me tangat, & ei nummum erogaverim?* Itane *canis* (dicam) *quando te e ſcapula geſtas adumbratum in tabula abrupta.* Certe *ſincerum & non noctu comparatum edet dolorem, qui cupiet me flectere querimoniâ* ſua. *At metris gratia ineſt, & connexio juncta immaturis*

ANNOTATIONES.

conſimilibus, iraſcentem, flentem, rogantem? Cum in his cura verborum deroget affectibus fidem; & ubicumque ars oſtentatur, veritas abeſſe videatur.

86 *Librat.*] Velut in contraria lance opponit criminationibus non valida, ut oporteret, argumenta, ſed meras verborum exornationes & figuras; periodorum affectatos numeros & quaſi appenſos, homœoteleuta, homœoptota, Iſocola, &c. fortaſſe quia ſcit hos floſculos ac rythmos apud Neronem valere, his ſe tuetur. D. Hieronym. Epiſt. ad Pammachium, *Non pudet Chriſtianos & Sacerdotes Dei, quaſi de rebus ludicris agatur, verbis dubiis hærere, & ambiguas librare ſententias, quibus loquens magis quam audiens decipitur.*

Antithetis.] Latine *Contrapoſitum*, Figura eſt per quam contraria contrariis reſpondentia in oratione ponuntur.

Doctas.] Legunt alii, *Doctus*, id eſt, peritus & gnarus adhibendi tales figuras a Gorgia Rhetore inventas.

87 *Bellum hoc.*] Inquiunt vani illi ſcriptores vel adulatores.

Hoc bellum.] Repetit cum indignatione Perſius: ſcilicet pulchrum hoc ducitis, o Romani?

Romule.] Ponitur pro quolibet Romanorum.

Ceves.] An ita turpiter adularis, ut canes ſolent agitando clunes, domino ſuo adblandiri?

88 *Men' moveat.*] Mene ad miſericordiam provocet?

Aſſem.] Ponitur pro quolibet nummo: proprie vero *as* eſt libralis nummus: idem quoque ſignificat quod libra & pondo. Varro Lib. 1. de Ling. Latina.

89 *Cantas, cum, &c.*] O Pedi, florido in ſermone ludis & exultas, cum tamen mox ob crimina damnandus ſis & movendus Senatu, tam ſtultus es nimirum, quam qui portans ſui naufragii notas cantat hilariter : & tu, o poeta, qui omnem Carminis laudem reponis in levibus ornamentis figurarum, neutro illorum es ſanior.

In trabe.] *Trabs* pro tabella accipitur.

Pictum.] Apud veteres, qui fecerant naufragium, hoc in tabella pictum circumferebant, ut ſtipem corrogarent : tabellam vero poſtea in Neptuni alteriuſve Dei opitulatoris templo ſuſpendebant.

Horat. Lib. 1. Ode 5.

Me tabulâ ſacer
Votiva paries indicat, uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

90 *Verum, &c.*] Supple, ploratum plorabit; ſicut dicimus, vitam vivere.

Nocte paratum.] Meditatum & arte confictum.

91 *Qui me volet, &c.*] Poeta qui voluerit lectores movere ; ne falſos tantum colores & vana Carmini ornamenta, de quibus ante, ſed verum ſuccum ac robur indat.

Horatius in Arte:

Si vis me flere, dolendum eſt primum ipſe tibi.

92 *Sed numeris decor eſt.*] Retorquet malus poeta : attamen in iis ipſis verſibus quos reprehendis, ineſt concinnitas, ineſt aliquid ornatus & artificii, quanquam tu crudos vocas.

Addita.] Legunt quidam, *abdita*, id eſt, abſtruſa, occulta, arte & ingenio conquiſita.

Crudis.] Verſibus non ſat matura meditatione perfectis, vel factis extempore & magno numero, ſine ullo labore, nullaque diligentia & induſtria profuſis.

Claudere

Claudere ſic verſum didicit; Berecynthius Attin,
Et qui cœruleum dirimebat Nerea delphin.
Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.
Arma virum, nonne hoc ſpumoſum, & cortice pingui?
Ut ramale vetus prægrandi ſubere coctum.
Quidnam igitur tenerum, & laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implêrunt cornua bombis,

Edoctus eſt ita finire carmen, Berecynthius Attin, & Delphin qui ſecabat mare Glaucum. Ita ſubtraximus latus Apennino longe patenti. Numquid non etiam illud carmen, *Arma virum, ſpuma plenum* eſt, *& craſſo induvio?. Sicut ramus annoſus decoctus ingenti ſubere. Ecquod ergo* carmen *molle, & pronunciandum capite deflexo?* Nempe hæc: *inflarunt tubas terribiles ſonis Bacchantium,*

ANNOTATIONES.

93 *Claudere ſic verſum, &c.*] Reponit Perſius; ita nempe conſuevit Nero rythmos ſectari, & vanas figuras duntaxat: ita ſuum de Atty Carmen rythmicis implet, quaſi una ſint hæc vera carminis ornamenta.

Attin.] Nempe, ut rythmus inſit verſibus, *Attin*, legendum, non *Attys*: ut monet Jo. Scaliger, & alii doctiſſimi. Dio de Nerone, ἐκιθαρῴδησεν Ἄττινα ἢ Βάκχας. Idem ſuggerunt veteres Gloſſæ.

Berecynthius Attin.] *Attin*, ſive *Attys*, Phrygius puer admodum formoſus, adamatus, Cybele, quæ a Berecyntho monte Aſiæ minoris ubi colebatur, cognomen adepta eſt: unde & ipſe pariter Berecynthius dictus. De eo Carmen eſt Catulli ſexageſimum quartum. Vide & Ovid. Faſt. 4.

Phryx puer in ſilvis, &c.

94 *Dirimebat Nerea.*] Nando ſecabat mare. Perſius arguit verſum hunc tanquam audacioribus metaphoris inflatum. Nereus Deus marinus, metonymicos pro mari ponitur.

Delphin.] Hoc aliud eſſe aiunt Neronis Carmen de Arione, quem dorſo excepit Delphin, & ad portum vexit. Lege Herodotum, Lib. 1. Agell. Lib. 16. cap. ultimo. Ovid. Faſt. 2. Plin. Lib. 9. cap. 8. ubi agit de Delphinis, ipſoque Arione.

95 *Sic.*] Id eſt, per ſimilem vanitatem, affectationem, errorem.

Coſtam ſubduximus.] Unam ſyllabam verſui heroïco tanquam longiore ſubtrahere amavit Nero, ſubſtituto in tertia ſede frequenter ſpondæo. Porro per coſtam Apennino ſubductam intelligit latus & certam partem Alpium, alludens ad Annibalem, qui igne & aceto eam perrupit, ſibique ſuoque exercitui viam aperuit, Plutarch. in Vita Annibalis. Tit. Liv. Lib. 21.

Longo Apennino.] Longe mons ille protenſus per Italiam mediam excurrit ad fretum uſque Siculum.

96 *Arma virum.*] Virgilii Æneidam intelligit. Nimirum reponit Perſio monitor, vel quivis alius turgidorum verſuum artifex & patronus: ſi tu noſtra carmina non probas, quid quæſo, cenſes de Virgiliana Æneide? An non & illi verſus videbantur ſpumoſi & inflati?

Spumoſum.] Vano tumore velut ſpuma turgeſcens extrinſecus; ſine ulla intus medulla & ſucco.

Cortice pingui?] Craſſo, inflato, qualem habet ſuber. Vide Plin. Lib. 16. c. 8.

97 *Ut ramale vetus.*] Jungunt hæc aliqui cum præcedentibus, & tribuunt monitori, ut ſit expolitio prioris ſententiæ. At doctiores ſejungunt, ut ſit Perſii ad monitorem reſponſio: grandes quidem & ſublimes ſunt Virgilii verſus, ſed non inflati, imo diſſipata ſpuma & tumore diſcuſſo velut cocti ſunt & maturo judicio perfecta: ſimiles ramo veteri, magno quidem, ſed calore Solis & ætate paululum imminuto & ſiccato. Vide Quintil. Lib. 10.

Prægrandi.] Alii legunt *vægrandi.*

Subere.] *Suber*, arbor craſſæ corticis. Plin. Lib. 16. cap. 8.

Coctum.] Maturum, durum, ſolidum. Et metaphorice, igne quaſi judici excoctum, & elaboratum ad amuſſim.

98 *Quidnam igitur tenerum, &c.*] Excandeſcit monitor, & in Perſium inſurgit: ecquod ergo carmen tibi tandem probabitur? Quod carmen legendum ſine ulla affectatione, quia per ſeſe commendationem habebit? An vero ullum eſt, quod legi poſſit *laxa cervice*, ac perinde magnum ſonet & grande, quamvis haud erecta & ſuperba legatur cervice? quod quidem ſolemne eſt & ſolitum Poëtis inflatis turgidos ſuos verſos legentibus, qui magnum quid de ſe ipſis ſuiſque carminibus ſentiunt, & aliis perſuadere nituntur ſuperbo illo ſuo geſtu.

99 *Torva Mimalloneis.*] Reſpondet ironice Perſius: hæc nempe Neroniana, e Bacchis ejus, concinna ſunt. Porro in iſtis verſibus mollis eſt rythmus & affectatus, cæterum quam tenuis ſenſus, & verborum tumori quam minimum reſpondet! Sunt qui negent verſus hos Neronis

Digitized by Google

& mox Agaveereptura caput ablatum buculo petulanti, & Mænas lyncem incurvatura hederarum nexis, ſæpius clamat evoe: reſonat Echo repetens voces. An talia carmina *conderentur, ſi in nobis vigeret pars aliqua virtutis majorum? Illud* nihilominus carmen *enerve fluit in labellis extrema ſaliva; & Mænas & Attys in humido eſt:*

Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,
Evion, ingeminat: reparabilis adſonat Echo.
Hæc fierent, ſi teſticuli vena ulla paterni
Viveret in nobis? Summa delumbe ſaliva
Hoc natat in labris; & in udo eſt Mænas, & Attys:

ANNOTATIONES.

eſſe, ſed a Perſio ad ſimilitudinem Neronianorum confictos, ut dicemus infra v. 121. ad hæc verba: *Auriculas aſini quis non habet?*

Torva.] Vel a terrendo quaſi *terva*; vel *torta* a torquendo, id eſt, inflexa.

Mimalloneis.] Mimas, antis, Ioniæ mons, in quo Orgia Baccho celebrabantur. Hinc Bacchantes dictæ Mimallones.

Implerunt cornua.] Vento inflarunt, & cecinerunt. Id eſt, ſtatim atque ſignum datum eſt Bacchantibus per tubas.

Bombis.] Vox ad imitationem ſoni facta. Proprie *bombus* eſt ille ſonus quem edunt apes.

100 *Vitulo.*] Pentheo, quem vitulum eſſe crediderunt furentes illæ mulieres, ipſaque Agave ejus mater. Horat. Lib. 2. Sat. 3. At Ovid. Metamorphoſ. 3. aprum illis viſum, ait, remque totam eleganter deſcribit.

Superbo.] Contemptori Orgiorum & Sacrorum Bacchi. Metamorphoſ. 13. Bacchanalium Romæ originem, & abrogationem lege, ſi vis, apud Tit. Liv. Lib. 39. cap. 8. & ſequentibus.

Caput ablatura.] Agave Bacchi Sacerdos cæteris Bacchantibus adjuta mortem intulit proprio filio Pentheo, eo quo non licebat accedenti; eique prima omnium caput ademit Bacchico furore percita.

101 *Baſſaris.*] Agave ita cognominata, ſicut & aliæ Bacchi ſacrificulæ, a Baſſara Libyæ loco, ubi colebatur Bacchus, ut vult Acron; vel a *Baſſari* veſte talari, qua ille induebatur. Non placet etymologia *ἀπὸ τῶν βήσσων* a vallibus & ſaltibus in quibus bacchabantur; nec *ἀπὸ τοῦ βάζειν*, quod eſt loqui ſeu vociferari.

Lyncem.] *Lynces* currum Bacchi trahunt, ſicut & tigres, maculoſa animalia, & varias vini affectus apprime ſignificantia. De iſtis vide Plin. Lib. 8. de tigride, cap. 18. de lynce, cap. 38.

Mænas.] Ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, quod eſt furere, Mænades appellatæ ſunt Bacchantes.

Corymbis.] *Corymbus* eſt hederæ fructus. Hic intellige vel virgam e thyrſo, vel frænum hederis intortis ornatum. Hederæ vero Baccho ſacræ, quia revertens ab India victor his ſeſe coronavit.

102 *Evion.*] *Evios* dicitur Bacchus vel a voce Bacchantium *εὐοῖ*: vel quod ob res adverſus Gigantes fortiter geſtas, laudatus eſt a Jove his verbis; *εὖ υἱὲ, euge fili*. Horat. Lib. 2. Od. 19.

Reparabilis.] Quæ voces pereuntes reparat repetendo.

Echo.] Dicta *ἀπὸ τοῦ ἠχεῖν, ſonare*. Fuiſſe puellam ob garrulitatem in vocem a Junone mutatam fabulantur. Quid revera ſit *Echo*, explicat diſerte Plin. Lib. 2. cap. 46. & Lib. 36. cap. 15. Lege & Ovid. Metamorphoſ. 3. cap. 5. & Auſonii Epigramma undecimum.

103 *Teſticuli.*] Metaph. paulo audacior & obſcœnior. Id eſt, ſi virilitatis antiquæ & virtutis ac diligentiæ majorum noſtrorum veſtigium aliquod in nobis supereſſet.
Horat. Epod. 15.

Si quid in Flacco viri eſt.

104 *Delumbe.*] Id eſt, ſine lumbis, & ſine viribus. Nam in illis corporis maxime robur apparet.

Summa ſaliva natat.] Ejuſmodi carmen enerve pronunciatur primoribus labris ubi plurimum ſalivæ eſſe ſolet; non autem virili quadam voce & ex imo pectore educta. Et cum blæſe, molliter, tenere pronunciarunt illi Poëtaſtri, tum ſe egregios Poetas arbitrabantur, quia forte adulatorum acclamationes ineptas audierunt.

105 *Et in udo eſt Mænas, &c.*] In udo eſſe, & ſumma ſaliva natare, idem eſſe videtur. Poteſt etiam intelligi Perſius conqueri quod Neroniana carmina perpetuo habeantur in ore adulatorum & ineptorum Romanorum; adeoque ſemper in udo ſint, & in ſaliva natent. Quod ſimplicius eſt & magis placet. De Atty, & Mænade ſeu Bacchide, Neronianis Carminibus mox dictum

Digitized by Google

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? Vide ſis, ne majorum tibi fortè
Limina frigeſcant: ſonat hîc de nare canina
Litera. Per me equidem ſint omnia protinùs alba.
Nil moror: Euge. Omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat: hîc, inquis, veto quiſquam faxit oletum.

neque percutit pulpitum, neque redolet ungues arroſos. At quorſum juvat perſtringere aures delicatas veritate irritante? Cave, ſi vis, ne fortaſſe janua potentium fiant tibi frigida: nam *illic litera de naſo canum* nimis *crepat. Per me profectò* licet, *cuncta ſunto deinceps pulcra. Non impedio, quidquam bene eſt. Omnia, omnia,* inquam, *eritis valdè admirabilia. Iſtud placet: illic, ais, prohibeo, ne ullus faciat ſtercus.*

ANNOTATIONES.

106 *Plutum.*] *Pluteus* ſignificat hîc armarium, in quo libri reponuntur. Præterea plutei militares vocantur crates quædam corio opertæ, quibus ante ſe locatis hoſtium tela arcent milites dum faciunt opus. Lipſ. Poliorcet. Lib. 1. Dialog. 7.

Nec pluteum cadit.] Tale Carmen non oſtendit percuſſum à Scriptore pluteum, & pulſatum præ indignatione, quòd animus ad votum non ſuggereret. Quin ille parùm ſollicitus fuit quàm bonos, ſed quàm multos & faciles funderet verſus, unde nec mirum ſi exſuccum, enerve, & elumbe carmen eſt, quod ſine delectu, ſine labore, ſine anxietate animi fuit compoſitum. Quintil. Lib. 10. cap. 3. citat hunc Perſii locum.

Nec demorſos ſapit ungues.] Præ anxietate animi in profunda meditatione defixi, diligenter & accuratè ſcribere volentis; non probantis omninò quæ ſcripſit, ac meliora quærentis. Quod boni Poëtæ ſolent.
Horat. Lib. 1. Sat. 10.

——— *Et in verſu faciendo*
Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

107 *Sed quid opus*, &c.] Rationes ſuas eluſas à Perſio animadvertens monitor adhibet minas, ut à ſatiricâ dicacitate eum deterreat.

Teneras auriculas.] Aures Neronis & Nobilium Romanorum reprehenſionis impatientes.

Mordaci vero.] Tuis Satiris nimiùm veracibus, quibus ſine ulla cujuſquam reverentiâ ſuos cuique etiam nolenti errores oſtendis & exprobras acriter, ſalsè, ſatiricè.

Radere.] Metaph. à Chirurgis, qui vulnera putrida cultro radunt ac purgant, & ſi opus eſt, ſecant.

109 *Limina frigeſcant.*] Time potentiores irâ offenſos habere, ut frigide te excipiant, ab amicitia excludant; vel etiam mortem inferant, quæ frigidos facit.
Horat. Sat. 1. Lib. 2.

——— *O puer, ut ſis*
Vitalis metuo, majorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Sonat hic.] In tuis Satiris nimiùm eſt acerbitatis: vel in domo Neronis ac nobilium ira & ultio frequens eſt. Hæc monitor.

De nare canina litera.] Litera canina eſt R. hanc enim canes videntur exprimere, dùm reſtrictis labiis irritatos ſe ſignificant, atque hirriunt.

110 *Per me equidem.*] Reſpondit Perſius per conceſſionem ironicam, ſi quidem ita vis, probentur omnia velut concinna, etiam quæ minime ſunt.

Alba.] Sicut nigrum pro malo, ita pro bono album ponitur. Pythagoras apud Laërtium: τὸ μὲν λευκὸν τῆς ἀγαθοῦ φύσεως, τὸ δὲ μέλαν κακοῦ.

111 *Omnes, omnes.*] Volo deinceps omnia, omnia, inquam, cum aliis admirari, ut tu facis, & jubes me tecum facere, ô monitor.

Bene miræ eritis res.] Ridicula verſûs clauſula ridiculum adulatoribus conſentiendi conſilium egregie exprimit. Juxta illud Horatii præceptum. Sat. 10. Lib. 1.

Et ſermone opus eſt modò triſti, ſæpè jocoſo:
Defendente vicem modò Rhetoris, atque Poëtæ,
Interdum urbani parcentis viribus, atque
Extenuatis eas conſultò.

112 *Hoc juvat.*] Placet tibi meum hoc propoſitum, ô monitor, benè eſt.

Hic, inquis, &c.] Hæc vel tua vel Neronis carmina ſatiricâ libertate violare prohibes; ab his abſtinendum inquis, ut à ſacro loco conſpurcando: ergo ut ſanctitatis eorum admoneat, ne ea carpere mihi forte contingat, appone nonnullas aliquas, quemadmodum in locis ſacris apta pingi ſolent dracones & ſerpentes, ſive ut Genios ſacros ac Deos Tutelares exhibeant, ſive ut terribilis illa ſpecies arceat profanos.

Pinge

Appinge binos ſerpentes. O *juvenes, ſancta eſt terra* hæc: *foras lotium mittite. Abeo.* At *Lucilius procidit civitatem*;

Pinge duos angues. Pueri, ſacer eſt locus: extra
Mejite. Diſcedo. Secuit Lucilius urbem;

ANNOTATIONES.

113 *Pinge duos angues.*] Quòd antiqui ſub ſpecie draconum & ſerpentum coluerint Deos & locorum Genios, conſtat ex Herodoto Lib. 8. qui de angue Arcis Athenarum cuſtode, Deoque Tutelari verba facit. Item Lib. 2. ait circa Thebas ſacros eſſe ſerpentes, qui mortui in Jovis æde ſepeliantur. Nota etiam eſt hiſtoria de ſerpente Epidaurio devecto Romam, & extructâ æde culto illic pro Æſculapio, de quo lege Tit. Liv. Lib. 10. Florum, Lib. 11. Pauſaniam in Corinthiacis: & alios. Virgilius autem Æneid. 5. v. 82. poſtquam ex Anchiſæ tumulo anguem exiiſſe retulit, ſubjungit de Ænea,

Incertus Geniumne loci famulumne parentis
Eſſe putet.

Propertius Lib. 4. Eleg. 8.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis.

Hinc ergo eſt quòd ſacris locis Draconum figuræ appingerentur, ut auctor eſt Turnebus Lib. 13. cap. 12. & Lib. 14. cap. 4. ubi & locum hunc Perſii affert. Cur denique ſub ſpecie ſerpentum atque draconum, locorum Genios, ac Deos, Heroaſque colerent, pingerentque, Macrob. Saturnal. Lib. 1. cap. 20. rationem videtur attingere, cùm ait, Ideò Salutis & Æſculapii ſimulacris appingi draconum figuras, quia præſtant ut humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſitâ, ad priſtinum revireſcant vigorem, ſicut revireſcunt dracones per annos ſingulos, pelle ſenectutis exutâ. Unde concludere licet, ſerpentes, eò quòd veluti quotannis juveneſcunt, immortalitatem benè ſignificare, Deos & Heroas optime deſignare ac propterea locis ſacris appingi. Plutarchus aliam affert cauſam, ſed meo judicio valdè futilem, in Vita Cleomenis ad finem, ubi narrat fixi in cruce Cleomenis corpus anguem fuiſſe circumplexum, hincque Divinitatis opinionem Regi acceſſiſſe, & Heroem habitum Cleomenem, Deorumque filium. Addit porrò hujus rei & opinionis cauſam à ſapientibus viris proditam eſſe, quod ſicut è bobus apes, ex equis fuci, ex aſinis crabrones generantur, ſic ex humanis corporibus ſerpentes enaſcantur. Denique concludit: Non ergo abs re veteres Heroibus dracones conſecrâſſe. Dracones divino cultu honoratos affirmant porrò Ælianus Lib. 2. de animal. cap. 2, 16, 17. & Plutarch. Lib. de Iſide & Oſiride.

Pueri, ſacer eſt locus.] Adde etiam hoc interdictum, quo pueri deterreantur à polluendo ſordibus loco; neve illic mejant: quod grande erat nefas.

Horat. in Arte:

Minxerit in patrios cineres.

Vide quæ Sueton. de Nerone lotio contaminante Deæ ſimulacrum. Sed & urinam facere ad ſtatuas Principum, capitale fuiſſe, docet Ælius Spartianus in Antonino Caracalla; ubi ſic refert: *Damnati ſunt eo tempore qui urinam eo loco fecerant, in quo erant imagines Principis*, &c.

Extra Mejite.] Metaphoricè ſignificat: ô Poëtæ Satirici, cenſuram veſtram aliò transferte quolibet, modò ab his abſtineatis.

114 *Diſcedo.*] Siquidem his parcendum, quæ ſunt maximè reprehenſione digna, inquit Perſius, hinc mihi demigrandum. Abeo itaque; vix enim mihi temperarem (ut initio monui petulantem mihi lienem eſſe) quin ſatiricâ libertate uterer in his perinde ac in cæteris.

Secuit Lucilius.] Seipſum redarguit Perſius Eccur verò diſcedam? Quid verebor facere quod ante me alii impunè fecerunt?

Lucilius.] C. Lucilius primus apud Romanos Satiras ſcripſit. Ac ſicut Lucilium Horatius, Horatium Perſius, alios omnes Juvenalis imitatus eſt; ſic Lucilius ſecutus fuerat Ennium & Accium.

Horat. Lib. 1. Sat. 10.

Nil comis Tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet verſus Enni gravitate minores?

Coævum fuiſſe Scipiano Africano teſtatur idem Horat. Lib. 2. Sat. 1. ubi & alibi paſſim in Sermonibus Lucilium carpit mordicùs, quanquàm magno aliis in pretio fuiſſe refertur; nec ſuam ipſi laudem detrahit Quintil. Lib. 10. Natus nobili loco ex Aurunca Auſoniæ urbe, anno uno antequam veniret Carthago in Romanorum poteſtatem. Scripſiſſe dicitur Satirarum libros pluſquàm triginta: ac pervenerunt ad nos fragmenta tantùm aliquot.

Urbem.] Romam & potentiſſimos Romanorum acerrimè inſectatus.

Horat. Lib. 1. Sat. 10.

Sale multo urbem defricuit.

& Lib. 2. Sat. 1.

Primores populi arripuit populumque tributim.

Juvenal. Sat. 1.

Enſe velut ſtricto quoties Lucilius ardens
Infremuit?

Te,

Digitized by Google

Te, Lupe; te, Muti; & genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit: & admiſſus circùm præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.
Men' mutire nefas, nec clàm, nec cum ſcrobe?
Nuſquam.

te, ô Lupe; & te, ô Muti; & in iſtis rupit dentem intimum. Horatius ſolers pariter *carpit quem libet errorem* apud *familiarem deridentem; & exceptus circa cor, colludit, peritus ſubſannare populum naribus ſuccuſſis. An mihi non licebit hiſcere, ne quidem ſecreto, ne quidem cum fovea? Nullatenus* licet.

ANNOTATIONES.

115 *Te, Lupe; te, Muti.*] Nominatim etiam carpere auſus eſt inter alios, nobiles viros, Pub. Rutilium Lupum Conſulem, & Titum Mutium Albutium valdè potentem virum, his quidem verſibus, quos etiam Cicero affert Lib. 1. de Finibus.

Græcum te, Albuti, quàm Romanum atque Sabinum
Municipem Ponti, tutamen Centurionum,
Præclarorum hominum ac primorum, ſigniferumque
Maluiſti dici: Græcè ergo Prætor Athenis
Id quod maluiſti, te cum ad me accedis, ſaluto.
Χαῖρε, inquam, Tite: Lictores, turma omnis, cohorſque,
Χαῖρε Tite: hinc hoſtis mi Albutius, hinc inimicus.

Et paulò poſt.

——— Tubulus, ſi Lucius inquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius.

Genuinum.] Genuini vocantur dentium poſtremi, iidemque validiſſimi. Plin. Lib. 11. cap. 37. Feſtus, Lib. 7. vult ità dictos, quòd à genis dependeant.

Fregit.] Nam omnem dicacitatem conſumpſit carpendis eorum vitiis.

116 *Ridenti.*] Non indignanti, vel etiam libenter audienti, quia callide & feſtivè mordebat Horatius.

Amico.] Vel cuicumque ſuo familiari, vel ipſi Mecænati, cui nec peperciſſe fertur. Certè illum videtur perſtrinxiſſe Sat. 1. Lib. 1. ubi ait:

Simplicior ſi quis, qualem me ſæpè libenter
Obtulerim tibi, Mecænas, ut fortè legentem
Aut tacitum impellat quovis ſermone moleſtus;
Communi ſenſu planè caret, inquimus: eheu
Quàm temerè in noſmet legem ſancimus iniquam!
Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis urgetur.

Attamen cùm Perſius dicat omne vitium tangi ab Horatio, & paulò poſt populum excuſſo naſo ſuſpendi: malim interpretari ſic: omne cujuſcunque vitium Horatius vafer tangit & ſolerter coarguit apud amicum ridentem, cùm Satiras ſuas tam feſtivas ei recitat.

117 *Et admiſſus circum præcordia,* &c.] Ab amicis benè exceptus pergit eò libentius ſcribere & recitare Satiras. Hic nonnulli ſubtiliores ſenſus rimantur, & Perſio attribuunt quod nunquam cogitavit: nimirum ill[illegible], leviora primum vitia carpit Mecænatis Horatius, inquiunt, & cùm ſe placuiſſe ob ſolertes jocos & feſtivam dicacitatem animadvertit, tum pluſculum audet, & occultiora interioraque facinora non veretur arguere. Hoc ſcilicet eſt ludere circa præcordia? Verum uno ictu jugulat illos interpretes quod ſtatim dicit Perſius, omne vitium reprehendi. Non igitur minora primò, deinde graviora.

Ludit.] Nemini parcit, vitioſis ſua oſtendit vitia & culpat ille, nec tamen culpando offendit, adeò vafer eſt & callidus, ut ludendo jocandoque animi vulnera premat & curet.

118 *Excuſſo populum,* &c.] Explicant quidam porrecto & hilari, ut minùs acerbus videatur etiam cum mordet; ſed malim ſimplicius interpretari, ſuccuſſo, quod & vox, *ſuſpendere,* poſtulat. Certe cum ridemus aliquem, caput excutimus: & cum alicui inſultamus acriter, acceptum etiam naſum ſuccutimus: Erit igitur facilis & prona interpretatio, ſive referas ad eum qui deridet, ſive ad eum qui deridetur.

119 *Men' mutire nefas.*] Mihine ſoli nefas loqui & carpere pravos hominum mores?

Nec clam.] Quandoquidem etiam palam id facere licuit aliis, Lucilio, Horatio: annon ſaltem inter familiares fas mihi erit in vitia & errores ſtylum ſtringere?

Nec cum ſcrobe?] Alludit ad fabulam de Mida, cui cum aſininas eſſe aures tonſor vidiſſet, nec palam evulgare auderet, prurienti linguæ ut ſatisfaceret aliquatenus, terram effodit, & ſcrobi factæ inſuſurravit id quod viderat. Lege Ovid. Metamorph. Lib. 11. cap. 4. & 5.

Nuſquam.] Ne quaquam licet, ait monitor.

Digitized by Google

Hîc tamen infodiam: Vidi, vidi ipſe, libelle.
Auriculas aſini quis non habet? Hoc ego opertum, 121
Hoc ridere meum, tam nil, nullâ tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum ſene palles,

Attamen iſtic veluti *ſcrobem faciam:* & inſuſurrabo; ô *liber, aſpexi, egomet aſpexi. Eccui non ſunt aures aſininæ? Ego iſtud occultum, meam ipſam deriſionem, adeò parvi pretii* licet eſt, *non vendo tibi ullo carmine de Ilio. Quiſquis imbutus es Cratino petulanti,* quiſquis *iracundum Eupolidem cum vetulo grandævo* legens, *pallidus ſis,*

ANNOTATIONES.

120 *Hic tamen infodiam.*] Mihi verò temperare non poſſum, inquit Perſius; quoquo modo ſedandus eſt ſtyli pruritus. Ergo, ut Midæ tonſor effoſæ terræ, ſic ego libello huic meo loquar, inſcribam, & animi ſenſa committam: non temere quidem protrudam in lucem quod ſcripſero, ſed ſcribam ſaltem, & ſcriptum velut infodiam & celabo apud me & apud paucos amicos, ut aliquando etiam poſteri legant.

Vidi, vidi ipſe.] Erumpit indignatio mea: jam dico id quod vidi non ferendum: ô libelle, ego ipſe vidi, nec ſemel vidi fatuum Neronis de carminibus judicium, ſtultamque nobilium Romanorum vel ignorantiam vel adulationem.

121 *Auriculas aſini*, &c.] Dicitur Perſius ſcripſiſſe: *Auriculas aſini, Mida rex habet:* correxiſſe autem Annæus Cornutus, Perſii Præceptor: *quis non habet?* ne ſe notatum Nero nimis apertè intelligeret. Caſaubonus, Lubinus & alii. Contrà nonnulli pugnant: non minùs apertè videri notatum fuiſſe Neronem afferendo vulgata ab eo ſcripta. *Torva Mimalloneis*, &, *Berecynthius Attin:* unde contendunt hæc non fuiſſe ipſius Neronis, ut ſuo loco diximus. Cæterùm ſenſus eſt: quis non tam ineptè judicat de Carminibus, quàm Midas de cantu, cui propterea in ludibrium aſininas aures affixit Apollo.

Hoc ego opertum.] Meam hanc deriſionem licet occultam tam parvi, imò nihil à te, ô monitor, & ab aliis fortè æſtimandam, ego tamen tanti facio, ut pluris æſtimem quàm Homeri Iliadem, vel potiùs quàm Actii Labeonis Latinam Iliada, quamvis Neroni plurimum probatam, Suprà, v. 4.

122 *Nullâ tibi vendo Iliade.*] Id eſt, non commutarem pro Iliade, ut mox dixi.

123 *Quicumque afflate.*] Quæſiverat initio monitor, quis leget hæc? Et reſpondet hîc tandem Perſius quales velit habere lectores Satirarum ſuarum: Nempe quiſquis aſſuetus erit legendis carminibus Cratini, Eupolidis, Ariſtophanis, qui Græcorum vitia mordicùs carpsêre, is etiam libenter leget hæc mea carmina, inquit.

Afflate.] Metaphora eſt vel à floribus odoriferis: vel, à Pythia, quæ velut Numine Apollinis inſeſſa, afflata, illuſtrata vaticinabatur.

Audaci Cratino.] Proprium eſt valdè hominis illius epithetum, quippe qui cum omni libertate Græcos exagitaret, nec quemquam vitioſum Athenis latere ſinebat, quin ſtatim eum in Scenam omni populo deridendum produceret, ſcilicet in veteri Comœdia.

Cratino.] *Cratinus* Eupolide & Ariſtophane antiquior, natus Athenis dicitur, & floruiſſe paulò ante bellum Peloponeſiacum: vixiſſe ad annum centeſimum ætatis, & fuiſſe omnium Poëtarum maledicentiſſimus.

124 *Eupolidem.*] Is cum verſibus laceràſſet Alcibiadem, in mare ab eo præcipitatus eſt. Tull. Epiſtola 1. Lib. 6. ad Attic. *Quis non dixit Eupolim ab Alcibiade navigante in Siciliam dejectum eſſe in mare?*

Iratum.] Infenſum perpetuò Athenienſium vitiis.

Prægrandi cum ſene.] Ariſtophanes vulgo intelligitur, qui ſeu ob ætatem, ſeu ob ſtyli gravitatem prægrandis vocatur. Certè hunc cum duobus prædictis pariter conjungit Horatius initio Sat. 4. Lib. 1.

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poëta, &c.

Treſque hos veteris Comœdiæ ſcribendæ Principes imitatum fuiſſe Lucilium, ait eo loci. Porrò non conſtat fueritne Ariſtophanes Athenienſis, an Rhodius, an Ægyptius, an aliunde oriundus. Vixit temrore Euripidis, & flagrante maximè bello Peloponeſiaco; Cratino poſterior extitit: Athenienſium nobiliſſimum quemque acriter inſectatus, mirè tamen ab ipſis Athenienſibus acceptus laudatuſque eſt. De illis Plato ait, Gratias templum ubique quærentes, hoc tandem ſibi ſtatuiſſe in corde Ariſtophanis. Scripſiſſe fertur Comœdias plus quinquaginta, è quibus ſuperſunt nobis integræ dumtaxat undecim. De Cratino, Eupolide, & Ariſtophane, vide Athenæum Lib. 1. & alibi: Euſebium in Chronico; & Quintil. Lib. 10. ubi de legendis formando oratori Poëtis ſic habet: *Poſt Homerum, Ariſtophanes, Eupolis, Cratinuſque præcipui.*

Palles.] Vel, uſque ad pallorem formidas, ob ſtyli acerbitatem: vel, quem legendo pallorem contraxiſti.

Aſpice

Digitized by Google

Aſpice & hæc, ſi fortè aliquid decoctius audis.
Inde vaporatâ lector mihi ferveat aure:
Non hic qui in crepidas Grajorum ludere geſtit
Sordidus, & luſco qui poſcit dicere, luſce,
Seſe aliquem credens; Italo quòd honore ſupinus,
Fregerit heminas Aretî Ædilis iniquas:

tu iſta etiam vide, ſi fortaſſe auſcultas quidpiam perfectius! Hinc calefacta auricula erga me inardeſcit lector: non autem *ille qui impurus gaudet irridere calceos Græcorum, & qui coclite aptas dicere, ô cocles, ſeipſum æſtimans aliquem; quia Ædilitatem gerens Aretii, ſuperbiens ob Magiſtratum in Italia, ruperit dimidios ſextarios non juſtæ magnitudinis.*

ANNOTATIONES.

125 *Si fortè aliquid.*] Vel refer ad Perſium de ſe ſuiſque verſibus modeſtè ſentientem & loquentem: vel refer ad Lectorem, ut ſenſus ſit: ſiquidem tu melius quidpiam reperis in meis Satiris, ſi quid perfectius audis & audire cupis, quàm ſint ea ſeu Neronis, ſeu aliorum carmina, quæ velut cruda, affectata, & inconcinna reprehendi.

Decoctius.] Maturiori judicio, & longiori arte ac ſtudio elaboratum. Metaph. vel à vino quod ad dulcedinem coquitur; vel à liquoribus, qui recocti bulliendo ad tertiam & quartam partem multo plus habent virium. Sic Virgilius fertur mane ſolitus condere verſus quinquagenos, pluresve, quos veſperi ad denos aut circiter redigebat, Quintil. Lib. 11. cap. 4. *Materiam volo primum,* inquit, *ex vel abundantiorem, vel ultra quam oporteat fuſam: multam inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid vel ipſo uſu deteretur.*

126 *Inde vaporata.*] Ex lectione ſupradictorum Poëtarum mens lectoris excitata & inflammata ad meas deinde legendas Satiras proclivis & fervida fiat.

Virgil. Æneid. 11.

Et templum thure vaporant.

127 *Non hic.*] Ne is mihi lector contingat, qui cum animi vitia in Philoſophis & doctis nulla deprehendat arguenda, externum eorum habitum ſaltem irridere amat & delectatur.

Crepidas.] Gellius Lib. 13. cap. 20. ait crepidas à Romanis ſoleas dici, & ſoleatum incedere velut turpe crimen objici ſolitum.

Et Horat. Lib. 1. Sat. 5.

Sapiens crepidas ſibi nunquam, nec ſoleas fecit.

Propriè crepida eſt calceamentum Tuſcum ad pedes corrigiis ſubligatum, quod Philoſophorum etiam proprium fuiſſe, teſtis idem Gellius.

Qui in crepidas Graiorum ludere geſtit.] Per eos qui Græcorum crepidas irrident, intelligunt vulgò eos homines, qui Philoſophorum ſtudia atque inſtituta negligunt, & qui Græcorum elegantiam contemnunt: quod confirmare videtur vox ſequens, *ſordidus.* Malim ego cum quibuſdam interpretari de Nerone, quem (ut ait Sueton. in Nerone cap. 52.) mater â Philoſophiâ avertit, monens imperaturo contrariam eſſe. Tullius autem 2. de Orat. & alibi, ſatis innuit Romanis odioſos fuiſſe Philoſophos, fortaſſe vel ob hoc quòd opum ſuadebant contemptum, quas avidè ſectabantur illi. Vide Sat. 5. v. ultimo.

128 *Sordidus.*] Vel per ſordes avaritiam Romanorum notat Perſius, vel neglectum cultûs exterioris, quem nonnulli Romæ affectabant, ut inde præferrent militare robur: quòd iterùm Perſius noſter damnat, Sat. 3. ubi vocat eos hirtoſam gentem Centurionum. Vel, ſi mavis, intellige plebis ignorantiam, quam hìc opponat Philoſophorum doctrinæ & eruditione, quæ imperitis ludibrio habetur.

Et luſco qui poſcit, &c.] Apage etiam cachinnones illos fatuos, qui naturalia vitia exprobrant, quæ tamen nemini probro eſſe debent. Luſcus porrò ſignificat eum cui imbecilla eſt oculorum acies; ponitur & pro coclite, eo nempe qui altero eſt oculo captus. Alii legunt *poſſit.*

129 *Seſe aliquem credens.*] Aliquo ſemet honore dignum æſtimans. Legunt alii, *ſeſe aliquid credens:* quod perinde elegans eſt, & idem ſonat.

Italo quod honore.] Eò quòd functus fuerit aliquo Magiſtratu infimo, nimirum Ædilatu, in quodam è municipiis Italiæ.

Supinus.] Superbia elatus & ſui factus immemor ob honorem illum. *Supinus* proprie is dicitur, qui dorſo incumbens cœlum aſpicit. Unde nonnulli interpretantur, otioſe, molliter, & delicate vivens: ſed minus arridet.

130 *Fregerit heminas.*] Ædiles menſuris præerant, & iniquas frangebant. Tull. 2. de Legibus, Juvenal. Sat. 10. v. 102. Turneb. Lib. 29. cap. 20.

Heminas.] *Hemina* eſt menſuræ genus dimidium ſextarii continens. Ponitur hìc pro qualibet menſurâ. Plin. Lib. 21. cap. ultimo, heminæ mentionem facit.

Aretî.] *Aretium,* nunc *Arezzo,* Etruriæ oppidum vaſis fictilibus quondam celebre.

Ne etiam legat me, *qui aſtutus novit deridere notas numerales* Arithmeticorum ſuper *tabella* exaratas, *&* *lineas* Geometrarum deſcriptas *in arena ſulcata*: cæterùm *proclivis* eſt *ad lætandum valde, ſi* quando *meretrix laſciva barbam vellicet Cynico. Iſtis matutino tempore decretum, poſt prandium* vero *Callirhoën concedo.*

Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer: multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His manè edictum, poſt prandia Callirhoën do.

ANNOTATIONES.

Martial. Lib. 14. Epigram. 98.

Aretina nimis ne ſpernas vaſa monemus,
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Sunt qui legant, *Eretis*, quod oppidum eſt Sabinorum.

131 *Nec qui abaco.*] Nec denique eum volo lectorem, qui doctas artes aſpernatur, v. g. deſcriptos in abaco numeros ab Arithmeticis: figuras Mathematicas, & alias liberales eruditaſque diſciplinas. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 7. cap. 30.

Et ſecto in pulvere metas.] Mathematici pulverem humi ſpargebant, & in eo pulvere figuras deſcribebant radio. In ea occupatione intentus Archimedes captis Syracuſis miſere occiſus eſt à Romano milite. Tit. Liv. Lib. 25. Plutarchus refert Dionyſii Regiam pulverulentam fuiſſe, ob eorum multitudinem, qui Geometricas in pulvere figuras delineabant.

Metas.] Lineas, quæ ſunt velut metæ & fines, quibus componitur quælibet figura, ac terminatur. Exarantur autem illæ figuræ, ac lineæ in pulvere, ut ſi quid rectum non eſt, facilè corrigatur.

132 *Multum gaudere paratus.*] In eo tantùm navus & vafer, ut derideat eruditorum ſerias occupationes: quique gaudet philoſophos ludibrio haberi.

133 *Cynico.*] Pro quibuslibet Philoſophis nominat Cynicos Perſius. Porrò ſecta illa valdè erat odioſa ob mordacitatem, ob quam Cynici dicti ſunt illi. Laërtius de Diogene refert, quòd interrogatus quare canis appellaretur, reſpondit: *quia in eos qui dant, blandior ſum: in eos qui non dant, oblatro; malos autem mordeo.* Alii ab obſcœnitate Cynicos volunt nomen habuiſſe. Vide Laert. Lib. 6.

Barbam.] Atrox erat injuria & ludibrium barbam vellere alicui tanquam fatuo nimirùm & ſtolido. Horat. Lib. 1. Sat. 3. ſub finem. Porrò Philoſophi barbam promiſſam alere affectabant: hincque ſapientem barbam vocat Horatius. Vid. infrà Sat. 4. v. 1.

Vellat.] Ut Laïs Diogeni, qui meretricem hanc amavit, ut teſtatur Athen. Lib. 13.

Nonaria.] Meretrix juvenibus pernicioſa, ut quidam volunt, ſic dicta à Nonis, quæ inter infauſtos dies cenſebantur. Macrob. Lib. 1. vel potiùs, quæ proſtat ab hora nona, & à prandio, cùm jam negotiis homines ſunt minùs occupati.

134 *His.*] Talibus hominibus impolitis & ineptis, artium liberalium ac ſcientiarum incapacibus, mando & indulgeo occupationes dignas ſe, nempè quæſtum & voluptates.

Manè edictum.] Forum mane petant, ubi Prætoris edicta excipiant, vacent avaritiæ & fœnori exigendo.

Poſt prandia.] Poſt forum prandeant: ac deinde per diem reliquum indulgeant voluptati. Ea eſt plebi imperitæ accommodata vivendi ratio.

Callirhoen.] Vel ſcortum aliquod famoſum: vel ſcenicos ludos, & fabulam de Callirhoe hunc temporis exhibere ſolitam; vel natationem & deambulationem ad fontem iſtius nominis in Attica. Contendit Marcilius referendum eſſe ad Neronem, qui popellum edicto vocaret, & cantaturum ſe Callirhoen promitteret: ut ſit Perſii ſenſus: tales ego auditores hinc à meis Satiris ablego ad audienda Neronis inepta carmina, ſuamque Interpres ille fulſit opinionem ex eò quod Neronem in hac Satira Perſius præcipuè ſpectet.

Digitized by Google

SATIRA II.

HUNC, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poſcis emaci,

O Macrine, recenſe optimo calculo diem iſtum, qui fauſtus addit tibi annos fugaces. Effunde vinum Genio. Tu voto pactitio non petis res,

ANNOTATIONES.

1 M*Acrine.*] Intelligunt nonnulli Minutium Macrinum Brixianum, de quo mentionem facit Plinius perhonorificam Lib. 1. Epiſt. 14. Verùm doctiſſimo cuique videtur fuiſſe potiùs Plotius quidam Macrinus, quem Perſii condiſcipulum exiſtimat etiam fuiſſe Caſaubonus. Favet certè vetus Scholiaſtes, qui ſic habet in huncce locum: alloquitur Plotium Macrinum homine ſanè eruditum & paterno ſe affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, à quo agellum comparaverat, indulto ſibi pretio aliquanto.

Hunc diem numera.] Inter fauſtos dies computa diem hunc, qui natalis eſt, & quo propterea libellum hunc ſeu Satiram dono tibi mitto. Scilicet mos erat apud véteres natali amicorum die munuſculo eos aliquo afficere: & Poëtæ quidem doctique opuſcula ſua deferebant. Quod hìc Perſius erga Macrinum.

Meliore Lapillo.] Candido nempè, quo res lætæ notabantur, ſicut atro res mœſtæ & infelices. Martial. Epigram. 53. Lib. 9.

Felix utraque lux, dieſque nobis
Signandi melioribus lapillis.

Perſ. Sat. 5.

Illa prius cretâ, mox hac carbone notâſti,

Secutus Horatium Lib. 2. Sat. 3.

Cretâ an carbone notandi?

Cæterùm mos ille fortunatos dies albis calculis, infelices nigris numerandi, viguiſſe apud Thracas primùm, auctor eſt Plin. Lib. 7. cap. 40. At quod aliqui addunt hinc tranſiſſe ad Cretenſes, non ita compertum: imò jugulat eos ille ipſe, quo uno freti id affirmant, Horatii locus Lib. 1. Ode 36. *Creſſâ ne careat pulchra dies notâ.* Ubi certè album lapillum è Creta venientem expreſsè deſignat: alioquin parùm diſtingueret lætam notam à triſti, ſi Cretenſes perinde ac alii candidis fauſtos, dies infauſtos nigris lapillis notare conſueviſſent. Unde etiam patet, quàm longè aberrent, qui citato Horatii locò legunt, *Threſſâ*, pro *Creſſâ*.

2 *Qui tibi labentes,* &c.] Qui ævum quod quotidie elabitur, tibi producit, novum annum tibi dando & auſpicando.

Candidus.] Bonus, propitius; ut explicui Sat. 1.

3 *Funde merum Genio*] Hor. Ep. 1. Lib. 2.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant;
Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.

Tibull. Lib. 2. Eleg. 4. de Genio ait.

Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Ubi obſervandum eſt cæteris quidem diebus Genio litatum olim fuiſſe cæsâ victimâ, ut patet ex Horat. Lib. 3. Ode 17.

Cras Genium mero
Curabis, & porco bimeſtri
Cum famulis operum ſolutis.

Illud autem nunquam fiebat die natali, eò quòd nollent vitam adimere eo die quo lucem acceperant: ſed litabant vino, floribus, &c. ut citati mox loci innuunt: ſive quia vinum hilaritatis ſymbolum & cauſa eſt; ſive quia per flores vitæ quidem amœnitas ſimul & brevitas ſignificabatur, juxta illud Horatii citatum, *memorem brevis ævi.* Vide Cenſorinum.

Genio.] Id eſt, in honorem Genii, qui Deus erat, ſub cujus tutela naſci quemlibet & vivere antiqui credebant, quem propterea quotannis colebant die natali.

Non tu prece, &c.] O Macrine optime, non perinde ac avari injuſta vota Diis nuncupas.

Emaci.] Impudenter & impiè cum Diis ita paciſcendo: ſiquidem hoc vel illud mihi largimini, hæc & illa dona rependam ego vobis. Plato in Eutyphrone ait, quorundam petentium religionem videri mutuam *Deos inter* & homines nundinationem. Petronius de illis: *Statim*, inquit, *antequam limen Capitolii tangant, alius donum promittit, ſi propinquum divitem extulerit; alius ſi theſaurum effoderit,* &c.

Digitized by Google

Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,
Evion, ingeminat: reparabilis adſonat Echo.
Hæc fierent, ſi teſticuli vena ulla paterni
Viveret in nobis? Summa delumbe ſaliva
Hoc natat in labris; & in udo eſt Mænas, &
Attys:

& mox Agave ereptura caput ablatum buculo petulanti, & Mænas lyncem incurvatura hederarum nexis, ſæpius clamat evoe: reſonat Echo repetens voces. An talia carmina *conderentur, ſi in nobis vigeret pars aliqua virtutis majorum? Illud* nihilominus carmen *enerve fluit in labellis extrema ſaliva; & Mænas & Attys in humido eſt:*

ANNOTATIONES.

eſſe, ſed a Perſio ad ſimilitudinem Neronianorum conſictos, ut dicemus infra v. 121. ad hæc verba: *Auriculas aſini quis non habet?*

Torva.] Vel a terrendo quaſi *terva*; vel *torta* a torquendo, id eſt, inflexa.

Mimalloneis.] Mimas, antis, Ioniæ mons, in quo Orgia Baccho celebrabantur. Hinc Bacchantes dictæ Mimallones.

Implerunt cornua.] Vento inflarunt, & cecinerunt. Id eſt, ſtatim atque ſignum datum eſt Bacchantibus per tubas.

Bombis.] Vox ad imitationem ſoni facta. Proprie *bombus* eſt ille ſonus quem edunt apes.

100 *Vitulo.*] Pentheo, quem vitulum eſſe crediderunt furentes illæ mulieres, ipſaque Agave ejus mater. Horat. Lib. 2. Sat. 3. At Ovid. Metamorphoſ. 3. aprum illis viſum, ait, remque totam eleganter deſcribit.

Superbo.] Contemptori Orgiorum & Sacrorum Bacchi. Metamorphoſ. 13. Bacchanalium Romæ originem, & abrogationem lege, ſi vis, apud Tit. Liv. Lib. 39. cap. 8. & ſequentibus.

Caput ablatura.] Agave Bacchi Sacerdos cæteris Bacchantibus adjuta mortem intulit proprio filio Pentheo, eo quo non licebat accedenti; eique prima omnium caput ademit Bacchico furore percita.

101 *Baſſaris.*] Agave ita cognominata, ſicut & aliæ Bacchi ſacrificulæ, a Baſſara Libyæ loco, ubi colebatur Bacchus, ut vult Acron; vel a *Baſſari* veſte talari, qua ille induebatur. Non placet etymologia ἀπὸ τῶν βήσσων a vallibus & ſaltibus in quibus bacchabantur; nec ἀπὸ τῦ βάζειν, quod eſt loqui ſeu vociferari.

Lyncem.] *Lynces* currum Bacchi trahunt, ſicut & tigres, maculoſa animalia, & varias vini affectus apprime ſignificantia. De iſtis vide Plin. Lib. 8. de tigride, cap. 18. de lynce, cap. 38.

Mænas.] Ἀπὸ τῦ μαίνεσθαι, quod eſt furere, Mænades appellatæ ſunt Bacchantes.

Corymbis.] *Corymbus* eſt hederæ fructus. Hic intellige vel virgam e thyrſo, vel frænum hederis intortis ornatum. Hederæ vero Baccho ſacræ, quia revertens ab India victor his ſeſe coronavit.

102 *Evion.*] *Evios* dicitur Bacchus vel a voce Bacchantium εὐοῖ: vel quod ob res adverſus Gigantes fortiter geſtas, laudatus eſt a Jove his verbis; εὖ υἱὲ, *euge fili*. Horat. Lib. 2. Od. 19.

Reparabilis.] Quæ voces pereuntes reparat repetendo.

Echo.] Dicta ἀπὸ τῦ ἠχεῖν, *ſonare*. Fuiſſe puellam ob garrulitatem in vocem a *Junone* mutatam fabulantur. Quid revera ſit *Echo*, explicat diſerte Plin. Lib. 2. cap. 46. & Lib. 36. cap. 15. Lege & Ovid. Metamorphoſ. 3. *cap.* 5. & Auſonii Epigramma undecimum.

103 *Teſticuli.*] Metaph. paulo audacior & obſcœnior. Id eſt, ſi virilitatis antiquæ & virtutis ac diligentiæ majorum noſtrorum veſtigium aliquod in nobis ſupereſſet.

Horat. Epod. 15.

Si quid in Flacco viri eſt.

104 *Delumbe.*] Id eſt, ſine lumbis, & ſine viribus. Nam in illis corporis maxime robur apparet.

Summa ſaliva natat.] Ejuſmodi carmen enerve pronunciatur primoribus labris ubi plurimum ſalivæ eſſe ſolet; non autem virili quadam voce & ex imo pectore educta. *Et cum* blæſe, molliter, tenere pronunciarunt illi Poëtaſtri, tum ſe egregios Poetas arbitrabantur, quia forte adulatorum acclamationes ineptas audierunt.

105 *Et in udo eſt Mænas, &c.*] In udo eſſe, & ſumma ſaliva natare, idem eſſe videtur. Poteſt etiam intelligi Perſius conqueri quod Neroniana carmina perpetuo habeantur in *ore* adulatorum & ineptorum Romanorum; adeoque ſemper in udo ſint, & in ſaliva natent. Quod ſimplicius eſt & magis placet. De *Atty*, & Mænade ſeu Bacchide, Neronianis Carminibus mox dictum

Nec

Digitized by Google

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? Vide ſis, ne majorum tibi fortè
Limina frigeſcant: ſonat hîc de nare canina
Litera. Per me equidem ſint omnia protinùs alba.
Nil moror: Euge. Omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat: hîc, inquis, veto quiſquam faxit oletum.

neque percutit pulpitum, neque redolet ungues arroſos. At quorſum juvat perſtringere aures delicatas veritate irritante? Cave, ſi vis, ne fortaſſe januæ potentium fiant tibi frigidæ: nam *illìc litera de naſo canum* nimis *crepat. Per me profectò* licet, *cuncta ſunto deinceps pulcra. Non impedio, quidquam bene eſt. Omnia, omnia,* inquam, *eritis valdè admiralilia. Iſtud placet: illic, ais, prohibeo, ne ullus faciat ſtercus.*

ANNOTATIONES.

106 *Plutum.*] *Pluteus* ſignificat hîc armarium, in quo libri reponuntur. Prætereà plutei militares vocantur crates quædam corio opertæ, quibus ante ſe locatis hoſtium tela arcent milites dum faciunt opus. Lipſ. Poliorcet. Lib. 1. Dialog. 7.

Nec pluteum cædit.] Tale Carmen non oſtendit percuſſum à Scriptore pluteum, & pulſatum præ indignatione, quòd animus ad votum non ſuggereret. Quin ille parùm ſollicitus fuit quàm bonos, ſed quàm multos & faciles funderet verſus, unde nec mirum ſi exſuccum, enerve, & elumbe carmen eſt, quod ſine delectu, ſine labore, ſine anxietate animi fuit compoſitum. Quintil. Lib. 10. cap. 3. citat hunc Perſii locum.

Nec demorſos ſapit ungues.] Præ anxietate animi in profunda meditatione defixi, diligenter & accuratè ſcribere volentis; non probantis omninò quæ ſcripſit, ac meliora quærentis. Quod boni Poëtæ ſolent.
Horat. Lib. 1. Sat. 10.

——————— *Et in verſu faciendo*
Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

807 *Sed quid opus,* &c.] Rationes ſuas eluſas à Perſio animadvertens monitor adhibet minas, ut à ſatiricâ dicacitate eum deterreat.

Teneras auriculas.] Aures Neronis & Nobilium Romanorum reprehenſionis impatientes.

Mordaci vero.] Tuis Satiris nimiùm veracibus, quibus ſine ulla cujuſquam reverentiâ ſuos cuique etiam nolenti errores oſtendis & exprobras acriter, ſalsè, ſatiricè.

Radere.] Metaph. à Chirurgis, qui vulnera putrida cultro radunt ac purgant, & ſi opus eſt, ſecant.

109 *Limina frigeſcant.*] Time potentiores irâ offenſos habere, ut frigide te excipiant, ab amicitia excludant; vel etiam mortem inferant, quæ frigidos facit.
Horat. Sat. 1. Lib. 2.

——————————— *O puer, ut ſis*
Vitalis metuo, majorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Sonat hic.] In tuis Satiris nimiùm eſt acerbitatis: vel in domo Neronis ac nobilium ira & ultio frequens eſt. Hæc monitor.

De nare canina litera.] Litera canina eſt R. hanc enim canes videntur exprimere, dùm reſtrictis labiis irritatos ſe ſignificant, atque hirriunt.

110 *Per me equidem.*] Reſpondit Perſius per conceſſionem ironicam, ſi quidem ita vis, probentur omnia velut concinna, etiam quæ minime ſunt.

Alba.] Sicut nigrum pro malo, ita pro bono album ponitur. Pythagoras apud Laërtium: *τὸ μὲν λευκὸν τῆς ἀγαθοῦ φύσεως, τὸ δὲ μέλαν κακοῦ.*

111 *Omnes, omnes.*] Volo deinceps omnia, omnia, inquam, cum aliis admirari, ut tu facis, & jubes me tecum facere, ô monitor.

Bene mira eritis res.] Ridicula verſûs clauſula ridiculum adulatoribus conſentiendi conſilium egregie exprimit. Juxta illud Horatii præceptum. Sat. 10. Lib. 1.

Et ſermone opus eſt modò triſti, ſæpè jocoſo:
Defendente vicem modò Rhetoris, atque Poëtæ,
Interdum urbani parcentis viribus, atque
Extenuatis eas conſultò.

112 *Hoc juvat.*] Placet tibi meum hoc propoſitum, ô monitor, benè eſt.

Hic, inquis, &c.] Hæc vel tua vel Neronis carmina ſatiricâ libertate violare prohibes; ab his abſtinendum inquis, ut à ſacro loco conſpurcando: ergo ut ſanctitatis eorum admoneat, ne ea carpere mihi forte contingat, appone notas aliquas, quemadmodum in locis ſacris aptas pingi ſolent dracones & ſerpentes, ſive ut Genios ſacros ac Deos Tutelares exhibeant, ſive ut terribilis illa ſpecies arceat profanos.

Appinge binos ſerpentes. O *juvenes, ſancta eſt terra* hæc: *foras lotium mittite.* *Abeo.* At *Lucilius procidit civitatem*;

Pinge duos angues. Pueri, ſacer eſt locus: extra
Mejite. Diſcedo. Secuit Lucilius urbem;

ANNOTATIONES.

113 *Pinge duos angues.*] Quòd antiqui ſub ſpecie draconum & ſerpentum coluerint Deos & locorum Genios, conſtat ex Herodoto Lib. 8. qui de angue Arcis Athenarum cuſtode, Deoque Tutelari verba facit. Item Lib. 2. ait circa Thebas ſacros eſſe ſerpentes, qui mortui in Jovis æde ſepeliantur. Nota etiam eſt hiſtoria de ſerpente Epidaurio devecto Romam, & extructâ æde culto illic pro Æſculapio, de quo lege Tit. Liv. Lib. 10. Florum, Lib. 11. Pauſaniam in Corinthiacis: & alios. Virgilius autem Æneid. 5. v. 82. poſtquam ex Anchiſæ tumulo anguem exiiſſe retulit, ſubjungit de Ænea,

Incertus Geniumne loci famulumne parentis
Eſſe putet.

Propertius Lib. 4. Eleg. 8.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis.

Hinc ergo eſt quòd ſacris locis Draconum figuræ appingerentur, ut auctor eſt Turnebus Lib. 13. cap. 12. & Lib. 14. cap. 4. ubi & locum hunc Perſii affert. Cur denique ſub ſpecie ſerpentum atque draconum, locorum Genios, ac Deos, Heroaſque colerent, pingerentque, Macrob. Saturnal. Lib. 1. cap. 20. rationem videtur attingere, cùm ait, Ideò Salutis & Æſculapii ſimulacris appingi draconum figuras, quia præſtant ut humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſitâ, ad priſtinum revireſcant vigorem, ſicut revireſcunt dracones per annos ſingulos, pelle ſenectutis exutâ. Unde concludere licet, ſerpentes, eò quòd veluti quotannis juveneſcunt, immortalitatem benè ſignificare, Deos & Heroas optime deſignare ac propterea locis ſacris appingi. Plutarchus aliam affert cauſam, ſed meo judicio valdè futilem, in Vita Cleomenis ad finem, ubi narrat fixi in cruce Cleomenis corpus anguem fuiſſe circumplexum, hincque Divinitatis opinionem Regi acceſſiſſe, & Heroem habitum Cleomenem, Deorumque filium. Addit porrò hujus rei & opinionis cauſam à ſapientibus viris proditam eſſe, quod ſicut è bobus apes, ex equis fuci, ex aſinis crabrones generantur, ſic ex humanis corporibus ſerpentes enaſcantur. Denique concludit: Non ergo abs re veteres Heroibus dracones conſecrâſſe. Dracones divino cultu honoratos affirmant porrò Ælianus Lib. 2. de animal. cap. 2, 16, 17. & Plutarch. Lib. de Iſide & Oſiride.

Pueri, ſacer eſt locus.] Adde etiam hoc interdictum, quo pueri deterreantur à polluendo ſordibus loco; neve illic mejant: quod grande erat nefas.

Horat. in Arte:

Minxerit in patrios cineres.

Vide quæ Sueton. de Nerone lotio contaminante Deæ ſimulacrum. Sed & urinam facere ad ſtatuas Principum, capitale fuiſſe, docet Ælius Spartianus in Antonino Caracalla; ubi ſic refert: *Damnati ſunt eo tempore qui urinam eo loco fecerant, in quo erant imagines Principis*, &c.

Extra Mejite.] Metaphoricè ſignificat: ô Poëtæ Satirici, cenſuram veſtram aliò transferte quolibet, modò ab his abſtineatis.

114 *Diſcedo.*] Siquidem his parcendum, quæ ſunt maximè reprehenſione digna, inquit Perſius, hinc mihi demigrandum. Abeo itaque; vix enim mihi temperarem (ut initio monui petulantem mihi lienem eſſe) quin ſatiricâ libertate uterer in his perinde ac in cæteris.

Secuit Lucilius.] Seipſum redarguit Perſius Eccur verò diſcedam? Quid verebor facere: quod ante me alii impunè fecerunt?

Lucilius.] C. Lucilius primus apud Romanos Satiras ſcripſit. Ac ſicut Lucilium Horatius, Horatium Perſius, alios omnes Juvenalis imitatus eſt; ſic Lucilius ſecutus fuerat Ennium & Accium.

Horat. Lib. 1. Sat. 10.

Nil comis Tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet verſus Enni gravitate minores?

Coævum fuiſſe Scipiano Africano teſtatur idem Horat. Lib. 2. Sat. 1. ubi & alibi paſſim in Sermonibus Lucilium carpit mordicùs, quanquàm magno aliis in pretio fuiſſe refertur; nec ſuam ipſi laudem detrahit Quintil. Lib. 10. Natus nobili loco ex Aurunca Auſoniæ urbe, anno uno antequam veniret Carthago in Romanorum poteſtatem. Scripſiſſe dicitur Satirarum libros pluſquàm triginta: ac pervenerunt ad nos fragmenta tantùm aliquot.

Urbem.] Romam & potentiſſimos Romanorum acerrimè inſectatus.

Horat. Lib. 1. Sat. 10.

Sale multo urbem defricuit.

& Lib. 2. Sat. 1.

Primores populi arripuit populumque tributim.

Juvenal. Sat. 1.

Enſe velut ſtricto quoties Lucilius ardens
Infremuit?

Te,

Digitized by Google

Te, Lupe; te, Muti; & genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit: & admiſſus circùm præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.
Men' mutire nefas, nec clàm, nec cum ſcrobe?
Nuſquam.

te, ô Lupe; & te, ô Muti; & in iſtis rupit dentem intimum. Horatius ſolers pariter *carpit quem libet errorem* apud *familiarem deridentem; & exceptus circa cor, colludit, peritus ſubſannare populum naribus ſuccuſſis. An mihi non licebit hiſcere, ne quidem ſecreto, ne quidem cum fovea? Nullatenus* licet.

ANNOTATIONES.

115 *Te, Lupe; te, Muti.*] Nominatim etiam carpere auſus eſt inter alios, nobiles viros, Pub. Rutilium Lupum Conſulem, & Titum Mutium Albutium valdè potentem virum, his quidem verſibus, quos etiam Cicero affert Lib. 1. de Finibus.

Græcum te, Albuti, quàm Romanum atque Sabinum
Municipem Ponti, tutamen Centurionum,
Præclarorum hominum ac primorum, ſigniferumque
Maluiſti dici: Græcè ergo Prætor Athenis
Id quod maluiſti, te cum ad me accedis, ſaluto.
Χαῖρε, inquam, Tite: Lictores, turma omnis, cohorſque,
Χαῖρε: hinc hoſtis mi Albutius, hinc inimicus.

Et paulò poſt.

——— *Tubulus, ſi Lucius inquam,*
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius.

Genuinum.] Genuini vocantur dentium poſtremi, iidemque validiſſimi. Plin. Lib. 11. cap. 37. Feſtus, Lib. 7. vult ità dictos, quòd à genis dependeant.

Fregit.] Nam omnem dicacitatem conſumpſit carpendis eorum vitiis.

116 *Ridenti.*] Non indignanti, vel etiam libenter audienti, quia callide & feſtivè mordebat Horatius.

Amico.] Vel cuicumque ſuo familiari, vel ipſi Mecænati, cui nec peperciſſe fertur. Certè illum videtur perſtrinxiſſe Sat. 1. Lib. 1. ubi ait:

Simplicior ſi quis, qualem me ſæpè libenter
Obtulerim tibi, Mecænas, ut fortè legentem
Aut tacitum impellat quovis ſermone moleſtus;
Communi ſenſu planè caret, inquimus: eheu
Quàm temerè in noſmet legem ſancimus iniquam!
Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis urgetur.

Attamen cùm Perſius dicat omne vitium tangi ab Horatio, & paulò poſt populum excuſſo naſo ſuſpendi: malim interpretari ſic: omne cujuſcunque vitium Horatius vafer tangit & ſolerter coarguit apud amicum ridentem, cùm Satiras ſuas tam feſtivas ei recitat.

117 *Et admiſſus circum præcordia,* &c.] Ab amicis benè exceptus pergit eò libentius ſcribere & recitare Satiras. Hic nonnulli ſubtiliores ſenſus rimantur, & Perſio attribuunt quod nunquam cogitavit: nimirum illi, leviora primum vitia carpit Mecænatis Horatius, inquiunt, & cùm ſe placuiſſe ob ſolertes jocos & feſtivam dicacitatem animadvertit, tum pluſculum audet, & occultiora interioraque facinora non veretur arguere. Hoc ſcilicet eſt ludere circa præcordia? Verum uno ictu jugulat illos interpretes quod ſtatim dicit Perſius, omne vitium reprehendi. Non igitur minora primò, deinde graviora.

Ludit.] Nemini parcit, vitioſis ſua oſtendit vitia & culpat ille, nec tamen culpando offendit, adeò vafer eſt & callidus, ut ludendo jocandoque animi vulnera premat & curet.

118 *Excuſſo populum,* &c.] Explicant quidam porrecto & hilari, ut minùs acerbus videatur etiam cum mordet; ſed malim ſimplicius interpretari, ſuccuſſo, quod & vox, *ſuſpendere,* poſtulat. Certe cum ridemus aliquem, caput excutimus: & cum alicui inſultamus acriter, acceptum etiam naſum ſuccutimus: Erit igitur facilis & prona interpretatio, ſive referas ad eum qui deridet, ſive ad eum qui deridetur.

119 *Men' mutire nefas.*] Mihine ſoli nefas loqui & carpere pravos hominum mores?

Nec clam.] Quandoquidem etiam palam id facere licuit aliis, Lucilio, Horatio: annon ſaltem inter familiares fas mihi erit in vitia & errores ſtylum ſtringere?

Nec cum ſcrobe?] Alludit ad fabulam de Mida, cui cum aſininas eſſe aures tonſor vidiſſet, nec palam evulgare auderet, prurienti linguæ ut ſatisfaceret aliquatenus, terram effodit, & ſcrobi factæ inſuſurravit id quod viderat. Lege Ovid. Metamorph. Lib. 11. cap. 4. & 5.

Nuſquam.] Ne quaquam licet, ait monitor.

Digitized by Google

Hîc tamen infodiam: Vidi, vidi ipſe, libelle.
Auriculas aſini quis non habet? Hoc ego opertum, 121
Hoc ridere meum, tam nil, nullâ tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum ſene palles,

Attamen iſtic veluti *ſcrobem faciam:* & inſuſurrabo; ô *liber, aſpexi, egomet aſpexi. Eccui non ſunt aures aſininæ? Ego iſtud occultum, meam ipſam deriſionem, adeò parvi pretii* licet eſt, *non vendo tibi ullo carmine de Ilio. Quiſquis imbutus es Cratino petulanti,* quiſquis *iracundum Eupolidem cum vetulo grandævo* legens, *pallidus ſis,*

ANNOTATIONES.

120 *Hic tamen infodiam.*] Mihi verò temperare non poſſum, inquit Perſius; quoquo modo ſedandus eſt ſtyli pruritus. Ergo, ut Midæ tonſor effoſſæ terræ, ſic ego libello huic meo loquar, inſcribam, & animi ſenſa committam: non temere quidem protrudam in lucem quod ſcripſero, ſed ſcribam ſaltem, & ſcriptum velut infodiam & celabo apud me & apud paucos amicos, ut aliquando etiam poſteri legant.

Vidi, vidi ipſe.] Erumpit indignatio mea: jam dico id quod vidi non ferendum: ô libelle, ego ipſe vidi, nec ſemel vidi fatuum Neronis de carminibus judicium, ſtultamque nobilium Romanorum vel ignorantiam vel adulationem.

121 *Auriculas aſini,* &c.] Dicitur Perſius ſcripſiſſe: *Auriculas aſini, Mida rex habet:* correxiſſe autem Annæus Cornutus, Perſii Præceptor: *quis non habet?* ne ſe notatum Nero nimis apertè intelligeret. Caſaubonus, Lubinus & alii. Contrà nonnulli pugnant: non minùs apertè videri notatum fuiſſe Neronem afferendo vulgata ab eo ſcripta. *Torva Mimalloneis,* &, *Berecynthius Attin:* unde contendunt hæc non fuiſſe ipſius Neronis, ut ſuo loco diximus. Cæterùm ſenſus eſt: quis non tam ineptè judicat de Carminibus, quàm Midas de cantu, cui propterea in ludibrium aſininas aures affixit Apollo.

Hoc ego opertum.] Meam hanc deriſionem licet occultam tam parvi, imò nihil à te, ô monitor, & ab aliis fortè æſtimandam, ego tamen tanti facio, ut pluris æſtimem quàm Homeri Iliadem, vel potiùs quàm Actii Labeonis Latinam Iliada, quamvis Neroni plurimum probatam, Suprà, v. 4.

122 *Nullâ tibi vendo Iliade.*] Id eſt, non commutarem pro Iliade, ut mox dixi.

123 *Quicumque afflate.*] Quæſiverat initio monitor, quis leget hæc? Et reſpondet hîc tandem Perſius quales velit habere lectores Satirarum ſuarum: Nempe quiſquis aſſuetus erit legendis carminibus Cratini, Eupolidis, Ariſtophanis, qui Græcorum vitia mordicùs carpsêre, is etiam libenter leget hæc mea carmina, inquit.

Afflate.] Metaphora eſt vel à floribus odoriferis: vel, à Pythia, quæ velut Numine Apollinis inſeſſa, afflata, illuſtrata vaticinabatur.

Audaci Cratino.] Proprium eſt valdè hominis illius epithetum, quippe qui cum omni libertate Græcos exagitaret, nec quemquam vitioſum Athenis latere ſinebat, quin ſtatim eum in Scenam omni populo deridendum produceret, ſcilicet in veteri Comœdia.

Cratino.] *Cratinus* Eupolide & Ariſtophane antiquior, natus Athenis dicitur, & floruiſſe paulò ante bellum Peloponeſiacum: vixiſſe ad annum centeſimum ætatis, & fuiſſe omnium Poëtarum maledicentiſſimus.

124 *Eupolidem.*] Is cum verſibus laceràſſet Alcibiadem, in mare ab eo præcipitatus eſt. Tull. Epiſtola 1. Lib. 6. ad Attic. *Quis non dixit Eupolim ab Alcibiade navigante in Siciliam dejectum eſſe in mare?*

Iratum.] Infenſum perpetuò Athenienſium vitiis.

Prægrandi cum ſene.] Ariſtophanes vulgo intelligitur, qui ſeu ob ætatem, ſeu ob ſtyli gravitatem prægrandis vocatur. Certè hunc cum duobus prædictis pariter conjungit Horatius initio Sat. 4. Lib. 1.

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poëta, &c.

Treſque hos veteris Comœdiæ ſcribendæ Principes imitatum fuiſſe Lucilium, ait eo loci. Porrò non conſtat fueritne Ariſtophanes Athenienſis, an Rhodius, an Ægyptius, an aliunde oriundus. Vixit temrore Euripidis, & flagrante maximè bello Peloponeſiaco; Cratino poſterior extitit: Athenienſium nobiliſſimum quemque acriter inſectatus, mirè tamen ab ipſis Athenienſibus acceptus laudatuſque eſt. De illis Plato ait, Gratias templum ubique quærentes, hoc tandem ſibi ſtatuiſſe in corde Ariſtophanis. Scripſiſſe fertur Comœdias plus quinquaginta, è quibus ſuperſunt nobis integræ dumtaxat undecim. De Cratino, Eupolide, & Ariſtophane, vide Athenæum Lib. 1. & alibi: Euſebium in Chronico; & Quintil. Lib. 10. ubi de legendis formando oratori Poëtis ſic habet: *Poſt Homerum, Ariſtophanes, Eupolis, Cratinuſque præcipui.*

Palles.] Vel, uſque ad pallorem formidas, ob ſtyli acerbitatem: vel, quem legendo pallorem contraxiſti.

Aſpice

Digitized by Google

Aſpice & hæc, ſi fortè aliquid decoctius audis.
Inde vaporatâ lector mihi ferveat aure :
Non hic qui in crepidas Grajorum ludere geſtit
Sordidus, & luſco qui poſcit dicere, luſce,
Seſe aliquem credens ; Italo quòd honore ſupinus,
Fregerit heminas Aretî Ædilis iniquas :

tu iſta etiam vide, ſi fortaſſe auſcultas quidpiam perfectius! Hinc calefacta auricula erga me inardeſcit lector : non autem *ille qui impurus gaudet irridere calceos Græcorum, & qui cocliti aptas dicere, ô cocles, ſeipſum æſtimans aliquem ; quia Ædilitatem gerens Aretii, ſuperbiens ob Magiſtratum in Italia, ruperit dimidios ſextarios non juſtæ magnitudinis.*

ANNOTATIONES.

125 *Si fortè aliquid.*] Vel refer ad Perſium de ſe ſuiſque verſibus modeſtè ſentientem & loquentem : vel refer ad Lectorem, ut ſenſus ſit : ſiquidem tu melius quidpiam reperis in meis Satiris, ſi quid perfectius audis & audire cupis, quàm ſint ea ſeu Neronis, ſeu aliorum carmina, quæ velut cruda, affectata, & inconcinna reprehendi.

Decoctius.] Maturiori judicio, & longiori arte ac ſtudio elaboratum. Metaph. vel à vino quod ad dulcedinem coquitur ; vel à liquoribus, qui recocti bulliendo ad tertiam & quartam partem multò plus habent virium. Sic Virgilius fertur mane ſolitus condere verſus quinquagenos, pluresve, quos veſperi ad denos aut circiter redigebat, Quintil. Lib. 11. cap. 4. *Materiam volo primum,* inquit, *& vel abundantiorem, vel ultra quam oporteat fuſam : multam inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid vel ipſo uſu deteretur.*

126 *Inde vaporata.*] Ex lectione ſupradictorum Poëtarum mens lectoris incitata & inflammata ad meas deinde legendas Satiras proclivis & fervida fiat.
Virgil. Æneid. 11.
Et templum thure vaporant.

127 *Non hic.*] Ne is mihi lector contingat, qui cum animi vitia in Philoſophis & doctis nulla deprehendat arguenda, externum eorum habitum ſaltem irridere amat & delectatur.

Crepidas.] Gellius Lib. 13. cap. 20. ait crepidas à Romanis ſoleas dici, & ſoleatum incedere velut turpe crimen objici ſolitum.
Et Horat. Lib. 1. Sat. 5.
Sapiens crepidas ſibi nunquam, nec ſoleas fecit.
Propriè crepida eſt calceamentum Tuſcum ad pedes corrigiis ſubligatum, quod Philoſophorum etiam proprium fuiſſe, teſtis idem Gellius.

Qui in crepidas Graiorum ludere geſtit.] Per eos qui Græcorum crepidas irrident, intelligunt vulgò eos homines, qui Philoſophorum ſtudia atque inſtituta negligunt, & qui Græcorum elegantiam contemnunt : quod confirmare videtur vox ſequens, *ſordidus.* Malim ego cum quibuſdam interpretari de Nerone, quem (ut ait Sueton. in Nerone cap. 52.) mater à Philoſophiâ avertit, monens imperaturo contrariam eſſe. Tullius autem 2. de Orat. & alibi, ſatis innuit Romanis odioſos fuiſſe Philoſophos, fortaſſe vel ob hoc quòd opum ſuadebant contemptum, quas avidè ſectabantur illi. Vide Sat. 5. v. ultimo.

128 *Sordidus.*] Vel per ſordes avaritiam Romanorum notat Perſius, vel neglectum cultûs exterioris, quem nonnulli Romæ affectabant, ut inde præferrent militare robur : quòd iterùm Perſius noſter damnat, Sat. 3. ubi vocat eos hirtoſam gentem Centurionum. Vel, ſi mavis, intellige plebis ignorantiam, quam hîc opponat Philoſophorum doctrinæ & eruditione, quæ imperitis ludibrio habetur.

Et luſco qui poſcit, &c.] Apage etiam cachinnones illos fatuos, qui naturalia vitia exprobrant, quæ tamen nemini probro eſſe debent. Luſcus porrò ſignificat eum cui imbecilla eſt oculorum acies ; ponitur & pro coclite, eo nempe qui altero eſt oculo captus. Alii legunt *poſſit.*

129 *Seſe aliquem credens.*] Aliquo ſemet honore dignum æſtimans. Legunt alii, *ſeſe aliquid credens :* quod perinde elegans eſt, & idem ſonat.

Italo quod honore.] Eò quod functus fuerit aliquo Magiſtratu infimo, nimirum Ædilatu, in quodam è municipiis Italiæ.

Supinus.] Superbia elatus & ſui factus immemor ob honorem illum. *Supinus* proprie is dicitur, qui dorſo incumbens cœlum aſpicit. Unde nonnulli interpretantur, otioſe, molliter, & delicate vivens : ſed minus arridet.

130 *Fregerit heminas.*] Ædiles menſuris præerant, & iniquas frangebant. Tull. 2. de Legibus, Juvenal. Sat. 10. v. 102. Turneb. Lib. 29. cap. 20.

Heminas.] *Hemina* eſt menſuræ genus dimidium ſextarii continens. Ponitur hîc pro qualibet menſurâ. Plin. Lib. 21. cap. ultimo, heminæ mentionem facit.

Areti.] *Aretium,* nunc *Arezzo,* Etruriæ oppidum vaſis fictilibus quondam celebre.

Digitized by Google

Ne etiam legat me, *qui aſtutus novit deridere notas numerales* Arithmeticorum ſuper *tabella* exaratas, *&* *lineas* Geometrarum deſcriptas *in arena ſulcata :* cæterùm *proclivis* eſt *ad lætandum valde*, *ſi* quando *meretrix laſciva barbam vellicet Cynico. Iſtis matutino tempore decretum, poſt prandium* vero *Callirhoën concedo.*

Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer: multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His manè edictum, poſt prandia Callirhoën do.

ANNOTATIONES.

Martial. Lib. 14. Epigram. 98.

Aretina nimis ne ſpernas vaſa monemus,
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Sunt qui legant, *Eretis*, quod oppidum eſt Sabinorum.

131 *Nec qui abaco.*] Nec denique eum volo lectorem, qui doctas artes aſpernatur, v. g. deſcriptos in abaco numeros ab Arithmeticis: figuras Mathematicas, & alias liberales eruditaſque diſciplinas. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 7. cap. 30.

Et ſecto in pulvere metas.] Mathematici pulverem humi ſpargebant, & in eo pulvere figuras deſcribebant radio. In ea occupatione intentus Archimedes captis Syracuſis miſere occiſus eſt à Romano milite. Tit. Liv. Lib. 25. Plutarchus refert Dionyſii Regiam pulverulentam fuiſſe, ob eorum multitudinem, qui Geometricas in pulvere figuras delineabant.

Metas.] Lineas, quæ ſunt velut metæ & fines, quibus componitur quælibet figura, ac terminatur. Exarantur autem illæ figuræ, ac lineæ in pulvere, ut ſi quid rectum non eſt, facilè corrigatur.

132 *Multum gaudere paratus.*] In eo tantùm navus & vafer, ut derideat eruditorum ſerias occupationes: quique gaudet philoſophos ludibrio haberi.

133 *Cynico.*] Pro quibuslibet Philoſophis nominat Cynicos Perſius. Porrò ſecta illa valdè erat odioſa ob mordacitatem, ob quam Cynici dicti ſunt ... Laërtius de Diogene refert, quòd interrogatus quare canis appellaretur, reſpondit: *quia in eos qui dant, blandior ſum: in eos qui non dant, oblatro; malos autem mordeo.* Alii ab obſcœnitate Cynicos volunt nomen habuiſſe. Vide Laert. Lib. 6.

Barbam.] Atrox erat injuria & ludibrium barbam vellere alicui tanquam fatuo nimirùm & ſtolido. Horat. Lib. 1. Sat. 3. ſub finem. Porrò Philoſophi barbam promiſſam alere affectabant: hincque ſapientem barbam vocat Horatius. Vid. infrà Sat. 4. v. 1.

Vellat.] Ut Laïs Diogeni, qui meretricem hanc amavit, ut teſtatur Athen. Lib. 13.

Nonaria.] Meretrix juvenibus pernicioſa, ut quidam volunt, ſic dicta à Nonis, quæ inter infauſtos dies cenſebantur. Macrob. Lib. 1. vel potiùs, quæ proſtat ab hora nona, & à prandio, cùm jam negotiis homines ſunt minùs occupati.

134 *His.*] Talibus hominibus imperitis & ineptis, artium liberalium ac ſcientiarum incapacibus, mando & indulgeo occupationes dignas ſe, nempè quæſtum & voluptates.

Manè edictum.] Forum mane petant, ubi Prætoris edicta excipiant, vacent avaritiæ & fœnori exigendo.

Poſt prandia.] Poſt forum prandeant: ac deinde per diem reliquum indulgeant voluptati. Ea eſt plebi imperitæ accommodata vivendi ratio.

Callirhoen.] Vel ſcortum aliquod famoſum: vel ſcenicos ludos, & fabulam de Callirhoe tunc temporis exhibere ſolitam; vel natationem & deambulationem ad fontem iſtius nominis in Attica. Contendit Marcilius referendum eſſe ad Neronem, qui popellum edicto vocaret, & cantaturum ſe Callirhoen promitteret: ut ſit Perſii ſenſus: tales ego auditores hinc à meis Satiris ablego ad audienda Neronis inepta carmina, ſuamque Interpres ille fulſit opinionem ex eò quod Neronem in hac Satira Perſius præcipuè ſpectet.

Digitized by Google

SATIRA II.

HUNC, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poſcis emaci,

O Macrine, recenſe optimo calculo diem iſtum, qui fauſtus addit tibi annos fugaces. Effunde vinum Genio. Tu voto pactitio non petis res,

ANNOTATIONES.

1 MAcrine.] Intelligunt nonnulli Minutium Macrinum Brixianum, de quo mentionem facit Plinius perhonorificam Lib. I. Epiſt. 14. Verùm doctiſſimo cuique videtur fuiſſe potiùs Plotius quidam Macrinus, quem Perſii condiſcipulum exiſtimat etiam fuiſſe Caſaubonus. Favet certè vetus Scholiaſtes, qui ſic habet in huncce locum: alloquitur Plotium Macrinum homine ſanè eruditum & paterno ſe affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, à quo agellum comparaverat, indulto ſibi pretio aliquanto.

Hunc diem numera.] Inter fauſtos dies computa diem hunc, qui natalis eſt,& quo propterea libellum hunc ſeu Satiram dono tibi mitto. Scilicet mos erat apud veteres natali amicorum die munuſculo eos aliquo afficere: & Poëtæ quidem doctique opuſcula ſua deferebant. Quod hìc Perſius erga Macrinum.

Meliore Lapillo.] Candido nempè, quo res lætæ notabantur, ſicut atro res mœſtæ & infelices. Martial. Epigram. 53. Lib. 9.

Felix utraque lux, dieſque nobis
Signandi melioribus lapillis.

Perſ. Sat. 5.

Illa prius cretâ, mox hac carbone notâſti,

Secutus Horatium Lib. 2. Sat. 3.

Cretâ an carbone notandi?

Cæterùm mos ille fortunatos dies albis calculis, infelices nigris numerandi, viguiſſe apud Thracas primùm, auctor eſt Plin. Lib. 7. cap. 40. At quod aliqui addunt hinc tranſiſſe ad Cretenſes, non ita compertum: imò jugulat eos ille ipſe, quo uno freti id affirmant, Horatii locus Lib. I. Ode 36. *Creſſâ ne careat pulchra dies notâ.* Ubi certè album lapillum è Creta venientem expreſsè deſignat: alioquin parùm diſtingueret lætam notam à triſti, ſi Cretenſes perinde ac alii candidis fauſtos, dies infauſtos nigris lapillis notare conſueviſſent. Unde etiam patet, quàm longè aberrent, qui citato Horatii loco legunt, *Threſſâ*, pro *Creſſâ*.

2 *Qui tibi labentes, &c.*] Qui ævum quod quotidie elabitur, tibi producit, novum annum tibi dando & auſpicando.

Candidus.] Bonus, propitius; ut explicui Sat. I.

3 *Funde merum Genio*] Hor. Ep. I. Lib. 2.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant;
Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.

Tibull. Lib. 2. Eleg. 4. de Genio ait.

Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Ubi obſervandum eſt, cæteris quidem diebus Genio litatum olim fuiſſe cæsâ victimâ, ut patet ex Horat. Lib. 3. Ode 17.

Cras Genium mero
Curabis, & porco bimeſtri
Cum famulis operum ſolutis.

Illud autem nunquam fiebat die natali, eò quòd nollent vitam adimere eo die quo lucem acceperant: ſed litabant vino, floribus, &c. ut citati mox loci innuunt: ſive quia vinum hilaritatis ſymbolum & cauſa eſt; ſive quia per flores vitæ quidem amœnitas ſimul & brevitas ſignificabatur, juxta illud Horatii citatum, *memorem brevis ævi.* Vide Cenſorinum.

Genio.] Id eſt, in honorem Genii, qui Deus erat, ſub cujus tutela naſci quemlibet & vivere antiqui credebant, quem propterea quotannis colebant die natali.

Non tu prece, &c.] O Macrine optime, non perinde ac avari injuſta vota Diis nuncupas.

Emaci.] Impudenter & impiè cum Diis ita paciſcendo: ſiquidem hoc vel illud mihi largimini, hæc & illa dona rependam ego vobis. Plato in Eutyphrone ait, quorundam petentium religionem videri mutuam Deos inter & homines nundinationem. Petronius de illis: *Statim,* inquit, *antequam limen Capitolii tangant, alius donum promittit, ſi propinquum divitem extulerit; alius ſi theſaurum effoderit,* &c.

Quæ

Digitized by Google

Quæ niſi ſeductis nequeas committere Divis.
At bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ.
Haud cuivis promptum eſt, murmurque humileſque ſuſurros
Tollere de templis; & aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hoſpes.
Illa ſibi introrsùm, & ſub lingua immurmurat: ô ſi
Ebullit patrui præclarum funus! Et ô ſi

quas non poſſis credere Diis niſi ſemotis. Sed potentium magna pars ſacrificabit thuribulo ſecreto. Cuilibet facile non eſt ex ædibus ſacris amandare & verba ſecreta, & voces ſubmiſſas; & vitam agere precationibus manifeſtis. Sint *animus ſanus, bona exiſtimatio, fidelitas, iſta apertè* poſtulantur, *atque* ita *ut externus percipiat.* At Avarus *hæc ſecum, intus, & ſub lingua muſſitat: utinam prodeat pompa funebris ſumptuoſa patrui mei! Atque utinam*

ANNOTATIONES.

4 *Seductis.*] Quaſi ſeorsùm ductis & clàm, quia pudet ejuſmodi vota palam facere & coram hominibus, quorum illos non pudet coram Diis. Alii explicant corruptis per munera: ſed non placet.

Nequeas.] Id eſt, non audeas, vel non poſſis ſine pudore, & impune.

5 *Acerra.*] Vas eſt in quo thus adolendum ponitur. Tacitam vocat per metonymiam, id eſt illi taciti libant acerrâ. Porrò acerram impropriè Proceribus tribuit hîc Perſius: nam divites de lance copioſâ libant, ut eſt in fine hujus Satiræ: pauperes autem acerrâ, id eſt pauca thuris grana, & tribus, ut aiunt, digitis prehenſa. Ovid. Lib. 4. de Ponto Eleg. 8.

Nec quæ de parvâ pauper Diis libat acerrâ;
Thura minus grandi quàm data lance valent.

6. *Murmurque humileſque ſuſurros.*] Interpretantur ferrè omnes de tacitis votis & precibus: pauci, de immurmuratione quâ, dum quiſque Deos rogat quod optat, voce ſubaltâ, templum confuſis vocibus impleretur turbareturque: quod etiam illi ad oſtentationem faciebant, unde Perſius mox: *Mens bona,* &c. *Hæc clare.* His ego adſtipulor, ne videatur Perſius eadem ſæpiùs inculcare.

7 *Tollere de templis.*] Vix queas irreligioſos & impios hos precatores arcere à templis, adeò, cupiditas excœcat, ut ſuum nefas non videant; ſic urget, ut abſtinere non poſſint. Sic apud Ovid Faſt. 5. Mercator orat Mercurium,

Da modò lucra mihi — & emptori verba dediſſe.

Et apud Horat. Lib. 1. Epiſt. 16. Improbus ſic improbè precatur:

Labra movet metuens audiri; pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da juſtum ſanctumque videri:
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Et aperto vivere, &c.] Nec ita facile eſt cuivis, non niſi bona optare, adeò ut non pudeat optata palàm proferre; & ſic loqui cum hominibus tanquam Dii audiant, & ſic cum Diis quaſi audiant homines: quod Philoſophiæ præceptum laudat Macrobius Saturnal. Lib. 1. cap. 7.

8 *Mens bona.*] Juvenal. Sat. 10.

Orandum eſt ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Seneca, Epiſt. 94. *Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis.*

Hæc clare.] Honeſta illa vota apertè nuncupantur, & ut audiri ab hoſpite non pudor ſit; vel, hæc clare petuntur ad oſtentandam probitatem; unde & audiri ab aliis affectat ille qui precatur. Vide ſuprà.

Hoſpes.] Ponitur pro quolibet externo: propriè verò dicitur qui tecto excipit peregrinum & externum, pariter & qui excipitur. Tull. pro Dejotaro; *Per dextram iſtam, quam hoſpes hoſpiti porrexiſti.* Ovid. Metamorphoſ. 1.

Non hoſpes ab hoſpite tutus.

9 *Illa ſibi introrſum.*] Quædam vero non niſi clàm, intra dentes, & intùs petere audent, ſcilicet quæcunque improba ſunt & inhoneſta. Duplex igitur culpat voti genus; alterum quod introrſum, & ſeductis Diis; quale eſt illud apud Horat. loco cit. Lib. 1. Epiſt. 16. & apud Ovid. loco etiam mox allato Faſt. 5. qualia etiam ſunt quæ hic noſter Perſius affert: alterum eſt quod fit ad oſtentationem, ut dixi, & clare, & aperte; quod & audiri petitur; vocatque Perſius murmur & humilem ſuſurrum.

10 *Ebullit.*] Pro *ebullierit,* ſicut *dedìm,* pro *dederim*; *vixit,* pro *vixiſſet.* Æneid. 11. v. 118. metaph. ab aqua ebulliente, quæ intumeſcit & effluit. Ita legi affirmat Caſaubonus in antiquiſſimis codicibus. Vide Prov. cap. 15. v. 2. vulg. edit. Cic. Tuſc. 3. cap. 42. &c. Nonnulli refragantur tamen, & malunt, *ebullet,* ab *ebullo, as:* ut ſit ſenſus, utinam velut bulla appareat & ſtatim poſtea evaneſcat, alludendo ad illud Terentii Varronis: *homo bulla.* Hujus quidem ſententiæ auctores priorem velut ineptam ſuggillant, ſed quo jure non video.

Patrui.] *Patrui* dixit potiùs quàm avi optari

Sub

Digitized by Google

Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! Namque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor:

amico Hercule, vas fictile argento refertum mihi reſonet ſub ligone! O ſi vel deleam pupillum, quem inſequor hæres ego maxime propinquus! Enimvero laborat impetigine, & vehementi bile intumeſcit. Nerius tres jam habuit conjuges.

ANNOTATIONES.

mortem, forte quia *patrui* ut plurimum cenſurâ moleſti, ut dixi Sat. 1.
Et Horat. lib. 3. Ode 12.
Metuentes patruæ verbera linguæ.

Præclarum funus!] Vel funalibus ſplendidum, & apparatu & exequiarum pompâ magnificum. Virgil. Æneid. 11. v. 143.
Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, & late diſcriminat agros.
Vel, quod hæredi avido expetendum & quæſtuoſum erit. Quidam per funus intelligunt ſepulchrum: ut ſenſus ſit: utinam aperiatur & ruat per ſe patrui mei ſepulchrum, ut cum violare & rumpere illud non audeam, certe ſic adipiſcar aurum in eo conditum: nempe veteres ſecum jubebant ſuos theſauros ſepeliri. Et Joſephus refert è Davidis ſepulcro eruta talentorum auri tria millia ab Hicarno, qui ſic ab obſidente ſe Antiocho redemerit datis trecentis. Hæc tamen opinio minus arridet. Alii explicant vocem, *Præclarum*, quaſi qui funus optat videre patrui, ejus tantum gloriam & honorem intueri videatur; non ſuam cupiditatem oſtendere.

11 *Sub raſtro.*] Ne mirere, quod viro diviti ac nobili raſtrum atribuat Perſius, cum etiam ab aratro Dictatorem evocatum viderimus, Sat. 1. ſcilicet agricultura magno erat in honore apud Romanos: nec homini probro erat, ſuum per ſe agrum colere.

Crepet.] Id eſt, jucundum mihi edat ſonitum reperta fodiendo & terram vertendo.

Seria.] Vas teſtaceum oblongum, quod occultatum ſit ſeu hoſtium ſeu furum metu; teſta porro terræ infoſſa non putreſcit, hinc in ſeriis & ollis theſauros infodiebant veteres. Inde eſt Plauti Aulularia.
Et Horat. Lib. 2. Sat. 6.
O ſi urnam argenti fors quæ mihi monſtret.

Dextro Hercule!] Propitio, favente. Horat. loco mox cit. *amico Hercule.* Hic enim recludendis theſauris præſidere credebatur; ſicut Mercurius aperto lucro & negotiationi: uterque porro repentino & inexpectato lucro; unde & Lucrii Dii appellantur, Arnob. Lib. 4. Plaut. Moſtel. *Is vel Herculi conterere quæſtum poſſiet.* Et Diodor. Sicul. Lib. 5. cap. 2. refert Herculem ad honorem ſibi à Palatinis impenſum, dixiſſe, eos qui ſibi, poſtquam ad Deos tranſlatus eſſet, decimam bonorum dicarent, vitam felicem victuros: quod & eveniſſe experientia docuerit: & factitatum à Lucullo Romanorum ditiſſimo aliiſque fuerit.

12 *Pupillum.*] Puer eſt ſub tutoris poteſtate conſtitutus, donec per ætatem ſui juris fiat, & ſuorum ipſe bonorum adminiſtrationem capeſſat.

Quem proximus hæres impello.] Quem ſubſequor proxime in ordine hæredum ſecundorum: vel cui ſum pupillariter ſubſtitutus.

13 *Impello.*] Metaph. ab iis qui ſeſe in turba comprimunt, ut citiùs progrediantur.

Expungam!] Metaph. vel à Jure Civili, in quo is diſpungere dicitur qui mutat quidpiam in tabulis teſtamenti, & expungere, qui delet: vel à re militari. Milites enim expungi dicuntur; quorum data miſſione, nomen ex albo deletur, quod punctis inſcriptum fuerat. In bello vero (ut ait vetus Interpres hìc) *cadente qui primus eſt, ſuccenturiatur alius.* Senſus porro eſt: utinam illum mors rapiat, cujus hæreditas mihi continget; vel, deleatur è teſtamento nomen ejus cui ſecundus hæres ſuccedo.

Namque eſt ſcabioſus.] Impiis votis excuſationem prætendit nequam ille vitæ alienæ inſidiator: nempe contagioſo laborans puer morbo cur vivat? Vel apud ſe meditatus, quâ viâ impune expungat pupillum, & veneno tollere forte apud ſe ſtatuens, ſperat ſuum ſcelus occultum fore, quod ille ſit male affecta valetudine; plenus nempe ſcabie & atrâ bili, quæ multorum morborum cauſa eſt. In quo etiam ſe tuetur exemplo Nerii, qui tres uxores veneno impune ſuſtulit, & ſic locuples factus eſt.

Et acri bile tumet.] Contendunt aliqui mordicus legendum, *atrâ bile tumet*, contra Caſaubonum. At quid vetat ipſam melancholiam bilem atram appellari?

14 *Nerio.*] Is fuit inſignis fœnerator, lucri adeo perdite cupidus, ut etiam tres uxores veneno ſuſtulerit, ut earum dote potiretur. Scilicet apud veteres dos adventitia & non data patrio nomine, ſi repudium non interveniſſet, moriente conjuge, marito cedebat; imo & dos quoque profectitia, ſeu à patre de bonis propriis conſti-

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſanctè ut poſcas, Tiberino in gu
mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.
Heus age, reſponde : minimum eſt quod ſcire laboro.
De Jove quid ſentis? Eſtne, ut præponere cures
Hunc cuiquam? Cuinam? Vis Staio? An ſcilicet hæres, 19
Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio. Proh Jupiter! O bone, clamet,
Jupiter! At ſeſe non clamet Jupiter ipſe?
Ignoviſſe putas, quia cùm tonat, ocyùs ilex,

Atque *ut talia ritè petas, matutino tempore iterum & tertiò caput lavas in flumine Tiberi; & nocturna inſomnia aquâ fluviali expias. Heus dic, reſponſum da : non eſt magnum* id *quod* à te *diſcere cupio. Quid exiſtimas de Jove ? Eſtne* talis, *ut illum præferre velis alicui? Eccui ? Vis* ne præponere *Staio ? Numquid nimirùm dubitas uter melior judex, vel uter* ſit *magis idoneus pueris orbis ? Illud ergo, quò tu conaris Jovis auriculam commovere, heus* id ipſum *loquere apud Staium.* Is certè *exclamaret* ſtatim, O *Jupiter ! O benigne Jupiter ! Atqui* an *ſe ipſe Jupiter non inclamabit ?* An *credis* Jovem *veniam indulſiſſe, quoniam quando fulminat, ilex potius,*

ANNOTATIONES.

tuta, ſi modò pater ſuperſtes non foret. Ulpian. tit. 6. de Dot. ſenſus eſt : ecce, inquit avarus, mea uxore etiamnùm vivit, cùm Nerius è tribus uxoribus mortuis tres dotes nactus dives evaſerit. Horatius Lib. 2. Sat. 3.

Scribe decem Nerio.

Ducitur.] Alii legunt, *conditur*, id eſt, ſepelitur.

15 *Hæc ſanctè ut poſcas.*] Atque hæc licet impia tibi videris ritè petiturus, ſi modò, ut facis, ritus omnes exteriores & ſolemnes diligentiùs obſerves.

Tiberino in gurgite.] Tiberis fluvius Romam interfluens, priùs *Albula* dictus. Ovid. Faſt. 2.

Albula quem Tiberim merſus Tiberinus in undis
Reddidit.

Mergis.] Vota facturi & ſacra, vivo ſe flumine priùs abluebant.
Virgil. Æneid. 4.

Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Prætereà obſerva verbum, *mergis*, propriè hìc adhiberi. Nam qui Diis Inferis litabant, aquâ ſe reſpergebant tantùm : qui verò Diis Superis ſacra faciebant, mergebant ſe, & totos abluebant. Macrob. Saturnal. Lib. 3. cap. 11.

16 *Mane.*] Solis ortu fiebant ſacra Diis Superis ac Cœlitibus : Manibus autem & Diis Inferis, veſperi, & occidente Sole : ut obſervant veteres Interpretes Apollonii in Argonautis, & Pindari in Iſthmiis, ad Od. 4.

Bis terque.] Solennes hi numeri in Sacris. De binario Ovid. Faſt. 4.

Bis caput intonſum fontana ſpargitur unda.
Bis ſua faginea tempora fronde tegit.

De ternario verò idem ibid.

Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.

Et Virgil. Eclog. 8.

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo; terque hæc altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.

Et noctem flumine purgas.] Antiqui nocte ipsâ ſicut & nocturnis inſomniis pollui ſe credebant, ut notat Servius; unde poſt illa ſe expiabant frequenti ablutione; quod etiamnùm retinent & obſervant Turcæ.
Propert. Lib. 3. Eleg. 9.

Ac primum pura ſomnum tibi diſcute lympha.

Tibull. Lib. 3. Eleg. 9.

———— *Omnia noctis*
Farre pio placant, & ſaliente ſale.

17 *Heus age, reſponde.*] Inſtituit hìc Perſius dialogiſmum, quo impietatis convincit illos homines vota improba facientes, argumento à minori ad majus. Vide infrà.

19 *Staio.*] *Staius Albius* Oppianicus conjugem ſuam primò, tum fratrem fratriſque uxorem gravidam veneno ſuſtulit, aliiſque ſceleribus bene multis ſeſe contaminavit. Unde ponitur hìc pro homine corruptiſſimo. Vide Cic. pro Cluentio.

21 *Hoc igitur,* &c.] O impie, non audes apud hominem perditiſſimum id loqui, & ea vota nuncupare, quæ apud Jovem confidenter loqueris : Jovem igitur pejorem exiſtimas & corruptiorem homine quolibet improbiſſimo : quod niſi ſentires, tam ſcelerata vota Jovi facere ſanè erubeſceres.

Jovis aurem impellere.] Jovem ad libitum flectere & exorare.

23 *At ſeſe non clamet,* &c.] An Jupiter non ſeipſe ad vindictam excitabit ? Non indignatus fulmen arripiet ?

24 *Ignoviſſe putas,* &c.] Hæc ſimpliciter & narrative, non interrogativè legenda vult Caſaubonus, ut vulgi errorem referat Perſius, quem mox confutat dicendo, *An quia,* &c.

Sulphure

Digitized by Google

Sulphure diſcutitur ſacro, quàm tuque domuſque ?
An quia non fibris ovium, Ergennâq; jubente,
Triſte jaces lucis, evitandumque bidental,
Idcircò ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter ? Aut quidnam eſt, quâ tu mercede Deorum
Emeris auriculas ? Pulmone, & lactibus unctis ?
Ecce avia aut metuens Divûm matertera, cunis
Exemit puerum, frontémque atque uda labella
Infami digito, & luſtralibus antè ſalivis

concutitur ſancto ſulphure, quam tu, & ædes tua ? Et quoniam non proſtratus es in *ſilvis, mæſtum & non tangendum bidental, expiandum extis oviculārum, & Ergenna præcipiente, an ideò Jupiter fatuum barbam porrigit tibi vellicandam ? An verò eſt aliquid, quo tu pretio mercatus ſis aures Deorum ?* An *pulmone, & pinguibus inteſtinis ?* Aliunde *en avia vel matris ſoror Deos timens, infantem tollit* ex *incunabulis,* ejuſque *frontem & labia humida anteà luſtrat turpi digito, & ſalivis*

ANNOTATIONES.

25 *Sulphure.*] Id eſt, fulmine, quod ſulphureum odorem exhalat. Plin. Lib. 35. cap. 15.

26 *An quia non fibris*, &c.] An quòd non es fulmine ictus, necdum jaces in ſilvis, non contingendus ſine piaculo, expectans ſepulturam ibidem ex mandato Ergennæ aruſpicis, qui bidentibus cæſis locum expiabit ; an propterea quod hucuſque tibi pepercit Jupiter, idcircò putas non metuendam ampliùs ejus vindictam, imo licere tibi impune Jovi deinceps illudere ?

Fibris.] Extis. Sat. 1.

Ergennâque jubente.] *Ergennas* Etruſcus aruſpex, fulminum procurator & expiator ; cujus ex præcepto omnia fiebant. Vide Juvenal. Sat. 13. v. 62. Annot.

27 *Evitandumque bidental.*] *Bidental*, locus eſt fulmine ictus. Nomen à bidentibus ovibus, de quibus vide Gell. Lib. 16. cap. 16. Cùm enim fulmen ceciderat, aderant illicò fulgurum procuratores, locum clauſtris ſepiebant, aráque exſtructâ, & cæſis oviculis conſecrabant : undè calcare illum nefas. Porro *bidental* ponitur pro homine fulgurito, ſicut carcere apud Lucilium pro homine carcere digno. Obſervandum ex lege Numæ, non licere juſta perſolvere homini fulminato ; ibidemque ſepeliri cautum fuiſſe non crematum ; nec fas fuiſſe eum in genua tollere, & efferre ; undè benè Perſius poſt Horatium in Arte, dixit, *triſte jaces.* Aliquando etiam intra ſeptum ſuper terram relinquebantur qui fulminati erant, amiciebanturque veſte candidâ, velut à Jove honorati, ut mortui illi non putreſcentes ſpectaculo forent. Feſtus, Servius, Artemidorus Lib. 2. cap. 8. Vide & Plin. Lib. 2. cap. 54. Plutarch. in Quæſt. Convival. Lib. 4. cap. 2.

28 *Stolidam præbet*, &c.] Velut fatuo & ſtolido. Nam barbam vellicare alicui grave ludibrium. Sat. 1.
Et Horat. Lib. 1. Serm. Sat. 3.
Vellunt tibi barbam laſcivi pueri.

Vellere barbam.] Alluſio ad factum Dionyſii Syracuſani, qui Epidauri barbam Æſculapio auream ademit, ludibrium addens, non decere patrem eſſe in imberbem, nempè Apollinem, filium verò, ſcilicet Æſculapium, barbatum eſſe.

29 *Aut quidnam eſt*, &c.] Id eſt, aut verum eſt quod dico, aut aliquid eſt quo tu addictos tibi Deos ſpondes.

30 *Emeris auriculas.*] Pronas & faciles ad arbitrium, mercede pactâ, & velut ex convento tibi addixeris.

Pulmone.] Metonymia pro quibuſlibet partibus inteſtinis lautioribus.

Lactibus.] *Lactes* dicuntur partes inteſtinæ graciliores, quaſi lacte candidiores & molliores.

Unctis.] Id eſt, lautis & pinguibus, Horat.
Ut canis à corio non exterrebitur uncto.

31 *Ecce avia*, &c.] Vota avarorum hactenùs carpſit ; jam ſuperſtitioſas mulierum preces reprehendit, quas ſolebant illæ pro infantibus concipere die luſtrico & nominali, nempè octavo ab ortu, pro puellis ; nono, pro pueris ; ſolitaſque adhiberi cæremonias perſtringit hîc Perſius, Vide Cœl. Rhodig. Lib. 22. cap. 12.

Matertera.] Dicitur quaſi, *mater altera.* Nempè munus luſtrandi puerum pertinebat ad anus religioſas è cognatione præcipuas, quæ hujus rei cauſâ conveniebant.

33 *Infami digito.*] Id eſt, medio ; qui infamis dicebatur, eò quòd ille, contractis aliis, extenſus ſpeciem quamdam pudendam repræſentes. Undè probroſum erat, alicui oſtendere medium digitum, reliquâ manu contractâ, porrectum ; hoc enim modo notabantur cinædi & molles. Petron. Dio. Chryſoſt. orat. 33. Martial. Epigram. 28. Lib. 2. Juvenal. Sat. 10. Alex. ab Alexandro Lib. 4. cap. ultimo. Porrò eò potiſſimùm digito utebantur piatrices illæ mulieres, quia quælibet obſcœna contra faſcinum valere credebant. Ali-

Expiat

Digitized by Google

expiantibus, docta prohibere oculos faſcinantes; deinde manibus eum *motitat, & humili precatione ſpem exiguam inducit modò in agros Licinii, modò in domum Craſſi. Modò* orat ut *Rex & Regina in generum adſciſcant*; ut *illum virgines auferant*; ut *quodcumque ille pede triverit, in roſam vertatur. Ego vero nutrici non committo preces*; ſed tu, *ô Jupiter, iſta huic denega, etiamſi te oraverit induta veſte albâ.* Quod ſi *petis robur nervis & corpus validum in ſenectute fiat, benè eſt. At ampli catini, & pinguia ſacrimina prohibent Deos, & Jovem retardant iſta concedere.* Tu verò *cupis opes accumulare bove mactato, & extis provocas Mercurium:* dicens *Largire domum fortunatam,*

Expiat, urentes oculos inhibere perita;
Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto
Nunc Licinî in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.
Hunc optent generum Rex & Regina: puellæ
Hunc rapiant: quicquid calcaverit hic, roſa fiat.
Aſt ego nutrici non mando vota; negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogârit.
Poſcis opem nervis, corpuſque fidele ſenectæ:
Eſto; age. Sed grandes patinæ, tucetaque craſſa
Annuere his Superos vetuere. Jovemq; morantur.
Rem ſtruere exoptas, cæſo bove; Mercuriumq;
Arceſſis fibrâ. Da fortunare Penates,

ANNOTATIONES.

am nec improbabilem afferunt rationem nonnulli, quòd dicta manûs figura deſignet & exhibeat Priapum faſcinationum averruncum.

Luſtralibus ſalivis.] In expiationibus adhibitam ab Antiquis ſalivam teſtantur Petron. & Plutarch. Hanc autem ſalutarem eſſe ait Plin. Lib. 28. cap. 4. Obſerva interim eoſdem propè ritus à veteribus uſurpatos in die luſtrico & nominali, qui adhibentur in Baptiſmo Chriſtianorum.

34 *Urentes oculos.*] Id eſt, enecantes, mortem afferentes. Vide Plin. Lib. 7. cap. 2. Item faſcinantes; nam faſcinum maxime pueris timebant; & ad illud inhibendum ſalivam etiam valere arbitrabantur.

35 *Quatit.*] Puerum luſtratum motitat & veluti præſentibus Diis offert: deinde poſt expiationem preces pro eo & vota concipit.

Spem macram.] Id eſt, infantem, de quo tenuis adhuc ſpes eſſe poteſt.
Virgil.

Nec ſpes jam reſtat Iuli.

36 *Licini.*] De quo Licinio ſermo ſit non plane conſtat. Vetus ipſe Perſii Interpres dubitat ſitne idem vir Licinius Craſſus inter Romanos locupletiſſimus, & inde Dives cognominatus, an Licinius tonſor & libertus Auguſti qui valde opulentus erat. Alii contendunt intelligendum potius C. Licinium Stolonem, qui ut habet Livius Lib. 7. num. 16. ob poſſeſſa cum filio agri jugera mille, contra legem à ſe latam ſuâ lege damnatus eſt. Cæterum nec hi nec illi opinionis aut ſuſpicionis ſuæ ullam proferunt validam rationem.

Craſſi.] Sunt qui legant, *Craſi.* Sed, *Craſſi*, fere omnes retinent, intelliguntque de M. Craſſo quem crebris domorum emptionibus & venditionibus locupletatum fuiſſe teſtatur Plutarchus in ejus vita. Porro Licinius & Craſſus ponuntur hîc pro quibuſlibet opulentis hominibus.

Mittit.] Optat & precatur infanti magnas olim opes, agros, domus, &c. & optando velut in earum poſſeſſionem immittit.
Virgil. Æneid. 11. v. 47.

Mitteret in magnum Imperium.

Obſerva etiam Prætorem mittere proprie in poſſeſſionem rei alicujus.

39 *Nutrici non mando.*] Id eſt, nolim nutricem id ſibi muneris aſſumere, ut pro puero vota concipiat. Nam parentes & nutrices optant alumnis potius quæ videntur bona, quam quæ ſunt revera, v. g. formam, opes, &c. Senec. Epiſt. 60. Etiamnum optas quod tibi optavit nutrix. Et Epiſt. 32. Omnium tibi eorum contemptum opto, quorum copiam parentes optaverunt.

40 *Albata.*] Albis veſtibus induti erant qui ſacrificabant, eo quod ille candor veſtis animi ſignificet innocentiam. Tull. de Legibus.

41 *Poſcis opem nervis.*] Jam alia quædam aliorum abſurda vota condemnat Perſius.

Nervis.] In quibus maximè conſiſtit robur corporis.

42 *Sed grandes patinæ.*] Sumptuoſa tua convivia, eſcæ nimiæ idipſum deſtruunt quod tam enixe petis.

Tuceta.] *Tucetum* genus eſt farciminis è ſuillis carnibus minutim conciſis: alii dicunt quamlibet eſcam delicatam, hoc nomine appellari.

44 *Mercuriumque arceſſis.*] Tanquam lucri deum. Vide Plaut. Amphitr. in Prologo.

Da

Digitized by Google

Da pecus, & gregibus fœtum. Quo, peſſime, pacto,
Tot tibi cum in flammis juvencûm omenta liqueſcant?
Et tamen hic extis, & opimo vincere farto
Intendit. Jam creſcit ager, jam creſcit ovile:
Jam dabitur, jamjam; donec deceptus, & exſpes
Ne quicquam fundo ſuſpiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti, incuſaque pingui
Auro dona feram, ſudes; & pectore lævo
Excutias guttas: lætari prætrepidum cor:
Hinc illud ſubiit, auro ſacras quòd ovato
Perducis facies. Nam fratres inter ahenos,
Somnia pituitâ qui purgatiſſima mittunt,
Præcipui ſunto: ſitque illis aurea barba.

concede greges, & fœcunditatem pecori. Sed, ô *improbiſſime, quomodo* hæc fiant, *dum tot inteſtina juvencarum liqueſiunt à te in igne? Atque ille nihilominus ſperat victor eſſe per inteſtina, & pingue libum. Nunc ager incrementum capit, nunc ovium grex augetur: modo,* ait ille, *protinus concedetur* quod opto; *uſque dum nummus defraudatus, & ſine ſpe ingemiſcat fruſtra infimo arcæ fundo. Si offerram tibi pateras argenteas, & munera ex auro ſolido fabricata,* tu ſtatim *ſudorem emittas & ſtillas effundas è thorace ſiniſtro: præcordia* tua *palpitantia exultare* incipiant: *inde hoc venit quod incruſtas ſanctos* Deorum *vultus auro triumphato. Etenim inter germanos ære fuſos, hi præferendi ſunt qui immittunt in ſomnia pituitâ maximè defæcata; & his detur barba ex auro.*

ANNOTATIONES.

46 *Quo, peſſime, pacto.*] Quâ ratione vis gregem tuum creſcere, quem frequentibus ſacrificiis temere & perperam multiplicatis omninò is imminutum & diſperditum?

47 *Flammis.*] Quibus cremantur victimæ.

Omenta.] Inteſtina ſunt molliora, inquit Celſus; Plinius autem Lib. 11. cap. 37. ait eſſe membranas tenues, quæ ventrem interiorem integunt.

Liqueſcant.] Ob adipem & pinguedinem inteſtinis adhærentem, quæ multa adhibebatur à Sacrificantibus, ut eâ liqueſcente ignis accenderetur, & carnes citius conſumerentur.

48 *Et tamen hic.*] Avarus ille & impius precator.

Vincere.] Deos muneribus expugnare, & quidlibet conſequi ab illis.

Farto.] Libum erat è farre, vino, melle, &c. dictum à farciendo, quod è multis erat confertum rebus. Legendum quidam eſſe contendunt *ferto.* Dictum ſeu ob rationem mox allatam, ſeu quòd ad ſacra ſæpe ferretur.

49 *Jam creſcit ager.*] Inquit avarus ſemetipſum ſpe vanâ deludens.

51 *Suſpiret.*] Spiret quaſi & unus reſtet nondum ſtulte conſumptus, ut cæteri.

52 *Incuſa.*] In incude fabricata, vel cælata. Quidam interpretantur infecta, infabricata, ut ſit maſſa auri nondum cuſi.

53 *Pectore lævo.*] Siniſtrâ pectoris parte, in qua ſitum eſt cor. Quidam interpretantur, maligno, perverſo; ſed minus placet.

54 *Excutias guttas.*] Sudoris ſtillas ob vehementem cordis commotionem & lætitiam: eritque hæc expolitio prioris ſententiæ, *ſudes.* Sunt qui de lachrymis intelligant; ſed reclamant hæc verba *pectore lævo.*

55 *Hinc illud ſubiit.*] Ex eo quòd ita gaudes dato tibi auro & argento, hinc animum tuum ſubit opinio, & putas iis pariter Deos gaudere: proindeque eorum ſtatuas auro exornas, ut eos demerearis.

Ovato.] Ex hoſtibus reportato & ex eorum ſpoliis. Ovatio minor triumphus dictus ab ove quæ tunc mactabatur, ſicut bos in majori triumpho. Nec enim placet deducere ab ovo, ut volunt nonnulli, eò quòd quæ inaurantur prius ovi albo illinuntur.

56 *Nam fratres inter,* &c.] Ironia eſt.

Fratres inter ahenos.] Hi ſunt quinquaginta filii Ægypti, quorum ſtatuæ in porticu Apollinis Palatini erectæ. Harum enim quædam oracula & reſponſa per ſomnum poſtulantibus reddere credebantur. Ita veteres Interpres, Caſaub. &c. adversùs nonnullos, qui intelligunt alii quidem Caſtorem & Pollucem, alii verò quoſlibet Deos, qui fratres dicantur, quia ſunt omnes filii unius matris Cybeles, quorum pleræque ex ære erant ſtatuæ.

57 *Pituitâ purgatiſſima.*] Ea enim vera putantur inſomnia, quæ non proveniunt ex humoribus.

58 *Sitque illis aurea barba.*] Superſtitioſi veteres è ſupradictis ſtatuis eos inaurabant, à quibus immiſſum ſibi verum aliquod ſomnium credebant: & quos maxime Deos colebant, iis barbam auream dabant, ut dictum eſt de Æſculapio ſuprà ad ea verba, *Vellere barbam.* Vide & Sueton. in Caligula, cap. 52.

Aurum

Digitized by Google

Aurum expulit vaſcula Numæ, necnon æneas Saturni crateras, *atque immutat capedines Veſtæ, ac teſtas Etruriæ. O mentes pronæ in terram, & vacuæ rerum Cæli! Quid prodeſt illud, inducere mores noſtros ædibus ſacris, & judicare quædam eſſe grata Numinibus, ex iſtâ noſtrâ carne delicatâ ſceleris plenâ? Illa diluit ſibi caſiam oleo vitiato, & decoxit lanas Calabriæ conchylio corrupto. Illa imperavit avellere unionem è concha; & conflare venas caleſcentis metalli è pulvere non cocto. Scelerata eſt illa* quidem, *etiam ſcelerata eſt: nihilominus* ſuum *illi ſcelus utile eſt. Sed vos, ô Antiſtites, loquimini; quid prodeſt aurum in ſacro? Scilicet illud quod* proſunt *imagunculæ puellares à puella Veneri oblatæ.*

Aurum vaſa Numæ, Saturniaq; impulit æra,
Veſtaleſq; urnas, & Tuſcum fictile mutat.
O curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes!
Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores,
Et bona Diis ex hac ſceleratâ ducere pulpâ?
Hæc ſibi corrupto caſiam diſſolvit olivo,
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.
Hæc baccam conchæ raſiſſe; & ſtringere venas
Ferventis maſſæ crudo de pulvere juſſit.
Peccat & hæc, peccat: vitio tamen utitur. At vos,
Dicite, Pontifices, in ſancto quid facit aurum?
Nempè hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ.

ANNOTATIONES.

59 *Vaſa Numæ.*] Teſtacea, ſimplicia, qualia adhibuit Numa Pompilius religioſorum rituum apud Romanos auctor. Cic. Parad. 1. Plin. Lib. 35. cap. 12. & Lib. 33. cap. 11.

Saturnia.] Qualia erant in uſu temporibus vel in æde Saturni. Ovid. Faſt. 1.

60 *Veſtaleſque urnas.*] Quales adhibebant Veſtales in ſacris Veſtæ.

Tuſcum fictile.] Thuſci religioni admodùm fuerunt dediti, ſuoſque ritus ac cæremonias aliis populis accommodârunt. Hi fictilibus vaſis in ſacris ſuis utebantur.

63 *Et bona Diis ex hac*, &c.] Et credere Diis ea probari & bona videri, quæ nobis & noſtræ libidini jucunda ſunt.

Pulpâ.] *Pulpa* & pulpamentum cibus delicatus, ſeu caro prima & ſine oſſibus, Metaphoricè ſumitur pro molli affectu erga luxum & delicias.

64 *Hæc.*] Pulpa nempè & mollities.

Corrupto caſiam, &c.] Invenit unguenta, in quibus caſia ſimul & oleum ſolvuntur, dum miſcentur: pereunt nimirùm, ut tertium quid conficiant.

65 *Calabrum vellus.*] Tarentinam lanam, quæ eſt optima, Calabria regio Italiæ, hodie, *Terra d' Otranto.*

Murice.] Piſcis eſt marinus, è cujus humore color purpureus conficitur.

Coxit.] Infecit, tinxit: id eſt, lana peregrinos colores ementiri didicit per noſtrum luxum. Quod quidem primi omnium invenerunt Lydi ut habet Plin. Lib. 7. cap. 56.

66 *Baccam.*] *Baccæ* propriè ſunt fructus lauri: propter ſimilitudinem autem ita vocantur uniones & margaritæ. Horat. Epod. 8.

Nec ſit marita
Quæ rotundioribus onuſta baccis ambulat.

Raſiſſe.] Limâ avelliſſe unionem conchæ tenaciter adhærentem; vel etiam callo purgare docuit.

Et ſtringere venas, &c.] Id eſt, colligere pulverem & ramenta auri & argenti è venis terræ, & è fodinis: è quibus cùm eruta ſunt metalla, igne purgantur, & pulvis conflatur in maſſam excoquendo in fornace: unde vocat Perſius crudum, cùm extrahitur & colligitur è venis & meatibus ſubterraneis.

68 *Peccat & hæc, peccat*, &c.] Noſtra hæc pulpa & libido eſt vitioſa quidem & peccat: attamen utilitatis aliquid capit è ſuo vitio & peccato. At quid emolumenti redundat in Deos ex auro quod infertur in eorum templa?

70 *Nemo hoc.*] Ironia eſt.

Donatæ à virgine pupæ.] Ephebi bullas Diis Penatibus, puellæ Veneri pupas conſecrabant, ut fauſtum haberent matrimonium. Vide Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 18. Senſus autem Perſii eſt, ſicut virgines nupturæ pupas ſeu infantium ſimulacra offerunt Veneri, ut veros infantes obtineant: ita vos, ô avari, tantulum auri offertis Jovi, Mercurio, aliiſve Diis, ut plurimùm nanciſcamini, & divites fiatis. Sacrificatis igitur non ex religione, ſed ex affectu avaritiæ, adeòque impii & improbi eſtis.

Quin

Digitized by Google

Quin damus id Superis, de magnâ quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago:
Compoſitum jus, faſque animo; ſanctoſq; receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto:
Hæc cedò, ut admoveam templis, & farre litabo.

Eccur non donamus Diis illud potiùs, *quod proles Meſſala habens oculos vitiatos nequeat donare è patinâ capaci: legem humanam ac divinam* benè *ordinatam* in *mente: & penetralia animi pura, & cor exercitatum* in *virtute animoſa: da illa, ut inferam ſacris ædibus, & mola ſalſa* Deos *placabo.*

ANNOTATIONES.

71 *Magnâ de lance.*] Id eſt, ex ingentibus divitiis. Alluſio eſt ad veterum morem, apud quos ex acerrâ pauperes, è lance divites libabant, ut initio hujus Satiræ diximus ad verbum, *acerra.*

72 *Meſſala.*] Ponitur pro quovis opulento & divite. Valerius Corvinus Meſſala à Meſſanâ urbe Siciliæ; ab eo expugnatâ, mutatâ unâ litterâ, dictus; auctor & caput fuit illuſtris Meſſalinorum familiæ. Vid. Macrob. Lib. 1. Saturnal. cap. 6. ſub finem.

Propago.] Intelligit Cottam Meſſalinum, qui crapulæ deditus & gulæ, & à majoribus degener, in ſenectute adeò lippus fuit ut palpebræ ejus in exteriorem partem converſæ eſſent.

73 *Jus, faſque.*] *Jus* eſt id quod ſancitum eſt & licet lege humanâ; *fas*, quod divinâ.

Animo.] Legit Caſaubonus, *animi.*

74 *Incoctum.*] Pridem aſſuetum, omninò imbutum.

Generoſo honeſto.] Virtute quaſi naturali & ingenitâ.

75 *Farre.*] Leviore etiam munuſculo placabo Deos, modò integritatem morum habeam & innocentiam, quam pluris illi faciunt, quam aurum & munera. De farris uſu in ſacris vide Plin. Lib. 18. cap. 3. Item quæ notavi ad Juvenal. Sat. 9. v. 122. ad vocem, *Farre.*

Litabo.] *Litare*, non eſt ſimpliciter ſacrificare; ſed ſacrificio, quod petitur, obtinere. Quocirca ſoli probi viri *litare* dicuntur propriè, ſacrificare quilibet, etiam improbi. Tit. Liv. Lib. 38. cap. 20. *Poſtero die, ſacrificio facto, cum primis hoſtiis litâſſet.* Plautus in Perſa: *Tum Jupiter faciat ut ſemper ſacrificem, nec unquam litem.*

SATIRA. III.

NEMPE hoc aſſiduè? Jam clarum mane feneſtras
Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod deſpumare Falernum

SCILICET iſta continuè? Jam ſplendidum lumen matutinum ingreditur feneſtras, & luce auget arctas rimulas. Indulgemus ſomno, qui valeat concoquere vinum coctu

ANNOTATIONES.

SATIRA hæc tota reprehenſio eſt deſidiæ juvenum bona ſtudia negligentium.

1 *Nempe hoc*, &c.] Quotidie ſcilicet hæc eadem ages & in clarum diem ſtertes? inquit præceptor ad diſcipulos, Philoſophus, inquam, ad juvenes ſibi commiſſos, & ſuam in diſciplinam traditos.

Mane.] Eſt clarus dies, teſte Macrobio, quem lege Saturn. lib. 1. cap. 3. & Gell. lib. 3. c. 2.

2 *Extendit.*] Latiores rimas apparere faciunt radii ſolares intromiſſi.

3 *Stertimus.*] Subtimidam increpationem in primâ perſonâ hìc obſervant nonnulli, & condiſcipulum potiùs quàm magiſtrum indicari volunt, ſed quid obeſt magiſtrum ita diſcipulos increpare & quidem acriter?

Indomitum Falernum.] Athen. Lib. 1. Campanum illud vinum difficulter concoqui affirmat.

Deſpumare.] Metaph. à muſto, vel etiam re ferè quâlibet, quæ non coquitur, niſi actis ſpumis.

Sufficiat

Digitized by Google

Sufficiat, quintâ dum linea tangitur umbrâ.
En quid agis? Siccas inſana Canicula meſſes
Jamdudum coquit: & patula pecus omne ſub ulmo eſt;
Unus ait comitum. Verumne? Itane? Ocyùs adſit
Huc aliquis: nemon'? Turgeſcit vitrea bilis:

difficile, quando Solis *umbra attingit quintam lineam. Ecce quidnam facis? Stella cunicularis ſanitati noxia jam pridem adurit aridas ſegetes: & grex omnis ſub ulmo umbroſa jacet; inquit unus è ſociis. Hoccine verum* eſt? *An ſic* ſe res habet? *Quamprimum iſthuc veniat quiſpiam, nulluſne* veniet? *Bilis pellucida intumeſcit* in me:

ANNOTATIONES.

4 *Quinta dum linea tangitur umbra.*] Hypallage. Id eſt, dum in ſolari horologia umbra tangit quintam lineam, adeòque notat horam quintam. Duo hîc explicanda: alterum, quomodo intelligatur hora illa quinta, altera eſt, ſolaris horologii antiquitas. Quod ad primum attinet, obſervandum quoties apud Auctores ſeu Græcos, ſeu Latinos, horarum fit mentio, ſemper accipiendas horas diei naturalis, ſicut hîc apud Perſium. Diſtinguunt nempe diem, alium civilem, alium naturalem. Hîc ab Ortu Solis ad Occaſum extenditur; ille, noctem ſimul & diem continet, & in horas viginti quatuor diſtribuitur. Porro diem civilem alii aliter definierunt; Perſæ & Babylonii, inter duos Solis exortus: Ægyptii, Athenienſes, & nunc Itali, Occaſu Solis: Etruſci & Umbri meridiebus; alii mediis noctibus, ut Romani olim, & nos hodie, aliique facimus. At dies naturalis (de quo hîc eſt mentio) qui modo brevior, modo longior pro ratione temporum & climatum, dividitur in horas ſeu partes duodecim inter ſe æquales, longiores quidem æſtate, cum longior eſt dies, hyeme verò breviores. Hujus hora prima eſt Solis ortus, ſexta meridies, duodecima Solis occaſus. Itaque Romæ, ubi dies longior ſolſtitialis eſt horarum ferme quindecim, hora illa quinta circa ſolſtitium æſtivum recideret ad noſtram decimam cum tribus quadrantibus; & circa Caniculam, de qua hîc Perſius, eſſet hora ipſa undecima, aut non multo ſecus. Vide Plin. Lib. 2. cap. 76, & 77. & Lib. 7. cap. ultim. Macrob. Saturnal. Lib. 1. cap. 3. Cœl Rhodig. Lib. 12. cap. 9. Alex. ab Alex. Lib. 4. cap. 20. Quod ſpectat ad horologia ſolaria, illorumque antiquitatem, ſi Plinio fides, primus eorum inventor fuit Anaximenes Mileſius. Hoc tamen Anaximandro Anaximenis magiſtro tribuunt Diog. Laërt. Lib. 2. Vitruvius & alii. Romæ vero illorum uſus eſſe cœpit bello Punico primo, ut habet Plinius loco citato. Antiquiora tamen illa conſtat ex ſacris Codicibus Lib. 4. Regum cap. 20. ubi de horologio Achaz, & de Sole per decem lineas retrogrediente. Quamvis enim in textu Hebraico vox nulla ſignificans lineas aut herologium ibi reperiatur, ſed tantum gradus; & Achaz non habuerit horologium lineis & gnomone perfectum, ut nos hodie habemus, at gradus ei fuiſſe arte diſpoſitos, & horas diei per umbram indicantes, colligere eſt ex D. Hieronymo Commentar. in Iſaiam ita ſcribente: *Datur ſignum ut ſol decem gradibus revertatur, quos nos juxta Symmachum in lineas & horologium vertimus, qui gradus intellexit in lineis, ut manifeſtiorem ſenſum legentibus faceret: ſive ita extructi erant gradus arte mechanica, ut per ſingulos umbra deſcendens horarum ſpatia terminaret.*

5 *Canicula.*] Conſtellatio quæ dum Sol in Leone eſt, oritur. Vide Plin. Lib. 2. cap. 40. Unde ab Horatio; *Veſani ſtella Leonis:* à Perſio vero, *inſana* dicitur, quia morbos procreat bene multos, ob æſtum & vehementiam: item canes in rabiem agit. Hinc Horat. Lib. 1. Sat. 6. vocat

Rabioſi tempora ſigni.

6 *Patula pecus omne ſub ulmo eſt.*] Dum meridianus æſtus deferveſcat, greges in umbram deducuntur.

Virgil. Eclogâ 2.

Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant.

7. *Unus ait comitum.*] Hæc plerique referunt ad priorem ſententiam. Sed non abs re contendit Caſaubonus finiendam ante hæc verba præceptoris increpationem: ut verba hæc, *unus ait comitum,* Perſii ſint narrantis: & quæ ſequuntur, ſint expergiſcentium diſcipulorum.

Ocyus adſit.] Adſit protinus famulus, & veſtes afferat, ut ſurgam quamprimum.

Vitrea bilis.] Quaſi vitro ſimilis, quæ in vultu iracundo appareat. Horat. Sat. 3. Lib. 1. *Splendidam bilem,* dixit. Alii interpretantur, inflata, intumeſcens, ut vitrum.

Digitized by Google

Findor: ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.
Jam liber, & bicolor poſitis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.
Tum queritur craſſus calamo quòd pendeat humor:
Nigra quod infuſâ vaneſcat ſepia lymphâ:
Dilutas queritur geminet quod fiſtula guttas.
O miſer! inq; dies ultra miſer, huccine rerum
Venimus? At cur non potiùs teneroq; columbo,
Et ſimilis Regum pueris, pappare minutum

ita *rumpor* vociferando, *ut putes rudere pecora Arcadica. Mox codex & pergamenum duplici colore, pilis depoſitis, & papyrus, & calamus nodos habens manibus inſeruntur. Tum conqueritur quod ſpiſſus liquor hæreat in penna*; deinde, *quod ater ſepiæ* humor *vanus fiat, aquâ inſtillatâ*: poſtea *conqueritur quod calamus duplicet ſtillas liquidas. O infelix! & indies* futurus *magis infelix, an eo rerum devehimus? Sed quare non magis par molli columbæ pullo, & filiis* Regum, *petis teneram eſcam*

ANNOTATIONES.

9 *Findor.*] Laxat habenas iracundiæ petulans adoleſcens, & quia ad laborem & ſtudium non ſponte trahitur, iram in famulos exonerat. Quidam legunt *Finditur Arcadia*, &c.

Arcadia.] Regio eſt Peloponneſi multos & magnos alens aſinos.

10 *Liber.*] Propriè eſt arborum cortex, in quo ſcribi ſolebat ante inventum chartæ uſum. Vide infrà.

Bicolor.] Quia membrana crocea erat eâ parte quâ pilos habet; alterâ verò quâ adhæret viſceri, candidior: *bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat*; ait vetus interpres. Variis etiam coloribus inficiebantur membranæ, inquiunt alii. Sed cavendum ne confundant operculum libri cum membrana in qua ſcribebatur, ut monet Caſaubonus.

Poſitis membrana capillis.] Non deſunt qui interpretentur de capillis adoleſcentis iſtius pexis & comptis ſed refragantur plurimi iique doctiſſimi, & intelligunt de pilis membranæ abraſis pumice, atque adeò depoſitis & demptis. Certè textus ipſe ſenſum hunc adjuvat.

11 *Charta.*] Repertus chartæ uſus ſub Alexandro, teſte Varrone. Anteà ſcribebant in foliis arborum & in corticibus: deinde in chartis quæ fiebant è foliis papyri arboris in Ægypto creſcentis. Demum ſub Eumene Rege inventæ ſunt Pergami membranæ, quæ inde Pergamenæ dictæ ſunt.

Arundo.] Veteres arundine pingebant, Perſius variatis nominibus, *arundinem, calamum, fiſtulam*, vocat.

12 *Pendeat.*] Non fluat atramentum è calamo, & quaſi pendulum hæreat ob nimiam craſſitiem.

13 *Nigra quod*, &c.] Modò querebatur quod atramentum nimis ſpiſſum eſſet, jam dicit dilutius eſſe, & ſcripturam non apparere, aut ſuum potius non habere colorem.

Sepia.] Metonymia, pro ſepiæ piſcis humore atro, qui atramento ſimilis, quem etiam pro atramento fuiſſe apud Afros, ait vetus Interpres. De ſepiæ natura & induſtria, vide Plin. Lib. 9. cap. 9. & Lib. 32. cap. 10. in fine.

14 *Dilutas queritur.*] Addit & propter affuſam aquam adeo liquidum factum eſſe atramentum, ut papyrum maculet, uberius effluens quam par ſit.

15 *O Miſer.*] Qui tot & tam vanas pigritiæ excuſationes prætendit, quam miſer eſt!

Huccine rerum venimus?] Adeòne vile eſt ſapientiæ ſtudium, ut tam lentè & oſcitanter captetur? Porrò obſervat Caſaubonus juvenes quos hìc redarguit magiſter ille, non fuiſſe eâ ætate, ut iſta puerilia cauſarentur, ſed alias ſolitos afferre ignaviæ excuſationes haud multo nugis illis graviores: undè per ſimilitudinem ironicam à magiſtro exagitentur.

16 *At cur non potius.*] Increpatio acris & ſarcaſtica. Cùm res ſerias, quale eſt Philoſophiæ ſtudium, tam pigrè capeſſas; quin potius ad alia omnino incumbis? Illud deſere, & mollitiei te totum da: & cum nolis laborare ut vir, nugare ut puer; imo ad ipſam redi infantiam, in qua nec labores ad mandendos cibos, ſed præmanſos & attritos capias.

Teneroq; columbo.] Cui mater ſemicoctum è ſuo ventriculo cibum extractum in os inſerit, ut faciliùs molliuſque alatur.

17 *Regum pueris.*] Qui deliciis & imperio innutriti omnia ad libidinem ſuam fieri volunt, nec grave quidquam ſuſcipiunt aut moleſtum. Ita apud veteres notari ſolebant corruptis homines moribus, inquit Caſaubonus, *eſt ſimilis Regum pueris*, putà alicujus Sardanapali.

Pappare.] Infinitivus pro nomine ſubſtantivo, ut Sat. 1. *Noſtrum illud vivere triſte.* Senſus eſt, quin petis cibos jam præmanſos & comminutos quos faciliùs, & ſine ullo labore deglutias.

Poſcis, & iratus mammæ lallare recuſas ?
An tali ſtudeam calamo ? Cui verba ? Quid iſtas
Succinis ambages ? Tibi luditur. Effluis amens ;
Contemnêre. Sonat vitium percuſſa, malignè
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus ſine fine rotâ. Sed rure paterno
Eſt tibi far modicum, purum & ſine labe ſalinum.
Quid metuas ? Cultrixque foci ſecura patella eſt.
Hoc ſatis ? An deceat pulmonem rumpere ventis,

attritam, & excandeſcens contra nutricem, repellis cantilenam lalla ? Studione incumbam cum *ejuſmodi penna ? Cuinam verba* das ? *Quorſum has tergiverſationes ſucclamas ? Pro te alea jacitur. Dilaberis ſtulte, contemptui eris. Vas fictile* digito *pulſatum ſono oſtendit defectum, & excoctum argilla non recenti reddit tinnitum fractum. Tu es* velut *limus humidus & tractabilis, jamjam fingendus, & abſque intermiſſione formandus rotâ vehementi. At* ex *agro patris habes frumentum tenue, & vas ſalis mundum ſine defectu. Quidnam timeas ? Habes etiam patinam tutam camini excultricem. Illud ne ſufficit ? An decorum eſt pulmonem frangere ventis,*

ANNOTATIONES.

Cibum puerulórum papas, potum buas antiqui appellabant : unde *pappare* eſt ejuſmodi cibos captare.

Plaut. in Epidico :

Novo liberto opus eſt quod pappet.
Dabitur, præbebo cibum.

18 *Iratus mammæ.*] Pater tata, nutrix & mater mamma pueris olim vocabatur, teſte Catone. Non ergo intelligendum eſt de ubere nutricis, quaſi lac ſugere ille puer recuſet, ſed potius nolit dormire ad ſolitam cantilenam, *lalla*, à nutrice vel matre ſæpius repetitam · quod delicatuli pueri moroſitatem redarguit.

Lallare.] Eſt repetere ſæpius vocem, *lalla*, quod ſolemne eſt nutricibus, ut cantiunculis iſtis ſomnum puerulo concilient.

Lallare recuſas.] Reſpuis nutricis blandimenta, & pertinaci vagitu contra illam iraſcens, ſomnum admittere recuſas.

19 *An tali ſtudeam calamo ?*] Pertinax adoleſcens, cùm agnoſcere culpam deberet moreſq; corrigere, inanes potius ſuæ ignaviæ excuſationes quæritat.

Cui verba ?] Reponit magiſter : itane ſperas nobis imponere ?

20 *Tibi luditur.*] Tua res agitur ; quòd tempus teris, tibi, non mihi perit.

Effluis amens.] Te ipſe perdis, teipſum jugulas.

21 *Contemnêre.*] Quoniam nihil afficit homines magis quàm contemptus : hunc etiam juveni moroſo objicit & minatur prudens magiſter.

Sonat vitium.] Urget per ſimilitudinem. Sicut tinnitu rauco & abſurdo cognoſcitur vaſis defectus, cum digito percutitur : ſic tu cum à me ad meliora incitaris, & quaſi tangeris, exhibes animi vitium & parvam affectionem.

Maligne reſpondet.] Contrarium eſt, *Solidum crepat*, quod videbimus Sat. 5.

23 *Udum & molle lutum es.*] Inſtat magiſter. Attamen hâc ætáte qua es potes emendari dum tener es, & in meliùs formari ac fingi ; ſi modò gerere mihi morem volueris, & ſubire diſciplinam, licèt ea tibi primâ fronte acris & aſpera videatur.

Nunc nunc.] Id eſt, modò & ſine mora, dum adhuc juvenis es, ac velut cera ſeu teſta mollis, cujuſcumque formæ capax.

24 *Rotâ.*] Figulinum eſt inſtrumentum ab Anacharſi, teſte Plinio, inventum, quo circumacto fictilia vaſa finguntur.

Sed rure paterno.] Prolepſis. At, inquies, quid opus me laboribus ac vigiliis fatigare, cùm poſſim beatam & tranquillam vitam agere, contentus patris etſi mediocribus divitiis ?

25 *Far modicum.*] Sufficiens fortuna, licèt modica.

Purum.] Seu mundum & nitidum, ſeu quæſitum ſine dolo.

Salinum.] Pro qualibet ſupellectili.

26 *Cultrixque foci.*] In foco lares colebantur.

Secura patella.] *Patella*, vas è quo libationes Diis Laribus ad focum ferebantur, *ſecura*, quia domeſticos Deos religioſè colens præſidium ab iis & patrocinium ſibi pollicetur.

27 *Hoc ſatis ?*] Refellit magiſter dicta diſcipuli.

Pulmonem rumpere.] Præ ſuperbia & faſtu : ob nobilitatem & cenſum ſupra modum & ineptè inflari.

Stemmate

Digitized by Google

Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis;
Cenſoremve tuum, vel quod trabeate ſalutas?
Ad populum phaleras. Ego te intus & in cute novi.
Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ?
Sed ſtupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: neſcit quid perdat, & alto
Demerſus ſumma rurſum non bullit in unda.

quia milleſimus trahis lineam ſucceſſionis ab Etruſco genere; vel quod Cenſorem inter tuos ſalutas, vel quia trabea veſtitus es. Ad plebem phaleras. Ego te cognoſco interius & exterius. Numquid non pudore afficeris vitam agere ad inſtar Nattæ diſſoluti? At ille ſtupidus eſt defectu naturæ, *& in præcordiis craſſa pinguedo enata eſt: vocat noxa: ignorat quantum amittat, & profundo obrutus non emergit iterum in ſupremam aquam.*

ANNOTATIONES.

28 *Stemmate quod Thuſco,* &c.] Eo quod per mille generationes originem ducas ex aliqua vetuſta & nobili Etruriæ familia. Porro *ſtemma* Græce corona eſt è floribus præſertim. Metaphorice ſumitur & pro gentilitiis inſignibus, & pro ſtatuis & imaginibus Majorum, quæ ornabantur ſertis ejuſmodi floreis & corollis: item pro arbore, ut aiunt, conſanguinitatis, quam ductis lineis additiſque rotundis figuris efficiebant antiqui, & ſtemma appellabant. Plin. Lib. 35. cap. 2. *Stemmata lineis diſcurrebant ad imagines pictas.* Vide Juvenal. Sat. 8. initio.

Ramum ducis.] Lineam nempe ſucceſſionis. Iſidorus, Lib. 9. cap. 6. Solent advocati ſtemmata, ſive ramuſculos facere in genere, cum gradus cognationum partiuntur.

29 *Cenſoremve tuum.*] In tua cognatione & gente.

Trabeate.] Nobili veſte indutus è purpura. Alex. ab. Alex. Lib. 5. cap. 18. Romulum primum trabea uſum fuiſſe ait; & triplex trabeæ genus luculenter explicat. Vide Juvenal. Sat. 8. v. 250. ibique Annot.

Salutas.] Nimirum in cenſu: poſtquam enim Cenſor Equites Romanos recognoverat, hi ante illum in tribunali ſedentem tranſvehebantur in equo & trabea, eumque ſalutabant. Alii intelligunt ſalutari imagines Majorum in atrio ſtantes; eo quod Neronis tempore Cenſores nulli erant. Ita pugnat Autumnus adverſus Caſaubonum, imprimiſque contra Marcilium: at quamvis nulli eſſent tunc Cenſores, Princeps ipſe Cenſoris munus hoc exercebat.

30 *Ad populum phaleras.*] Hæc verba plane accommodata ad propoſitum, cum agat contra Equitem Romanum. *Phaleræ* ſunt equeſtria ornamenta. Senſus eſt: ne oſtentes fortunæ bona, quæ non te nobilitant magis, quam phaleræ equum. Illa plebem imperitam decipiunt ac detinent, non autem viros ſapientes qui è ſolis animi bonis hominem æſtimant.

Intus & in cute.] Intimos animi tui receſſus, & quæcunque ibi latent vitia perſpicio.

31 *Natta.*] De quo Horat. Lib. 1. Sat. 6. Quidam legunt, *Nacca.* Quicquid ſit, conſtat intelligi hominem deliciis & libidine perditum ſive is infima ſorte fuerit, ſive domi nobilis à virtute paterna deſciverit.

32 *Sed ſtupet hic.*] Hic ad ſtuporem uſque jam devenit, nec ſe peccare advertit: unde miſeratione magis quam reprehenſione dignus videtur.

Fibris increvit opimum pingue.] Tertullian. Lib. de Anima, cap. 20. *Opimitas,* inquit, *impedit ſapientiam.* Vide & quæ nos Sat. 1. v. 57. ad ea verba, *Pinguis aqualiculus.* Senſus eſt hic: Sicut adeps non ſentit, (teſte Galeno & Ariſtotele) ſic nec mens illius: nam obduruit callum veluti quoddam in animo ejus, nec mirum ſi demergatur in profundum vitiorum prono impetu, cum jam plane cæcutiat ad bonum: quæ tamen pœna eſt ſummæ nequitiæ maxima.

33 *Neſcit quid perdat.*] Virtutis enim pulchritudinem jam non videt, & pretium ejus ignorat: ſicut & turpitudinem vitiorum & infamiam haud animadvertit.

Alto demerſus.] Vitiorum barathro abſorptus.

34 *Non bullit.*] Non emergit, non aſſurgit; nam cum ſtupens ejus conſcientia nullis agat eum ſtimulis, nequaquam redire poteſt ad meliorem frugem. Horreſce vero, tu adoleſcens, ad tam deploratum ſtatum, & cave, ne eodem miſeriæ devenias, niſi mature frœnum injicis petulantiæ juvenili.

Digitized by Google

Summe Deorum parens, noli plectere alio modo dominos crudeles, quando ſæva cupiditas infecta toxico ardenti impulerit animum illorum: nempe, *aſpiciant virtutem, &* eâ *deſerta, tabe emarceſcant. An æs tauri Siculi majores edidit gemitus: & gladius è lacunaribus auro intectis ſuſpenſus plus tremefecit purpura exornatum caput ſub* ſe, *quam*

Magne pater Divûm, ſævos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tinctа veneno:
Virtutem videant, intabeſcantque relictâ.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci:
Et magis auratis pedens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit: imus,

ANNOTATIONES.

35 *Magne pater Divûm.*] Stupori Nattæ acerbos illos opponit cruciatus, quos tolerant ii qui virtutem cognitam habuere, nec tamen ſecuti ſunt: hos vero tantos eſſe ait, ut ſceleratis gravius optari tormentum nequeat: hæc egregie Caſaubonus, additque videri Perſium reſpexiſſe, ad locum Platonis in Gorgia, ubi ait in animis defunctorum Tyrannorum vibices extare, teſtes eorum ſcelerum, è quibus Rhadamanthus eorum ſcelera dijudicet.

Sævos punire Tyrannos.] Aliorum malis gaudentes, quales fuere Buſiris, Diomedes, Phalaris, uterque Dionyſius, ipſeque Nero, quem hîc notari plerique autumant.

36 *Haud alia ratione.*] Non aliter punias, quàm conſcientiæ flagellis & ſcelerum ſuorum furiis eos tradendo. Vide Juvenal. Sat. 13. D. Auguſtin. Lib. de Magiſtro, cap. 9. *Perſius*, inquit, *omnibus pœnis quas Tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia, quæ vitare non poſſunt, coguntur agnoſcere.*

37 *Moverit ingenium.*] Impulerit ad aliquod atrox ſcelus.

Ferventi tincta veneno.] Cupiditas præceps & vehemens crudelitate & inhumanitate ſtipata.

38 *Virtutem videant.*] Tull. Lib. 2. de Finibus: *Oculorum in nobis ſenſus eſt acerrimus, quibus ſapientiam non cernimus. Quam illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur!* Hunc Tullii locum videtur expreſſiſſe Sanctus Auguſtinus Enarratione in Pſalmum 64. ubi ſic habet: *Habes oculũ foris, unde videas aurum: intus eſt oculus, unde videatur pulcritudo juſtitiæ. . . . . Quædam ergo eſt pulcritudo juſtitiæ quam videmus oculis cordis; & amamus, & exardeſcimus*, &c. Alii legunt, *Virtutem invideant*, vel *Virtuti invideant*, ſcilicet aliorum: parvi certe intereſt.

Intabeſcantque relictâ.] Dolore acerbiſſimo velut aliqua tabe conſumantur, quod ultro abjecerint virtutem, rem adeo pretioſam & amabilem.

Horat. Lib. 3. Ode 24.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Hæc ipſa eſt pœna damni, quam in damnatis Theologi agnoſcunt.

39 *Anne magis Siculi.*] Ne vero hæc à me gratis dici putet aliquis; omnia certe Tyrannorum inventa ad cruciandos homines, leviora ſunt conſcientiæ tormentis aſſiduoque ſtimulo, quibus interquieſcere nunquam ſinuntur. Certe quanto præſtat animus corpori, tanto graviora ſunt animi vulnera, quam corporis.

Gemuerunt æra juvenci.] Metonymia, pro, ingemuerunt homines incluſi tauro æreo. Perillus Faber Athenienſis Phalaridi Agrigentinorum in Sicilia Tyranno fabricatum à ſe taurum æneum dedit, in quo ſubjecto igne cruciarentur homines, & taurinos mugitus imitarentur. Ipſe vero Artifex in eum immiſſus primus artis ſuæ periculum fecit. De eo Plin. Lib. 34. cap. 8. *Perillum nemo laudat*, inquit, *ſæviorem Phalaride Tyranno, qui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus, igne ſubdito; & primus eum expertus cruciatum juſtiore ſævitia.*

40 *Auratis pendens laquearibus enſis.*] Suſpenſus è laqueari gladius ſeta equina, & imminens capiti Damoclis apud Dionyſium Siciliæ Tyrannum. Nota hiſtoria ex Cic. Tuſc. Quæſt. 5. Macrob. ad Somn. Scipionis, Lib. 1. cap. 10, *&c.*

41 *Purpureas ſubter cervices.*] Mors imminens terruit Democlem regio ornatu amictum, ſub enſe illo poſitum.

Magis terruit quam, &c.] Id eſt, Nec Perillus accenſo tauro æneo incluſus miſerabilius gemuit, nec Damocles imminentem ſibi mortem animadvertens magis exhorruit, quam torquetur ſceleratus intimis animi cruciatibus, cum ſcelerum ſtimulis & furiis agitatur.

Imus, imus præcipites.] Egregia Proſopopœia Tyranni conſcientiæ flagellis & tormentis adacti; quibus ſecum ipſe in ſummâ deſperati-

Digitized by Google

Imus præcipites, quam ſi ſibi dicat; & intus
Palleat infelix quod proxima neſciat uxor?
Sæpè oculos memini tingebam parvus olivo,
Grandia ſi nollem morituri verba Catonis
Diſcere, ab inſano multùm laudanda magiſtro,
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Jure etenim id ſummum, quid dexter Senio ferret

ſi quis ſibi ipſi inclamet, currimus, currimus in præcipitium, atq; is intra ſeipſum *miſer extimeſcat* id *quod ignoret conjux propinqua? Recordor* quod ego *puer linibam frequenter oculos oleo, quando nolebam memoriæ mandare dicta gravia Catonis morti proximi, valde æſtimanda à præceptore ſevero, quæ parens* meus *ſudorem emittens auſcultaret convocatis familiaribus. Nam illud meritò præcipuum erat* mihi *in deſiderio, callere, quid afferret felix Senio,*

ANNOTATIONES.

one, dicat: actum eſt de nobis, præcipitamur, perimus, omni ſalutis ope deſtituti. Tiberius apud Sueton. cap. 67. *Quid ſcribam vobis, P.C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dii me Deæque pejus perdant, quàm quotidie perire ſentio, ſi ſcio.*

42 *Intus palleat.*] Vox una, *palleat*, pro duabus, ut obſervat Caſaubonus. Nec enim pallor intùs eſt; ſignificat igitur, intùs timeat, & foris palleat.

43 *Quod proxima neſciat uxor.*] Nec flagitium, propter quod expalleſcit, nec tormentum quo urgetur ac intabeſcit, audet cum quoquam communicare, unde magis torquetur. Ovid.

Strangulat incluſus dolor, & cor æſtuat intus.

Credunt nonnulli alluſiſſe ad Dionyſium Tyrannum, qui nec uxori nec liberis confidebat. Porrò ex his mirâ arte Perſius virtutis excellentiam oſtendit, ex eo quòd illâ carere ſit miſerrimum.

44 *Sæpè oculos memini,* &c.] Ego puer pueriles olim excuſationes quærebam, ut ſtudia literarum laboremque detrectarem; & hoc ætati indulgendum videtur; & tu qui puerilia depoſuiſti, & ſapientiæ præcepta jam delibâſti, certè culpaberis ſi ad ejuſmodi nugas & excuſationes vanas iterùm convolas, ne virtutem & bonas diſciplinas amplectaris.

Tingebam olivo.] Ad ſimulandam lippitudinem, nam ut ait vetus interpres, *oculi oleo tacti perturbantur ad tempus.* Quod quidem intelligendum (ut benè monet Caſaubonus) de interioris oculi tactu; aliàs, nedum læderet oculos, imò juvaret, ciliorum ſuperficiem oleo linire.

45 *Grandia ſi nollem.*] Ne memoriter diſcere cogeret declamationes quaſdam pueris tum familiares; v. g. Ethopœiam, in qua morituri Catonis verba exprimerentur, cùm deliberaret apud ſe, ſatiuſne foret ſibi vitam eripere, quàm in manus Cæſaris incidere.

Catonis.] Uticenſis nempè, qui partes Pompeii ſecutus, hunc debellatum videns, Uticæ in Africa ſe ipſe interemit.

De hoc Lucanus Lib. 1.

Cauſa Diis victrix placuit, ſed victa Catoni.

Is antequam moreretur, Platonis de animæ immortalitate Dialogum perlegiſſe fertur: undè quidam Interpretes eò referunt quod ait Perſius, *grandia Catonis verba*, quaſi ille de animæ immortalitate multa etiam præclarè tum dixerit, quæ recitarentur à pueris: ſed prior ſententia verior eſt, & doctioribus magis arridet.

46 *Inſano.*] Nec interpretari placet acri, moroſo, & moleſto: multo minus, ut quidam, valde ſano; ſed quaſi male ſano, qui puero ficte & affectate recitanti applauderet, & puerilem operam magnâ ambitione laudaret coram parentibus & cognatis, ut eis ſic adulando, majorem quæſtum & mercedem expiſcaretur. Fortè & Juvenalis ait hîc Catonis verba multum laudanda à magiſtro, ut puero animos adderet ac ſtimulos; nam, ut ait Ovidius.

Laudata virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

47 *Quæ pater adductis.*] Declamabant pueri ſextâ quaque die, præſente patre, qui amicos & cognatos in ludum corrogatos adducebat ad audiendum filium. Vide Quintil. Lib. 2. c. 7. & Lib. 10. c. 5.

Sudans.] Præ lætitia, & expectatione ſollitâ eventûs recitationis.

48 *Jure.*] Quidam hìc ſeparant ſenſum: alii jungunt vocem hanc cum ſequentibus. Utrovis modo legas, perinde eſt, ſemper enim puerilem ſenſum animadvertes, qui nihil ſibi tanti æſtimandum, imò tam legitimum nihil exiſtimat, quàm pueriles nôſſe ludos ad amuſſim ludorumque leges.

Quid dexter Senio ferret, ſcire erat in voto.] Præcipua mihi ſummaque erat cura, ſcire quid

Digitized by Google

quantum demeret Canis jactum creans? | Scire erat in voto ; damnoſa Canicula quantum

ANNOTATIONES.

nocerer, quid prodeſſet in ludo talorum. Libet inveſtigare quis hujus ludi primus auctor. Hîc ſuſtine me tantulum, bone lector. Quanquam enim prurienti ardentique ſtylo modum ponere ac frænum injicere conſuevi, at jam exultanti per amœnum campum laſcivientique habenas laxabo pauliſper. Ecce verò (quod fauſtum felixque ſit) Dux Burgundiæ natali die toti Galliæ feſtivâ mappam mittit. Ergo aperto ſtadio libere decurramus. Tu, lector, interim ſede in ſcammate, ſis etiam Ariſtarchus, ſi lubet : ego ſane tam fortunatis auſpiciis nihil non tentabo, nihil non moliar, Agonothetâ Magno Rege, Delphinoque Sereniſſimo. Quis, inquam, talorum inventor? id arrogant atq; attribuunt alii aliis, inquiunt nonnulli ; Plato Theuti Ægyptiorum Deo : Palamedi Euſtathius atq; Philoſtratus. Lydis Herodotus. Verum enimvero ipſos auctores adeamus, audiamuſque : neque plus ſatis Interpretibus fides habeatur. Herodotus (cui me adſtipulari ſtatim profiteor) diſerte affirmat, tempore Atyis filii Manis Regis, graſſante annonæ penuriâ, Lydos inveniſſe omnium quidem ludorum genera, excepto uno, ad diſcutiendam nempe famem : ita ut alterâ die toti luſibus occupati, alterâ verò cibum capientes, vitam utcunque ſuſtentârint. annis duodeviginti. Sic ille ſcribit Lib. 1. n. 26. Ἐξευρεθῆναι δὲ τότε ϗ τῶν κύβων, ϗ τῶν ἀστραγάλων, ϗ τῆς σφαίρης, ϗ ἄλλων πασέων παιγνιέων τὰ εἴδεα πλὴν πεσσῶν, τούτων γὰρ τὴν ἐξεύρεσιν οὐκ οἰκηιοῦνται Λυδοί. *Tunc igitur inventa teſſerarum ac talorum & pilæ ceterorumque ludorum omnium genera, præterquam calculorum. Horum enim inventionem ſibi non vindicant Lydi.* Cave autem diligenter, ut ſic Latine reddas textum hunc, maxime vero vocem πεσσῶν de calculis intelligas, non de Talis ; ut dormitanti Vallæ contigit, dum elegantem magis quam accuratam interpretationem elaboravit. Quod & ſenſit Henricus Stephanus, ejuſque non hîc tantum, ſed paſſim errores emendavit. Vallam fefellit, & ut alios complures, quod voces iſtæ κύβοι, πεσσοὶ, κυβεία, πεττεία, promiſcue uſurpantur. Verum oſcitari nefas erit Interpreti, quando tam luculenter diſtinguit Herodotus, atque κύβους à Lydis inventos ludoſque omnes præter πεσσούς. Porro ne quis hæreat cuiquam ea de re ſcrupulus, Heſychius quamquam interdum cum vulgo loquens ea vocabula confundit, & pro quavis alea ſumit ; at ubi opus eſt, & res exigit, latum inter ea diſcrimen his verbis notat: Διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας, ἐν ᾗ μὲν γὰρ τοὺς κύβους ἀναῤῥίπτουσι, ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ αὐτὸ μόνον τὰς ψήφους μετακινοῦσι. Quis jam neſcit *talos ac teſſeras jactari, calculos promoveri* duntaxat? Adde Euſtath. in Od. 1. ita ſcribentem, Πεσσὰ πέντε ἦσαν οἷς ἐχρῶντο ϗ ἐπὶ πέντε γραμμαῖς τὰς ψήφους ἐτίθουν, ὧν μέση ἱερὰ ἐκαλεῖτο, ϗ διὰ τὰς πέντε ταύτας ϗ πεντέλιθα ἔδοξεν κληθῆναι, &c. Et paulo poſt: τοὺς δὲ πεσσοὺς λέγει ψήφους εἶναι πέντε, αἷς ἐπὶ πέντε ἕκαστος τῶν πεττευόντων ἔχει τὰς καθ' ἑαυτόν. Ergo certum eſt πεσσοὺς eſſe calculos, non vero Talos accurate loquentibus. At, ut dixi, non raro ſine diſcrimine voces eæ adhibitæ reperiuntur. Et hinc, ni fallor, oſtendo Palamedem non inveniſſe talos, ut volunt aliqui ſed calculos. Nam etſi Euſtath. ad Iliad. β. Παλαμήδους ἐπινοησαμένου κυβείαν ϗ πεττείαν εἰς παραμύθιον λιμοῦ, promiſcue ut vides, ſcribat : at Philoſtratus in Heroïcis πεττοὺς εὗρεν ſimpliciter ait. Similiter cum Plato in Phædro ſub finem, ita ſcribit : ἤκουσα τοίνυν περὶ Ναύκρατιν τῆς Αἰγύπτου γενέσθαι τῶν ἐκεῖ παλαιῶν τινα θεῶν . . . . αὐτῷ δ' ὄνομα Θεῦθ· τοῦτον δὲ πρῶτον ἀριθμόν τε ϗ λογισμὸν, εὑρεῖν, ϗ γεωμετρίαν, ϗ δὲ ἀστρονομίαν, ἔτι δὲ πεττείας ϗ κυβείας, ϗ δὲ γράμματα. Tum, inquam, contendo, aut de calculis rem eſſe, aut de alea ſine diſcrimine : aut ſaltem Theut in Ægypto inveniſſe id quod in Lydia Lydi, vel ſimile quidquam. Nam & literas & varias illas artes ac diſciplinas quæ ab eo inventæ ibi dicuntur, ad alios etiam auctores referri docti nôrunt.

49. *Damnoſa Canicula quantum raderet.*] Quanto lucri *Senio*, quantum damni *Canis* faceret. Porro qualiter omnino exerceretur ludus ille talorum, haud conſtat. Sunt qui teſſeris tribuant quod talorum eſt, & contra : in his tamen conſentire omnes videntur : luſitatum olim quatuor Talis, teſſeris vero tribus : teſſeras latera ſex habuiſſe ſeu punctis ſeu figuris notata ; talos vero quatuor tantum habuiſſe facies, quarum una exhibebat unitatem, ſive unum punctum ; oppoſita vero, *ſenionem*, ſive puncta ſex : alia facies oſtendebat terna-

Raderet ;

Digitized by Google

Raderet; anguſtæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet ſapiens braccatis illita Medis
Porticus; inſomnis quibus & detonſa juventus
Invigilat, ſiliquis & grandi paſta polentâ.

non decipi faucibus arctæ orcæ: neve aliquis peritior eſſet circumagere trochum ſcuticâ. Tibi verò non incognitum eſt diſcernere mores corruptos; & ſcis ea quæ docet eruditum ambulacrum Medis braccas habentibus inſignitum; & ea quibus ſtudent juvenes vigiles, raſis capillis, veſcentes leguminibus, & pulte craſſa.

ANNOTATIONES.

rium; quarta denique huic oppoſita quaternarium. Conſtat præterea minimum jactum in Talis unitatem fuiſſe, & vocatum, *canem*: at contra, ſummum, *Venerem*, appellatum fuiſſe: at compertum minime eſt quid eſſet *Venus*: nonnulli enim hanc cum *Senione* confundunt; quamquam alii, & fortaſſe verius, *Venerem* eſſe affirmant cum Tali quatuor diverſos omnes exhibent numeros, nempe 1, 3, 4, 6. Rurſùm pugnant quid vocetur *Senio*. Contendunt enim aliqui numerum eſſe quaternarium, alii vero ſenarium. Porrò (quod etiam conſtare videtur) in *Venere Canis* proderat, etſi alias damnoſus: ſicut & *Senio* alioqui fauſtus, nonnunquam infelix erat, quod probant ex loco Suetonii in Auguſto, cap. 71. *Talis jactatis, ut quiſque Canem aut Senionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios conferebat in medium, quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat.* Sed & corruptum locum hunc non nemo contendit ex vetuſtiſſimis Exemplaribus; legendumque, *Ut quiſque Canem miſerat in ſingulós talos, ſingulos denarios conferebat in medium, quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat aut Senionem.* Unde concluderetur *Senionem* ſemper dici & fuiſſe jactum felicem, &, ut ait Perſius, *dextrum*. Quod etiam de *Cane* addit Perſius, *raderet*, aiunt fuiſſe quoddam aleæ genus, in quo *Canis* quinque puncta de aliis numeris detrahebat. Vide Alexand. ab Alex. Lib. 3. cap. 21. Cœl. Rhodig. Lib. 2. cap. 27. Adrian. Turneb. Adverſar. Lib. 5. cap. 6. Lib. 27. cap. 3, &c. Item quæ Lib. Fromondus curioſe pariter & docte ſcripſit, Comment. in Senecæ Apocolocyntoſin Claudii Cæſaris, n. 134.

50 *Anguſtæ collo non fallier orcæ.*] Aliud luſionis puerilis genus; quamquam aliqui de eodem Talorum ludo intelligant, eò quod è fritillo Tali mittebantur. Malim tamen interpretari de Nucibus quæ in vas quoddam anguſti colli in terra defixum conjiciebantur.

Ovid. de Nuce.

Vas quoque ſæpè cavum ſpatio diſtante locatur,
In quod miſſa levi nux cadit una manu.

Noſtri temporis pueri in ſcrobem nuces conjiciunt. Senſus Perſii eſt, ſtudebam ita nuces injicere in orcam, ut non aberrarem ab arcto licet oſtio. Vide Eraſmum.

Orca.] Vas in modum turriculæ, quod & pyrgus dicitur.

Horat. Lib. 2. Sat. 7.

Mitteret in pyrgum talos.

51 *Buxum.*] Trochum è buxo. Tertius eſt puerorum ludus, quem deſcribit Virgil. Æneid. 5. & vocat *volubile buxum.*

52 *Haud tibi inexpertum,* &c.] Tu vero imbutus es præceptis moralibus & ſapientiæ regulis.

53 *Braccatis.*] Per braccas certe peregrinam veſtem potius & barbaram Perſius videtur voluiſſe indicare, quam proprium Perſis ac Medis indumentum. Nec eſt quod ita pugnent interpretes inter ſe de uſu & diſcrimine togæ ποδήρης apud Medos, & ἀναξυρίδος.

Illita Medis porticus.] Illa Porticus Athenis erat, & ςοὰ dicebatur: unde & Stoici vocati ſunt Philoſophi, qui in ea docebant. In parietibus illius depicti erant Perſæ & Medi cum Xerxe & Dario Regibus ſuperati à Miltiade, Leonida, Themiſtocle, in Campis Marathoniis, item ad Thermopylas, & ad fretum Salaminium. Vide Laërtium. Plin. Lib. 35. cap. 9. Diodor. Lib. 6. cap. 9. Herodot. Plutarch. & alios.

Medis.] Populi Aſiæ fuerunt mari Caſpio affines verſus Septentrionem; totius quondam Aſiæ Imperio potiti. Nunc ea regio Perſiæ pars eſt.

54 *Detonſa juventus.*] Quippe Stoici comam non alebant. Quod expreſſe notat Juvenal. Sat. 2. ubi habet.

Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi,
Atque ſupercilio brevior coma.

Quare hallucinantur qui legunt vel *intonſa*, vel *indetonſa*; & notari volunt incuriam & negligentiam habitus externi in ſtudioſis, crines propterea non tondentibus: neque nocet quod legemus mox Sat. 4. de barbato magiſtro. Nam de Socrate ibi ſermo eſt, hîc de Stoicis; alios autem aliis ritus & mores fuiſſe conſtat.

55 *Siliquis & grandi paſta polenta.*] Victui modico & philoſophico ſeu facile parabili aſſueta. *Siliqua* proprie eſt operculum ſeu folliculus leguminis. Quod addit Perſius, *grandi*

Digitized by Google

Et tibi quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monſtravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage ſolutâ
Oſcitat heſternum, diſſutis undique malis?
Eſt aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris cervos, teſtâve, lutove,
Securus quò pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum fruſtrà, cùm jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas. Venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Diſcite, ô miſeri, & cauſas cognoſcite rerum,

Et litera quæ dividit ramos Samios, oſtendit tibi viam arduam dextro calle. Etiamnum dormis? Et caput ſolutum juncturis laxatis oſcitando exhalat *heſternam* crapulam, *genis undequaque diſſolutis? Eſt* ne *quiddam ad quod properas, & in quod tendis arcum? Utrum temere ſectaris corvos, &* per *lapides, &* per *cœnum, non curans quò greſſus incidat, & in diem victitas? Cernas* quoſdam *petentes helleborum inutiliter, quando pellis jam male affecta intumeſcet. Ite obviam ægritudini imminenti. Et quid neceſſe* eſt *polliceri Cratero ingentes* auri *acervos? O infortunati, diſcite, & intelligite rerum origines,*

ANNOTATIONES.

polentâ, virum notat robuſtum, fortique ſtomacho valentem, qui multum panis devoret ſolummodò, nullas autem carnes: quibus etiam veſci nefas eſſe credebant Pythagorici.

Polentâ.] Peculiarem Græcis fuiſſe cibum dicunt nonnulli: Alii negant, & poni aiunt pro quolibet pane ſecundario, & pro pulte etiam. De *polenta* fusè Plinius Lib. 18. cap. 7. Item Lib. 22. cap. 25.

56 *Et tibi quæ Samios.*] Pythagoræ etiam documenta delibâſti.

Samios.] Quia inventor illius rei Pythagoras oriundus erat è Samo, Inſula maris Ægei, ex adverſo urbis Epheſi.

Litera.] Nempe Y, per cujus dextrum cornu anguſtum virtutis arduum iter; per ſiniſtrum latius, vitiorum facilem vitam Pythagoras deſignabat. Vide Laërtium.

Martial. Epigram. de litera Y

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur, &c.

Hujus Literæ formam dicitur Palamedes è gruum volatu finxiſſe. Philoſtrat. Lib. 4.

58 *Stertis adhuc.*] Tu ſcilicet tam benè educatus, ita molliter & ſegniter vivis, ut etiam nunc dormias?

90 *Eſt aliquid quo tendis?*] An aliquem habes tibi propoſitum finem? Quod Philoſophiæ præcipuum eſt præceptum, finem nempè noſſe, & ad eum omnia dirigere: unde hunc vitiorum ſuorum fontem aperit magiſter diſcipulo, quòd finem ſibi nullum proponat.

91 *An paſſim ſequeris corvos.*] An temerè agis, & vagabundus erras more puerorum?

Teſtâve, lutove.] Vel ſequeris diſcurrendo per teſtas & lutum, & invia aſperaque loca quælibet: vel petis teſta & luto & ſimilibus, cùm potiùs eſſent ſagittis petendi, ut inanis non eſſet labor.

62 *Atque ex tempore vivis.*] Sine ulla cura & ſollicitudine futuri, quod proprium eſt ſtupidorum, aut etiam brutorum.

Helleborum fruſtrà, &c.] Pharmaca noxios humores purgantia. Lege Plin. cap. 5. Lib. 25. Gell. cap. 15. Lib. 17.

Cutis ægra tumebit.] Per hydropiſim.

64 *Venienti occurrite morbo.*] O juvenes, citò incumbite ſtudio ſapientiæ & virtutis, quæ animi ſanitas eſt; maturè obſiſtite vitiis, quæ animi ſunt morbi. Nam ſicut fruſtrà ad remedia & ad medicum curritur, cum jam morbus invaluit: ita planè, ſi pravos habitus naſci in vobis, creſcere, & confirmari ſinitis; incaſſum poſtea ad virtutem redire nitemini, fruſtrà præceptores & magiſtros morum ſollicitabitis, ut ab ingruenti vitiorum peſte vos liberent.

65 *Quid opus.*] Cùm præcaveri queat morbus, cur eum expectatis, ut tum opem medicorum imploretis ſerò, & ſummâ pecuniæ ingenti exoretis, quando ægritudinem aut depellere omninò non liceat, aut non niſi magnis ſumptibus.

Cratero.] Is fuit inſignis Medicus tempore Auguſti.

Horat. Lib. 2. Sat. 3.

Craterum dixiſſe putato.

66 *Diſcite, ô miſeri.*] Ita legunt Caſaubonus & alii doctiſſimi. *Miſeri* ait, quia ſecundùm Stoicos ſolus ſapiens eſt beatus, reliqui

Digitized by Google

Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur: ordo
Quis datus; aut metæ quàm mollis flexus, & undæ:
Quis modus argento: quid fas optare: quid aſper
Utile nummus habet: patriæ, chariſque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus eſſe
Juſſit, & humanâ quâ parte locatus es in re.
Diſce, nec invideas, quòd multa fidelia putet

quidnam ſumus, & ad quam vitam naſcimur: qua ratio vivendi *præſcripta; vel quàm facilis deflexio termini, & aquæ: quis finis pecuniæ* acquirendæ: *quid licet expetere: quidnam rudis nummus continet fructuoſum: quantum tribuere conveniat patriæ, & dilectis conſanguineis: qualem te Deus eſſe voluit; & quo gradu poſitus es in ſocietate hominum. Ediſce* hæc, *nec invidus ſis: quia multiplex vas fœtet*

ANNOTATIONES.

omnes miſeri ſunt. D. Aug. de Civ. Dei Lib. 2. cap. 6. affert integrum hunc locum, qui certè continent velut Enchiridion Philoſophiæ Moralis. Alii legunt, *diſciteque, ô miſeri,* &c.

Cauſas cognoſcite rerum.] Virgilius Georgic. 2.
Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Scilicet cauſas phyſicas quidem, ſed imprimis finalem, hoc eſt, Philoſophiam Naturalem & Moralem.

67 *Quid ſumus.*] Primum & præcipuum Ethicæ præceptum eſt, γνῶθι σεαυτὸν. Juvenal. Satir. 11. v. 27. Conſidera igitur quæ ſit hominis natura, quàm fragilis & caduca ſecundùm corpus; at quàm nobilis, ſi animum ſpectes. Homo divinæ naturæ particula, ex Epicteto, Deum intra ſe circumfert, &c. Non debet igitur ſui oblitus aut arrogantiâ extolli, aut in ſordidas cupiditates defluere.

Quidnam victuri gignimur.] Id eſt, ad quid naſcimur, ad quid vivere debemus? Numquid ad voluptates, honores, divitias, quibus meliores ſumus? imò, inquit Ariſtoteles, & intelligendum, & agendum.

Ordo quis datus.] Quæ lex impoſita, quod fatum: Eſt enim tenenda vivendi ratio cœlitùs præſcripta; nemo lædendus, jus ſuum cuique tribuendum, &c. Item animi bona bonis aliis corporis, ac fortunæ; utili & jucundo honeſtum anteponi debent.

68 *Aut metæ quam mollis flexus.*] Similitudo à Circenſi curſu, in quo evitanda meta, currum circa eam flectendo magnâ arte & molli dexteritate: atque Perſius tam difficile eſſe vitam hanc moderari citra cujuſquam offenſionem.

Et undæ.] Alia ſimilitudo à Naumachia, in qua ad metam navis celeriter & ſcite convertenda erat.
Virgil. Æneid. 5.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit ſignum nautis, pater: unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.
Aſt alii cum veteri Interprete legunt, *unde* & aliter omninò locum explicant. Primò quidem per mollem flexum intelligunt vitæ brevitatem, atque, ut ait Seneca Epiſt. 99. celeritatem rapidiſſimi temporis, & brevitatem hujus ſpatii per quod citatiſſimi decurrimus. Per metam verò, intelligunt mortem. Deinde quod ait, *unde:* interpretantur cauſas moris, quæ ſæpè facillime contingit. Alii rurſus aliter ſentiunt de hoc loco, quem ſatis obſcurum ipſe Caſaubonus fatetur. Cavendum, inquiunt, *unde*, id eſt, quo loco & tempore curſus ad ſapientiam inſtituatur incipiaturque, ut & commode teneri poſſit, nec ad metam, id eſt, ad finem impingatur. Nihil moror eos qui putant alludi ad certum genus certaminis Græcorum, in quò à carceribus ad metam, & ab hac rurſus ad carceres ſubito recurrendum erat.

69 *Quis modus argento.*] Ut avaritiæ frœnum injiciatur.

Quid fas optare.] Sat. 2. fuſe diſputatum eſt de votorum rectitudine.

Quid aſper utile, &c.] Quomodo prudenter exercenda liberalitas. Nummum porro vocat aſperum, ſeu quia ſignis impreſſis talis eſt, ſeu quia recenter ſignatus & nondum uſu detritus.

70 *Patriæ, chariſque propinquis,* &c.] Singulis enim ſingula perſolvenda ſunt officia ex moderatione rationis.

71 *Quem te Deus eſſe,* &c.] Quâ conditione natus, & quâ ſorte, ut eâ ſis contentus, ejuſque omnia munera impleas.

72 *Qua parte locatus.*] Theatrum ſcilicet eſt orbis, in quo ſuam quiſque perſonam agit. Stoici hominem à Deo in hac velut militem in ſtatione poſitum dicebant, à qua diſcedere injuſſu Imperatoris nefas erat: quapropter appoſite ait, *locatus.*

73 *Diſce.*] Nempe hæc ſapientiæ documenta ediſce, & tene diligenter, quibus felicitatem nanciſcaris: avaritiam vero aliaque vitia contemne.

Quod multa fidelia putet.] Id eſt, quod munera dentur Patronis, Juriſconſultis Ro-

In

Digitized by Google

In locuplete penu, defenſis pinguibus Umbris ?
Et piper & pernæ, Marſi monumenta clientis ;
Mænaque quòd primâ nondum defecerit orcâ.
Hic aliquis de gente hircoſa Centurionum
Dicat : quod ſapio ſatis eſt mihi ; non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cùm ſecum & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,

in quorundam *penuario abundanti, propugnatis Umbris divitibus : &* quod *piper & petaſones, munera Marſi clientis* ſint illic ; *& quia prior mæna non adhuc conſumpta ſit* in *vaſe. Illic quidam de ſtirpe hirſuta Centurionum reſpondebit : ſufficit mihi mea ſapientia ; nec ego laboro eſſe* idem *quod fuerunt Arceſilas, & Solones, calamitoſi cervice incurva, & habentes oculos humi defixos, quando apud ſe intra dentes verſant ſuſurros & taciturnitatem rabidam, & expendunt voces labiis protenſis,*

ANNOTATIONES.

manis, & cauſarum actoribus, ut præ copia putreſcant. *Fidelia*, proprie vas vinarium : undè cum Caſaubono de lagenis vini dono miſſis interpretamur.

74 *Defenſis pinguibus Umbris.*] Quæ præmia ſunt & merces actæ feliciter cauſæ. *Pinguibus*, quia ſolum erat fertile quod colebant, & ipſi opulenti erant. Umbri vetuſtiſſimi Italiæ populi. Plin. Lib. 3. cap. 14. hodie Ducatu Spoletano continentur.

75 *Marſi monumenta clientis.*] Id eſt, munera ad Patronum miſſa à cliente ad excitandam identidem ſui memoriam. Porrò *Marſi* Apuliæ populi fuerunt. Plin. Lib. 3. cap. 11. & alibi. In eorum regione & ſilvis apri erant complures ; hinc pernas ab eis dono mitti Patronis ſuis, ait Perſius.

76 *Mæna.*] Vox Græca, quâ ſignificatur marinus piſcis exiguus, qui Latinè dicitur halec. Ponitur hîc pro quolibet piſce.

Quod primâ nondum defecerit.] Quod nova munera ſuccedant, antequam priora defecerint.

Orcâ.] Vas anguſto collo, in quo reponi muſtum ſolebat. Sumitur & pro quolibet alio vaſe, eo maximè, in quo ſalſamenta & piſces ſaliti ſervabantur. Græcis ὄρχη. Quapropter & Latinè ſcriptum olim, *orcha*, nonnulli affirmant.

77 *Hic aliquis*, &c.] Prolepſis, quâ Perſius exprimit egregiè pravam opinionem, & frequentes ſermones Romanorum quorundam ſtudia ſapientiæ aſpernantium, quos deinde refutat.

Hircoſa.] Legunt alii *hirtoſa*, pro hirta, vel hirſuta, ut ſic deſignentur robuſti viri toto corpore hirſuti & piloſi. At nihilominùs indicantur per vocem *hircoſa :* quippe qui multùm laborant, & rarò veſtes deponunt, ii velut hircus olent præſertim ſub alis, item barbati ſunt : quæ omnia militiam profitentibus ſæpe contingunt, ut graviores Interpretes legunt & explicant.

78 *Quod ſapio ſatis eſt*, &c.] Amo Romanorum vivendi morem, huncque peregrinæ ſapientiæ præfero.

Non ego curo eſſe.] Nolim ego tantum ſapere, & me fatigare in inveſtiganda ſapientia, ut Græci : nolim Academiam inſtaurare, ut Arceſilas ; nec civitatem legibus munire & conſtituere, ut Solon.

79 *Arceſilas.*] Crantoris diſcipulus fuiſſe, & Academiam celebraſſe dicitur, & contra Zenonem, de omnibus dubitandum affirmâſſe. Hinc nonnulli Arceſilam hîc præ aliis nominari, & tacite vellicari aiunt à Perſio, qui Stoicæ erat ſectæ addictus. Tull. in Quæſt. Acad. *Philoſophiæ everſor*, Lactantio, Lib. 4. cap. 5. *Ignorantiæ magiſter Arceſilas* vocatur ; ſanè quia nihil omnino ſciri affirmabat.

Ærumnoſique Solones.] Sapientes vocat ærumnoſos, quia non niſi per multos labores acquiritur ſapientia. Porrò Solon unus erat è ſeptem Græciæ ſapientibus, & Athenienſium legiſlator, de quo fusè Plutarchus, Laertius, & alii.

80 *Obſtipo capite, & figentes lumine terram.*] Hæc ſigna ſunt hominis cogitabundi, & profundâ quâdam meditatione defixi.

Figentes lumine terram.] Hypallage, pro, defigentes terræ lumina. Quod facere à Pædagogis jubebantur, ut modeſtiæ ſimul & meditationi aſſueſcerent ſtudioſi juvenes.

81 *Rabioſa ſilentia rodunt.*] Fortaſſe quia rabidi canes non latrant : vel potius quia, ut habet Quintilianus, Lib. 10. cap. 3. illi qui attente quidquam cogitant, ſæpe etiam ſecum obmurmurando cogitationem agitant. Unde ſi quis de plebe eos tum contempletur, furioſos veluti exiſtimet.

82 *Atque exporrecto trutinantur*, &c.] Fit ſcilicet murmur motitatione labiorum, ut videantur verba ſingula penſitari.

Ægrota

Ægroti veteris meditantes ſomnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.
Hoc eſt quod palles? Cur quis non prandeat, hoc eſt?
His populus ridet: multumque toroſa juventus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.
Inſpice, neſcio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exſuperat gravis halitus: inſpice, ſodes:
Qui dicit medico, juſſus requieſcere, poſtquam

revolventes inſomnia ægri antiqui: v. g. nihil generari ex nihilo: nihil poſſe redire in nihilum. An *illud eſt quo pallorem contrahis?* An *illud eſt, propter quod aliquis non prandeat? Ad hæc plebs in cachinnos ſolvitur, & juvenes nimis delicati multiplicant riſus trementes naribus rugatis. Qui ait Medico; intuere, conſidera, quæſo: neſcio cur palpitat mihi cor, & ſpiratio graveolens è gutture male affecto exit abundanter: is monitus ceſſare à labore, poſtquam*

ANNOTATIONES.

83 *Ægroti veteris meditantes ſomnia.*] Sic per contemptum vocat placita Philoſophica. Lactantius ex vetere Poëta ſic habet: *Quid ægrotus unquam ſomniavit, quod Philoſophorum aliquis non dixerit?*

Gigni de nihilo nihil, &c.] Chriſtianâ fide conſtat Deum Opt. Max. de nihilò omnia creaſſe, at communis opinio fuit veterum Philoſophorum ex nihilo nihil fieri; & non poſſe id quod eſt in nihilum abire.

Lucretius Lib. 1.

Nil igitur fieri de nihilo poſſe putandum eſt,
Semine quando opus eſt rebus, &c.

85 *Hoc eſt quod palles?*] Scilicet pallorem contrahis, & te diſcrucias propter ejuſmodi nugas & deliria? Te, inquam, inediâ conficis, ut Democriti, Epicuri, Diogenis, de principiis rerum vanas diſceptationes & controverſias integres? O te inſanum! inquit ille Centurio hircoſus.

Cur quis non prandeat.] Adeóque ſemel in die cibum capiat. Tull. Quæſt. Tuſcul. 5. *Mente recte uti non poſſumus multo cibo & potione completi.* Hinc ſtudioſi illi veteres ſobrietate acuebant ingenium, ut ad meditationes Philoſophicas aptiores eſſent.

Horat. Lib. 2. Serm. Sat. 3.

Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri.

Vide Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 21. Cœl. Rhodig. Lib. 27. cap. 24.

86 *His populus ridet.*] Alii legunt, *hos*, id eſt, Philoſophos. Alii, *hoc*: Alii, & melius, legunt ex antiquo Codice, & retinent *his*. Senſus eſt: his conviciis in Philoſophos jactatis ab hircoſo Centurione aſſentitur & arridet populus, ſuos etiam cachinnos adjungit, gaudetque juventus militiæ dedita, & ſcientiarum aſpernatrix, ſapientes ita ludibrio haberi, unde & ingeminat ſubſannationem.

Toroſa.] Torus idem eſt quòd caro muſculoſa, hinc toroſus ſignificat robuſtum & corpulentum.

88 *Inſpice, neſcio quid, &c.*] Jam Perſius riſores illos inſipientes confutat. Eſt enim reſponſio Philoſophi ad Centurionem, ex ſimilitudine, cujus protaſim ponit quidem Perſius, apodoſim minime: hanc tu, lector, ſupple, aut ſic habe: ægrotus præcepta Medicorum non obſervans brevi perit: ſic etiam quiſquis Philoſophos animi Medicos audire non vult, corruptis ac perditis moribus ſeipſum perdit.

Inſpice.] Verba ſunt ægroti ad Medicum.

Neſcio quid trepidat, &c.] Æger ille velut leviorem ægritudinem narrat, quæ tamen ſunt gravioris morbi ſymptomata: nempe cordis palpitationem, ægram reſpirationem, & halitum graveolentem.

Ægris faucibus.] Non aliter ægræ fauces, quam ob reſpirandi difficultatem, quicquid nonnulli ſentiant.

89 *Exſuperat.*] Apud veteres Codices legitur *exuberat*, ſed vetat metri ratio; ſiquidem in *uber*, longa eſt prima ſyllaba. Quidam legunt *exſudat*; Marcilius vult, *expirat*. Alii *exſuperat*, id eſt, abundanter exit. Hanc lectionem tuetur Caſaubonus, eo quod è ventriculo ructus ſurſum aſcendunt.

Gravis halitus.] Teter eſt & male olens eorum halitus, qui ſtomachi cruditate laborant.

90 *Qui dicit Medico.*] Ægrotus qui Medicum acceſſiverat, eique dixerat, inſpice, inſpice, inquam, cur male habeo; accipit mandatum requieſcendi, & à cibo temperandi.

Juſſus requieſcere.] Nam ut habet Cornelius Celſus Lib. 3. cap. 2. inter initia morbi; omnium optima quies & abſtinentia.

Poſtquam tertia compoſitas,&c.] Juſſus fuerat ille æger in tertium diem temperare ſibi, metu tertianæ febris: at ubi primum dies tertius illuxit, & pulſum vidit æquabilem eſſe & moderatum, tum ſine ullo metu quartanæ imminentis, intemperantiam priorem repetit, & in gravius periculum vitæ relabitur.

Tertia

aſpexit, venas pacatiores ire per tres noctes, jam *balneum ingreſſuro ſibi petit* vina *mitia è Surrento de* viri *potentis ædibus, vaſculo mediocriter capaci. Age,* vir *optime, tu pallidus es. Nihil eſt,* inquit. *Attamen conſidera illud quodcunq; illud eſt :* en *cutis ſubcrocea ſenſim tibi intumeſcit.* Tum ille : *ſed tu pejus palleſces : ne mihi ſis curator : jamdudum illum terra mandavi :* verò *ſuperſtes es & perſequere, ſilebo. Ille* igitur *cibis ingurgitatus : & pallente alvo balneum ſubit,*

Tertia compoſitas vidit nox currere venas,
De majore domo, modicè ſitiente lagenâ,
Lenia loturo ſibi Surrentina rogavit.
Heus, bone, tu palles. Nihil eſt. Videas tamen iſtud,
Quicquid id eſt : ſurgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deteriùs palles : ne ſis mihi tutor :
Jampridem hunc ſepelî : tu reſtas : perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur :

ANNOTATIONES.

91 *Compoſitas vidit nox currere venas.*] Metonymia, id eſt, cùm jam tertiâ nocte vidit venas & arterias pulſare æquabiliter, moderatè & convenienter, tum vina ſtatim, cibos, balnea cogitat intempeſtivè, ut priùs.

Vidit nox.] Noctu plerumque morbi ingraveſcunt, ſuaque exerunt indicia.

92 *De majore domo.*] Petit ab aliquo potentiori amico.

Modicè ſitiente lagenâ.] Vaſe parvo nam exquiſitum erat, & parcè dabatur vinum ejuſmodi.

93 *Lenia ſibi Surrentina.*] Vina vetera & matura, convaleſcentibus optima, quippe quæ poſt annum vigeſimum quintum biberentur. Caſaubonus ex Plinio Græciſque Medicis.

Surrentina.] Surrentini colles ſalubris vini feraces prope Surrentum Campaniæ urbem maritimam. Vide Plin. Lib. 14. cap. 6. & Lib. 23. cap. 1. *Surrentina,* inquit, *vina caput nullo modo tentant ; & ſtomachi & inteſtinorum rheumatiſmos cohibent.*

Loturo ſibi.] Duo ſunt ægroti illius peccata contra valetudinis rationem : primum quòd balneis utatur : alterum, quòd vinum bibat, quaſi ſanus. Erat mos Antiquis, veſperi exercere ſe, inde lavare, poſteà cœnare. Ille intempeſtivè, intemperanter, præpoſtere omnia. Sueton. in Auguſto. cap. 18. *Tantam,* inquit, *infirmitatem magnâ curâ tuebatur, imprimis lavandi raritate.*

94 *Heus, bone, tu palles.*] Inquit Medicus reviſens hominem ægrum.

Palles.] Pallor morbi index.

Nihil eſt.] Reſpondet æger, nihil mali ſe habere, adeóque Medici reprehenſionem ſpernit, & injectum ſibi timorem elevat. Qui in gravi morbo dolorem non ſentit, in illo ſpes ſanitatis aut exigua aut nulla. *Hippocrates.*

Videas tamen, &c.] Inſtat peritus Medicus, ſcilicet nihil times, cùm jam hydropiſis indicia habeas omnia : & corpus intumeſcit, & pellis flaveſcit.

95 *Surgit lutea pellis.*] Quod aquam inter cutem deſignat. Galenus, Ægineta, Lib. 3. Celſus, Lib. 3. & alii.

96 *At tu deterius palles.*] Probra jam evomit in Medicum æger ſtomachatus. I, cura teipſum, inquit, pejùs ægrotantem. Ego ſanior te ſum, & voluptatibus abſtinere nolo. *Pallere* autem Medicus videtur ægro, vel quia veternoſo, vel ut arquato morbo laboranti. Apud Nonium Marcellum, *Varro Eumenidibus : ut arquatis & lutea quæ non ſunt, & quæ ſunt, lutea videntur : ſic inſanis ſani & furioſi videntur eſſe inſani.*

Ne ſis mihi tutor.] Pupillus non ſum, juris mei ſum, diſciplinâ tuâ non egeo. Apage ſeverum & moleſtum monitorem.

97 *Jampridem hunc ſepeli.*] Tutorem olim habui ſimilem tui, durum caſtigatorem, ſed hunc jampridem mortuum gaudeo. Hæc verba quidam attribuunt Medico, quaſi dicat, alius ægrotus eo morbo, quo tu laboras, jam periit, vide ne idem tibi contingat. Sed prior ſententia præferenda.

Tu reſtas.] Vivis adhuc, & vivis, ut mihi gravia præcipias, & velut alter tutor mihi leges imponas. Atqui te, tuaque præcepta flocci facio.

Perge, tacebo.] Nihil ampliùs præcipio, inquit Medicus, abſcedo, bibe, lava, genio indulge. Certè brevi ſenties, quanti ſit me non audiviſſe, & venienti noluiſſe morbo occurrere.

98 *Turgidus hic epulis.*] Itaque contempto planè Medici conſilio, ille cibis ſe ingurgitat, & ſatur balnea intrat : ſed mox ſuæ dat pœnas intemperantiæ.

Digitized by Google

Gutture ſulfureas lente exhalante Mephites.
Sed tremor inter vina ſubit, calidumque triental
Excutit è manibus: dentes crepuere retecti:
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto

faucibus paulatim emittentibus graveolentiam ſulphuream. At inter pocula trepidatio eum *invadit, & extorquet è manibus fervidum calicem* capaciſſimum: *dentes nudati ſonuere: tum lauta obſonia excidunt e labiis ſolutis. Inde buccina, faces: & ille felix denique collocatus*

ANNOTATIONES.

Juvenal. Sat. 1.

Pœna tamen præſens, cum tu deponis amictus
Turgidus,& crudum pavonem in balnea portas,
Hinc ſubito mortes, atque inteſtata ſenectus.

Albo ventre.] Corpore pallido, ſeu ob hydropiſim, ſeu ob intemperantiam & voluptates. Seneca de brevitate vitæ, *quàm multi continuis voluptatibus pallent!* Horat. Lib. 2. Sat. 2.

Pinguem vitiis albumque.

Lavatur.] Quod ægro periculoſum, hydropico vero noxium. Cornel. Celſ. Lib. 3. cap. 21. Plin. Lib. 1. Epiſt. 8. At is qui etiam ſatur lavat, quanto majus periculum ſubit! Artemidorus Lib. 1. cap. 56. Οἱ μὲν ὖν πρότερον ἐσθίουσιν εἰ μὴ λούσαιντο, οἱ δὲ ἐμποδίζοντες. Non deſunt qui arbitrentur, ægrum illum lavare, accelerandæ coctionis cauſa, ut ad repotia redeat.

99 *Gutture ſulfureas lente exhalante Mephites.*] Seneca Epiſt. 95. *Quam fœdi atque peſtilentes ructus ſunt exhalantibus crapulam veterem! Scias putreſcere ſumpta, non concoqui.*

Lente.] Ægre, longis & lentis reſpirationibus.

Sulfureas Mephites.] *Mephitis* Servio in ſeptimum Æneidos, eſt Dea fœtoris. Proprie eſt putor ſulfureus è locis ſulfuratis, vel ex aquis corruptis aſcendens. Hîc ponitur pro halitu ægri graveolente & quaſi ſulfureo, proveniente è cacochymia & ſtomachi cruditate.

100 *Sed tremor, &c.*] Aut ex febris horrore, aut ex irritatione morbi, tremor: ſeu quod nimio cibo læduntur nervi. Senec. Natural. Lib. 5. *Quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditate, quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & ſemper quaſi in ebrietate titubatio.*

Inter vina.] Scilicet in ipſis balneis calices exhauriebant veterum aliqui. Senec. Epiſt. 122.

Triental.] Poculum eſt trientis capax. Alii legunt, *Trientem.* Eſtque *triens* vini menſura continens tertiam ſextarii partem, ſive tres heminas. Ita veteres Gloſſæ.

Calidum triental.] Potione callidâ plenum. Nam in balneis Thermopolium erat. Vitruv. Lib. 5. cap. 10. Plaut. Rudent. Act 2. Scen. 6. *Ædepol Neptune, es balneator frigidus!——*
——Ne thermopolium quidem ullum ille inſtruit, ita ſalſam prabet potionem & frigidam. Porro calidam mixtam vino in deliciis etiam fuiſſe olim,multis probat Juſtus Lipſius,Elector. Lib. 1. cap. 4.

101 *Dentes crepuere.*] In febris rigore crepant & ſtrident alliſi dentes.

Retecti.] Retractis ſanie labiis. Hic unus Caſaubonus contra omnes explicat, exeſis gingivis. Sed profecto videtur ductus dumtaxat animo pugnandi, & more ſuo impugnandi Marcilium Interpretem alias eruditum.

102 *Uncta cadunt laxis labris.*] Quod *laxa* dicit Perſius *labra*, & quod *dentes retectos* mox aiebat. Caſaubonum explodit, ut jam dixi. Unum enim ex alio videtur intelligendum. Hippocrat. in Prognoſt. ait ſignum eſſe in ægris mortiferum, quando labra ſoluta habent & pendentia.

Uncta pulmentaria.] Speciem pultis exhibent nimirum eſculenta varia minutatim conciſa & per vomitum rejecta.

103 *Hinc tuba, candela, &c.*] Ut ante morientem pinxit, ita funus mortui jam deſcribit, quanquam ὕστερον πρότερον. Ritus olim obſervari ſolitos, cum quis moriebatur, ſaltem ſtrictim hîc attexere operæ pretium eſt. 1. Simul atque animam quis efflaverat, conclamabatur, id eſt, tota familia tollebat ejulatum & fletum. 2. Cadaver è cubili in quo jacuerat, extractum humi deponebatur. 3. Calida ablutum ungebatur. 4. Lecto ferali componebatur ornatum & paratum. 5. Collocabatur in veſtibulo domûs adhibito cuſtode, & per aliquot dies complorabatur; næniam dicentibus amicis & propinquis. 6. Denique ad tumulum efferebatur, & in ſepulcro condebatur.

Tuba.] Jul. Pollux Lib. 8. cap. 1. ait tubarum ſonitu convocari amicos defuncti,

Com

Digitized by Google

thoro eminenti, & perfuſus amomo copioſo profert pedes frigidos verſus januam. Sed Romani heſterna diei illum geſtaverunt capite operto. O infœlix, attrecta venas, & appone manum ad thoracem: illic nihil caloris eſt. Tange extremas etiam plantas & manus. Non ſunt frigidæ. Quando caſu apparuerit argentum; ſeu

Compoſitus lecto, craſſoque lutatus amomo
In portam rigidos calces extendit. At illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites.
Tange, miſer, venas, & pone in pectore dextram:
Nil calet hîc. Summoſq; pedes attinge, manuſq;
Non frigent. Viſa eſt ſi forte pecunia; ſive

ANNOTATIONES.

ut videant nullâ eum vi externâ, ſed morte ſuâ obiiſſe. Servius in Lib. 5. Æneid. v. 138. & alii, tubam adhiberi in funeribus Nobilium & adoleſcentum: tibiam vero in funeribus puerorum & plebeiorum, affirmat, citatque Perſium Servius. Certe legimus in Evangelio Chriſtum Dominum, cum Principis filiam ſuſcitaret, Tibicines excluſiſſe. Matth. cap. 9.

Candelæ.] Funalia, cerei, lumina, quæ ut etiamnum, ſic & olim adhibebantur tum collocatis ad limen, tum elatis ad ſepulcrum, imo, & in ipſis conditoriis, ſeu quod olim noctu ſepeliebant mortuos primum: unde mos fluxerit poſtea, etiam interdiu ſepeliendo, lucem accendendi: ſeu quod honoris causâ id fieret: lux enim virtutis & gloriæ ſignum eſt & ſymbolum.

Beatulus.] Alii beatum diei affirmant, quod mortuos antiqui beatos dicerent; alii, quia pretioſis veſtibus, corollis aliiſque ornamentis mortui integebantur, atque ita compoſiti in atrio exponebantur, & ad fores domus. At quod hic Perſius diminutivo utitur, ironice loqui ſe oſtendit.

Alto compoſitus lecto.] Nimirum in ſublimi ac ſplendido lecto & habitu ad limen collocatus.

Alto lecto.] Altus erat lectus; ſeu tomentis & pulvinis exaggeratus;
Martial. Lib. 8. Epigram. 44.

Fartus papyro, tum tibi thorus creſcit.

Seu quia nixus erat eburneo fulcro.
Teſtis Propert. Lib. 2.

Nec mihi tum fulcro ſternatur lectus eburno,
Nec ſit in Attalico mors mea nixa thoro.

104 *Lutatus.*] Pinguibus unguentis ut luto perlitus.

Amomo.] *Amomum* frutex exiguus, exquiſitis ſerviens unguentis, Dioſcorid. Lib. 1. cap. 14. Plin. Lib. 12. cap. 13.

105 *In portam.*] Quia portam Perſius dicit, arguunt aliqui extra urbem efferri mortuos; & incaſſum multa hîc congerunt; ſed intelligendus locus de janua domûs ad quam mortuus ille collocatus. Ita Caſaub. & alii doctiſſimi.

In portam rigidos calces extendit.] Verſis nempe in januam pedibus. Mos erat exponi defunctos & efferri pariter præcedentibus pedibus. Plin. Lib. 7. cap. 8. *Ritu naturæ capite hominem gigni mos eſt, pedibus efferri.*

106 *Heſterni Quirites.*] Servi nuper ab eo libertate donati, & paulo ante ac recenter facti cives Romani.

Subiere.] Aut præceſſere funus, aut portavere. Mos erat ut liberti prodirent pileati ante corpus manumiſſoris. Ita vetus Gloſſa. At obſervare licet cum Caſaubono, cum plures erant liberi, alios feretrum geſtare; alios ad latus procedere & ambire ſolitos. Certe vox, *ſubire*, ſignificat hoc magis quam illud; imo ſequi potius quam præcedere, ſignificaret, quod eſſet contra inſtitutum.

Capite induto.] Quod ſignum eſt libertatis. Cum nempe ſervi manumittebantur, in templo Feroniæ libertorum Deæ, raſo capite pileum accipiebant.
Plaut. in Amphitr.

Faciat Jupiter, ut ego hic hodie, raſo capite,
calvus capiam pileum.

Vide infra Sat. 5.

107 *Tange, miſer, venas.*] Jam Centurio hircoſus adverſus Philoſophum inſurgit, & dicit, Quid mihi ægrum & ægritudinem narras qui bene valeo, nec morbum aut morbi indicia ulla habeo?

Tange venas, & pone in pectore dextram.] Explora pulſum, & cordis motionem.

108 *Nil calet hic.*] Immodicus ibi calor nullus eſt, adeóque febri me non laborare fatendum eſt tibi.

Summoſque pedes attinge, manuſque.] Vide etiam naturali ac genuino calore probe inſtructas eſſe corporis extremitates, proindeque me per omnia bene validum.

109 *Viſa eſt*, &c.] Reponit Philoſophus, Scio te valentem ac robuſtum corpore; neque id inficior. At numquid animo perinde vales? Exploremus. Si vis fateri verum, comperies & frigore & calore nimio te laborare.

Viſa eſt, ſi forte pecunia.] Objectum movet potentiam, ut aiunt Philoſophi. Periculum igitur faciamus, an non avaritiâ, libidine, mollitie, timore, iracundiâ labores.

Candida

Digitized by Google

Candida vicini ſubriſit molle puella,
Cor tibi ritè ſalit? poſitum eſt algente catino
Durum olus, & populi cribro decuſſa farina:
Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeiâ radere betâ.
Alges, cùm excuſſit membris timor albus ariſtas.
Nunc face ſuppoſitâ ferveſcit ſanguis, & irâ
Scintillant oculi. Diciſque faciſque quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

pulchra vicini filiâ leniter arriſit, an præcordia benè tibi exultant? Si fortè *apponitur herba male cocta in lance frigenti, & farina plebeio cribro purgata: exploremus guttur: in ore delicato vulnus fœtidum deliteſcit, quod non conveniat fricare betâ vulgari. Friges, quando pavor pallidus erexit ſpicarum* velut *aculeos in artubus tuis. Modò ſanguis ebullit igne adhibito, & oculi præ iracundiâ ſcintillas emittunt.* Denique *& loqueris, & agis quod ipſe Oreſtes,* etſi *non compos mentis, jurejurando affirmaret, non decere virum mentis compotem.*

ANNOTATIONES.

110. *Subriſit molle.*] Arriſit, reſpexit amatoriè, blande, laſciviuſculè.

Propertius:

Riſit, & arguto quiddam promiſit ocello.

111 *Cor tibi ritè ſalit?*] Duplex cordis motus alter ἀπροαίρετος alter προαιρέσεως: prior valetudinis dat indicium, poſterior affectûs & voluntatis. Hinc periti Medici non morbos ſolùm corporis, ſed & perturbationes animi è cordis motu divinant, Caſaubon. Nota omnibus hiſtoria de Antiocho Seleuci filio, quem Stratonices amore languidum intellexit, attrectando brachium, Eraſiſtratus Medicus. Valer. Maxim. Lib. 5. cap. 7. & alii. Senſus eſt: cùm pecuniæ lucrandæ, aut explendæ libidinis offertur occaſio, ſtatim inhias & inardeſcis, ſed an ritè, & ex ratione? Adeoque jam avarus es, & libidinoſus, qui cupiditates frœnare ac moderari neſcis.

Poſitum eſt algente catino.] Quod ſi vilior quis cibus & male conditus tibi apponatur.

Algente catino.] Cibis admodum calidis delectatus veteres obſervat Caſaubonus: quare non mirum ſi algentes & frigidi faſtidium ac nauſeam creent delicatulo.

112 *Durum olus.* Infra Sat. 6. v. 69.

Mihi feſtâ luce coquatur
Urtica.

Populi cribro.] Vulgari, rariori, ſetaceo, quo farina non omninò furfure ſuccreta panem facit ſecundarium, quo plebeii veſcuntur: non autem ſubtili, ſericeo, pollinario; quo panis fit delicatior & ſiligineus.

113 *Tentemus fauces.*] Experiamur an his contentus fueris.

Tenero latet ulcus in ore.] En exulcerari palatum iſtis dices.

Ulcus putre.] Vel apoſtema cauſaberis, quod duriori cibo non ſit exaſperandum, vel, mollitiem tuam prodes ſane pudendam; & guloſum te oſtendes.

114 *Betâ.*] Herba nullius ſaporis & pretii, quam *fabrorum prandium* vocat Martialis Lib. 13. Epigram. 13.

115. *Alges.*] Præ timore, calore omni ſeſe ad intimum cor recipiente; totus frigeſcis, & palles, quanquam pauló antè dixeras; *non frigent.*

Excuſſit timor albus ariſtas.] Erigit tibi pilos, ac velut ſpicas; rigidos facit timor frigidus: quia frigus conſtipat & ſtringit poros, pori verò conſtipati conſtringunt capillos. Ariſtot. probl. ſect. 8. q. 18.

Albus.] Quia recedente calore, vultus pallet & albeſcit in iis qui timent.

11 *Nunc face ſuppoſita.*] Aliàs, datâ occaſione, velut ſuppoſitâ face, irâ inflammaris: & dixeras, *Nil calet hic.*] Et quidem hâc ipſa meâ reprehenſione excitatus jam excandeſcis, & ardes adversùm me, cujuſlibet offenſionis impatiens.

Ferveſcit ſanguis.] Eſt ira ſanguinis ebullitio circa cor.

117 *Scintillant oculi.*] Cic. Verr. 7. *Ardebant oculi, & ex toto corpore crudelitas emicabat,* Arnob. Lib. 1. *Ex illorum luminibus ſcintillæ emicant, flamma æſtuant, anhelum pectus ſpiritum jacit ex ore,* &c.

Diciſque faciſque, &c.] Ergo te noſce tandem, ſique te hactenus ignorâſti, contemplare te in ſpeculo velut quadruplici in quo te ad vivum depinxi. Vide te in prima facie præter & ultra modum exilientem ſpe lucri & luxuriæ: in ſecunda, cujuſlibet incommodi impatientem, & lautioris victûs nimiùm appetentem; in tertia laxum, ſolutum, timidum atque hydropico pejus pallentem: in quarta denique, iracundum uſq; ad furorem, quia te pungi à me & corripi ſentis: & qui modò aqueus eras, jam igneum, & febricitante periculoſius ardentem. Quod ſi renuis ſanari, ut æger ſupradictus, & me animi Medicum repellis, dicam ego tibi, *perge,* peri; *tacebo, diſcedo,* Supra, verſu 97.

118 *Oreſtes.*] Agamemnonis & Clytemneſtræ filius ob interfectam matrem Furiis agitatus, de quo Euripid. & alii.

Digitized by Google

SATIRA IV.

ERGONE res populi adminiſtras? (Exiſtima iſta tibi loqui præceptorem barbatum, quem interficit ſævus hauſtus cicutæ) Ecquâ re nixus? Reſponde illud, ô pupille magni Periclis;

REM populi tractas? (Barbatum hæc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ.)
Quo fretus? Dic hoc, magni pupille Pericli';

ANNOTATIONES.

1. *REM populi tractas.*] Jam Satirâ ſecundâ Perſius imitatus erat Platonem in Dialogo cui titulus; *Alcibiades Secundus.* In hac verò Satirâ quartâ rurſus ejuſdem Alcibiadem Primum imitatur, indeque materiam omnem ac Perſonas aſſumit, ut Neroni, quem inſectatur, lateat. Hîc itaque per Alcibiadem Nero intelligendus, per Socratem Perſius, qui juvenum Rempublicam malè capeſſentium redarguit imperitiam ac temeritatem.

Barbatum Magiſtrum.] Socratem nimirùm ut probant adjuncta. *Barbatum* vocat; vel quia barbam alebat, quemadmodum & alii iis temporibus Philoſophi: vel eo quod, ut teſtatur Tullius, 4. de finibus, apud Romanos antiqui Sapientes honoris causâ *barbati* vocabantur. Et Plin. in Epiſtol. *Barba*, inquit, *ſylvoſa, & pulcrè alita, quamvis res ipſa ſit exterior & fortuita, inter hominis eruditi inſignia recenſetur.* Athenæus Lib. 13. ait Alexandri tantùm ſæculo barbam radendi invectum morem, ac deraſam barbam flagitioſi hominis notam extitiſſe.

Magiſtrum.] Seu quia fuit Socrates Pædagogus Alcibiadis: ſive quod, ut habet Cicero 2. de Finibus n. 1. *Socrates Philoſophiæ parens jure dici poteſt.* 2. de Natura Deorum, n. 167. *Princeps eſt Philoſophorum.* Tuſculan. Quæſtion. 3. num. 8. *A Socrate omnis quæ eſt de vita & de moribus Philoſophia manavit.* Tuſcul. 5. num. 10. *Primus ille Philoſophiam devocavit è Cœlo, & in urbibus collocavit, & in domus introduxit: & coëgit de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quærere.*

2 *Sorbitio cicutæ.*] Plin. Lib. 14. cap. 5. *Sicut*, inquit, *cicuta homini venenum eſt, ſic cicutæ vinum.* Et Lib. 25. capite ultimo. *Cicuta venenum eſt, publica Athenienſium pœna inviſa, &c.* Hujus ſuccum lethalem ab ingratis civibus juſſum Socratem ebibiſſe, teſtis eſt Plato cum cæteris.

Tollit quem dira.] Socrati nempè oraculo Apollinis ſapientiſſimo hominum judicato plures invidebant. Ejus autem reprehenſionum quidam impatientes, fraude circumvento, quaſi adversùs religionem Deorum nova molienti perniciem machinati ſunt. Teſtes ſunt Apuleius Lib. 10. de Aſino aureo; Plato in Socratis Apologia. Lactantius, Lib. 5. cap. 15. Sanctus Auguſtinus, Lib. 8. de Civitate Dei, cap. 3. *Socrates*, inquit, *concitatis inimicitiis calumnioſâ criminatione damnatus morte mulctatus eſt. Sed eum poſteà illa ipſa quæ publicè damnaverat Athenienſium civitas publicè luxit: in duos ejus accuſatores uſque adeò populi indignatione converſâ, ut unus eorum oppreſſus vi multitudinis interiret; exilio autem voluntario atque perpetuo pœnam ſimilem alter evaderet. Tam præclarâ igitur vitæ mortiſque famâ Socrates reliquit plurimos ſuæ Philoſophiæ Sectatores.* Athenæus Lib. 13. ad finem, paulo diverſam affert cauſam mortis Socratis; nempe ob frequentes ejus in diſceptando ambitiones, rixas, & importunas reprehenſiones, & cùm apud Judices ſorte datos, furaciſſimos homines, de juſto diſſeruiſſet.

3 *Quo fretus?*] Quâ peritiâ quo rerum uſu, quibus virtutibus polles, ut Imperium regere aggrediaris?

Pupille Pericli'.] O Alcibiades, qui gloriaris tutelâ & diſciplinâ Periclis propinqui tui, cui fuiſti traditus à Clinia patre adhuc pupillus. De hoc fusè Plutarch. in ejus vitâ. Hæc optimè etiam contorta in Neronem, quem *Poppæa incuſans per facetias, pupillum vocabat juſſis alienis obnoxium, non modo Imperii ſed & libertatis indigentem:* ut ei dominaretur Agrippina mater, tutores autem eſſent Burrhus & Seneca. Cornel. Tacit. Annal. 14. in ipſo Libri principio.

Magni Pericli'.] *Pericli'*, pro Periclis. Fuit Pericles Orator, Philoſophus, & Imperator

Digitized by Google

Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit. Dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commotâ fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Majeſtate manûs. Quid deinde loquere? Quirites,

quaſi verò ingenium & præcox rerum ſolertia ante barbam contingant. Nôſti quæ dici & quæ taceri oporteat. Igitur cum plebs ardet excitatâ bile, mens ſtatuit imponere ſilentium cœtui ferventi per auctoritatem dextra. Quid poſtea dices? O Romani,

ANNOTATIONES.

egregius. Athenienſium Rempublicam annos quadraginta feliciter adminiſtravit. Plutarchus. Prob. Cic. in Bruto. Valer. Maxim. Lib. 8. cap. 9. Juſtinus Lib. 3. Non nemo argutias quærit in voce *Pericli*, quaſi ponatur pro *periculi*: & alluſum ſit ad id quod Alcibiades comparatus ſit leunculo, quem aut occidere oporteret, aut poſtea tolerare. Sed apage nugas.

4 *Scilicet ingenium.*] Ironicè hæc, & ſequentia.

Ingenium.] Sapientia, judicii maturitas: item artes & ſcientiæ. Ita Caſaubonus.

Rerum prudentia.] Experientia, uſus.

Velox.] Præmatura, ante tempus, ante pubertatem; quæ apud Athenienſes ſumebatur (ut aiunt) ab anno ætatis decimo octavo. *Philoſtrat.*

5 *Ante pilos.*] Adeptus eſt Imperium Nero ante annum ætatis decimum ſeptimum. Sueton. Neron. c. 8. Cornel. Tacit. Annal. Lib. 13. initio, ubi & notatur quaſi vixdum pueritiam egreſſus.

Dicenda tacendaque calles.] Ergone putas habere te & callere ea, quæ vix diuturno rerum uſu doctus ſenex habet & callet? Certè ut callum in corpore, ita in animo prudentiam non parit niſi longum tempus.
Ovid. Metamorph. 6.

Seris venit uſus ab annis.

Et alibi Neſtor ita loquitur:

Etenim mihi multa vetuſtas
Scire dedit.

6 *Ergo ubi commotâ,* &c.] Quoniam tu tibi tantum arrogas, & omnia te poſſe confidis, periculum faciamus tuæ ſolertiæ.

Commota fervet plebecula bile.] In ſeditionem verſâ, & turbas miſcente.

7 *Fert animus.*] Audes, & præſtare te poſſe non dubitas præ magna tui fiducia. Ammianus Lib. 26. ſic habet: *Immaniter ſtrepente exercitu, cum cleri tumultus violentior appareret, Valentinianus, elata proſpere dextra, ut Princeps fiducia plenus, auſus increpare quoſdam ut ſeditioſos & pertinaces, cogitata nullis interpellantibus abſolvebat.*

Callida turbæ.] Sævienti, efferveſcenti in iram.

Feciſſe ſilentia,] Virgil. Æneid. 1.

Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ———
Tum pietate gravem ac meritis ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, &c.

At verò quam auctoritatem habebit imberbis adoleſcens ad comprimendum tumultuantium furorem?

8 *Majeſtate manus.*] Valer. Max. Lib. 2. capite ultimo. *Eſt,* inquit, *illa quaſi privata cenſura, majeſtas clarorum virorum, ſine tribunalium faſtigio, ſine apparitorum miniſterio, potens in ſua amplitudine obtinenda. Grato enim & jucundo introitu animis hominum illabitur admirationis prætextu velata: quam rectè quis dixerit longum & beatum honorem ſine honore.*
Ovid. Metamorph. 1. de Jove.

Qui poſtquam voce, manuque,
Murmura compreſſit, tenuere ſilentia cuncti.

Lucanus Lib. 1. de Julio Cæſare.

Tumultum
Compoſuit vultu, dextraque ſilentia juſſit.

Act. Apoſt. cap. 13. *Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens, &c.* Ubi obſervandum cum doctioribus, morem illum fuiſſe pridem indicendi ſilentii, extenſâ quidem & porrectâ manu, ſed ita ut inferiores duo digiti, medicus & auricularis, comprimerentur, erectis & eminentibus tribus aliis, pollice, indice, & medio. Quod ipſum fieri conſuetum ab Epiſcopis olim, alloquentibus populos ac benedicentibus, notat Scaliger in Propertium. Sanctus Hieronymus ad Ruſticum Monachum affert aliam quoque audientiæ faciendæ rationem, nimirùm concrepatione duorum digitorum. *Cum librorum ſtruem expoſuiſſet,* inquit, *adducto ſupercilio, contractis naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc ſigno ad audiendum diſcipulos provocans.*

Quid deinde loquere?] Et ſi audientiam tibi feceris Imperatorio nomine ac vultu, & majeſtate manûs, ut tibi largior, jam experiamur quàm orationem & quam idoneam pacandæ

illud, opinor, non eſt ſecundum jus, hoc iniquum eſt, *iſtud juſtius. Etenim noſti penſitare quod æquum eſt in lance duplici trutina ambigua. Internoſcis jus, quando latet inter prava, aut quando haſta libræ decipit, linguâ incurvâ; & peritus es notare ſcelus atro thetâ. Ergo cur tu pulcher cute ſupremâ non ceſſas populo blandienti fruſtrà oſtentare*

Hoc, puto, non juſtum eſt; illud malè, rectius iſtud.
Scis etenim juſtum geminâ ſuſpendere lance
Ancipitis libræ. Rectum diſcernis, ubi inter
Curva ſubit, vel cùm fallit pede regula varo;
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur ſummâ nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam jactare popello

ANNOTATIONES.

ſeditioni ſis habiturus. Nam vir gravis apud Virgilium loco citato 1 Æneid.

Regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quirites.] Abuſive poſitum videtur pro Cives. Fortaſſe etiam hinc innuit à ſe carpi Neronem Populo Romano loquentem.

9 *Hoc, puto, non juſtum eſt.*] Legit Caſaubonus; *putà*, adv. id eſt, ſcilicet: & citat Priſcianum Lib. 15. Sed Priſciani verba parùm juvant eam lectionem. Malim itaque cum aliis, *hoc, puto*, &c. quibus verbis belle exprimitur puerilis oratio, ut obſervant docti Interpretes, & ſermo hominis rerum & ſcientiarum imperiti. Tantæ certè animi confidentiæ & manus gravitati ac Majeſtati, minimùm reſpondet illud ſubdubitantis & dicere exordientis, *puto*.

Illud malè, rectius iſtud.] Quaſi verò ſimplici illâ mali enunciatione, & melioris appellatione & oſtentatione, multitudo rudis & inſuper furore obcœcata moveri & compeſci queat. Ipſe ſapiens vix oſtenſo ſimpliciter bono, ſi præſertim irâ paulò turbatus ſit, percelleretur. Opus eſt igitur non vulgari arte, facundiâ, peritiâ ad reddendam conturbatis & ferocientibus (ut fecit Menenius ille Agrippa) tranquillam & ſanam mentem, quam æſtus iracundiæ diſjecit ac diſſipavit.

10 *Scis etenim*, &c.] Ironicè. Nimirum Juris ſcientiam calles.

11 *Rectum diſcernis*, &c.] Etiam in dubio & in ambiguo dignoſcis quid præſtet ac præponderet.

Ubi inter curva ſubit.] Si quando vitium finitimæ virtutis ſpeciem arripit, mentitur, & ſe abſcondit, perſpicis illud ac detegis nihilominùs.

12 *Vel cum fallit pede regula varo.*] Scis etiam legis exceptiones: ſcis quid & quando valeat ἐπιείκεια, nôſti legem mutare & interpretari, mutatis rei adiunctis; & in variis, ut aiunt, circumſtantiis, ſcis variare. Sic lex jubens depoſitum reddi, fallit & non ſequenda eſt, ſi homo furore correptus enſem antea depoſitum repetat.

Pede regula.] *Regula*, haſta libræ eſt, *pes* lingua ſeu examen.

Varo.] Propriè *vari* dicuntur qui crura intùs curva & contorta habent, aut pedes. Certe bilanx cujus lingua erit curva, fallit penſitantem ac decipit.

13 *Nigrum præfigere theta.*] Id eſt, damnare ſcelus & ſceleratos. Antiqui Judices capitis ſententiam in reum dicebant, ſcribendo in tabellis literam Θ quæ prima eſt in voce Θάνατος mortem ſignificante, & propterea nigra & triſtis dicitur: ſicut è contra T, abſolutionis nota erat. Apud Romanos autem A, & C, erant in uſu. Hanc condemnationis indicem, *triſtem*; illam abſolutionis *ſalutarem* vocat Tullius pro Milone. Vide Alex. ab Alex. Lib. 3. cap. 5. Porrò ſicut in actorum ſcriptis recenſendis Critici apponebant literam L. vel X, hoc eſt laudabile, vel χρύσιμοι & χρυσὸν, in locis probatis; ſic ad ea quæ improbabant, adſcribebant θ. Et hunc morem reſpexiſſe hîc Perſium volunt doctiores, inter quos Caſaubonus.

14 *Quin tu igitur.*] Non ironicè ampliùs, ſed apertè agit. Si vides & conſtat carere te neceſſariis ad Rempublicam capeſſendam adjumentis, quin relictâ publicæ rei curâ, teipſum curas & ſanas.

Summa pelle decorus.] Alcibiades quidem formoſus. Nero pulcher, Sueton. cap. 51. Sed quid iſta forma & pulcritudo juvat, ſi introrſùm turpis, dum ſpecioſus pelle decorâ, ut eſt apud Horatium, Lib. 1. Epiſt. 16. quem hîc imitatur Perſius, ut alibi paſſim.

15 *Ante diem.*] Ante pilos & maturum tempus.

Blando popello.] Qui blandimentis captatur, & rerum externarum ſpecie & pompâ.

Caudam jactare.] Deſine ô Nero, teipſum oſtentare in veſte triumphali, ad auram popularem captandam. Cornel. Tacit. Annal. Lib. 13. Metaphora vel a pavonibus, qui caudam rotantes ſe fœminis jactant; vel à canibus domino ſuo agitatâ caudâ adulantibus.

Digitized by Google

Deſinis: Anticyras melior ſorbere meracas.
Quæ tibi ſumma boni eſt? Uncta vixiſſe patellâ
Semper: & aſſiduo curata cuticula ſole.
Expecta. Haud aliud reſpondeat hæc anus. I nunc,
Dinomaches ego ſum: ſuffla, ſum candidus. Eſto,
Dum ne deterius ſapiat pannucia Baucis,
Cùm bene diſcincto cantaverit ocima vernæ.

caudam; ante tempus, aptior ebibere Anticyras meracas. Quod tibi faſtigium eſt felicitatis? Nempe *victitare quotidie lata patina: & pellis continuò uncta ad Solem. Sta pauliſper. Vetula iſta non aliud reſponſum dederit. Modo abi,* & *jacta, ego ſum Dinomaches* filius: *intumeſce,* & dic, *formoſus ſum. Bene eſt; dummodo Baucis pannis operta non minus ſapiens ſit, quando recte ocimum proclamabit ſervo diſſoluto.*

ANNOTATIONES.

16 *Anticyras.*] Duas Strabo Lib. 9. refert, Horatius in Arte, tres, ubi ait *Si tribus Anticyris caput inſanabile, &c.* Inſulæ ſunt in ſinu Oetæo, ſeu Maliaco, ad Phthiodem, ſeu Theſſaliam, in quibus copioſè creſcit elleborum, quo hominis inſaniam & noxios humores emendari, ingenium acui, teſtantur Plin. Lib. 25. cap. 5. Gell. Lib. 17. cap. 15. Sueton. Caligul. cap. 29. Vide Juvenal. Satir. 13. v. 97.

Melior ſorbere.] Phraſis Græca Perſio familiaris. Id eſt, tu potiùs vitia tua purgare, quàm alios regere deberes: Jam enim ſe prodit improba tua indoles, quanquam occultare niteris.

Meracas.] Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

Expulit elleboro morbum bilemque meraco.

17 *Quæ tibi ſumma boni eſt?*] Sed ut magis etiam appareat, quàm ſis indignus Imperio, dic, quæſo: quem tibi fingis ultimum finem? Quod ſummum hominis bonum tibi videtur?

Uncta vixiſſe patella.] Lautè ſcilicet epulari, & exquiſitis cibis veſci.

Horat. Lib. 1. Epiſt. 6.

Si benè qui cœnat, bene vivit; lucet, eamus.
Quò ducit gula.

18 *Aſſiduo curata cuticula ſole.*] In Sole apricari, cuticulam probe curare atque inſolare. Nempè in deliciis habebant veteres hyeme ad ignem, æſtate ad Solem, oleo corpus inungere, quo faciliùs illud imbiberet, eoque robuſtum fieret ac nitidum.

Martial. Lib. 10. Epigramm. 12.

I, precor; & totos avida cute combibe Soles.
Quàm formoſus eris!

Hoc & ſuperiori loco notata Neronis vita voluptuaria atque intemperans, de qua paſſim Suetonius.

19 *Expecta.*] Contendit Marcilius legendum; *En ſpecta,* vicinam ſcilicet anum oleraceam: & vide te non magis quàm illam ſapere. Refragantur Caſaubonus & alii; & ex communi lectione interpretantur: mane tantulum, & prætereuntem forte mulierculam olitricem interrogemus, quid optimum in vita judicet. Certè idem, quod tu mox, de fine ultimo & ſummo bono, reſpondebit illa.

I nunc.] Poſt tale probrum i, perge: oſtenta generis nobilitatem & corporis formam, ſi lubet, dum plus ſapientiæ non habebis, ô Princeps, quam vilis quælibet anus imperita & veſana.

20 *Dinomaches.*] *Dinomache* perilluſtris fœmina, è qua trahebat originem Alcibiades, & exinde gloriabatur.

Suffla.] Gloriabundus exulta.

Eſto.] Scis licet formoſus; quid hoc ad benè imperandum?

21 *Baucis.*] Anus paupercula. Hujus meminit Ovidius Metamorph. 8. Ponitur hîc pro qualibet abjecta & vili muliercula.

22 *Cantaverit ocima vernæ.*] Abſtruſa prorſus ſententia, inquit Turnebus Adverſ. Lib. 15. cap. 4. quam nec plane ſe poſſe explicare ait. ibid. Interpretantur communiter, anum illam herbas ſuas altâ voce proclamare venales, ac laudare apud ſervos emere volentes, ut cariùs vendat; vel quæ cantando etiam vocaverit & allexerit quibus vendat. At Caſaubonus paulo ſubtilius hunc locum ſcrutatur, & explicat de vili mulierculâ, qualis eſt herbarum venditrix, cum obviis quibuſlibet & maximè cum ſervis petulantibus certante probris & maledictis: ut ſit ſenſus: tum ad ſervum dicacem, & ipſa dicax cantaverit & ingeſſerit *ocima,* id eſt, maledicta. Quippè, ut habet Plin. Lib. 19. cap. 7. *Ocimum cum maledictis ac probris ſerendum, ut latius proveniat, præcipiebant ſuperſtitioſi veteres.* Cum Caſaubono idem planè ſentit Turnebus Ad-

Digitized by Google

O quomodo nullus conatur ſeipſum ſubire; nullus, inquam, *ſed conſideratur* dumtaxat *pera dorſo antecedenti.* Forte *interrogaveris: an ſcis agros Vectidii? Cujuſ*nam? *Opulentus* quidam *apud Cures colit* tantum agri *quantum milvus non circumvolaret; iſtum*ne *dicis? Iſtum* inquam, qui vivit, *infenſis Numinibus, & Genio non propitio:*

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere: nemo:
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo!
Quæſieris; nôſtin' Vedictî prædia? Cujus?
Dives arat Curibus quantum non milvus oberret:
Hunc, ais? Hunc, Diis iratis, Genioque ſiniſtro:

ANNOTATIONES.

verſar. Lib. 30. cap. 8. quicquid garriat Autumnus Interpres, qui certe videtur Turnebum, aut non omninò, aut primo tantùm legiſſe loco, quem etiam perperam citat in Notis illis ſingularibus, quibus Caſaubonum corrigere pollicetur.

Ocima.] Sunt qui legant, *ocia*; & explicant voluptatem ac libidines, quas apud ſervum vetula oſtentet, ut eum alliciat. Sed apage, *Ocimum*, ſive *Ocymum*, quod & *βασιλικὸν*, herba eſt odorifera; item pabuli genus. Ejus virtutes ac proprietates exponunt Varro, Cato, Plinius, variis locis. A celeritate proveniendi ſic appellatum, teſtis eſt ex Varrone idem Plinius, Lib. 18. cap. 16. & alibi. Ponitur hic pro quovis olere.

23 *Ut nemo,* &c.] Exclamatio & Epanalepſis indignationem & admirationem indicantes. Virg. Eclog. 8.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!

Horat. Lib. 1. Satir. 1.

Nemon' ut avarus
Se probet?

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere.] Quibuſdam placet digreſſionem eſſe hic ad locum communem adverſus eos qui aliena quidem, non item ſua errata pervident, de quibus Horatius, Satir. 3. Lib. 2.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam, aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? &c.

At alii Neronem volunt hic etiam peti, qui alios notare velit, ſe non corrigat; qui aut ſe non nôrit, aut latere putet ſua flagitia, quæ jam in lucem erumpebant.

In ſeſe deſcendere.] Seipſum penitùs introſpicere, ſeipſum diſcutere & examinare, atque ut eſt in fine hujus Satiræ, *Secum habitare* ad ſeſe cognoſcendum, ex præcepto Oraculi Delphici γνῶθι σεαυτόν.

24 *Præcedenti ſpectatur mantica tergo.*] Id eſt, conſiderantur aliena vitia, vel in *mantica* quæ præcedit, eſtque ante tergum, id eſt pectus noſtrum; vel in poſteriori alterius qui antecedit nos hominis, pera; ex Apologo ſcilicet Æſopi, qui finxit binas eſſe hominibus peras hinc & inde pendentes; in eam quæ ante pectus reponi aliena mala; propria verò in illam quæ à tergo eſt, conjici: undè noſtra nunquam, aliena ſemper videamus. D. Hieronym. Epiſt. 19.

Noſtram peram non videntes, aliorum, juxta Perſium, manticam conſideramus. Horatius, Lib. 2. Sat. 3.

Dixerit inſanum qui me, totidem audiet, atque
Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo eſt.

Catullus Carm. 22. v. ult.

Non videmus id manticæ quod in tergo eſt.

25 *Quæſieris; nôſtin',* &c.] Ut pateat omnibus quàm nota ſemper cuique ſint aliena mala, quære & ſciſcitare ab aliquo nebulone, an cognoſcat alium nebulonem quempiam: ille ſtatim reſpondebit, ſe noſſe illum hominem, ejuſque ſordes & avaritiam: & ſic ejus inſectabitur flagitia, ut ſi ipſe innocens, ac hominum eſſet ſanctiſſimus, planèque illis careret vitiis, quæ in alio reprehendit & damnat. Tull. Tuſc. Quæſt. 3. n. 73. *Avari avaros gloriæ cupidos glorioſe reprehendunt. Eſt enim proprium ſtultitiæ aliorum vitia cernere, oblivisci ſuorum.*

Vectidi.] Alii, *Vetidii*; alii *Ventidii*: quiſquis ille tandem, à Perſio notatur velut avarus juxta ac dives. Cornel. Tacit. Annal. Lib. 12. meminit Ventidii Galliciorum Præfecti ac deprædatoris.

Cujus?] Inquit ille nebulo interrogatus: de quo nempe loqueris? Scilicet de homine opulento quidem, ſed omnibus odioſo, &c.

26 *Curibus.*] *Cures* urbs Sabinorum olim primaria, in qua Titus Tatius imperitabat; & unde vocatus ad regnandum Romæ Numa Pompilius.

Quantum non milvus oberret.] Hyperbolicum adagium: *quantum milvi volant:* id eſt, tam amplas habet ille poſſeſſiones & latifundia, ut ea vix totâ die milvus, alioqui volatûs perniciſſimi, circumvolare poſſe videatur, Juvenalis Sat. 9. v. 55.

Milvos intra tua paſcua laſſos.

27 *Hunc, Diis iratis.*] *Hunc*, hunc, inquam

Qui

Digitized by Google

Qui quandoque jugum pertuſa ad compita figit,
Seriolæ veteris metuens deradere limum,
Ingemit, hoc benè ſit: tunicatum cum ſale mordens
Cæpe, & farratam, pueris plaudentibus, ollam,
Pannoſam fæcem morientis ſorbet aceti.

qui quandocunque ſuſpendit jugum ad compita pervia, timens deterere lutum teſtæ antiquæ, gemitum edit, dicens, *illud proficiat : & cum ſale manducans cæpe tunicis ſuis involutum, & ollulam è farre conflatam, familia adſtrepente, bibit floccis obductam fæcem aceti langueſcentis.*

ANNOTATIONES.

hominum ac Deorum odio dignum; cui infenſa tot ob noxas Numina nec ſanam dedere mentem, ut divitiis ſuis utatur.

Genioque ſiniſtro.] Adverſo & contrario Genio voluptatis Deo, ille ſeipſum defraudat ſuis, & inter opes magnas miſer eſt.

Plaut. Trucul. Scen. 2.

Sed iſti qui cum Geniis ſuis belligerant parci promi.

28 *Qui quandoque jugum,* &c.] Egregia hominis avari deſcriptio ex adjunctis. Is, inquit, etiam tum defraudat Genium, cum alii Genio indulgent potiſſimùm, ac epulantur, die nempè feſto, & quando opus intermittitur.

Jugum.] Ligneum inſtrumentum, quo ad aratrum junguntur & conſtringuntur boves.

Ad compita figit.] Cur ad compita, & non domi ac ſolito loco dicatur jugum figi, multùm laborat ac torquetur Caſaubonus, atque in re tam perplexâ, ut putat, recurrit ad aliquem compitaliorum ritum nobis ignotum, quem ſpectaverit hîc Perſius. Interpretantur omnes alii, figi ſolitum ad palos quoſdam in compitis jugum, quando ruſtici poſt agrorum ſationem Lares in compitis ex more colebant, ſacro facto, & hilariùs convivia celebrando. Nempè feriis illis ſacris, ut ait Tibullus Lib. 2. Eleg. 1.

Luce ſacra requieſcit humus, requieſcit arator,
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſat opus.

Quid ſi Perſium ſimpliciter intelligamus dixiſſe, *jugum figi* quocumque tandem loco, & opus intermitti ſeu finiri, *ad compita* verò, id eſt, ad compitalia, & ad peragenda illa ex more ſacra? Ita certè nodus ille videtur poſſe aut ſolvi, aut ſcindi, & facili quidem negotio. Neque verò epitheton, *pertuſa,* noſtræ obeſt interpretationi: ſiquidem deſignat tantùm ſolere compitalia celebrari in locis perviis & frequentatis adeòque in compitis. Quod quidem conſtat ex Macrobio, & aliis.

29 *Seriola.*] *Seriola* diminutivum, à *ſeria,* quæ vas eſt fictile vinarium, inſtar urnæ, de quo jam Sat. 2. Adverte hic ſingulas voces hominis avaritiam notantes.

Veteris.] Nam dudum ſervabatur, & raro hauriebatur, & modicum quidem: non mirum ergo ſi vappeſcit.

Deradere limum.] Luto ſcilicet aut pice dolia & vaſa vinaria obturabantur priſcis illis.

Horat. Lib. 1. Ode 20.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græcâ quod ego ipſe teſtâ,
Conditum levi.

Quæ cum illi aperiebant, relinere vocabant. Terent.

Serias omnes relevi.

30 *Ingemit.*] Poſt nonnullam cunctationem, veluti rem arduam aggreditur, non tamen ſine aliquo ſordidi mœroris indicio.

Hoc bene ſit.] Verba ſolemnia & deprecatoria Antiquis uſurpari ſolita in gravioribus ſuſceptis: pariter & in conviviis ita ſeſe invicem ad hilaritatem & ad bibendum invitabant: atque hoc magis facit ad rem præſentem: quod pauci animadvertunt Interpretes, qui aliò exerrant & vagantur.

Tibull. Lib. 2. Eleg. 1.

Sed benè Meſſalam, ſua quiſque ad pocula dicat.

Plautus in Sticho, Scen. 13.

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtrum etiam Stephanium. Ad quem Plauti locum doctus Lambinus de veteri illa bene precandi invicem in conviviis conſuetudine, aliique multa.

Tunicatum mordens cæpe.] Cæpe comedit nec tunicis quidem rudioribus & involucris purgatum, ac velut aliquid exquiſitum avidè admordet. Juvenalis Sat. 15. egregie deridet Ægyptios, quibus, ut ait,

Porrum & cæpe nefas violare & frangere morſus,
O ſanctas gentes quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

31 *Farratam ollam.*] Pultem è farre coctam in olla. Legunt alii, *farrata, &c.* Juvenal. Sat. 14.

Grandes fumabant pultibus ollæ.

Pueris plaudentibus.] Filiis ac ſervis exultantibus ad inſolitas haſce lautitias in epulo Compitaliorum. Ecqualis erat igitur quotidianus miſerorum illorum victus?

32 *Pannoſam fæcem.*] Adverte emphaſim in ſingulis vocibus. Senſus eſt, bibit vappam ſeu vinum vappidum, in dolii fundo jam mu-

Digitized by Google

Verum ſi oleo *delibutus quieſcas, & ſolem introducas in pellem*; homo quidam *non notus haud procul abs ie occurrit, qui pulſet cubito, & acriter invehatur in mores tuos :* · 1 · · · · · · · ·

Quandoquidem tu diſcriminas pectine gauſapum illano unctum, ·

Percutimus, & viciſſim crura noſtra *telis objicimus.*

At ſi unctus ceſſes, & figas in cute ſolem,
Eſt propè te ignotus cubito qui tangat, & acre
Deſpuat in mores; penemque arcanaq; lumbi
Rucantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu cùm maxillis balanatum gauſape pectas,
Inguinibus quare detonſus gurgulio exſtat?
Quinque palæſtritæ licèt hæc plantaria vellant,
Elixaſque nates labefactent forcipe aduncâ,
Non tamen iſta filex ullò manſueſcit aratro.
Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis.

ANNOTATIONES.

corem contrahens, quo veluti panno fæces operiuntur præ nimia vetuſtate.

Sorbet.] Veluti potum exquiſiti ſaporis.

Morientis aceti.] Vini aſcentis, jam acidi, vel corrupti etiam. Sunt qui verum acetum intelligant, eò quòd Romani milites, aliique è plebe aceto potarentur. Ita Caſaubonus : additque, ergo canina fuiſſe illius avari prandia diebus profeſtis, è pane ſcilicet & aquâ.

33 *At ſi unctus ceſſes.*] Recriminatio eſt adversùs priorem illum alienorum vitiorum caſtigatorem. Age verò, ſit Vectidius avarus, at laborioſus eſt : (inquiet alter tibi, tui ſimilis in carpendis aliis acer) tu verò & effœminatus & deſes, & luxurioſus. Ergo qui tam diſertè alienas noxas carpſiſti, cave ne viciſſim graviter vapules, ac longè illo nequior, imò nefandus oſtendare. Enimvero ſi cuticulam otiosè curans, unguentis etiam pretioſis te perfundens, ignaviæ primùm, deinde flagitiis ac nefandæ libidini operam das, quid de te dicetur?

Figas in cute ſolem.] Paulo ante de inſolatione veteribus aſſueta dictum: at Caſaubonus hic de illa Perſium non loqui vult, ſed de certa laſcivorum hominum conſuetudine. Huic ſanè favent quæ ſequuntur. Sed ea omnia caſtæ aures menteſque haud ferunt: quibus peti Neronem manifeſtum eſt.

34 *Eſt prope te ignotus.*] Aderit quidam quem non nôris, ſed qui te probe nôrit, tuamque adeò vitam occultaſque libidines expromet.

Cubito qui tangat.] Quaſi latenter admoneat & increpet latus tuum pulſando.

Horat. Lib. 2. Sat. 5.

Aliquis cubito ſtantem proprè tangens
Inquiet.

3 *Deſpuat in mores.*] Turpitudinem tuam execretur, graphice depingat. Vectidium ulciſcatur. Cùm fœtidum quid averſamur, deſpuimus: hinc *deſpuere* ſignificat abominari ac deteſtari quidpiam.

Plaut. Aſinar. Act. 1. Scen. 1.

Teque obſecro hercle, ut qua locutus deſpuas.

37 *Tu cum maxillis.*] O Nero, deliciis & luxuriâ perdite, cùm tantâ curâ comam alas, pectas, ungas, atque ſemper in gradus formes, pudendo ſanè & nimio cultu; ut teſtatur Sueton. cap. 51.

Maxillis.] Dentato inſtar maxillarum pectine.

Balanatum.] Perfuſum ac delibutum unguento balanino, ſeu è balano. Balanus autem eſt glans, ſeu fructus arbuſculæ non abſimilis nuci avellanæ: inde fiebat exquiſitum unguentum & oleum. Plin. Lib. 23. cap. 5. Item, cap. 4. ejuſdem Libri: *Balaninum oleum repurgat*, inquit, *varos, lentigines*, &c. Meminit & balani Lib. 13. cap. 1. & 4.

Horatius Lib. 3. Carm. Od. 29.

Preſſa tuis balanus capillis.

Gauſape.] Veſtis erat hirta & villoſa, vide Sat. 6. v. 46. & quæ nos ad eum locum. At hìc per metaphoram ponitur pro barba, vel capillitio; ob ſimilitudinem villorum, mollitiei, & artificioſæ texturæ *gauſaporum*, quæ etiam ſignificant tapetes pretioſos & molles, quales nos hodie Turcicos appellamus, inquit eruditus Scaliger.

42 *Cadimus, inque vicem* &c.] Sic fit, aliena flagitia reprehendimus, hincqne præbemus anſam aliis noſtra vellicandi. Quod ſi aliis parceremus, nobis non item; meliùs multò rebus noſtris conſuleremus. Allegoria eſt à Gladiatoribus. Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

Cadimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem.

Digitized by Google

Vivitur hoc pacto. Sic novimus. Ilia ſubter
Cæcum vulnus habes: ſed lato balteus auro
Prætegit: ut mavis, da verba, & decipe nervos,
Si potes. Egregium cùm me vicinia dicat,
Non credam? Viſo ſi palles, improbe, nummo,
Si facis in penem quicquid tibi venit amarum,
Si puteal multâ cautus vibice flagellas,

Vita hoc modo traducitur. Ita ſcimus. Sub ilibus plagam occultam geris, ſed eam cooperit balteus auro amplo. Sicut melius duxeris, impone, & falle vires, dummodo id *queas.* Etenim *quando vicini me præclarum prædicant,* numquid *non fidem habebo? Si aſpecta pecunia expalleſcis,* ô *peſſime.* • • • • • • • • • • • • • • *ſi callidus cædis puteal multiplici cicatrice,*

ANNOTATIONES.

43 *Vivitur hoc pacto.*] Alii aliorum norunt, revelant, & damnant quotidie vitia, quiſque velat ſua, & excuſat, interdum etiam plane ignorat.

Sic novimus.] Sic vivere & agere didicimus. Vel, ſic eſt, ô Nero, quæ occultas & ignota putas, perſpecta habemus; jam te intus & in cute novimus.

Ilia.] Ab ileo inteſtino *ilia* dicuntur oſſa duo imum ventrem hinc & inde attinentia. His etiam affines partes utrinque laterales *ilium* nomine ſæpe intelliguntur. Hic vero per metaphoram, *ilia* ſignificant intimos animi receſſus.

44 *Cæcum vulnus habes.*] Conſcius tibi es multarum libidinum, pluriumque ſcelerum clam perpetratorum.

Sed lato balteus auro prætegit.] Summus Romæ Principatus legum te metu eximit, eoque te ad omne facinus audaciorem facit. Alluſum ad conſuetudinem Gladiatorum qui acceptum in arena vulnus tegere balteo nitebantur, & ſpectatorum oculos fallere. Ita veteres Gloſſæ. Neque diſſentiam à Caſaubono, qui pariter vult Perſium habuiſſe in animo ictus & vulnera Neroni inflicta per urbem noctu petulanter vaganti, ut eſt apud Sueton. c. 26. & Tacitum Annal. Lib. 13. adeo ut cicatrices etiam ore prætulerit.

Lato Balteus auro.] *Balteus* cingulum eſt militare è corio bubulo, è quo arma dependent. Metaphorice ponitur pro dignitate & potentia. Lati certe erant veteribus baltei, quos argento decoros aiunt fuiſſe etiam gregariis: Duces autem & Principes multo geſtabant auro, multiſque aureis bullis diſtinctos ac præfulgentes. Virgil. Æneid. 5.

Lato quam circum amplectitur auro
Balteus.

Et Æneid. 12.

Balteus & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri.

Vide Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 29.

45 *Ut mavis, da verba.*] Ergo impone aliis quantum libuerit, imo & tibi. Te ſanum & ad omnia valentem crede, & jacta: & adjuvabunt non parum adulatores. Hor. l. 1. Sat. 4.

Ut mavis imitare.

Decipe nervos, ſi potes.] Vires etiam tuas Imperio ferendo pares æſtima, ſi tamen potes ultricem conſcientiam fallere, indignum te Principatu objectantem. Cave ne imiteris eos qui nimio potu ac Venere contractos articulares morbos etſi diſſimulant, nervorum tamen debilitatem ſentiunt, & dolorem patiuntur. Horat. Lib. 1. Epiſt. 16.

Neu ſi te populus ſanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi
Diſſimules, donec manibus mors incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

46 *Egregium cum me vicinia dicat.* &c.] Reſpondet Alcibiades, aut Nero adverſus objurgantem. Atqui non ego me unus bonum ac ſapientem dico: en vicini & alii ultro prædicant. Cur non credam? Et quare ſuſpectos habebo tam bene de me judicantes? Horat. loco mox citato: & Lib. 2. Sat. 5.

Egregie factum laudet vicinia.

47 *Viſo ſi palles,* &c.] Redarguit Philoſophus aut Perſius Neronem. An igitur credes aſſentatoribus te probum eſſe affirmantibus, etiamſi tu te ipſe improbum in occaſionibus ſingulis, avarum, libidinoſum, iniquum, crudelem experiris: ſique adeo viſo nummo palleſcis, præ cupiditate habendi?

49 *Si puteal multâ cautus vibice flagellas.*] Ancipitis quidem ſententiæ verſus iſte: quo ſi Nero perſtringitur, accipiendus eſt de nocturnis ejus per urbem diſcurſationibus & graſſationibus, de quibus abunde Suetonius, & Tacitus, locis paulò antè citatis. Et ſic per *puteal,* intelligendum erit forum & affines urbis regiones, per quas ille cum aliquot armatis vagabundus in obvios quoſque graſſabatur. *Cautus autem deinceps, & metuentior in poſterum Nero,* ut ait Tacitus, *milites ſibi & pleroſque*

Nequicquam

Digitized by Google

fruſtrà præbueris plebi aures ſitibundas. Rejice quod non es: Sutor auferat dona ſua: mane apud temet ipſum, & cognoſce quàm anguſta ſit tibi res domeſtica.

Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Reſpue quod non es: tollat ſua munera cerdo:
Tecum habita, & nôris quam ſit tibi curta
ſupellex.

ANNOTATIONES.

gladiatorum circum dederat: ſcilicet quia malè anteà multatus fuiſſet ab iis quos impetiverat, & in ejuſmodi rixis oculorum & vitæ ſubierat periculum, ut refert Suetonius. Quod ſi Perſius fœneratorum immanitatem carpit, aut vitilitigatorum, ſycophantarum, & quadruplatorum iniquitatem & injurias; per *puteal*, intellige Prætoris Tribunal; per *vibices* inflictas, damna debitorum aut reorum fortunis ac bonis illata per uſuras, aut per litium ambages & ſycophantias, quarum miſeri illi rabulæ periti, ſolertes & cauti ſunt,ut aliena bona deprædentur. Neque verò abs re omnino de Judicibus iniquis judicia corrumpentibus cum quibuſdam accipias. Primam interpretationem tuetur Caſaubonus: ultimam hanc Marcilius: de fœneratoribus, omnes communiter poſt veteres Gloſſas, quæ ſic habent: *Ad puteal Scribonis Licinii,quod eſt in porticu Julia ad Fabianum arcum, fœneratores conſiſtere ſolebant.*

Puteal.] Propriè putei operculum eſt *puteal.* Locus Romæ fuit in Comitio, ubi Accii Navii Auguris ſtatua per Tarquinium erecta, & ſub ea ara ſubterranea, ibidemque novacula, quâ cotem ille inciderat, defoſſa: undè & puteus dictus is locus; teſte Dionyſio Halicarnaſſ. ſub finem Libri tertii, ſuperque impoſitum puteal extitiſſe ait Tullius Lib. de Divinat. cap. 32. Porro quod *puteal* ſumatur pro foro & Tribunali Prætoris, itemque pro loco fœneratoribus frequentato, teſtatur Cicero pro Sextio, cap. 18. ubi Gabinius, inquit, *puteali & fœneratorum gregibus inflatus, &c.* ubi alii legunt, *Afflictus.* Item Horat. Lib. 1. Epiſt, 19.

Forum putealque Libonis mandabo ſiccis.

Et Lib. 2. Sat. 6.

Roſcius orabat ſibi adeſſes ad puteal cras.

Vide Cœl. Rhodig. Lib. 20. cap. 17. Sigon. Lib. 1. de Judic. cap. 28. Feſtum & alios.

Vibice.] *Vibex* eſt proprie nota in corpore poſt verbera & ſcuticas remanens.

Flagellas.] Similem habet emphaſim Tertullianus de pallio, ubi laudat Chriſtianos, quod *ſubſellia non contundant*,id eſt, non premant, aut frequentent, adeòque litibus abſtineant. Martialis Lib. 2. Epigramm. 30. Et Lib. 5. Epigramm. 13.

———— *Arca flagellat opes.*

50 *Nequicquam populo bibulas donaveris aures.*] Non eſt quod adulatoriis laudationibus populi adhæreſcas, ſi te tuaque vitia noveris. Horat. Lib. 1. Epiſt. 16.

Sed vereor ne cui de te plus quam tibi credas.

Bibulas aures.] Avidas laudis & applausûs. Horat. Lib. 2. Ode 13.

Bibit aure vulgus.

51 *Reſpue quod non es.*] Alii legunt *Reſpice.* Senſus utrobique manifeſtus. Ne tibi arroga quod non eſt in te. Ne te capi ſinas adulationibus. Seneca Epiſt. 80. *Si perpendere te voles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem, intus te ipſe conſule.*

Tollat ſua munera cerdo.] Quod dat vulgus, recipiat; nempe vanas aſſentationes atque laudatiunculas à te repulſas rejectaſque, ſibi habeat.
Horatius.

Stultus honorem ſæpe dat indignis.

Cerdo.] Eſt quilibet è plebecula vilis artifex lucri causâ ſuam locatus operam: ἀπὸ τῦ κέρδες, dictus, ut volunt, quaſi lucro. Vide Martial. Lib. 3. Epigramm. 16.

52 *Tecum habita.*] Temetiſpe conſule, inſpice & conſidera, quæ ſint animi tui affectiones.
Sat. 1.

Nec te quæſiveris extra.

Horat. Lib. 1. Sat. 3.

Teipſum concute.

Et Lib. 2. Sat. 7.

Non horam tecum eſſe potes.

Nôris quam ſit tibi curta ſupellex.] Vide quam ſis imparatus ad magna ſuſcipienda, quam parùm virtutis habeas & ſapientiæ: quanta tibi deſunt attende. Verum enimvero, ut ait Cic. 2. Tuſcul. Quæſt. n. 63. *tuo tibi judicio eſt utendum: tibi ſi recte probanti placebis, tum non modo tu te viceris, ſed omnes & omnia:* at ſi contra, ut ante dixi, te ſentias ipſe pravum & nequam, nedum plebi inſanæ, imo nec Burrho aut Senecæ adblandientibus fidem habeas.

Supellex.] Quemadmodum domum ornant ac muniunt rei familiaris inſtrumenta varia, ſic animum virtus, eruditio, ſapientia, aliæque dotes optimæ.

Digitized by Google

SATIRA. V.

VATIBUS hic mos eſt, centum ſibi poſcere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum;
Fabula ſeu mœſto ponatur hianda Tragœdo;

EA eſt conſuetudo Poëtis, ſibi exoptare centenas voces, ora centena, & centenas linguas in verſus expoſcere; ſive componatur ab eis Tragœdia ab hiſtrione triſti pronuncianda;

ANNOTATIONES.

1. *VAtibus.*] Scita & elegans imprimis hæc Satira duas habet partes. In priori quid debeat Cornuto præceptori luculenter & officioſe profitetur Perſius. In altera, nimirum à verſ. 73. in quo vera libertas conſiſtat, graviter explicat, atque ex placito Stoïcorum egregie aſſerit *ſolum ſapientem liberum eſſe.* Quod fere idem aſſeverabat Apoſtolus Paulus cum ait: *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.*

Hic mos eſt, &c.] Poetæ nimirum Epici, quin & Oratores interdum, ſolent eâ figurâ uti, quoties grande quidpiam aut arduum volunt exprimere.

Centum ſibi poſcere voces,&c.] Homerus Iliad 2.
ὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ
στόματ' εἶεν.
Hunc ſecutus Hoſtius Pöeta, Lib. 2. Belli Iſtrici (ut refert Macrobius Saturnal. Lib. 6. cap. 3.) ſic habet:

Non ſi mihi lingua
Centum, atque ora ſient totidem, voceſque liquatæ.

Poſtea Virgil. Georgic. 2. pariter & Æneid. 6. hunc eundem verſum habet,

Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraque centum.

Hos alii paſſim imitati, ut Sil. Ital. Lib. 4.

Non mihi Mæoniæ redeat ſi gloria linguæ,
Centenaſque pater det Phœbus rumpere voces.

Claudianus in Panegyrico Probini:

Non mihi centenis reſonent ſi vocibus ora.

Sic etiam Oratores, ut Quintil. in fine Declam. 6. *Omnia licet* (inquit) *huc revocemus præterita, & ad canendas unius laudes, univerſorum Vatum ſcriptorumque ora conſentiant, vincet tamen res iſta mille linguas, &c.* Et S. Hieron. in Epitaphio Paulæ, ſic exorditur, *Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce reſonarent, nihil dignum ſancta ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem.* Vide Caſſiodor. Ep. 1. Lib. 11. &c.

3 *Fabula ſeu mœſto ponatur,* &c.] Seu Carmen Tragicum ſcribant, ſeu Heroïcum.

Fabula.] Hoc nomine ſignificatur omnis fictio, non tantum rei totius, qualis ab Aphthonio & ab aliis communiter intelligitur; ſed & quando rei veræ adjuncta quædam aſſinguntur, & ſermo perſonis attribuitur, non quem habuere, ſed qualem habere potuerunt aut debuerunt. Et ſic Dramatica quævis Poëmata fabulæ dicuntur. Hîc pro Tragœdia ſumitur, in qua ex adjunctis rei quædam mutari perinde aut fingi, ut dictum eſt, non eſt nefas, dummodo ſimilia vero ſint omnia, & benè ſingula cohæreant, juxta Horat. in Arte Pöetica, v. 151.

Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.

Et v. 338.

Ficta voluptatis causâ ſint proxima veris.
Nec quodcunque volet poſcat ſibi fabula credi,
Neu pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.

Mœſto.] Ut plurimum in Tragœdiis triſtes occurrent caſus, atque, ut loquitur Theophraſtus, ἡρωϊκῆς τύχης περίστασις. Unde Archelao Macedoniæ Regi, ut de ſe Tragœdiam ſcriberet petenti, abnuens reſpondit Euripides, imo rogare ſe Deos ac precari ne quid unquam Tragœdiæ propium bono Principi accideret. Horatius in Arte, v. 102.

Si vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi. Tunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu, ——— ——— ——— Triſtia mœſtum
Vultum verba decent, &c.

Vulnera

Digitized by Google

ſive deſcribant *plagas Parthi emittentis ſagittas ex inguine. Ad quid iſta? Vel quam magnas offas fortis verſûs infers, ut opus ſit fulciri centum faucibus? Ingens* aliquid *ſcripturi colligant nubes ex Helicone:* & *ſi quibuſdam vel Prognes, vel ſi aliquibus Thyeſtæ*

Vulnera ſeu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
Quorſum hæc? Aut quantas robuſti carminis offas
Ingeris, ut par ſit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto:
Si quibus aut Prognes, aut ſi quibus olla Thyeſtæ

ANNOTATIONES.

Cave autem ne de triſti cataſtrophe ac luctuoſo fine intelligas. Nec enim exitus ac finis Tragœdiæ ſolet aut debet eſſe triſtis magis quam Comœdiæ: in quo Lubinus & alii recentiores hallucinantur. Nomen porrò Tragicomœdiæ in qua vulgò putant contrà è triſtibus initiis finem eſſe lætiorem, merum eſt commentum, inauditumque apud veteres: Scalig. Poët. Lib. 6. cap. 3. & alibi. Voſſius Inſtit. Poët. Lib. 2. cap. 24. Stiblinus in Eurip. Trag. Theophraſtus apud Diomed. Lib. 3. Certè Euripidis & Sophoclis Tragœdiæ ſæpe finem habent & cataſtrophen, quam principia lætiorem: Tragicomœdiæ tamen apud illos mentio nulla; nec titulus iſte unquam inſcriptus apud antiquos reperitur. Teſte Euripidis Hecuba, Oreſtes, Alceſtis, utraque Iphigenia, &c.

Hianda.] Magno quidem ſpiritu & voce gravi recitanda, ſicut res illic graves, ſublimis & grandis ſtylus.

Juvenal. Sat. 6.

Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.

Tragœdo.] *Tragœdus* eſt actor Tragœdiarum, Tragicus autem earum ſcriptor.

4 *Vulnera ſeu Parthi.*] Quæ Romani Parthis, aut Romanis etiam Parthi intulerunt in bellis ſub Auguſto, imo & ſub Nerone geſtis; de quibus Poëtæ carmina condebant Cæſaribus adulantes. De bellis Parthicis Cornel. Tacit. Annal. Lib. 12. & ſequent. Sueton. Juſtin.

Parthi.] Populi fuere in Aſia Orientales Romanorum hoſtes infenſiſſimi ſagittandi periti valde, & fugam ſimulando vincere aſſueti: Unde Virgil. Georgic. 3.

Fidentemque fugâ Parthum verſiſque ſagittis.

Ducentis ab inguine ferrum.] Locus profectò anceps. Interpretantur vulgò ſagittas è vulnere extrahentis & in hoſtes retorquentis. At audacior videtur interpretatio. Caſaub. vult a Perſio intelligi quartum jaculandi modum Parthis proprium, nempè *ex inguine*; cùm ſagittas emitterent & tela, alii ex humero, alii è capite ſeu ex auricula dextra, alii è pectore ſeu mammâ; citatque Propertium, Lib. 4. Eleg. ſcilicet 11. de Gallis, ubi vulgo legunt,

Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis.

Legit vero Caſaubonus illic, *ab inguine*, ſed, an jure, ipſe viderit. Certe malim cum Marcilio explicare Perſium hic, de Parthis lethaliter in inguine vulneratis, & ſagittas extrahendo, morientibus. Numquid enim Romani Poëtæ in Epicis Carminibus, de quibus Perſius hoc loco, laudâſſent Parthos tela vibrantes, & Romanis mortem inferentes potius quam victores Parthorum Romanos? Quod tamen dicendum foret, ſi vulnera ſumerentur hic active, ut ſentit Caſaubonus.

Ferrum.] Sagittas ferro armatas in cuſpide, Synecdoche.

5 *Quorſum hæc?*] Fingit Perſius adeſſe Cornutum præceptorem, & redarguere ſic: unde vero tibi, ô Perſi, turgidum illud Satiræ procœmium?

Aut quantas robuſti carminis offas ingeris?] Eccur tantas verborum ampullas adhibes?

Robuſti carminis.] Heroici, vel Tragici. Tu nimirum non Satiram ſcribere ſed Epos videris.

Offas.] *Offa* dicitur cibi globulus aut fruſtum. Hìc metaphorice ſignificat inflatum carmen.

6 *Ut par ſit centeno gutture niti?*] Velut ad trajiciendas offas illas grandiores, ſive ad proferendos verſus adeo turgentes.

7 *Nebulas.*] Similia nebulis, inania, quamvis ſpecie magna. Horat. in Arte, *nugas canoras*, vocat: & *nubes & inania captare* eos dicit, qui turgidum ſcribunt carmen.

Helicone legunto.] Invocando Muſas & Apollinem. Vide in Prologo.

8 *Si quibus aut Prognes,* &c.] Si qui volent ſcribere Tragœdiam vel de *Progne* Pandionis Athenienſium Regis filiâ, Terei Thracum Regis uxore: vel de Atreo & Thyeſte fratribus, apud Argos ſeu Mycenas regnantibus, invidentibus ſibi invicem, & in ſeſe pariter ſævientibus.

Prognes.] Quæ Tereo marito filium Ithyn appoſuit epulandum, dolore percita quod Philomelam ſororem ille vitiâſſet. Ovid. Met. 6. Fab. 7.

Olla Thyeſtæ.] Qui ſuos ipſe filios inſcius comedit in olla coctos & appoſitos in cibum ab Atreo fratre, inceſtum illius cum Europa uxore ſua vindicante. Vide Senecam Tragic. in Thyeſta.

Digitized by Google

Fervebit; ſæpe inſulſo cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum maſſa camino,
Folle premis ventos: nec clauſo murmure raucus
Neſcio quid tecum grave cornicaris ineptè;
Nec ſcloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ ſequeris, juncturâ callidus acri,

lebes bulliet: quæ cœna agenda frequenter ab inſipido Glycone. Tu nec ſpiritum comprimis laboranti folle, dum metallum in *fornace excoquitur: nec raucus ſuſurro apud te inſulsè garris neſcio quid grande; nec conaris frangere malas inflatas ingenti ſono. Sectaris voces pacis, peritus forti compoſitione,*

ANNOTATIONES.

9 *Fervebit.*] Allegoria ab olla in qua fervente cocti ſunt filii Terei & Thyeſtæ, & alluſio ad Tragœdiæ ſtylum concitatum & vehementem.

Cœnanda.] Repræſentanda cœna Terei & Thyeſtæ proprios filios devorantium. Quod tamen in Scena exhiberi vetat Horatius in Arte, his verſibus:

Non tamen intus
Digna geri promes in ſcenam, multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in avem Progne vertatur, &c.

Glycani.] Fatuo Tragœdo, tempore Neronis, qui trita argumenta ſæpiùs ad nauſeam reponeret. De ſimilibus Martial. Lib. 10. Epig. 5.

Qui legis Oedipodem, caligantemque Thyeſten,
Colchidas, & Scyllas; quid niſi monſtra legis, &c.

Hinc *inſulſum* vocat Perſius, ut ait vetus Scholiaſtes, *erat enim ille neſcius jocari: quanquam populo mirè placuit, & ideò à Nerone manumiſſus eſt*, &c.

10 *Tu neque anhelanti,* &c.] Tu magno conatu verſus magnificos non profers, magno anhelitu, & pulmonibus laborantibus. Nec ita ſcribis aut loqueris, ut folles inflare videaris: adeoque ab ineptis hujus ſeculi Poëtis ambitioſe recitantibus quam longe abes!

Coquitur dum maſſa camino.] In fornace ardenti metallum; ſic animo inter meditandum ferveſcenti carmen fingitur.

12 *Anhelanti folle premis ventos.*] Aërem follibus incluſum & ſtridentem exagitant fabri ad fornacem accendendam: ingenium autem meditando, ac fingendo, ſecum luctando ſæpè, & in omnes partes vertendo, Poëtæ diſcruciant: pulmones item fatigant, recitando carmen præſertim inflatum & turgidum, quale hîc Perſius reprehendit, imitatus nempe Horatium, Lib. 1. Sat. 4.

At tu concluſas hercinis follibus auras
Uſque laborantes dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare.

Juvenalis autem hos ſecutus de Cauſidicis ait, Sat. 7.

Tunc immenſa cavi ſpirant mendacia folles.

Et Martialis.

A noſtris procul eſt omnis veſica libellis,
Muſa nec inſano ſyrmate noſtra tumet.

12 *Neſcio quid grave.*] Carmen quod tibi placeat ſoli, magnumque videatur.

Cornicaris.] Nec tu, more cornicum, voces emittis è gutture, compreſſas, impeditas, ſtrangulatas, palato ſupplantatas, de quibus fusè Sat. 1. Locum hunc reſpexit D. Hieron. cùm ait. Ep. 4. *Alii intra ſe neſcio quid cornicantes tumentia verba trutinantur,* &c.

1 *Nec ſcloppo tumidas intendis rumpere buccas.*] Adverte gradationem: nec ſtylum inflas ad inſtar follis; nec meditaris & tecum agitas confuſa & impedita, more cornicis; nec denique ore turgenti pronuncias, ut quaſi ſcloppum edere videaris. Sic laudat Cornutus Perſii elocutionem, inventionem, pronunciationem.

Scloppo.] Vox ficta ad exprimendum ſonum ex inflatis aëre buccis, & vi quâdam aut ictu eliſis & compreſſis editum. Hîc egregiè adhibetur ad ſignificandum pronunciationem tumidam & affectatam. Legit Caſaubonus *ſtloppo*, ex antiquo Codice, & favet Priſcianus, Lib. 1. cap. 4.

14 *Verba togæ ſequeris.*] Non bella carmine deſcribis, ſed quæ pacis tempore in uſu ſunt. Sic libet hæc intelligere, magis quàm de forenſibus & oratoriis, aut etiam de Satira quæ propria Romanorum ſit, interpretari.

Toga.] Vetus Schol. hîc ita loquitur: *Toga, purum pallium, formâ rotundâ, fuſiore atque inundante ſinu, de ſubdextro veniens, ſuper humerum ſiniſtrum ponitur: cujus ſimilitudinem in operimentis ſimulacrorum, vel picturarum aſpicimus: eaſque ſtatuas togatas vocamus. Toga Romani in pace, in bello paludamentis utebantur. Togæ Menſura togæ juſta ſenas ulnas habebat. Toga*

politus ſtylo modeſto, ſolers perſtringere vitia pallida, & noxam confodere liberali joco. Ex his deprome quæ ſcribas: & remitte Mycenis menſas cum capite & pedibus; & cognoſce tantummodo *populi convivia. Certè non in id incumbo, ut nugis inflatis intumeſcat liber, aptus facere momentum fumo. Secluſi dicimus. Tibi modo, Muſâ inſtigante, præbemus examinandum cor; & libet*

Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quæ dicas: menſaſque relinque Mycenis
Cum capite & pedibus; plebeiaq; prandia nôris.
Non equidem hoc ſtudeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur. Tibi nunc, hortante Camœnâ,
Excutienda damus præcordia: quantaque noſtræ

ANNOTATIONES.

per metonymiam ſignificat pacem. Hinc illud Tullii: *Cedant arma togæ.* Lege Macrob. Saturnal. Lib. 1. cap. 6. Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 18.

Juncturâ callidus acri.] Quidam hîc Satiricum ſaltem comminiſcuntur; at melius alii ſcitam ac robuſtam verborum compoſitionem, non mollem aut rhythmicam, qualis Neroni affectata, Tull. 3. de Oratore, *Sed ſi habitum etiam rationis & quaſi colorem aliquem requiris; eſt plena quadam, & tamen teres ac tenuis, at non ſine nervis ac viribus.*

15 *Ore teres modico.*] Horat. in Arte.

Dedit ore rotundo
Muſa loqui.

Alii legunt *teris*, id eſt, expolis, ſuperflua reſecas, ut ferrum lima terit & lævigat.

Pallentes radere mores doctus.] Tu non modo rectè, ſed & recta ſcribis & bona. Nimirum placita morum tractas ſanctiſſima, & multo ſale hominum vitia defricare ſatagis.

Pallentes mores.] Nunquam non timent qui ſibi conſcii ſunt alicujus flagitii. Et Satira quæ nemini parcit improbo, malis pallorem inducit.

Horat. Epiſt. 1. Lib. 1.

Hic murus aheneus eſto;
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

16 *Ingenuo culpam defigere ludo.*] Ut ait Horatius, ridendo verum dicis, flagitioſos caſtigas, flagitia proſcribis.

Defigere.] Proprium Criticis vocabulum, qui obelos & verucula ſolent appingere ad ea quæ notant ac improbant.

17 *Hinc trahe quæ dicas.*] Age, Perſi, perge in inſtituto, è populi vitiis argumenta Satirarum deſume. Quod erit certe utilius, quam ſi ingentia & tumida ſcriberes vel in Tragœdiis, vel in Epicis.

Menſaſque relinque Mycenis.] Græcis Tragicis grandia ſua permitte argumenta, qualis cœna Thyeſtæ & Terei, de quibus ſupra. *Mycena* urbs Peloponneſi, in qua geſta dicitur fabula Atrei & Thyeſtæ.

18 *Cum capite & pedibus.*] Reſervarat Atreus caput, pedes, & manus puerorum, quæ poſt cœnam Thyeſtæ fratri exhibuit, ut ſciret quas & quorum devoraſſet carnes.

Senec. Thyeſt.

Denudat artus dirus, atque oſſa amputat;
Tantum ora ſervat, & datas fidei manus.

Plebeiaque prandia noris.] Potius quam regalia, in quibus tam horrendæ apponuntur dapes, Tereo ſcilicet & Thyeſtæ. Hæc, inquam, relinque, & plebeias res inſpice: corruptos populi mores ſatirico ſale deterge & expurga.

19 *Non equidem hoc ſtudeo.*] Cornuto Perſius reſpondet: certe non opto centenas voces ad pompam, quod Poëtæ ſolent; ſed cupio duntaxat grati mei erga te animi monimenta relinquere.

Bullatis nugis.] Verbis ac ſententiis inſtar bullæ tumidis & fulgentibus, ſed intus vanis: quas Horatius in Arte, *ampullas* vocat. Quidam legunt *pullatis*, & explicant de tragicis, ex eo quod in Tragœdiis indui ſoleant atrâ pullâ, & lugubri veſte indui Reges. Sed parum placet acutior illa interpretatio & lectio.

20 *Pagina turgeſcas, dare pondus idonea fumo.*] Nec ego nitor auctoritatem conciliare & gravitatem inanibus, fumoſis, vanis, & levioribus verſiculis, ac rerum inopibus: ut loquitur Horatius in Arte Poëtica: quaſi verba ſine re aliquid valeant.

21 *Secreti loquimur.*] Sincere & citra faſtum tibi ego, ſolus ſoli loquor: nec quaſi palam carmen & ſcripta oſtentare velim, verſibus tibi conſigno animi mei ſenſa.

22 *Excutienda damus præcordia.*] Adeoque intimos cordis receſſus aperio: expreſſum vide in pauculis verſiculis, quod dudum latet impreſſum in animi mei penetralibus.

Quantaque noſtra pars tua ſit, Cornute, animæ.

Pars

Digitized by Google

Pars tua ſit, Cornute, animæ tibi, dulcis amice,
Oſtendiſſe juvat. Pulſa, dignoſcere cautus
Quid ſolidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas auſim depoſcere voces,
Ut, quantum mihi te ſinuoſo in pectore fixi,
Voce traham purâ; totumque hoc verba reſignent
Quod latet arcanâ, non enarrabile, fibrâ.
Cum primùm pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,

declarare tibi ô Cornute, amicorum ſuaviſſime, quanta pars animi mei tua ſit. Tange, tu qui es *peritus explorare quod integrum reſonet, & ſimulationes fucatæ linguæ. Ad hæc ego audeo exoptare centum voces, ut verbis ſincèris expromam, quam* altè *infixi te mihi in intimo corde; & ſermo aperiat illud omne quod reconditum eſt in ſecretis præcordiis,* quanquam *vix explicari poteſt. Statim atque depoſita eſt à me timido prætexta ſervatrix,*

ANNOTATIONES.

Sententia hæc tracta eſt à Pythagora, inquit vetus Gloſſ. nimirùm quia Pythagoras aiebat amicum eſſe alterum ſeipſum. Et Antiqui dicebant amicitiam eſſe animam unam in duobus corporibus.

Undè Ovid. de Oreſte & Pylade ſcribit,

Qui duo corporibus, mentibus unus erant.

Horatius de Virgilio ait, Lib. 1. Od. 3.

Et ſerves animæ dimidium meæ.

S. Gregorius Nazianzenus ſuam cum D. Baſilio familiaritatem appellat *συμψυχίαν*. Et S. Auguſtinus Lib. 4. Confeſſion. cap. 6. de amico ſuo ſimilia his; imo quid majus videtur dixiſſe, ubi ait: *Senſi ego animam meam & animam illius unam fuiſſe animam in duobus corporibus: & ideò (eo morte ſublato) mihi horrori vita erat, quia nolebam dimidius vivere; & ideò fortè morti metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.*

23 *Cornute.*] Annæus Cornutus Perſii magiſter, Stoicæ Philoſophiæ Profeſſor eo tempore celeberrimus, teſte Euſebio: qui à Nerone miſſus in exilium, eò quod ejus ſcripta reprehendiſſet.

24. *Pulſa.*] Digito percute, & explora meam mentem: ſicut explorantur fictilia, num ſolida ſint & integra.

25 *Quid ſolidum crepet.*] Diſcernis enim quid verum, quid fictum & ſimulatum. Perſ. Satir. 3. dixerat vas percuſſum ſonare & indicare vitium ſuum *malignè reſpondendo*; hic ait integrum vas dignoſci, *ſolidè crepando.*

Pictæ tectoria linguæ.] Incruſtata auro ſtatua lignum aut lapidem celat, ſic & urbanitas ſermonis & oratio plena obſequii tegit ſæpè invidiam & odium animo reconditum. Legunt nonnulli *plectoria*, id eſt, involucra ἀπὸ τῦ πλέκειν, inquiunt. Sed apage, Juvenalis enim. Sat. 6. Perſium ſecutus, ſcribit:

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit.

Et S. Auguſtinus ad Voluſianum affirmat, Sanctas Literas *rem eſſe ſolidam & ſinceram; non fucata eloquia, nec nullo linguæ tectorio inane aliquid ac pendulum crepitare.*

26 *His ego centenas, &c.*] Centenas ego voces exoptem ad me gratum erga te magis ac magis probandum. Quo quidem in ſtudio quod Tullius Epiſt. 1. Lib. 1. Lentulo ſcribebat, id videtur Perſius indicare velle, nimirum, *omni officio ac potius pietate erga Cornutum, etſi aliis ſatisfaceret omnibus, at ipſum ſibi nunquam ſatisfacere.*

27 *Ut, quantum mihi te,* &c.] Egregiam adverte prioris ſententiæ expolitionem.

Sinuoſo in pectore fixi.] In latebris animi reconditiſſimis adeò te infixi, ut totus in me ſis, & totus ſim tuus.

28 *Verba reſignent.*] Rupto velut ſigillo revelem, carmen & ſcripta palam proferant amorem erga te meum, merita in me tua; quæ tamen duo certè maxima haud ſatis exhibeat centena etiam vox.

29 *Fibrâ.*] Fibram poni pro intimis viſcerum & cordis maxime partibus, dixi Satir. 1.

30 *Cum primùm pavido,* &c.] Hactenus proœmium ac proluſio duntaxat: Deinceps autem recenſet Perſius quid & quantum debeat Cornuto Præceptori pro ſedula ejus inſtitutione.

Pavido.] Id eſt, pudibundo, vel timenti imminentes adoleſcentiæ difficultates, & virtutis in ea ætate impedimenta.

Cuſtos purpura.] Id eſt, toga, cui prætexta erat purpura ut (quod ait Macrobius) *ex ejus rubore ingenuitatis pudore tegerentur pueri.* Hinc

Digitized by Google

& appenſa eſt bulla data præcinctis, Diis domeſticis: quando ſocii faciles, aderant, *& clypeus albus tunc ſinebat* me *injicere oculos ſine metu* in *omnem ſuburram,*

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit;
Cùm blandi comites, totâque impunè ſuburrâ
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo:

ANNOTATIONES.

à Perſio vocatur *cuſtos*, ſcilicet innocentiæ ob colorem purpureum qui ſymbolum eſt pudoris. Adde quòd prætexta veluti ſacros facit, quos & violare ſit nefas. Unde Plin. Lib. 9. cap. 36. ait purpuram *pueritiæ eſſe pro majeſtate*, id eſt, ſanctitate. Et Fabius declamat. ait, *prætextâ infirmitatem pueritiæ ſacrum fieri & venerabilem, non ſecus ac Sacerdotes veſtibus ſuis.* Vel *cuſtos* vocatur prætexta, quia tempore pubertatis pueri ſunt ſub tutela alterius, nempe Cuſtodis ſeu Pædagogi.

Horat. in Arte,

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto.

Ceſſit.] Cùm jam prætexta dedit conceſſitque locum togæ virili, quæ ſumebatur poſt pubertatem, ſeu anno ætatis decimo ſexto.

31 *Bullaque.*] Hinc Perſii nobilitatem argui diximus in Prologo, contra nonnullos. Nimirùm pueri nobiles ante pectus auream bullam cordis effigie geſtabant collo appenſam. *Quam inſpicientes* (inquit Macrob. Lib. 1. Saturnal. cap. 6.) *ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent.* Juvenalis Satir. 5. ad finem, *Etruſcum aurum* vocat, quaſi ab Etruſcis profluxerit mos bullæ geſtandæ. De eo multa & varia Macrobius loco citato mox, ubi & ſic habet: *Tullus Hoſtilius Rex Romanorum Tertius, debellatis Hetruſcis, ſellam curulem, lictoreſque & togam pictam, atque prætextum, quæ inſignia Magiſtratum Hetruſcorum erant, primùs ut Romæ haberentur, inſtituit. Sed prætextum illo ſeculo puerilis non uſurpabat ætas. Poſtea verò Tarquinius Priſcus — — filium ſuum annos quatuordecim natum, quòd hoſtem manu percuſſerat, pro concione laudavit, & bullâ aureâ prætextaque donavit, inſigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis & honoris* —— —— ——*Alii putant eumdem Priſcum cum ſtatum civium ſolertiâ providi Principatus ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxiſſe: inſtituiſſeque ut Patricii bulla aureâ cum toga, cui prætexitur purpura, uterentur dumtaxat illi quorum Patres Curulem geſſerant Magiſtratum,* &c. Aſconius, *Bulla,* inquit, *ſuſpendi in collo ingenuis ſolet aurea, libertinis ſcortea, quaſi communiens pectus puerile.* Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 19. ſic habet: *Prætextatis bullam pendere pro pectore affirmant nonnulli, ut ibi cordis inſigne manerent, ubi ſedes erat conſilii.* Et ejuſdem Lib. c. 25. *Romani pueros prætexta donabant, & bulla. Hæc aurea erat, inſigne nobilitatis, figuram cordis habens, ut ſignarent eam ætatem alterius conſilio regendam. Bulla primum à Tarquinio Priſco donatum ſuum filium tradunt, quem in prætexta annis hoſtem dicunt occidiſſe.* ———— *Lorum verò erat inſigne libertorum, plebeiorum & pauperum. Propius verò eſt, fœdere icto cum Sabinis & Tatio, cautum fuiſſe, ut bulla prætextaque, per eas tempeſtates Sabinorum ornatu, raptarum filii uterentur.* Poſteriorem hanc rariorem attingit & Plutarchus, in Quæſt. Centur. Rom. & alias quaſdam adjungit, cur bullam geſtarent nobilium filii.

Succinctis.] Succinctas veſtes habentibus, more militari. Vet. Gloſſ. *Gabino habitis cinctuque Dii Penates formabantur, obvoluti toga ſuper humerum ſiniſtrum, dextro nudo.*

Donata pependit.] Bullam ſimul eum prætexta Laribus conſecrabant adoleſcentes, cum togam virilem ſumerent; ſicut puellæ pupas Veneri donare ſolitæ: quemadmodum jam obſervavi Satir. 2. & docet Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 18.

32 *Cùm blandi comites.*] Non aſperi monitores aderant ampliùs, quales patruus aut pædagogus, qui ſumptâ virili togâ removebatur.

Suburra.] Ubi meretrices diverſabantur, in regione ſeu vico infami ſub antiqua urbe, undè nomen: vocabatur & ſummœnium, quaſi ſub mœnibus. Vide Juvenal. Satir. 3. v. 5.

33 *Permiſit ſparſiſſe oculos.*] Quando mei juris factus, nemine jam obſervante me aut caſtigante, liberè poteram in meretricum domicilia reſpicere, & per ſuburram vagari.

Ovid.

Oculi ſunt in amore duces.

Terent. Andr. Act. I. Scen. 1.

Poſtquam exceſſit ex ephebis, liberius vivendi fuit poteſtas ——— *anteà verò, ætas, metus, magiſter prohibebant.*

Candidus umbo.] Tyronibus dabatur clypeus purus ſeu vacuus, id eſt, ſine inſignibus, ut ibi ſignanda facere monerentur.

Cùmque

Digitized by Google

Cumque iter ambiguum eſt, & vitæ neſcius error
Diducit trepidas ramoſa in compita mentes:
Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu. Tunc fallere ſolers
Appoſita intortos extendit regula mores;

& quando via anceps eſt, & error imperitus vivendi divîdit animos incertos in plateas multiplicis viæ: jam tum me tibi ſubmiſi. Tu vero, ô *Cornute, mollem ætatem excepiſti gremio Socratico. Tunc norma decipere perita,* mihi *adhibita pravos mores emendat,*

ANNOTATIONES.

Virgil. Æneid. 2.

Enſe levis nudo, parmâque inglorius albâ.

Vel intellige togam virilem candidam in umbonis ſimilitudinem aptatam: *ſynedochicωs*, inquiunt vett. Gloſſ. *alioquin & in prætexta candidus umbo eſt.* Sic & locum hunc explicat Juſt. Lipſ. Elector. Lib. I. cap. 13. ubi & monet Tertull. de pallio; item Apuleium Lib. 11. in palla umbones agnoſcere, & eleganter deſcribere.

34 *Cumque iter ambiguum eſt.*] Quando mens adoleſcentis hæret incerta quid ſibi potiſſimùm agendum ſit; ſimilis viatori in bivium incidenti, qui valdè torquetur anxius, utram inire viam debeat. Quod & Herculi accidiſſe refert Cic. Offic. 1. cap. 117. ex Xenophonte, qui rurſùs ex Prodico Sapiente rem narrat, Lib. 2. de Fact. & Dict. Socrat. memorab. non longè ab initio.

Et vitæ neſcius error.] Ut Philoſophia magiſtra vitæ eſt: ita ex adverſo ignorantia rerum, *error* denique egregie Perſio dicitur *vitæ neſcius*, id eſt, eorum quæ conducunt ad rectè vivendum. Sic igitur imperitia ducit adoleſcentes & abripit in id omne quod videtur ipſis facile, jucundum, ſplendidum, quaſi perinde ſit illud rectum & bonum: fallitque eos literæ Pythagoricæ Y latior pars læva quæ eligitur, præ dextra arctiori quidem, ſed tamen meliori. Hinc pronam illi ſequuntur ad vitia viam; deſerunt autem virtutis iter arduum, præceps ac præruptum.

35 *Diducit.*] Legunt alii, *deducit*, alii, *traducit*. Senſus eſt, in hanc & illam ſententiam impellit, diſtrahit, cruciat, *trepidas mentes*, id eſt, ancipites, dubias, titubantes inter varias inſtituendæ vitæ rationes.

Auſon. Eidyll. 15. de Pythagoricæ eligendæ vitæ dubio.

Quod vitæ ſectabor iter, ſi plena tumultu
Sunt fora; ſi curis domus anxia; ſi peregrinos
Cura domus ſequitur; mercantem ſi nova ſemper
Damna manent; ceſſare vetat ſi turpis egeſtas;
Si vexat labor agricolam, mare naufragus horror
Infamat, pœnæque graves in cœlibe vita.
Sanguineum ſi Martis opus: ſi turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes uſura trucidat?
Omne ævum curæ, &c.

Ramoſa in compita.] Quæ multas ſe in vias ſcindunt, ut truncus in ramos, id eſt, multos exitus & calles habent. Pariter etiam imprudens juvenis in varias deliberationes dilapſus ſæpè id amplectitur quod pejus, ex judicii conciliique imbecillitate. Hic rurſùs alludit Perſius ad literam Pythagoricam, de qua paulò antè, & Sat. 3. v. 56.

36 *Me tibi ſuppoſui.*] Inſtituendum me tradidi. Quidam legunt, *ſepoſui*, id eſt, ſegregavi. Sed prior lectio videtur retinenda.

37 *Suſcipis Socratico ſinu.*] Admiſiſti me in tuam diſciplinam, Morali Philoſophiâ & Stoicis dogmatis imbuendum; me vero excepiſti non ſtudio ſolum paterno, ſed quaſi materno affectu adblandiens ac demulcens. Sunt & qui interpretentur, integritate Socraticâ & ſanctitate educendum: nec omninò diſplicet. Cur autem Socraticam vocat Perſius Stoæ ſcholam? Nimirùm, Socratis diſcipulus Antiſthenes Diogenem inſtituit: hunc Crates Thebanus audivit. Hic demùm edocuit Zenonem ſcholæ Stoicæ conditorem. Plutarch. Laërt. Cic. Undè Socrati non abs re tribuuntur, quæ ab eo velut à primo fonte profluxere inſtituta. Vide Sat. 3. v. 1. & ibid. Annot.

Tunc fallere ſolers appoſita, &c.] Hunc locum variè varii intelligunt, & ſuo quiſque ſenſui accommodant. Alii quos inter Caſaubonus, ſic explicant: tu fraude innoxiâ me circumveniens ſuaviter ad rectum flexiſti, ſolerter & ſenſim ita domans pravas affectiones, ut novæ diſciplinæ auſteritas non offenderet aut deterreret. Alii puerilem vocant hanc interpretationem, & ſic Perſii voces aptant & ſenſum; *Tunc regula appoſita ſolers*, id eſt, oſtendens, *mores intortos fallere*, id eſt, errare,

Digitized by Google

& animus domatur ratione, & ægre fert ſuperari, & formam ſumit ſub digito tuo ſolerti. Nam recordor tranſegiſſe tecum dies integros, & cibos tecum carpſiſſe initio noctium. Ordinabamus ambo eoſdem labores; ſimiliter & quietem: & res *ſerias temperabamus cœnâ modeſtâ.*

Et premitur ratione animus; vinciq; laborat,
Artificemq; tuo ducit ſub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus, & requiem pariter diſponimus ambo:
Atque verecundâ laxamus ſeria menſâ.

ANNOTATIONES.

extendit, id eſt, reformat eos ac corrigit. Alii putant alluſum ad intervallum quod ſæpè exiguum eſt virtutem inter ac vitium, quodque proptereà fallit.

Undè Horat. in Arte.

——— ——— *Decipimur ſpecie recti.*

Et Juvenal. Satir. 14.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis & umbrâ.

Prima quidem ſententia acutior: ſecunda in quibuſdam durior, ut cùm, *ſolers*, explicat, oſtendens, &c. Tertia videtur ad ſolitum Perſii loquendi modum paulò audaciorem accommodatior. Nobis ſenſus hic erit, & ordo verborum: *tunc regula ſolers mores fallere, appoſita extendit intortos.* Id eſt, præcepta morum falſas virtutum ſpecies mihi detegendo, docuerunt, me omne vitium declinare, & ſinceram virtutem ſequi. Itaque *intortos mores extendere,* ſignificat rectum id facere quod curvum erat; ductâ metaphorâ à fabrilibus.

39 *Et premitur ratione animus.*] Jamque ſub tua diſciplina proficiens, animi motus coërcere didici, & rationis ſequi imperium coëgi. *Sicut equus à ſeſſore domatur,* inquit Plato, *ita animus ratione.* Per animum itaque ne mentem intellige, ſeu partem animi ſuperiorem, ſed potius inferiorem quæ expers eſt rationis, vocaturque appetitus. Tull. Offic. 1. num. 100. *Duplex eſt vis animorum atque natura. Una pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt* ὁρμὴ, *Græce, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum fugiendumque ſit. Ita fit ut ratio præſit, appetitus verò obtemperet.*

Horat. Epiſt. 2. Lib. 1.

——— *Animum rege, qui niſi paret,*
Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catenâ.

Plaut. Trinumm. Scen. 5.

Homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat ſuo.

——— ——— ——— ———

Tu ſi animum viciſti potius, quàm animus te, eſt quòd gaudeas.

Vincique laborat.] Ægrè ſuperatur natura ad malum proclivis. Undè mens & ratio contrà appetitum pugnans, quaſi ſecum ipſa luctatur, laborat tamen & ſtudet ut vincatur, etſi repugnans & reluctans.

40 *Artificemque tuo,* &c.] Hypallage, pro *artifici*. Poteſt & legi, *artificis*; ut docte monet Caſaubonus. Senſus eſt: animus meus à te molliter & ſcitè tractatus, eam omnem induit ſpeciem tandem & formam, quam dare & inducere voluiſti, velut artifex peritus in argillam aut ceram.

Juvenal. Sat. 7. v. 237.

Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut ſi quis cerâ vultum facit.

Pollice.] Macrob. Lib. 7. cap. 13. pollicem dictum ait à pollendo, quippe qui non minùs quam tota manus ſemper in officio eſt. Undè & Græcis vocatur ἀντίχειρ, quaſi manus altera. Pariter quidem aſſerit Græcam hanc etymologiam Gal. Alii tamen aliter ſentiunt.

41 *Tecum etenim longos,* &c.] Die noctequè a te non diſcedebam.

Virgil. Eclog. 9.

——— ——— *Sæpè ego longos*
Cantando puerum memini me condere ſoles.

42 *Et tecum primas epulis decerpere noctes.*] Eſt qui interpretetur, initium etiam noctis dabamus ſtudio Philoſophiæ, idque temporis decerpebamus quieti & epulis, id eſt, reſcindebamus, adimebamus. Sed melius eſt, cum aliis propè omnibus, intelligere de frugali menſa ſtudioſis neceſſariâ, quod verbum *decerpere*, indicat ſatis: ut ſenſus ſit, non dies noctibus epulando jungebamus, quod faciunt helluones, ſed pauculas tantùm horas, idque veſperi, & quaſi raptim cibum carpebamus, quem porrò honeſtis ſermonibus condiebamus, ut eſt paulò pòſt.

43 *Unum opus, & requiem,* &c.] Simul labori, ſimul quieti indulgebamus. *Unà opus & requiem, &c.* legi velit Caſaubonus: at videtur tamen Perſius reſpexiſſe illud Virgilii Georg. 4.

Omnibus una quies operum, labor omnibus idem.

44 *Verecundâ laxamus ſeria menſâ.*] Graves occupationes, & diurnam ſtudii & animi con-

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Conſentire dies, & ab uno ſidere duci.
Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora librâ
Parca tenax veri: ſeu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum:

Certè illud ne tibi dubium ſit, noſtram *amborum vitam ſtatutâ ſocietate convenire, & regi ab eodem aſtro.* Nam *aut parca veritatis retinens noſtros dies librat æquali lance: vel hora fidelibus exorta partitur in duos congruentia Geminorum fata:*

ANNOTATIONES.

tentionem relaxamus inter cœnandum ac remittimus tantillùm jocis ac ſalibus innoxiis. Agellius lib. 13. cap. 11. ait *Convivarum ſermones debere eſſe jucundos, & cum illecebra quadam & voluptate utiles, quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius. Quod profectò eveniet, ſi de id genus rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non eſt otium.* Vide Athenæi Deipnoſophiſtas: & Macrob. lib. 7. cap. 1.

45. *Non equidem hoc dubites,* &c.] Conſenſio noſtra non levis aut fortuita, imò ea eſt quæ naturalibus cauſis producta & conflata dubitari non poſſit.

Amborum.] Mei tuique, Perſii diſcipuli, & Cornuti præceptoris.

Fœdere certo.] Non otiosè hoc ait Perſius, (inquit Marcilius) nam qui ſub Piſcibus naſcuntur, non ita certum fœdus inter ſe habere æſtimantur.

Undè Manil. lib. 2.

At quibus in lucem piſces venientibus adſunt,
His non una manet ſemper ſententia cordi;
Commutant animos interdum & fœdera rumpunt,
Ac repetunt.

46. *Conſentire dies.*] Marcilius ex Servio ad Æneid. 1. legit, *Deos*, id eſt, Genios horoſcopi comites, juxta Horat. lib. 2. Epiſt. 2.

Scit Genius natale comes qui temperat Aſtrum.

Ut ſenſus Perſii ſit, conſentientibus Genios noſtros conſtat ſummam hanc inter nos amicitiam & conſenſionem peperiſſe. Alii tamen omnes legunt, *conſentire dies*, id eſt, tempora, nativitates; undè non mirum, nos ſub eadem conſtellatione genitos, ab iiſdem ſiderum aſpectibus pares habere & accipere affectiones. Notat Caſaubonus Hebræos, quando quempiam alteri amicum indicare volunt, ſolitos dicere, filius eſt ſtellæ ipſius. Vide infrà, ad ea verba, *neſcio quod certè eſt, &c.*

Ab uno ſidere duci.] Natalitio ſcilicet & horoſcopo; ſive illud ſit Libra, ſive Gemini. Horat. lib 2. Od. 17.

Utrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum.

47. *Noſtra vel æquali, &c.*] Id eſt, vel fatum æquavit noſtra tempora; vel eædem conſtellationes noſtræ amborum vitæ præſidentes, eaſdem in nobis affectiones, eadem ſtudia, ſummam animorum conjunctionem & conſenſionem pariunt.

Librâ.] *Libra* æquitatis ſymbolum eſt ac juſtitiæ. Eſt & Zodiaci ſignum, quod ſol aggreſſus circa diem Septembris viceſimam æquinoctium facit autumnale.

Horat. cit. lib. 2. Od. 17.

Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ, ſeu, &c.

Vide quæ mox infrà ad Vocem, *Geminos.*

48. *Parca tenax veri.*] Fatum ineluctabile: indeclinabilis rerum ſeries, ut ait Chryſippus. Deæ fatorum à Poëtis finguntur ſorores tres, Clotho, Lacheſis, Atropos. *Prima orditur,* inquit Sidonius, *ſecunda texit, tertia finit.* Virgil. Eclog. 4.

Talia ſecla ſuis dixerunt, currite, fuſis
Concordes ſtabili fatorum Numine Parcæ.

Seu nata fidelibus hora.] Hora quâ fideles amici naſcuntur, æqualiter nobis partitur omnia.

49. *Geminos.*] *Gemini* Caſtor & Pollux, quos magnâ concordiâ vixiſſe, regnâſſeque, & inter ſidera relatos fabulantur. Aiunt porrò Aſtrologi ſub Geminis & Libra natos amicos fieri, & conſentire in ſtudiis & affectionibus. Manil. lib. 2. de Geminis ſic habet:

Magnus erit Geminis amor & concordia duplex. De Libra verò, ibid.

Quoſque dabunt chelæ [id eſt Libra] *& quos dat Aquarius ortus,*
Unum pectus habent, fideiq; immobile vinclum.

Et Lib. 5.

Felix æquato genitus ſub pondere Libræ.

Duorum.] Quidam legunt, *Deorum,* ſcilicet Caſtoris, & Pollucis. Utrovis modo legas, perinde eſt.

Digitized by Google

& malignum Saturnum pariter noſtro Jove temperamus. Eſt profectò neſcio quod ſidus, quod me tibi accommodat. Millenæ ſunt *hominum formæ, & varius rerum uſus. Suam habet quiſque voluntatem, nec vita ducitur eodem deſiderio. Ille ſub ſole novo Italicis mercibus commutat*

Saturnumque gravem noſtro Jove frangimus unà.
Neſcio quod certè eſt, quod me tibi temperat, aſtrum:
MILLE hominum ſpecies,& rerum diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti

ANNOTATIONES.

50. *Saturnumque gravem.*] Infeſtum ſidus & noxium ob frigiditatem, ſiccitatem & tarditatem.

Horat. lib. 2. Od. 17. citatis jam:

- - - - - - - - - - - - Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit.

Propertius lib. 4. Eleg. 1.

Feliceſque Jovis ſtellas, Martiſque rapacis,
Et grave Saturni ſidus in omne caput.

Juvenal. Sat. 6.

- - - - - Quid ſidus triſte minetur
Saturni.

Noſtro Jove frangimus unà.] Jovis ſidus amicum & propitium ob ſuam temperiem. Plin. lib. 2. cap. 8. *Saturni ſidus gelidæ ac rigentis naturæ.* Et paulò poſt de Jove ait, *Martis ardore nimio, & rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Jovem, ſalutaremque fieri.* Macrob. de Somn. Scip. lib. 1. cap. 19. inveſtigat cur Martis & Saturni ſtellæ noxiæ dicantur & maleficæ; cur è contrario magna Jovis ac Veneris benignitas inter Genethliacos habeatur: & rationem affert deductam è numeris, quam apud unum Ptolemæum reperiri affirmat ibidem.

Frangimus.] Benignus Jovis aſpectus avertit ac diſcutit malignitatem Saturni aliàs valdè nocituri.

51. *Neſcio quod certè eſt,* &c.] Quodcumque tandem ſit è ſideribus emicantibus, quod noſtræ præfuit nativitati, vitæque noſtræ partes ac tempora ſimilia facit, certum eſt aliquod ex illis nobis affulſiſſe, ab eo nos regi, alterum alteri attemperari, & fieri nos per illud in omnibus ſimillimos & conjunctiſſimos. Vult Caſaubonus mentem non eſſe Perſii, horoſcopum eumdem ipſi & Cornuto fuiſſe, qui diverſæ fuerint ætatis, ſed videri dumtaxat, ob ſimilitudinem inter eos morum ac vitæ ſummam. Verùm ſtrenuè repugnat Marcilius, oſtenditque variis exemplis, non coævos, idem tamen dici habuiſſe natalium ſidus: ut Hermodorum ac Demoſthenem: Archilochum & Pindarum, &c. Quicquid ſit, ſaltem conſtat potuiſſe pares ſiderum aliquot aſpectus occurrere in natalibus Cornuti & Perſii, quamvis ætate non æqualium: & hoc ſufficit ad explicandum commodè ſatis locum hunc Auctoris noſtri. Nam primò de Libra & Geminis, nulla eſt difficultas. Deinde quid vetat etiam Jovem, qui intra duodecim annorum ſpatium, quo periodum abſolvit, bis peculiarem ſibi domum ingreditur, ubi multùm prævalet adversùs Saturnum?

52. *Mille hominum ſpecies.*] Jam Perſius per comparationem diſſimilium, ſingulare Cornuti vitæ virtutiſque genus commendare aggreditur. *Mille hominum ſpecies,* &c. Id eſt, varia ſunt hominum ſtudia: diverſa genera atque inſtituta vitæ.

Horat. lib. 2. Serm. Sat. 1.

Caſtor gaudet equis; ovo prognatus eodem
Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum
Millia.

53. *Velle ſuum cuique eſt,* &c.] Pro diverſitate animorum ac judiciorum alius alium artem & exercitationem ſectatur. Caſſiodor. *Quot homines, tot ſententiæ, & unicuique mos ſuus eſt,* Virgil. Eclog. 2.

Trahit ſua quemque voluptas.

Nec voto vivitur uno.] Ut diverſæ mentes, ſic diverſa conſilia propoſitaque. Lucilius, *Quod tibi magnopere cordi eſt, mihi vehementer diſplicet.*

54. *Mercibus hic Italis,* &c.] Quidam negotiantur apud exteras gentes, & ad eas deportant merces ex Italia.

Horat. lib. 1. Epiſt. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Mutat.] Ante uſum æris, per rerum commutationem mercatura fiebat: Teſtis Plin. qui mercaturas à Pœnis inventas ait lib. 7. cap. 56. & lib. 33. cap. 1. *Utinam,* inquit, *totum è vita poſſet abdicari aurum, ſacra fames, ad perniciem vitæ repertum. Quantum feliciore ævo, cùm res ipſa permutabantur inter ſe, ſicut & Trojanis temporibus factitatum, Homero credi convenit. Ita enim, ut opinor, commercia victus gratiâ inventâ, &c.* Lege Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 15.

Sub ſole recenti.] In Orientali Regione, ubi

Rugoſum

Digitized by Google

Rugoſum piper, & pallentis grana cumini:
Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno;
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem eſt putris: ſed cùm lapidoſa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tum craſſos transîſſe dies, lucemque paluſtrem,
Et ſibi jam ſeri vitam ingemuere relictam.

piper ſcabroſum, & fruſtula cumini pallidi. Iſte cibis ingurgitatus amat ſaginari ſomno irrigante: ille Campo Martio *delectatur; iſtum abſumit ludus: hic in Venerem eſt ſolutus. At quando chiragra calculoſa ſolverit membra* velut *ramos annoſæ fagi, tum dolent præpoſteri dies caliginoſos, & fœdum tempus præteriiſſe, & vitam ſibi deinceps reſiduam.*

ANNOTATIONES.

ſol hemiſphærium aſcendens renaſci quotidie videtur. Caſaubonus hîc unus Alexandriam urbem notat, quaſi inde Romani ſolerent merces petere: ſed quo jure hoc affirmat? Quin potiùs Horatium lib. 1. Sat. 4. Perſius imitatur,

Hic mutat merces ſurgente à ſole ad eum, quo
Veſpertina tepet regio.

55 *Rugoſum piper.*] Quod ab Indis petitur, quod gignunt arbores juniperis noſtris ſimiles, quod à ſole torrente rugas contrahit. Plin. lib. 12. cap. 7.

Pallentis grana cumini.] Senecdoche Speciei pro Genere. Id eſt, varia aromata in Indis naſcentia.

Pallentis.] Quippe ſumentibus pallorem ingenerat, ut habet Plin. lib. 20. cap. 14. Horatius lib. 1. Epiſt. 19. ita ſtultos imitatores deridet.

——————— *Quod ſi*
Pallerem caſu, biberent exangue cuminum.

56 *Hic ſatur,* &c.] Ille inhiat lucro, hic otio & voluptatibus indulget.

Irriguo mavult turgeſcere ſomno.] Reſoluti & diſperſi à cerebro humores craſſi, poſt crapulam imprimis, obturant meatus, obruunt ſenſus, & ſomnum faciunt, quo pingueſcit corpus. Virgil. Æneid. 3.

Feſſos ſopor irrigat artus.

57 *Hic campo indulget.*] Hic ſe dat ambitioni, & quærendis honoribus, qui obtinentur & dantur per ſuffragia populo in Campo Martio congregati: vel, gaudet exercitiis illic aſſuetis. Horatius ad Piſones.

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis.

Nimirùm poſt ejectos Tarquinios, campus hic qui illorum fuerat, Marti conſecratus eſt. In eo Romana ſe juventus exercebat; ibi etiam habebantur comitia creandis Magiſtratibus. Tit. Liv. lib. 2. cap. 5. Alex. ab Alexand. Lib. 3. cap. 23.

Alea decoquit.] Rem familiarem exedit, facultates abſumit, inopem reddit. Herodotus (ut notavi Sat. 3. v. 48.) inventam ait aleam, per annonæ difficultatem, à Lydis, ad diſcutiendam famem. Porrò decoctores dicebantur, qui cùm ſolvendo non eſſent, verſuram faciebant.

Horat. lib. 1. Epiſt. 18.

Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudat.

58 *Ille in Venerem eſt putris.*] Libidine & nimio infamis voluptatis uſu ſic enervatur, ut etiam putidos contrahat morbos. Hippocrates, Celſus, alii. Huc facit quod Caſaubonus & alii quidam legunt, *in Venerem putret,* id eſt putreſcit. Vel ſimplex eſt imitatio Horatii lib. 1. Ode 36.

Omnes in Damalim putres
Deponent oculos.

Lapidoſa chiragra.] Ἡ ἄγρα τῆς χειρὸς, quaſi manus vinculum ſeu captatio: morbus articularis, quo tenentur manus captæ veluti ac irretitæ.

59. *Fregerit articulos,*] In articulis digitorum calculi, lapilli, nodi generantur è craſſis humoribus concreti, quibus cruciantur arthritici, digiti quandoque diſtorquentur manuſque, & quaſi franguntur. Horat. autem lib. 2. Sat. 7.

——— ——— *Poſtquam illi juſta chiragra*
Contudit articulos.

Et Epiſt. 1. idem Horatius vocat *nodoſam chiragram.*

Veteris ramalia fagi.] Cùm ſenectus & luxurioſa vita debilitârint hominem, qui eſt ſimilis arbori inverſæ; & cùm ejus membra tam inutilia & arida fecerint, quàm ſunt rami arboris annoſæ & emorientis.

60 *Tum craſſos tranſiſſe dies.*] Tum dolent annos tranſactos in turpi cæcitate, in craſſis tenebris, ſine ulla virtutis aut veritatis cognitione: quæ duo ſunt animi cibus ac veræ deliciæ. S. Au. *Quid magis deſiderat anima, quàm veritatem?*

Lucemque paluſtrem.] In libidinum ſordibus ac luto; an & in balneis, ubi aër craſſus & impurus, qualis paluſtrium locorum?

61 *Seri.*] Cùm jam nullus medendi locus.

Vitam ingemuere relictam.] Jam luunt quod

Digitized by Google

Tu verò delectaris pallorem contrahere libris noctu legendis. Nam adoleſcentum inſtitutor, Cleanthis fructum ingeris auribus defæcatis. Iſtinc, ô juvenes, pariter & ſenes, quærite ſtabilem mentibus ſcopum, & commeatus ſenectuti ærumnoſæ.

At te nocturnis juvat impalleſcere chartis.
Cultor enim juvenum, purgatas inſeris aures
Fruge Cleantheâ. Petite hinc, juveneſque, ſeneſque,
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.

ANNOTATIONES.

olim peccârunt, & ſenes facti ac debiles dolent vitam ſibi ſuperſtitem eſſe velut ad ferendas tot ægritudines ac miſerias, quæ luxuriam ſequuntur: damnant igitur errores & flagitia prioris vitæ, dolent quòd obſcuri & inglorii egerint; at ſerò.

62 *At te nocturnis*, &c.] Tu verò, Cornute, contemptor divitiarum, honorum, voluptatum, totus ſapientiæ ſtudio diu noctuque incumbis; quin & ſtudioſi laboris ac vigiliarum tuarum fructus cum aliis ultrò & liberaliter communicas.

Nocturnis juvat impalleſcere chartis.] Pallorem contrahere incumbendo libris & aſſiduæ lectioni, etiam ad lychnum, & noctu. Horat. Epiſt. ad Piſones.

—— —— *Vos exemplaria Græca*
Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

63 *Cultor enim juvenum.*] Bonis ac ſedulis inſtitutionibus, ad virtutem & honeſtatem juvenes incitas ac formas. Quo laudabilius nihil eſt aut fructuoſius. Cic. 2. de divinat. cap. 4. *Quod enim*, inquit, *munus Reipublicæ afferre majus meliuſve poſſumus, quam ſi doceamus atque erudiamus juventutem?* Et Tuſcul. Quæſt. 2. n. 13. *Cultura animi Philoſophia eſt, quæ extrahit vitia radicitùs, & præparat animos ad ſatus accipiendos, eaque mandat eis, &, ut ita dicam, ſerit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.*

Purgatas inſeris aures.] Poſtquam vitiis purgâſti, præcepta morum & virtutum ornamenta ingeris & conaris inducere in diſcipulorum animum, ſi modò culturæ patientem commodârint aurem, ut habet Horat. lib. 1. Epiſt. 1. Namque ut eſt ibidem,

Virtus eſt, vitium fugere; & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe.

64 *Fruge Cleantheâ.*] Philoſophiâ Morali, quam Cleanthes Zenonis diſcipulus & ſucceſſor docuit, cum magna Athenienſium utilitate. Is, urgente inopiâ, noctu ſuam operam locabat tum hauriendæ aquæ, tum pinſendis panibus, ut liceret interdiu vacare ſapientiæ ſtudio, apud Zenonem, cujus etiam dicta, deficiente papyro, boum oſſibus, ac teſtis inſcribebat. Improbo & pertinaci labore ſuperabat ingenii ſui tarditatem, quæ fecit aliquando ut per ludibrium, aſinus vocaretur. Nec abnuebat ille, imò Zenonis ſarcinam ferre ſe poſſe, aiebat. Cùm verò aliàs probro illi verteretur, quòd timidus eſſet, at ideò, inquit, minùs pecco. Hæc & alia de Cleanthe Diogen. Laërt. lib. 7. & Tull. ejus meminit, de Natura Deorum, lib. 1. num. 37. Item Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7.

Petite hinc.] E philoſophia Stoïca, vel è Cornuti diſciplina petite benè vivendi rationem & modum: *finem animo certum*; beatam vitam; honeſtatem, virtutem; rectum & ſtabile propoſitum: quod, ut ait Horatius, Epiſt. 1. lib. 1.

Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè,
Æquè neglectum pueris ſenibuſque nocebit.

Et eodem lib. 1. Epiſt. 2.

—— ——*Certum voto pete finem.*

75. *Miſeriſque viatica canis.*] Solatia & præſidia, quæ proſint in ſenectute, quam nunquam non comitantur miſeriæ, inopia, dolores, &c. ad quæ ferenda faciliùs Philoſophia non parùm juvat. Hinc M. Tull. Ciceronis conſolatio, item Boëtii.

Viatica.] *Viaticum* dicitur id omne quod ad faciendum iter opus eſt & neceſſarium. Undè innuit Perſius, nos velut peregrinari in vita hac, & ad aliquid aliud tendere. Apud Laërtium lib. 1. Bias Prieneus monet, viaticum ab adoleſcentia ad ſenectutem ſapientiam eſſe comparandam, quippe cùm ea ſola ſit certa veraque poſſeſſio. Et Tull. de Senect. n. 9. ait, *Aptiſſima omnino ſunt arma ſenectutis, artes exercitationeſque virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cùm multùm diuque vixeris, mirificos afferunt fructus, non ſolùm quia nunquam deſerunt, ne extremo quidem tempore ætatis (quanquam id maximum eſt) verùm etiam quia conſcientia benè actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio jucundiſſima eſt.*

Canis.] Id eſt, capillis caneſcentibus, qui contingunt ſeneſcenti; quanquam refert Plin. lib. 7. cap. 2. Indos quoſdam in juventa candido eſſe capillo, qui in ſenectute nigreſcat.

Cras

Digitized by Google

Cras hoc fiet. Idem cras fiet. Quid? Quaſi magnum,
Nempe diem donas? Sed cùm lux altera venit,
Jam cras heſternum conſumpſimus; ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paulùm erit ultrà.
Nam quamvis prope te, quamvis temone ſub uno
Vertentem ſeſe fruſtrà ſectabere canthum,
Cùm rota poſterior curras, & in axe ſecundo.
Libertate opus eſt, non hâc ut quiſque Velina

Illud faciam die craſtina, inquis. *Craſtinâ die idem facies*, inquam ego. *Ecquid? Concedes* mihi unam *dieculam ſcilicet velut* aliquid *grande? At quando illuxit dies poſtera, jam contrivimus cras heſterna* diei; *en aliud cras protrudit hos annos, & aliquantulum ulteriùs continuò erit.* Tu *enim quando* velut *rota poſterior, & in altero axe converteris, incaſſum* tamen *proſequeris orbile licèt tibi proximum*, & *licèt volvens ſeſe ſub eodem temone. Libertas neceſſaria eſt, non illa* per quam *ſtatim atque quilibet*

ANNOTATIONES.

66 *Cras hoc fiet.*] Fingit Perſius ignavum aliquem adoleſcentem ſibi reſpondere: etiam, verum eſt quod mones; at expecta paululùm, cras faciam, & ſapientiæ ſtudium amplectar; finem animo certum conſtituam, &c.

Idem cras fiet.] Inſtat Perſius: atenim cùm illuxerit dies craſtina, ô piger, facies & dices iterùm, id quod mihi dicis hodie, quodque pridem facis. Lege S. Auguſt. lib. 8. Confeſſ. cap. 10 & 11.

Martial. lib. 5. Epigramm. 59.

Cras te victurum, cras dicis, Poſthume, ſemper.
Dic mihi cras illud, Poſthume, quando venit?
Quàm longè cras iſtud ubi eſt, aut undè petendum?
Numquid, &c.
Cras vives? hodie jam vivere, Poſthume, ſerum eſt.
Ille ſapit quiſquis, Poſthume, vixit heri.

Quid? Quaſi magnum, nempe diem donas?] Reponit ignavus juvenis, tantine eſt vel unam differre diem, quam & largiri dubitas?

67 *Sed cùm lux altera venit.*] Imò, inquit Perſius, nec unâ die differre te volo. Sin autem craſtinum expectas, nihil omninò facies; & pariter differendo, dies altera conſumpta erit ac perdita.

69. *Egerit hos annos.*] *Egerit*, ab *egerere*, non ab *ago*: id eſt, expellit, emittit. Senſus eſt, una dies integros annos trahit procraſtinando, exhaurit, abſumit.

Horat. lib. 2. Od. 18.

Truditur dies die,
Novaque pergunt interire Lunæ.

Et ſemper paulùm erit ultrà.] Erit ſemper paululùm temporis ultra illud craſtinum quod petiſti. Quocirca conſumes ætatem ſenſim ſeneſcendo: ſingulis diebus rogabis adhuc unam diem dumtaxat velut aliquid non magnum tibi donari; ſic nunquam differre deſines, donec oppreſſus annis, ſenio, doloribus, cum Phrygibus ſerò ſapiens, eas omnes miſerias experiere, quas prædixi, & *tunc craſſos tranſiſſe dies* fruſtra dolebis, &c.

70 *Nam quamvis prope te, &c.*] Priorem ſententiam Perſius confirmat à ſimili; quaſi diceret: aſpice in curru ſeu rheda binos axes uni temoni annexos, quibus ſuæ rotæ circumvolvuntur: quæro utrum rota poſterioris axis & ordinis attingere aliquando poſſit rotam axis prioris? Minimè certè. Ita prorsùs dies hodierna non aſſequetur unquam craſtinum illud, quo te ſapere velle ſpondes & prædicas.

Prope te.] Dies enim hodierna craſtinæ conjuncta eſt.

Temone ſub uno.] Totum vitæ tempus diebus continuis comprehenditur: hodie & cras pariter ſe conſequuntur, & uni vitæ ſpatio annectuntur, ſicut temoni axis prior & poſterior.

Temone.] *Temo* eſt lignum illud oblongum in curru, cujus extremitati jugum alligatur.

71 *Canthum.*] Circulus eſt ferreus, quo rotæ orbile ſeu curvatura cingitur ac munitur, & quo rota compages conſtringitur. Vox peregina & Barbara, ſeu Afra, ſeu Hiſpana, quâ tamen velut receptâ in Latio utitur Perſius, ut obſervat Quintil. lib. 1. cap. 5. Ponitur hîc pro rota, per ſenecdochen. Sic & Martial. lib. 14. Epigramm. 168.

Inducenda rota eſt, das nobis utile munus.
Iſte trochus pueris; at mihi canthus erit.

72 *Cùm rota poſterior curras, &c.*] Quandiu tu diem hodiernum agis, quo nondum vis mores corrigere, cui reſpondent axis ſecundus & rota poſterior; nunquam attinges diem illum craſtinum, quo ſtatuis meliora, qui ſignificatur per rotam priorem; quæ volvitur ſemper ante poſteriorem, neque unquam attingitur ab ea, quamvis ei proxima.

73 *Libertate opus eſt.*] Obſtinatum in vitiis juvenem aggreditur Perſius novâ quâdam & Publius

Digitized by Google

Publius manumiſſus eſt, frumentum corruptum obtinet per teſſeram Velinam. Eheu veritate vacui vos, *apud quos unica circumactio efficit Romanum! Ille eſt Dama, non mulio trium aſſium, vappa, & lippus, & fraudulentus in exigua farragine.*

Publius emeruit, ſcabioſum teſſerulâ far
Poſſidet. Heu ſteriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama eſt, non treſſis agaſo
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.

ANNOTATIONES.

ſubtili ratione, ſcilicet libertatis amore ac neceſſitate: & ex occaſione tractat eleganter & fusè paradoxum illud Stoïcorum: ſolos ſapientes eſſe liberos: de quo & Tull. parad. 5.

Non hâc.] Ergone, ô Romani adoleſcentes, libertatem adeò jactatis, dum ſervi eſtis cupiditatum ac vitiorum? An vobis videmini ſatis eſſe ac verè liberi & ingenui, modò libertatem dumtaxat civilem poſſideatis, qualem ſibi vindicat oſtentatque ſervus heri vel hodie manumiſſus? Imo libertate animi opus eſt, nec aliter quiſquam liber & ingenuus cenſeri debet. Tertull. Lib. de Reſurrect. *Libertate opus eſt ad virtutem, inquit Perſius, non eâ quâ ſervi donantur, & aſcribuntur uni Tribuum; putà Velina.*

Ut quiſque Velinâ, &c.] Statim ac in libertatem aſſertus quiſque in aliquam è Romanis Tribubus tranſcribebatur, v. g. Eſquilinam, Palatinam, Velinam; tum jure publico gaudebat, & communibus civium emolumentis qualis eſt annona, ſeu frumentatio. Triplex libertatis genus lege apud Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10.

Velinâ.] *Qui Velinum circa lacum habitabant, Romam tranſlati ſunt; & Velina Tribus numero aliarum acceſſit.* Vett. Gloſſ. Vide Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 17.

74 *Publius emeruit.*] Quaſi tempore ſervitutis exacto, libertatem merito ſuo conſecutus, Patroni ſui prænomen (ut fit) aſſumit, quod ſervi nullum habebant: & dictus v. g. Publius Licinius Velina. *Emeruit.* Metaph. à militibus, qui honeſtâ de causâ mittuntur domum, & immunes fiunt deinceps à bellando.

Scabioſum far.] Immundum, putre, gurgulionibus exeſum. Fortè intelligit panem aceroſum, ſordidum, caninum. Legunt alii, *ſcabroſum*, id eſt, aſperum, vile, præ vetuſtate rugoſum.

Teſſerulâ far poſſidet.] *Qui ex manumiſſione cives Romani efficiebantur, in numero civium Romanorum frumentum publicum accipiebant.* Vett. Gloſſ. & quidem gratis, ex lege latâ à Publio Clodio Tribuno Plebis, Piſone & Gabinio Conſulibus, ut notat Pædianus ad Orat. Tullii in Piſonem. Scilicet annonæ Procurator magnam quotannis frumenti vim colligebat & erogabat iis pauperibus, qui teſſeram ſeu notam antedatam repræſentarent; quâ cives Romanos eſſe conſtaret. In ea ſcribebatur nomen hominis & Tribûs, v. g. Publius Velina; id eſt à Velina Tribu. Caſaub. Teſſeram illam fuiſſe ligneam, nimirùm e liguſtris, colligere licet è Plinio lib. 16. cap. 18. Teſſerarum & frumenti populo dati meminit & Suetonius in Auguſto cap. 41. & 42. item in Domitiano. Vide Lipſium Elect. lib. 1. cap. 8.

75 *Heu ſteriles veri.*] Quàm longè diſtatis ab eo quod verum eſt! Quam turpiter aberratis & allucinamini? Quam veſtra vos fallit mens & opinio?

Quiritem.] Cives Romani à Quirino *Quirites* dicti. Hic abuſive nomen hoc uſurpatur, ut notant vett. Gloſſ.

Una vertigo facit.] Manumiſſurus ſervum dominus coram Prætore eum ſiſtebat; mox in orbem circumactus dimittebat, ac ſuæ velut relinquebat poteſtati, his verbis: *hunc eſſe liberum volo,* Appian. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10.

Plaut. Menæchm. Scen. 19.

Liber eſto, atque ito quò voles,

76. *Hic Dama eſt.*] Verum enimverò, inquies, hic etſi modò ſervus fuit, at jam ſui juris eſt, & Marcus Dama appellatur. Vel, ut ait Autumnus non perperàm, hic ſervus eſt frugi, non ut cæteri, pravus & vilis.

Dama.] Servile nomen. Vide infrà; v. 161. ad vocem, *Dave.*

Horat. lib. 2. Sat. 7.

——— *Prodis ex Judice Dama*
Turpis.

Obſervat Caſaubonus inter nomina ſervilia fuiſſe quædam honeſtiora, à quibus liberi non abhorrerent, quamvis magna eſſet in nominibus apud Romanos ambitio. Hinc eſt quòd magnificè hic, *Dama* vocatur, & paulò pòſt repetitur, *Marcus Dama.*

Non treſſis agaſo.] Non eſt homo nullius pretii, aut induſtriæ, nec infimæ ſortis ac miniſterii, qualis jumentorum curator.

77. *Vappa, & lippus.*] Non corruptus & nequam, velut vappeſcens vinum; nec imperitus

Vertit

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! Marco ſpondente, recuſas
Credere tu nummos? Marco ſub Judice palles?
Marcus dixit, ita eſt: aſſigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas: hanc nobis pilea donant.
An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam
Cui licet ut voluit? Licet ut volo vivere: non ſim

Illum dominus circumagat, puncto circumactionis prodit Marcus Dama. Papa! Marco ſatiſdante, tu renuis committere pecuniam? Times ſub Marco Judice? Marcus affirmat, ſic ſe res habet: & Marce, tabulis ſubſcribe. Illa eſt vera libertas: illam nobis concedit pileus. Eſtne aliquis alius ſui juris, præterquam ille, *cui fas eſt vitam ducere ad libitum?* At *mihi fas eſt vitam ducere ad arbitrium.* Numquid igitur *non fuero*

ANNOTATIONES.

ac animo cæcutiens, ſimilis ei qui lippos habet oculos & malè affectos.

Horat. Lib. 1. Sat. 1.

——*Non ego avarum*
Cùm veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.

Et in tenui farragine mendax.] Neque eſt fraudulentus in minutis etiam rebus, & ex genere eorum qui jumentis quæ curant, pabula mentiuntur data, cùm tamen ea furto ſubripere ſoleant.

Farrago.] *Eſt*, inquit Feſtus, *quod ex pluribus ſatis, pabuli cauſâ datur jumentis.* Plin. Lib. 18. cap. 16. ait, ex Catone, idem olim fuiſſe quod ocymum. Varro, Lib. 1. de Re Ruſt. cap. 31. dicit eſſe pabulum, quo jumenta verno tempore purgantur & ſaginantur.

Virgil. Georgic. 3.

Tum demum craſſa farragine corpus
Creſcere jam domitis ſinito.

78 *Verterit hunc dominus.*] Ex more & ritu manumiſſionis, de quo ſuprà.

Momento turbinis exit Marcus Dama.] Cùm primùm apprehenſus à domino ac rotatus fuerit: poſt circumactionem alioſque ritus legitimos, repentè fit ſui dominus, honore dignus & fide imò & munerum capax.

79 *Marco ſpondente.*] Sæpè repetit hoc prænomen Satiricus, ironicè: quippe, ut habet Horatius, Lib. 2. Sat. 5.

Quinte, putà, aut Publî (gaudent prænomine molles
Auriculæ.)

Imò & admirationem ironicam addit, *papæ!* Tam bono ſponſore ac ſtipulatore, an recuſas pecuniam credere? Scilicet Marco Damæ fidem derogas! *&c.*

81 *Marco ſub judice palles?*] Cùm ſit vir probus & Judex integerrimus, tu nihilominùs times in judicium venire? Obiter hîc perſtringi corruptionem Romanæ Reipublicæ, apud quam fiebant judices etiam liberti, obſervat Caſaubonus.

81 *Marcus dixit.*] Αὐτὸς ἔφα: ut de Pythagora,

Aſſigna Marce, tabellas.] Subſcribe & ſigna tanquam teſtis rogatus. Scilicet apud Romanos adeſſe teſtamentis oportebat & ſubſcribere ac ſignare teſtes ſeptem, qui cives eſſent Romani, & puberes. Ut habetur Lib. 21. Paragraph. 1. D. de Teſtamentis.

82 *Hæc mera libertas.*] Non alia ſanè eſt libertas, quàm ea, quâ licet prænomen aſſumere, pro alio ſtipulari, Magiſtratum adipiſci, teſtis eſſe, & fidem habere, quæ omnia ſunt negata ſervis. Hæc etiam Sarcaſticè.

Pilea donant.] Servi nudo capite, & promiſſis capillis incedebant: at cùm manumittebantur, raſo capite, inſigne libertatis pileum accipiebant in Templo Feroniæ Libertatis Deæ, Suprà Sat. 3. v. 106.

Heſterni capite induto ſubiere Quirites.

Plaut. Amphitr. Act. 1. Scen. 1. v. ult. *Faxit Jupiter ut ego hodie, raſo capite calvus capiam pileum.* Cœl. Rhodig. Lib. 20. cap 12. ait excuſam à Bruto monetam, in qua pugionibus duobus erat impoſitus pileus, quibus ſignificaretur vindicata ferro libertas. Tit. Liv. Lib. 34. cap. 52. *Præbuerunt*, inquit, *ſpeciem triumpho, capitibus raſis ſecuti qui ſervitute exempti fuerant.* Cur autem manumiſſorum capita raderentur? *Qui liberi fiebant*, inquit Nonius, *eâ causâ calvi erant, quòd tempeſtatem ſervitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati ſolent.*

83 *An quiſquam eſt alius liber, &c.*] Etiam argumentari audet Marcus Dama, & ſyllogiſmo probare quod affirmavit; *hæc mera libertas.*

84 *Cui licet ut voluit?*] Genuina eſt libertatis deſinitio, è qua majorem propoſitionem conficit Marcus. Sic enim Tull. Parad. 5. Item offic. 1. *Eſt poteſtas vivendi ut velis.* Deſumptum verò videtur è Laërtio in Zenone, ubi ſic habetur: ἔστιν ἡ ἐλευθερία ἐξουσία αὐτοπραγίας. Et Epictet. apud Arrian. cap. 1. Lib. . & 4. ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται. Pergit Dama: *Licet ut volo vivere.* Et hæc eſt minor propoſitio. Ergo, inquit, *non ſim liberior Bruto!* Concluſio ſyllogiſmi.

Digitized by Google

Bruto liberior? falsò concludis, ait ille Stoicus, habens *aurem purgatam acri aceto. Cætera* quidem *illâ admitto,* ſed *apage* tuum, *hoc licet, &, ut volo.* Verùm enimverò *ex quo meus prodii à Prætore,* per *virgam, quare non mihi licitum ſit quicquid placuit arbitrio* meo, *excipio ſi Maſurii ſcriptura rubra aliquid prohibet?*

Liberior Bruto? Mendosè colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hæc reliqua accipio; licet illud, &, ut volo, tolle.
Vindictâ poſtquam meus à Prætore receſſi,
Cur mihi non liceat juſſit quodcumque voluntas,
Excepto ſi quid Maſurî rubrica vetavit?

ANNOTATIONES.

85 *Liberior Bruto?*] M. Junius Brutus Rempublicam Romanam à Regum ſervitute ac Tyrannide vindicavit, priſtinam libertatem reſtituit, ejuſque firmandæ cauſâ, nec propriis pepercit filiis, quos ei inſidiantes necavit. Tit. Liv. in fine Lib. 1. & initio Lib. 2. Valer. Maxim. Lib. 5. cap. 8. Flor. l. 1. cap. 9.

Mendosè colligis.] Redarguitur M. Dama, ejuſque ſyllogiſmus retexitur, hoc ferè modo: tranſeat propoſitio: ea quidem benè intellecta certa eſt. Negatur aſſumptio: quam tamen ille mox aſſerere conabitur. Vide infrà errorem ſyllogiſmi.

86 *Mordaci lotus aceto.*] Inſtructus morali diſciplina ſeveriori; vel acri judicio ſimul & dialecticâ. Nam, ut ait Cicer. 3. de Finibus cap. 3. *Stoïcorum ſubtile fuit vel potiùs ſpinoſum diſſerendi genus.*

87 *Hæc reliqua accipio,* &c.] Admitto libertatis definitionem in propoſitione contentam, inquit Stoïcus: non verò cætera. Legunt alii, *Hoc reliquum accipio: licet illud, &, ut volo, tolle.* Alii reſtituunt, nec ſine probabili ratione, *Hac reliqua accipio: licet, ut volo, vivere, tolle.*

Licet illud, &, ut volo, tolle.] Aſſumptionem ut falſam amove: hanc ego reſpuo; & paucis evincam, te non vivere ut vis, & ut libet; nec tibi licere quod optas & quod placet; tu enimverò potiùs ageris & raptaris quocumque trahunt te cupiditas, libido, aliaque vitia. Undè ſervum te contendo, liberum pernego.

Horat. Lib. 2. Sat. 7.

Tu mihi qui imperitas, aliis ſervis miſer, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quiſnam igitur liber? Sapiens, ſibique imperioſus.

Tull. Parad. 5. *Improbos non ita dicunt eſſe ſervos ut mancipia, quæ ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo jure civili: ſed, ſi ſervitus ſit, ſicut eſt, obedientia fracti animi & abjecti, & arbitrio carentis ſuo, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſervos? An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat, leges imponit, vetat quod videtur, &c.*

88 *Vindictâ poſtquam,* &c.] M. Dama necdum advertens paralogiſmi ſui vitium & errorem: ſeque à Stoico vapulare, ob æquivocam libertatis acceptionem, pergit argumentari porrò à libertate corporis ad animi libertatem; quocirca non ſine ludibrio excipitur.

Vindictâ.] *Virga eſt, quâ manumittendi à Prætore in capite pulſantur, ideò dicta, quòd eos vindicat libertati.* Vett. Gloſſ. Titus autem Livius Lib. 2. cap. 5. ita nuncupatam ait à Vindicio ſervo, qui primus libertate ſimul & civitate donatus ob detectam conjurationem. *Hinc* verò ſancitum, ut quoties ſervus aliquis manumitteretur, caput ejus baculo tangeretur, in memoriam conſervatæ Populo Romano per ſervum libertatis.

Meus à Prætore receſſi.] Mei juris factus ſum, liber & civis Romanus. Prætor enim ſervi caput virgulâ feriens pronunciabat, *eſto liber*: porrò qui vindictâ manumiſſus is unà cum libertate civitatem Romanam conſequebatur, Tit. Liv. locis jam citatis. Alex. ab Alex. Lib. 4. cap. 10. &c.

89 *Cur mihi non liceat,* &c.] Adverte arrogantiam & ſuperbiam in verbis Marci Damæ.

90 *Excepto ſi quid,* &c.] Excipio illa, quæ legibus & jure ſunt vetita.

Maſurî.] *Maſurius hic Sabinus Legis conſultus fuit.* Vett. Gloſſ. Eques erat Romanus, Tiberii Imperatoris tempore doctrinâ clarus; cæterùm valdè pauper. Ejus meminit Agellius Lib. 14. cap. 19. & alibi. Apud Athenæum Lib. 14. ut vir longè optimus & ſapiens, legumque Interpres eximius celebratur.

Rubrica.] Quid propriè ſit *Rubrica,* dixi Sat. 1. *Rubricas vocari minium quo tituli legum annotabantur;* aiunt hîc veteres Gloſſ. & Turneb. Lib. 4. cap. 5. ſcilicet ob ſimilem colorem rubeum.

Juvenal. Sat. 14.

- - - - - Perlege rubras Majorum leges.

Neque verò legum tantùm, ſed & omnium quæ ſcribebant olim, tituli, capita & initia rubra erant, ſeu minio, ſeu purpuriſſo notata. Patet ex Ovid. Triſt. Lib. 1. Eleg. 1.

Digitized by Google

Diſce; ſed ira cadat naſo, rugoſaque ſanna,
Cùm veteres avias tibi de pulmone revello.
Non Prætoris erat ſtultis dare tenuia rerum
Officia, atque uſum rapidæ permittere vitæ.

Accipe; at à naribus tuis recedat indignatio, & irriſio rugis notata, quando expugno tibi de corde antiqua deliria. Ad Prætorem non pertinebat inſanis concedere ſubtilia officia in rebus, & donare poteſtatem vitæ præcipitis.

ANNOTATIONES.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.
Et Martial. lib. 3. Epigramm. 2.
Et cocco rubeat ſuperbus Index.
Quod autem hìc Caſaubonus de cera miniata comminiſcitur, non perperam videtur reprehenſum à Marcilio, qui notat eam ſignationi non ſcriptioni idoneam. Quid autem? Viro vir occinere non veretur cum Satirico; *Diſce: ſed ira cadat.* Certè favet Critico adversùs Criticum Vitruvius Lib. 9. cap. 3. ubi ait Democritum annulo ſignare ſolitum ea quæ expertus eſſet, cerâ ex milto, id eſt, minio, ſeu cerâ miniatâ. Nam ut habet Plin. Lib. 33. cap. 7. *Milton Græci vocant minium.* Quid ſit enim cera miniata, & quod notationi & cenſuræ utilis eſſet, non ſcriptioni, apertè declarat Tullius ad Atticum. Sic habet Lib. 16. Epiſt. 11. *Noſtrum opus tibi probari lætor; ex quo antè ipſe poſuiſti, quæ mihi florentiora ſunt viſa judicio tuo. Cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam.* Et Lib. 15. Epiſt. 14. adhuc apertiùs, cùm ait: *His literis ſcriptis, me ad συντάξεις dedi, quæ quidem vereor ne miniatulâ cerula tua pluribus locis notanda ſint.*

91 *Diſce; ſed,* &c.] Aſſumptionis probationem refellit Philoſophus Stoïcus, ſimul verò Damam orat, ne iraſcatur, dum aperiet ipſi fortaſſe non placituras veritates: cæterum ne ridendum putet in re tam ſeria.

Ira cadat naſo.] Theocritus iratum Pana ſignificare volens in ejus naſo bilem ſedere ait, Idyll. 1. χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Plaut. Amphitr. Act. 4. Scen. 3. *Vetuſtum adagium: fames & mora bilem in naſum conciunt.*

Rugoſaque ſanna.] Ridentis naſus oſque corrugari ſolent. *Sanna,* inquit Nonius Marcellus, *os diſtortum cum vultu.* Vide Sat. 1. ad ea verba, *Poſticæ occurrite ſannæ.*

92 *Veteres avias.*] Aniles fabulas, opiniones falſas, errores, quales vetulæ filiis ac nepotibus ſæpè ſuggerunt: quales & fortè de libertate avia pridem tua tibi inculcavit. Explicant alii vanam ac ventoſam nobilitatis opinionem, qualem ferè habebant Romani; & arrogantiam, cujus in pulmone ſedes.

De pulmone revello.] Hæc licèt radicitùs inhæreant cordi & animo tuo, ſi tamen extirpari ſinas & expungi, etiam cum aliquo dolore tuo; docebo te diſtinguere civilem libertatem communem quidem omnibus, à libertate animi, quæ ſoli propria eſt ſapienti. Ergo attende.

93 *Non Prætoris erat,* &c.] Quærebas modò, ô Marce, cur libero tibi ac civi Romano non liceat, &c. En diſce: Prætor quod ſui fuerat officii præſtitit ſanè, jus Quiritium dedit, à domini poteſtate vindicavit. Sed liberare te à nexu & ſervitute cupiditatum ac vitiorum, penes eum non erat. Hoc verò ſola præſtat Philoſophia.

Stultis.] Apud Stoicos, *Stulti omnes ſervi:* Item; *Inſaniunt omnes prætèr ſapientem.*

Dare tenuia rerum officia.] Dare tibi non potuit ſcientiam rerum benè agendarum, *rectè facta,* κατορθώματα, *quæ omnes numeros virtutis continent;* ut ait Tullius 3. de Finibus. num. 24.

Tenuia.] Minuta certè & ſubtilia, eoque difficilia. Ariſtoteles 2. Ethicor. *Quemadmodùm non cujuſque eſt invenire centrum circuli, ſed tantùm Geometræ: ſic nec aſſequi virtutis mediocritatem, nec ad eam pertingere poteſt, niſi ſapiens:* Deinde per ſingulas rerum, temporum, perſonarum differentias, videre *quid deceat, quid non,* ut ait Horatius ad Piſones, dijudicare ſpecialia viri boni officia, in his etiam aliquando laborant vel ſapientiſſimi. Ergo Maſurii rubrica, leges, oſtendunt quidem graviora & grandia peccata, atque officia: verùm *tenuia* iſta, de quibus dixi, & quibus tota fermè vita honeſta continetur, minimè.

94. *Atquè uſum rapidæ permittere vitæ.*] Te tibi relinquere, idoneo, velut ac perito τῦ ἀνέχειν ἢ τῦ ἀπέχειν discernere rectum vitæ rerumque uſum, quid fugiendum, quid indulgendum tibi & aliis; nihilque optare, nihil metuere, niſi ex rationis præſcripto. Hæc lubrica quidem, rapida, ardua ſunt: hæc non confert una Prætoris vertigo, & brevis circumactio; ſed longa ſedulaque Magiſtri morum inſtitutio. Is certè poſtquam in omni virtutum genere diu te exercuerit, & affectibus purgârit, te tibi permittere poteſt, verèque liberum per omnia pronuntiare; non item Magiſtratus, aut Prætor.

Sambucam

Digitized by Google

Caudâ procero faciliùs accommodabis citharam. Ratio repugnat, & clàm in aurem inſurrat, ut licitum non ſit agere illud, quod faciendo quiſpiam corrumpet. Jus commune hominum & naturæ complectitur iſtam legem,

Sambucam citiùs caloni aptaveris alto.
Stat contrà ratio, & ſecretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,

ANNOTATIONES.

95 *Sambucam citiùs,* &c.] Faciliùs ſanè fuerit efficere ut agreſtis ſervus, qui nec Muſicam didicit, nec citharas vidit, eas ex arte pulſet, quam facere ut Dama rationem ſequatur, & tenuia rerum officia nôrit, & præſtet. Proverb. *Aſinus ad lyram:* Item, *Sambucam caloni.*

Sambucam.] Vox Syriaca, inquit Caſaubonus. Galli harpam vocant, Turneb. Lib. 20. cap. 1. Latini Græcique lyram & citharam, item nablum ſeu nablium. Muſicum eſt inſtrumentum triangularis formæ. Athenæus Lib. 4. cap. 23. Sambucam lyrophœnicem vocari ait, ejuſque inventorem fuiſſe Ibycum Rheginum. Et Lib. 14. cap. 8. acutum eſſe ejus ſonum, fidibus quatuor tenſum primò fuiſſe. Et cap. 9. ejuſdem Libri, ſambucâ primum uſam fuiſſe Sibyllam, atque ita vocatam à Sambyce quodam. Caſaub. in Athen. *Certum eſt,* inquit, *Vetuſtiſſimos Orientis populos eo organo eſſe uſos: inde tranſit ad Græcos & res & nomen.* Ejus inſtrumenti muſici meminerunt Propheta Daniel cap. 5. Vitruv. Lib. 6. Spartianus in Adriano, &c. Eſt enim *Sambuca* belli inſtrumentum, quod funibus intenditur, ut chordis cithara; undè nomen. De eo Vitruv. lib. 10. Plutarch. in Marcelli Vita. Polyb. lib. 8. Lipſ. Poliorcet. lib. 1. Dialog. 6. Vegetius & alii. Scilicet, è turre prope urbem obſeſſam extructâ, trabs ingens funibus ac trocleis ad muros laxata, erat pro ponte, & per eam tranſeuntes milites urbem invadebant. Athenæus loco mox citato lib. 14. cap. 8. ejuſdem meminit, aitque *Sambucam,* eſſe machinæ bellicæ genus oppugnandis urbibus idoneum, hoſtium mœnibus duabus ſuculis admoveri, & cùm erectum fuerit, ſimile eſſe navium ſcalis foras projectis & expanſis: Romanorum eſſe machinam; Denique fabricam ejus & formam inventam eſſe ab Heraclide Tarentino.

Caloni.] *Calo* ſervus militis, cui vallum defert & ligna, Græcè κᾶλα; vel ex eo dictus quòd ligneam clavam gereret. Feſtus, Servius. Lignatores Athenæus *Calones* vocat, ſeu καλοφόρους, Horat. lib. 1. Epiſt. 14. *Invidet uſum*
Lignorum tibi Calo.

Aptaveris.] Priùs inſerueris craſſis manibus hominis agreſtis ineptique, licèt graciles & agiliores digiti manuſque deſiderentur tangendis ſcitè ejuſmodi inſtrumentis, hoc, inquam, potiùs feceris, quàm, &c.

Alto.] Prægrandis ſtaturæ, qualis in Calonibus amatur, magnæ molis homines ſæpè bardi ac ſoluti. Ariſtoteles in Phyſiognom. οἱ ἄγαν μεγάλοι βραδεῖς. Homerus Ulyſſem ſtaturæ brevis & prudentiæ magnæ exhibet, Ajacem verò procerum & ſtolidiorem: undè Apuleius lib. 10. *Præfertur Ulyſſes modicus Ajaci maximo.*

96. *Stat contra ratio.*] Debent enim fabrilia fabri tractare, de bobus arator narrare, nec ultra crepidam ſutor, nec quivis alter ultra quam didicit artem. Cic. Tuſc. Quæſt. 1. Athenæus lib. 8. cap. 10. refert Stratonicum Citharœdum Regi Ptolemæo de citharifandi arte ambitioſè diſputanti reſpondiſſe: *Rex, aliud eſt ſceptrum, aliud plectrum.*

Et ſecretam garrit in aurem.] Intùs in animo ſuæ indolis conſcio reclamat, monetque Damam ſemper eſſe Damam; & ſervo ſervilem, abjectum, nequam fore ſemper animum. Altiùs interpretationem promit Caſaubonus, an & versùs? Nimirùm Philoſophiæ Stoicæ auſtera ratio clam admonet, quia apud plebem & Proceres malè accipitur, ſuis volentes indulgere cupiditatibus, quod illa vetat. Undè non niſi ſubtimide agit, ſuaque clàm proponit dogmata.

Garrit.] Legunt alii, *Gannit,* Proprie garriunt aves, vulpes autem & canes ganniunt, dum levibus ſuſurris quaſi gemunt.

97 *Ne liceat facere,* &c.] Ut nemo ſibi negata tenet. Aliàs enim, quod ait Perſius; *vitiabit agendo.* Quod quidem ſemper accidit imperitis. Pingere aggrediatur faber, lapides ſecare & aptare ruſticus, hortum & florum areolas diſponere ſtatuarius, plus nocebit eorum opera, quàm juvabit: imò alter alterius opus benè inchoatum diſperdet.

98 *Publica lex hominum,* &c.] Expoſitio eſt prioris ſententiæ. Hoc eſt, id non continet rubrica Maſurii, nec ſcripta, ſed nata lex nobiſcum, adeòque in hoc conſentiunt omnes homines, quod & naturæ lumen oſtendit, & jure gentium cautum eſt.

Ut

Ut teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen; vetat hoc natura medendi.
Navim ſi poſcat ſibi peronatus arator
Luciferi rudis; exclamet Melicerta, periiſſe
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo

ut ignorantia impotens abſtineat ab actionibus ſibi prohibitis. Si *helleborum miſces, imperitus ſiſtere ſtateram debito termino, ratio medicina id prohibet.* Si *agricola ocreatus ſibi navim* poſtulet regendam, *non cognoſcens Luciferum*; ſtatim *Melicerta exclamabit, nullum* jam *pudorem eſſe in rebus.* An *verò diſciplina tibi contulit vitam agere*

ANNOTATIONES.

99 *Ut teneat vetitos,* &c.] Ut quiſque abſtineat à moliendo eo opere, quod agendo ac tentando vitiare contingent, ob inſcitiam rei, ob imperitiam, adeòque impotentiam ejus præſtandæ.

100 *Diluis helleborum.*] Exemplis confirmat Stoicus quod dixit. Si pharmacum & periculoſum quietem, quale eſt helleborum, temperare velit ac præparare quiſpiam Medicæ rei ignarus: adversùs eum clamat lex medendi.

Helleborum.] Herba eſt medicinalis, de qua jam antè non ſemel. Vide Gell. lib. 17. cap. 15. Et Plin. lib. 25. cap. 5. ubi recenſet hellebori ſpecies, vim, uſum.

Certo compeſcere puncto neſcius.] *Non ad trutinam, ſed ad ſtateram retulit, quæ punctis & unciis ſignatur.* Veteres Gloſſ. Eſt enim ſtatera, libra ſine lancibus.

Certo puncto.] Habitâ diligenter ratione morbi, naturæ viriumque ægrotantis, item medicamenti ſeu pharmaci, ut certâ menſurâ & proportione, certo pondere, miſceatur ac detur, alioqui nociturum.

101 *Examen.*] Jam diximus eſſe in ſtatera ſtylum qui eodem vergit quo pondus inclinat, undè & pro regula eſt.

Natura medendi.] Vel ars quæ eſt imitatio naturæ, potiùs vis & natura medicinæ. Vult enim naturæ ordo, ut fiant omnia ritè ac ſcitè, quod rudes & imperiti præſtare nequeunt.

102 *Navim ſi poſcat,* &c.] Alterum exemplum ab imperito rei nauticæ. Horat. lib. 2. Epiſt. 1.

Navem agere ignarus navis timet, &c.

Peronatus.] Indutus peronibus, qui ruſtici calcei ſunt è crudo corio, vel è pellibus, qui ſupra genua protenduntur ad arcendum, lutum, nives, imbres.

Virgil Æneid. 7.

——— *Veſtigia nuda ſiniſtri*
Inſtituêre pedis; crudus tegit altera pero.

Juvenal. Sat. 14. v. 186.

Nil vetitum feciſſe volet quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui ſummovet Euros
Pellibus inverſis.

103 *Luciferi rudis.*] Ignorans aſtra cuivis nota, qualis eſt ἑωσφόρος, ſeu ſtella Veneris, quæ manè Lucifer, veſpere Heſperus vocatur. Nautis certè neceſſaria Aſtrologiæ cognitio, imprimis olim, quando nonniſi ad aſtra noctu navigabatur: at nunc id facilius multò, opertis etiam tempeſtate ſideribus, ad acum magnete illitam à paucis inventam ſæculis.

Virgil. Æneid. 3. de Palinuro noctu ſurgente.

Sidera cuncta notat tacito labentia cælo,
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones,
Armatumque auro circumſpicit Oriona.
Poſtquam cuncta videt cælo conſtare ſereno,
Dat clarum è puppi ſignum, &c.

Melicerta.] Deus marinus, qui & Palæmon, & Portunus, eò quòd portubus præeſt. Lege Ovid. Metamorphoſ. 4. Fab. 13.

De eo ſic Virgil. Georg. 1.

Votaque ſervati ſolent in littore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Huic Iſthmii ludi magnis ſumptibus à conventu totius Achaiæ fieri conſueverant. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Fabulam ejus perſtrinxit Sanctus Cyprianus cùm dixit, *Melicerta & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt poſtmodum maris numina.*

Periiſſe frontem de rebus.] Frons pudoris ſedes.

Horat. Lib. 2. Epiſt. 1.

——— ——— *Clament periiſſe pudorem*
Cuncti penè Patres.

104 *Tibi recto vivere talo ars dedit?*] Age verò Marce Dama, dic an didiceris ὀρθοποδεῖν *recto ire pede*: id eſt, benè agere in omnibus, nulla viri probi officia prætermittere; Metaphora ab iis, quibus pedes obtorti aut claudi, nec rectè poſſunt incedere.

Horat. Lib. 2. Epiſt. 1. jam cit.

Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.

Talo.] Pars ima pedis *talus*; ſive os, quod juxta calcaneum, & ad pedis juncturam.

Ars

Digitized by Google

value directâ? An *etiam nôſti diſcernere imaginem veritatis, & an aliqua* ſpecies *tinnitum edat abſurdum, ære ſub auro* latente? Numquid *obſervâſti tum quæ ſectanda eſſent, tum quæ aliàs fugienda*; atque *illa primò ſignâſti cretâ, deinde hæc carbone? Eſne moderatus* in *deſideriis, frugalis domo, ſuavis* erga *familiares*, ut *modò claudas, modò aperias horrea, & queas tranſilire numiſma in cœno defixum; & avidus non ſis deglutire ſalivam Mercurii?*

Ars dedit? Et veri ſpeciem dignoſcere calles,
Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro.
Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim;
Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notâſti?
Es modicus voti, preſſo lare, dulcis amicis;
Jam nunc aſtringas; jam nunc granaria laxes;
Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum;
Nec glutto ſorbere ſalivam Mercurialem?

ANNOTATIONES.

105 *Ars.*] Philoſophia, quæ vitæ magiſtra, lex, regula, paſſim vocatur; & rectè agendi præcepta continet.

Veri ſpeciem dignoſcere calles.] Quandoquidem primus ad ſapientiam gradus eſt cognitio honeſti, dic utrum optimè nôris diſcernere ſimilitudinem veri, ſpeciem falſam ab ipſo vero, id quod eſt honeſtum, ab eo quod videtur. Nam ut ait Ovidius:

Et mala ſunt vicina bonis; errore ſub illo,
Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.

Et Horat. ad Piſones.

——*Decipimur ſpecie recti.*

106 *Ne qua ſubærato,* &c.] Ne ulla ſubſit hypocriſis, adeòque mera ſit boni ſpecies, non ipſum bonum aut verum. *Subærato*: ſimilitudo à nummo adulterino, in quo ſub aliqua auri ſuperficie æs abſconditum, aut cum auro confuſum tinnitu probatur; dignoſcitur autem ex ſonitu rauco & abſurdo.

Mendoſum tinniat.] Sic enim virtus vera *ſolidum crepat*; falſa verò *malignè reſpondet*, ut antè Perſius dixit. *Tinniat*, propria vox metallis, quorum exprimit ſonitum, quando pulſantur.

107. *Quæque ſequenda,* &c.] Hi duo ſunt vitæ honeſtæ cardines, declinare à malo, & facere bonum.

108 *Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notâſti.*] Quod malum damnâſti, quod bonum approbâſti. Vide Sat. 2. v. 1. Ubi fusè egimus de lapillis nigris & albis. Pythagoras dicebat ea quæ candidi eſſent coloris, ad naturam boni pertinere; quæ verò atra & nigra, ad naturam mali.

109 *Es modicus voti.*] Alii Codices habent, *Et modicus voti.* Perinde eſſe videtur, id eſt, ſi paucis es contentus, & parva poſtulas à Diis, non qualia ſtulti & avari, de quibus Sat. 2. *Si, ut ait Plautus, eſt animus tibi modicus, continens, ambitione expers.*

Preſſo lare.] Rebus domi anguſtis, tuâ tamen ſorte contentus: vel meliùs, frugalis in victu, veſtitu, ſupellectile; ſine luxu, ſine luxuria.

Dulcis amicis.] Binignus, facilis; non durus, tetricus, aſper, ſuperbus.

110 *Jam nunc aſtringas.*] Si is es qui modò te contineas & coërceas, cum ratione parcus & moderatus, ut nec prodigus ſis, nec videaris ambitioſus.

Jam nunc granaria laxes.] Modò liberalitatem exercere noveris, ſumptuoſus & magnificus cum res poſtulat: aperiendo velut & exponendo quibuſlibet opes tuas, arcam, horrea, in quibus frumentum, &c.

111 *Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum.*] Si pecuniæ & avaritiæ contemptor, obvium & objectum in itinere nummum ſponte relinquas, ita ut puerorum ludibrium non incurras. Nimirum ut nunc interdum, ſic & olim pueri in via publica nummum clavo humi figebant, vel exponebant in luto projectum quaſi, funiculo verò alligatum non ſine jocis retrahebant, ſi quis prætereuntium æris ſplendore allectus ac deluſus colligere attentaret. Horat. lib. 1. Epiſt. 6.

In triviis fixum qui ſe demittit ob aſſem.

Et lib. 2. Od. 2.

Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

112 *Nec glutto ſorbere*] Si nec es plus æquo lucri cupidus. Si congerendis, datâ occaſione, nummis non inhias avidior, ſicut guloſus epulis lautioribus devorandis.

Salivam Mercurialem.] Mercurius lucri præſes, & Deus, ut innuit Plautus in Prologo Amphitr. Hinc cupiditas lucri dicitur *ſaliva Mercurialis*, metaphora ducta à guſtu; quià cùm objiciuntur cibus palato jucundus, catilloni præſertim & guloſo, ſuboritur ſtatim & affluit ad linguam ejus ſaliva, ex appetitu lautitiarum eamq; ſorbet, & quaſi ſpe jam præcipit ac devorat delicatiores cibos.

Hæc

Digitized by Google

Hæc mea ſunt, teneo cùm verè dixeris ; Eſto
Liberque ac ſapiens, Prætoribus ac Jove dextro.
Sin tu, cùm fueris noſtræ paulò antè farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem ;
Quæ dederam ſuprà, repeto, funemque reduco.
Nil tibi conceſſit ratio : digitum exere, peccas.

Quando verè pronunciaveris, mea ſunt iſta : hæc poſſideo : Tum ſis & tui juris, & ſanâ mente, Prætoribus & Jove faventibus. Atquando quidem aliquantum anteà tu fuiſti conditionis noſtræ, ſi conſervas adhuc cutem antiquam, & facie excultus retines vulpeculam doloſam ſub corde corrupto ; ego à te repoſco ea quæ mox attribuebam, & funiculum retraho. Sapientia nihil tibi contulit : ſi vel *digitum extendis, facis peccatum.*

ANNOTATIONES.

113 *Hæc mea ſunt, teneo,* &c.] Cùm verum fuerit te virtutes eas habere, quas modò enumeravi, teque parem eſſe calcandis vitiorum aſſilientium moribus ac lenociniis : tum certè pronunciandus eris verè liber ; imò & ſapiens : nunquam autem ſecùs.

114 *Sapiens.*] Quos ſapientes appellant Latini, homines nimirùm rerum præſtantiſſimarum cognitione claros, ut ait Tullius : hi vocabantur Græcis Philoſophi, Gallis Druidæ ; Perſis Magi, Sacerdotes Ægyptiis, Indis Gymnoſophiſtæ, Aſſyriis & Babyloniis Chaldæi, Judæis Prophetæ.

Prætoribus ac Jove dextro.] Prætore libertatem corporis ſeu civilem largiente ; animi verò Jove, qui liberator nuncupatur, & cujus e cerebro Minervam, id eſt, ſapientiam prodire fabulantur.

115 *Sin tu, cùm fueris,* &c.] Verùm enimverò cùm fueris paulò antè nequam, peſſimus ; an factus ſis derepente optimus ? Numquid cum libertate civili nuper acceſſit & ſapientia ſingulari quodam Jovis beneficio, ſine labore, ſine ſtudio ?

Farinæ.] Metaphora à panibus, quibus ineſt idem ſapor, idem color, & paria omnia, ex eadem farina factis.

Noſtræ.] Per modeſtiam, inquit Caſaubonus, ait, *noſtræ.* Alii interpretantur ſic : tu modò vitioſus, quemadmodùm & nos, antequam per Philoſophiæ Stoïcæ acetum purgaremur.

116 *Pelliculam veterem retines.*] Mores, ut olim, improbos necdum exuiſti. Vel alludit ad ſerpentes pellem vere novo deponentes : vel ad Æthiopes colorem non mutantes.

Fronte politus.] Externâ quidem ſpecie bonus, modeſtus, comis.

117 *Aſtutam vulpem.*] Pravam indolem ſervas ac retines, vafer ut antè, verſipellis, doloſus ſimilis vulpi, cui aſtutia, ut audacia leoni attribuitur.

Horat. ad Piſones.

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.

Vapido ſub pectore] Metaphora à vino corrupto, quod vappa dicitur, cujus & vapores tetri & graviores. Perperam aliqui legunt, *pavido.*

118 *Quæ dederam ſuprà.*] Nimirùm ut eſſes liber ac ſapiens. Hæc enim nonniſi ſub conditione tibi largiebar.

Repeto.] Placet nonnullis, *relege,* quorſum verò, haud patet.

Funemque reduco.] Alluſum volunt ad Græcorum puerilem ludum neſcio quem, per funiculorum intentionem & attractionem, Ariſt. σπαρτίων ἀνάτασιν. Sed quid opus ? σκαπέρδαν, ἑλκυστίνδαν, διελκυστίνδαν relinquamus Heſychio, Euſtathio, & Julio Polluci, lib. 9. cap. 7. Magis ad rem, ut videtur, dixerimus, & ad mentem Perſii eò propiùs, quo ſimpliciùs : funem ſervitutis, quem videbar exemiſſe, rursùm injicio ; ut priùs, innexum traho ; ſervum te & Damam pronuntio. Aut certè metaphora eſt à beſtiis vel etiam aviculis, quas cum aufugere & avolare tentant paulò longiùs, funiculo innexas revocamus.

Horat. lib. 1. Epiſt. 10. pecuniam ſervire oportere ſic edicit :

Tortum digna ſequi potiùs, quàm ducere funem.

119 *Nil tibi conceſſit ratio.*] Sapientia nihil tibi de ſe aut de ſuo conceſſit, ut ex ratione poſſes agere ; proinde malè & perperàm agis omnia.

Digitum exere, peccas.] Leviſſima quævis actio tua peccatum eſt, & grave quidem. Æqualia quippe ſunt peccata omnia apud Stoïcos.

Digitum exere.] Epictet. Enchirid. *Vel digitum vetatur extendi temerè.* Quò ſanè reſpexit Perſius, & ſatis contextus probat & ſenſus ; ut mirer non paucos, poſt veteres Gloſſ. excurriſſe ad gladiatorum morem, qui victi veniam à populo precabantur, digitum exerendo. *Digitum exere,* id eſt, fatere te victum à vitiis, inquiunt illi Interpretes plus æquo ſagaces. At quæ eſſet conſecutio, quod addit Perſius, *peccas* ? Verùm quibus inſanire libet, his & liceat.

Et

Digitized by Google

Quid verò eſt ita exiguum? At omni thure non obtinebis, ut dimidia virtutis uncia maneat in inſanis. Non licet ea conjungere: & quando quidem fueris alioqui foſſor, ne quidem ad tres duntaxat modos Bathylli Satiri ritè *ſaltaveris.* At *ego* ſum *liber. A quo* tibi *conceſſum illud uſurpas, tot rebus obnoxius?*

Et quid tam parvum eſt? Sed nullo thure litabis,
Hæreat in ſtultis brevis ut ſemuncia recti.
Hæc miſcere nefas; nec cùm ſis cæterà foſſor,
Tres tantùm ad numeros Satyri moveare Bathylli.
Liber ego. Undè datum hoc ſumis, tot ſubdite rebus?

ANNOTATIONES.

120 *Et quid tam parvum?*] Reponit M. Dama; itane verò peccarem, tam ſimplici & levi actione?

Sed nullo thure litabis.] Ita eſt, ut dixi, inquit Stoicus: nec omni thure, votis omnibus ac ſacrificiis impetrare poſſes, ut aliter ſe res habeat: utque, &c. infrà mox.

Litabis.] Vide Sat. 2. ultimo.

121 *Hæreat in ſtultis,* &c.] Ut qui non ſapit omninò, vel minimam habeat ſapientiæ virtutiſque particulam. Nam, quiſquis ſapiens non eſt, ſtultus eſt: & virtutes omnes adeò ſunt connexæ, ut aut habeas omnes neceſſe ſit, aut nullam, duo Stoicorum dogmata ſunt, Laërt.

122. *Hæc miſcere nefas.*] Servire vitiis, ſimul & animi libertate frui, nefas eſt. Sapientiæ & ſtultitiæ conſortium nullum. Stulte facis omnia, ſi non ſapienter. Si ſapis, liber es: ſi ſtultus es, eris etiam continuè ſervus. Hæc omnia Stoicè admodùm. Vide Tull. in paradox.

Nec cum ſis cætera foſſor, &c.] Illuſtrat & confirmat à ſimili.

Cùm ſis foſſor.] Tam longè abes à ſapientia & vera libertate, quàm rudis & ruſticus *foſſor* à ſcita ſaltatione; *foſſor,* inquam, terræ fodiendæ, colendæque totâ vitâ addictus, nullius rei cæteroquin peritus.

123 *Tres tantùm ad numeros.*] Si fueris ſtupidus agricola, non modò perfectè ſaltare non poteris, ſed nec duas aut tres pedum ſcitè dimenſiones exequêre, quippe modulationis ignarus, Muſicæ modos ac numeros quî poſſes geſticulatione & ſaltatione æmulari & exequi; quod vix ex arte facit & perfectè artis peritus? Sic igitur, cùm ſapientiæ nihil habeas, nec movere digitum ſapienter & ex ratione potes.

Ad numeros.] Tullius Paradox. 3. *Hiſtrio ſi paulò ſe movit extra numerum, aut ſi verſus pronunciatus eſt ſyllabâ unâ brevior aut longior, exſibilatur & exploditur: in vita, qua omni geſtu moderatior, omni verſu aptior eſſe debet, ut in ſyllaba, te peccare dices? Poetam non audio in nugis; in vita ſocietate audiam civem, digitis peccata dimetientem ſua?* &c.

Satyri.] Pedibus tam agilis, ut *Satyrus* eſſe videatur. *Satyrorum* nempè Deorum agreſtium caprinis pedibus, villoſo corpore, laſcivientes motus imitabantur in Scena Pantomimi. Virgil. Eclog. 5.

Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.

Horat. ad Piſones.

Mox etiam agreſtes Satyros nudavit.

Et lib. 2. Epiſt. 2.

Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa movetur.

Ex occaſione loci hujus Horatiani ſuſpicatur Caſaubonus legendum eſſe, *Satyrum,* hoc loco Perſii: ut ſenſus ſit, *moveare Satyrum,* id eſt, motu corporis & ſaltatione exhibeas & æmuleris Satyrum ſaltantem ſcitè & agilitate ſummâ. Quaſi verò Perſius debeat eſſe perpetuus ubique & paſſim Horatii imitator, ac veluti ſervum pecus. Maneat igitur *Satyri,* donec mutandi ratio major afferatur.

Moveare.] Id eſt, ſaltationem numeroſam præſtes; nam, *moveri,* pro *ſaltare,* ponitur, ut probant loci Cic. Parad. & Horat. Epiſt. 2. lib. 2. mox citati. Adde Horat. ad Piſones.

Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus.

Bathylli.] Hic fuit Pantomimus Alexandrinus, Auguſti tempore, imò, ut volunt alii, etiam ſub Nerone, inſignis, egregiâ formâ, & ſaltandi peritâ; *Mecænatis libertus,* inquiunt veteres Gloſſ. Ejus meminit Juvenalis, Satir. 6. v. 63. ut molliter ſaltantis. Athen. lib. 1. cap. 17. ait *Bathyllum* cum Pylade primùm invexiſſe Italicam ſaltationem, quæ quidem hilarior cæteris eſſet, eò quòd ſaltationi geſticulationes corporis ritè accommodaret.

124 *Liber ego.*] Inſurgit Dama, & allatas à Stoico rationes parùm capiens, veterem cantilenam & rem de qua controvertitur, inſulsè occinit, & clamitat: Atqui liber ſum, liber ſum, inquam; quicquid contrà cavillari pergas, ô Stoice, conceſſam mihi libertatem non auferes.

Horat. lib. 2. Sat. 7.

——— Eripe turpi
Colla jugo: liber ſum, dic age, &c.

Undè datum hoc ſumis?] Redarguit Stoicus Damam; Undè verò tu habes libertatem, quam jactas, ac tibi arrogas? *Tot ſubdite rebus,* nimirùm, id eſt, cùm tot vitiis ſervias velut mancipium.

Digitized by Google

An dominum ignoras, niſi quem vindicta relaxat?
I, puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer,
Si increpuit, ceſſas, nugator? Servitium acre
Te nihil impellit, nec quicquam extrinſecùs intrat,
Quod nervos agitet. Sed ſi intùs & in jecore ægro
Naſcuntur domini? quî tu impunitior exis
Atque hic, quem ad ſtrigiles ſcutica & metus egit herilis?
Manè, piger, ſtertis: ſurge, inquit avaritia; eja

Nullum *ne dominum agnoſcis præter* eum *à quo vindicat Prætoris virga? Si clamitet* Dominus: *vade, ſerve, & porta ſtrigiles ad Criſpini thermas:* ſique urgeat, *moraris* etiam, ô *nugax?* Tum certè *dura ſervitus nullatenùs te adigit, nihilque ab externo ingreditur, quod nervos exagitet. At ſi domini intrinſecùs oriantur, & in hepate malè affecto; quomodo tu abis minùs punitus quàm ille, quem flagellum & timor domini impulit ad ſtrigiles deferendas? Matutino tempore dormis,* ô *ignave:* Quin *expergiſcere, ait pecunia cupiditas; age-*

ANNOTATIONES.

125. *An dominum ignoras, &c.*] An neſcis præter externum illum corporis dominum cujus è poteſtate ac dominio ſolutus abiiſti, per vindictam & manumiſſionem, reſtare tibi totidem intùs dominos ac tyrannos, quot pravos affectus atq; libidines animo tuo imperitantes.

Vindicta relaxat.] Vide ſuprà, v. 88.

126. *I, puer.*] Explicat diſertè Philoſophus duplex genus libertatis, per Proſopopœiam.

Strigiles.] Dentatum eſt è ferro, argento, aliâve materiâ inſtrumentum, dictum à *ſtrigendo* ſeu *radendo.* Hoc in balneis ſeu aureo, ſeu argenteo divites utebantur ad ſudorem diſtringendum ſeu detergendum. Sueton. in Auguſto cap. 80. refert maculoſum ei corpus, & callis quibuſdam ex prurigine, aſſiduoque vehementi *ſtrigilis* uſu concretis, ad impetiginis formam, notatum.

Criſpini ad balnea.] Opulenti quilibet ſibi & amicis habebant domi thermas & balnea: ergo & Criſpinus, qui ex ſervo factus Eques, jamque delicatior arguitur.
Juvenal. Sat. 1.

Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Criſpinus, &c.

Hic ſub Claudio Imperatore Prætorio præfectus dicitur, & Conſularibus Inſignibus donatus; ſub Nerone verò in Sardiniam Inſulam relegatus ſemet interfeciſſe. Cornel. Tacit.

Defer.] Vir delicatus notatur & potens, qui non communibus utitur ſtrigilibus, ſed proprias ſibi deferri jubet ad balnea.

127. *Ceſſas, nugator?*] Imperioſa utraque vox: undè & ſequitur, *ſervitium acre.*

Servitium acre te nihil impellit.] Nihil jam te torquet illud imperium, & pœnarum metus, nimirùm quia civili ſervitute liberatus es, nec ullum corporis dominum habes ampliùs

128. *Nec quicquam extrinſecùs intrat.*] Externa vox civilis domini parùm te movet aut agit, quia liber es per Prætorem.

129. *Quod nervos agitet.*] Non, ut priùs, vox herilis per aures intrans, cogit te nervos totumque corpus agitare, ad obediendum, & illuc quò jubet properandum, ne fortè vapules tanquam ceſſator & deſes.

Sed ſi intùs.] Si exteriori quidem & corporis ſervitute liberatus, pateris tamen & cervis interiorem vitiorum ſervitutem.

In jecore.] *Jecur* ſedes appetitûs concupiſcentis: vel, ut alibi, ponitur hic pro corde, quod eſt fons & origo omnium affectuum.

Ægro: ſcilicet ob inveteratam in malo conſuetudinem, qua fit ut affectus ingraveſcant, & magis magiſque tabe ſua animum corrumpant.

130. *Naſcuntur domini.*] Imperioſæ libidines te quolibet vel invitum raptantes, pigritia, avaritia, luxuria, &c. ut mox patebit exemplo & experientia.

Quî tu impunitior exis.] Quomodo tu ſerviles pœnas non ſubis; & cur impunè libertatem oſtentas in tam acri duroque ſervitio, quo quidem civile & externum pejus non eſt,

Tergo plector enim: qui tu impunitior?

131. *Atque hic, quem, &c.*] Cur minus plecteris, quàm ille ſervus, qui ſub herili poteſtate pœnarum metu adigitur ad faceſſendum domini civilis imperium, v. g. ad ſtrigiles ad balnea, ſine mora deferendas, &c.

Scutica.] Flagellum è loris. Græcè, σκῦτος pellem & corium ſignificat.

132. *Mane, piger, ſtertis.*] Dialogiſmus eſt Damam inter & avaritiam, luxuriam, aliaque vitia; ubi clarè indicantur & ſigillatim Tyranni intùs dominantes, huc illucque diſtrahentes, & miſerum quaſi diſtorquentes diſcerpenteſque, per proſopopœiam elegantem avaritiæ, luxuriæ, &c.

Surge, inquit avaritia.] Quin divitiis ſtudes accumulandis? Age, labora.

Digitized by Google

dum expergiſcere. Quod ſi renuis: *urget,* aitque, *lectum deſere. Non poſſum,* inquis. Inſtat illa, *exurge. Et quidnam faciam? Quæris? E Ponto huc apperta ſaperdas, caſtoreum, vile linum, ebenum, thus,* vina *fluentia* ex Inſula *Co. Defer ante alios piper novum è camelo ſitibundo.*

Surge. Negas. Inſtat, Surge, inquit. Non queo. Surge.
Et quid agam? Rogitas? Saperdas advehe Ponto,
Caſtoreum, ſtuppas, habenum, thus, lubrica Coa.
Tolle recens primus piper è ſitiente camelo.

ANNOTATIONES.

133. *Non queo.*] Pigritiâ nempè retineor.

134. *Et quid agam?*] Cur otium meum interturbas? inquit Dama piger: quid me facere vis?

Rogitas.] Inſtat urgetque avaritia, donec deſidem è cubili excuſſerit: docetque rationem quæſtûs faciendi certiſſimam.

Saperdas advehe Ponto.] Negotiare, naviga, perge in Pontum, peregrinas merces huc advehe, mercaturis faciendis opes compara.

Saperdas.] Piſcis eſt, qui in Pontico mari capitur. Synecdoche, pro omni piſcium genere. *Saperdam* à ſapore eximio dici quidam volunt: at repugnat Athenæus, lib. 3. cap. 30. ubi Ponticum obſonium *ſaperda,* vile & ignobile edulium appellatur.

Ponto.] *Pontus* propriè vocatur illud mare quod à Mæotide palude ad Tenedum Inſulam continetur: complectitur itaque Boſphorum utrumque, Propontidem, & Pontum Euxinum, qui Herodoto lib. 4. deſcribitur, vocaturque dignus admiratione inter omnia maria. Sic & proxima regio *Pontus* vocatur.

135. *Caſtoreum.*] Quidam interpretantur Caſtoris pellem, è cujus villis galeri conficiuntur exquiſiti. Alii teſticulos, è quibus pharmaca valdè utilia. Herodot. lib. 4. Plin. lib. 8. cap. 30. Et lib. 32. cap. 3.

Virgil. Georg. 1.

——— Viroſaque Pontus
Caſtorea.

Juvenal. Sat. 12.

——— Imitatus Caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno
Teſticulorum; adeò medicatum intelligit inguen.

Aiunt nempè Caſtorem ſeu fibrum, animal aquaticum, lutræ ſpeciem, cui piſcis cauda, aliàs Ponticum canem, inſequentibus venatoribus, eâ corporis parte, propter quam expetitur, horrendo (quod ait Plinius) morſu abſciſsâ, ſeſe redimere. Negant verò doctiores & periti Medicinæ viri, teſticulos amputare ſibi Caſtorem; quòd ſine vitæ damno fieri non poſſit: ſed folliculos geminos ex uno nexu dependentes, quibus inſit vis medica ad plures morbos. Quicquid ſit, ſive hoc, ſive illud, Caſtoreum paſſim vocatur.

Stuppas.] Pars lini, cortici proxima, *ſtupa* dicitur.

Virgil.

Stupea torquentem Balearis verbera fundæ.

Habenum.] Arbor eſt ſpiſſiſſima nigri coloris, quam Æthiopiæ tribuit Herodotus, Indiæ verò Plin. lib. 12. cap. 4. ex Virgilio: ubi & Romæ conſpectam ait primùm in triumpho Magni Pompeii Mithridatico.

Virgil. Georgic. 2. Sic habet:

Diviſæ arboribus patriæ: ſola India nigrum
Fert ebenum: ſolis eſt thurea virga Sabæis.

Thus.] Plin. lib. 12. cap. 14. ait in ſola nec univerſa quidem Arabia reperiri, ſed in ea tantùm regione, cui nomen Saba. Virgilius loco mox citato adſtipulatur. Et alibi,

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Apud Athenæum lib. 3. cap. 21. Syriæ fructus vocantur myrrha & thus. Et lib. 15. cap. 10. Thus inter ſecundæ menſæ apparatum recenſetur.

Lubrica Coa.] Vina mollia, lenia, alvum ſolventia; ex Inſula Co, quæ eſt in Ægeo mari, è Cycladibus una, Hippocratis clara natalibus.

Horat. lib. 2. Sat. 4.

——— Si dura morabitur alvus,
Mytilus, & viles pellent obſtantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, ſed albo non ſine Coo.

136. *Tolle recens primus.*] Anteverte alios mercatores, & cave ne illi præoccupantes, quæſtûs occaſionem præripiant.

Horat. lib. 1. Epiſt. 6.

——— Cave ne portus occupet alter,
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.

Piper.] Plin. lib. 12. c. 7. *Paſſim quæ piper gignunt, juniperis noſtris ſimiles,* inquit.

Tolle è ſitiente camelo.] Id eſt, exonera camelum variis ejuſmodi mercibus onuſtum, longâ feſſum & ſitibundum viâ, & venales expone. *Sitiente.* Dicitur camelus ſitim tolerare ad quatriduum. Plin. lib. 8. cap. 18. ubi & alia ad cameli naturam & indolem pertinentia fusè perſequitur.

Digitized by Google

Verte aliquid; jura. Sed Jupiter audiet. Eheu
Baro, reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages, ſi vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem ſuccinctus & œnophorum
aptas;

Quidpiam commuta, jus jurandum interpone. At Jupiter auſcultabit. Eheu, ſtupide, ſi contendis vivere amicè *cum Jove,* vitam *ages ſatis habens perforare digito ſalinum delibatum. Mox* autem *expeditus accommodas famulis manticam, & vini lagenam;*

ANNOTATIONES.

137 *Verte aliquid.*] Vetus Scholiaſt. *Negotiare, ſpeciem pro ſpecie commuta,* inquit, ne deſes amplius mane: divitias congere labore, imo & perjurio, ac fraudibus; ſi opus eſt.

Jura.] Bonas eſſe merces affirma, etiam falsò: pejerare ne dubita. Certè qui cum mercatoribus jurat ſæpe, ſæpe & pejerat. Vide Tull. Offic. 3. ad finem.

Sed Jupiter audiet.] Avaritiæ Dama reſpondet. Scilicet me jubes rem augere mendaciis paſſim ac perjuriis; ut ſolent mercatores. At Jupiter vindex aderit. Sapientium eſt axioma: *Ita vivendum, tanquam ſub Dei oculis.*

Eheu.] Jungendum cum præcedentibus, inquit Caſaubonus, ut Dama imminentem perjuriis vindictam vereatur, ad quam ſe quaſi neceſſitate adigi intelligit. Legunt alii *heu, heu,* eſſetque attribuendum ſequenti ſententiæ, per quam Damæ religio riſu excutitur.

138 *Baro, reguſtatum,* &c.] Avaritia inſtat, & paupertatis metum incutit Damæ, ut religionem elevet adimatque. Adeò ſtolidus es, inquit, ut miſer eſſe malis, quam mentiri & jurare, formidine ſcilicet Jovis!

Baro.] Vetus Schol. *Linguâ Gallorum barones vel varones dicuntur ſervi militum, qui utique ſtultiſſimi ſunt, ſervi videlicet ſtultorum.* Eſt igitur, *baro,* idem ac bardus & vecors. Cicer. Lib. 9. Epiſt. Famil. ultimâ. Item Lib. 2. de Divinat. ſub finem, & alibi, *baronem,* ponit pro ſtupido. Legunt alii, *vare,* id eſt, diſtorte, & aberrans à recta ratione, ſed perperàm. Habetur enim, *baro,* in vetuſtis codicibus.

Reguſtatum digito terebrare ſalinum.] Scilicet ô baro, modico victu contentum eſſe te oportebit: adeòque inops eris, ut micas ſalis colligas in fundo ſalini ſæpius appoſiti, & proinde ſordidi.

Digito terebrare.] Emphaticè omnia. Digito premere, ut perforare videaris: vel, primoribus digitis delibans ſalis pauxillum, notas digitorum relinques. Quæ omnia egeſtatem ſummam arguunt.

Salinum.] Plin. Lib. 31. cap. 7. de ſale ſic habet: *Varro pulmentarii vice uſos veteres auctor eſt: eſitâſſe enim ſalem cum pane & caſeo ut Proverbio apparet.* Nimirum, ſalem lingere dicuntur, qui tenuiter admodum & parce victitant. Plaut. Curcul. Act. 4. Scen. ult. *Hic hodie apud me nunquam delinges ſalem;* id eſt, ne minimum quidem cibi capies.

Horat. Lib. 2. Od. 16.

Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.

Conſtat certè pauperrimis olim cibum fuiſſe ſalem cum pane; ſicut & Eremicolarum Chriſtianorum nonnullis.

139 *Contentus.*] Fruſtrà legunt aliqui, *contemptus.*

Perages.] Per totam vitam pauper & egenus.

Si vivere cum Jove tendis.] Si Jovem habere placatum & amicum intendis, integer vitæ, ſceleriſque purus, ac morum ſanctitate.

140 *Jam pueris pellem,* &c.] Dama tandem Jovis & conſcientiæ metum ac ſtimulos prætergreſſus avaritiæ ſe tradit, ejus victus argumentis. Verùm iter parantem ad Indos, & navi proximum jam & expeditum aggreditur luxuria, deterret retrahitque, oſtentans laborum duritiem & longinquæ navigationis moleſtias & pericula.

Pueris.] Legunt quidam, *puer is,* id eſt, tu jam avaritiæ ſervus pergis quò vocat illa. Sed perperàm. Nec meliùs, quod ſuſpicatur nonnemo legendum poſteà; *aptus,* pro *aptas.* Jam profecto nugis nugas ſuunt aptantque & ſomnia ſomniis, qui aliis inſomnia objiciunt. Hîc ſane non benè ſanus Marcilius videatur, & malè Caſaubono inſidiari, aliàs perſpicax & ſolers, ſemper autem eruditus.

Pellem.] Sarcinas, ſacculum, in quo itineri neceſſaria: vel è pellibus hirſutis veſtem ad frigus arcendum: qua Juvenalis antè citatus Satirâ 14. v. 186.

Qui ſummovet Euros pellibus inverſis.

Et Ovid. Triſt. 3. Eleg. 10.

Pellibus, & ſutis arcent mala frigora braccis.

Succinctus.] Collectas & præcinctas, more viatorum, jam veſtes habens.

Horat. Lib. 2. Sat. 6.

Veluti ſuccinctus curſitat hoſpes.

Oenophorum. Vas vinarium. Vox tota Græca eſt. Οἶνος, *vinum,* φέρω, *porto.*

Horat. Lib. 1. Sat. 6.

Pueri, laſanum portantes œnophorumque.

Aptas.] Ad navem deferenda imponis.

Digitized by Google

Ocyùs ad navem. Nihil obſtat quin trabe vaſtâ
Ægæum rapias, niſi ſolers luxuria ante
Seductum moneat; quò deinde, inſane, ruis?
Quò?
Quid tibi vis? Calido ſub pectore maſcula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.
Tun' mare tranſilias? Tibi tortâ cannabe fulto

& properas *ſtatim ad navem. Nihil remoratur quominus rapide ſubeas* mare *Ægæum ingenti nave, præterquam ſi luxuria cauta dehortetur te priùs ductum ſeorſim*; dicens, *quò deinceps properas ô demens? Ecquò? Quid tibi quæris?* Nempè *efferbuit ſub corde ardenti bilis virilis, quam amphora cicutæ non ſedaverit. An* verò *tu mare tranſcurras?* An *tu cœnam capies*

ANNOTATIONES.

141 *Ocyus ad navem.*] Fortè verba ſunt Damæ imperantis puero, ut deferre feſtinet impoſitum onus: vel ſunt Poëtæ ad Damam.

Nihil obſtat.] Omnibus jam ad id comparatis.

Trabe vaſtâ.] Synecdoche. Sic Horat. Lib. 1. Od. 1.

——— ——— *Trabe Cypriâ*
Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.

142 *Ægæum rapias.*] Rapidè percurras mare Ægæum, & quodlibet aliud. Synecdoche.

Ægæum.] Maris Mediterranei ſinus eſt ampliſſimus, Græciam inter & Aſiam minorem. Ita vocatur, vel ab Ægo Theſei patre, vel ab Ægea Amazonum Regina, qui in eo perierunt: Vel ab urbe Euboïca *Æge*, ut vult Strabo. Plinius Lib. 4. cap. 11. ſic habet: *Ægeo mari nomen dedit ſcopulus Tenedum inter & Chium, verius quam Inſula, Aex nomine, à ſpecie capræ, quæ ita Græcis vocatur,* (αἶξ) *in medio mari repentè exiliens.*

Solers luxuria.] Blanda, callida, providens te ſibi velut prædam eripi, velut mancipium & ſervum elabi & perire ſibi, ſi ſemel navigès & avaritiæ te mancipes & addicas.

Luxuria.] Morum diſſolutio, inquit Feſtus, ſicut luxa membra appellantur, quæ ſoluta & ſuo loco dimota ſunt.

143 *Seductum.*] Deceptum anteà corruptumque ſuis illecebris & voluptatibus. Vel ſenſus eſt: niſi luxuria, antequam navim conſcendas, monitis ab incœpto curſu dehortetur ac revocet: ductum verò ſeparatim te alloquitur, quia habet aliquid pudendum, unde & arbitros removet. At non ita lucri cupiditas, imo aperte agit, eo quod neminem pudet rem facere, & augere.

Quo deinde, inſane, ruis, &c.] Verba ſunt luxuriæ Damam à navigando deterrentis.

Inſane.] Qui tot moleſtias & diſcrimina non vereris.

144 *Quid tibi vis?*] Quæ mens, quæ ratio ducit? Imo quis furor abripit?

Calido ſub pectore, &c.] Unde verò hæc tibi inſania? An ex efferveſcente bili? Fortè his duobus verſiculis indicatur Dama adversùs luxuriam fatigantem obluctatus, ad iracundiam uſque.

Maſcula bilis.] Effœminatos animos amat luxuria, non mirum ergo ſi damnat *maſculam bilem* velut furorem, & Damam velut furioſum. Porrò ſicut Virgil. Eclogâ 8. dixit *maſcula thura*, ſic Perſius *bilem maſculam*, id eſt, fortem & validam, quam Stoici cotem *fortitudinis* vocabant, modo tamen eâ non ut duce, ſed ut milite uterentur.

145 *Quam non extinxerit urna cicutæ.*] Quamvis contraria contrariis curentur, at ardentem iſtam bilem vix levare aut ſedare potuerit ſuccus cicutæ copioſiſſimus, & plena urna, vas capaciſſimum; quamvis ille ſit adeo frigidus, ut mortem pariat vel modicus. Vide ſupra, Sat. 4. ad v. 2.

146 *Tun' mare tranſilias?*] Te nimirum committes tam infido elemento, in quo ſis *digitis à morte remotus quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda:* ut ait Juvenalis Satir. 12. v. 58. Tria refert Plutarchus, quorum pœniteret Catonem Cenſorium, *arcanum uxori revelâſſe; diem inutilem tranſegiſſe; & eo tranſmiſiſſe navi quo pedeſtre iter eſſe poſſet.* Ex adagio Græco.

θάλασσαν, ϗ πῦρ, ϗ γυνὴ κακὰ τρία.

Tibi tota cannabe fulto, &c.] Tune, ô Marce Dama, tu vir honoratus jam & liber, poteris cibum in navi capere, ita ut pro ſedili habeas funem nauticum, pro menſa tranſtrum, permixtus ſcilicet cum remigibus & nautis ſqualidis & agreſtibus, qui ſolitus es molliùs ſedere, beatius vivere, domi, in otio, inter familiares, nitidè, honeſtè?

Torta cannabe.] *Cannabis* eſt genus plantæ, è qua funes fiunt, & rudentes: imo & veſtes apud Thracas, tam ſubtiles, ut lineæ videantur; Herodot. Lib. 4. num. 155.

Digitized by Google

Cœna ſit in tranſtro? Vejentanumque rubellum
Exhalet vapidâ læſum pice ſeſſilis obba?
Quid petis? Ut nummi, quos hîc quincunce modeſto
Nutrieras, pergant avidos ſudare deunces?
Indulge genio: carpamus dulcia; noſtrum eſt

in tranſtro, nixus fune intorto? An & vas ſedere potens emittat tibi odorem vini *ſubrubri Vejentani pice fœtidâ corrupti? Ecquid intendis?* An *ut nummi quos hic alueras quincunce moderato, pergant* tibi *exſudare deunces cupidos?* Da te *voluptati: rapiamus jucunda.* Noſtrum eſt munus

ANNOTATIONES.

147 *Tranſtro à*] Trabs eſt tranſverſa, ſcamnum & ſedile remigum. Virgil.

Conſidite tranſtris.

Vejentanum rubellum.] Vinum ignobile, ſaporis injucundi, ex agro circumjecto Veios urbem Hetruriæ, non procul ab urbe Roma. Horat. Lib. 2. Sat. 3.

Qui Vejentanum feſtis potare diebus
Campanâ ſolitus trullâ, vappamque profeſtis.

148 *Exhalet vapidâ.*] Tetros vapores tibique inſolitos emittens, faſtidium creet & ægritudines, & fortaſſe mortem extra patriam. Heu quo ruis? Lucelli ſcilicet aliquantuli gratiâ perdas quietem, voluptates, vitam?

Læſum pice.] Infectum ex odore picis quâ navis pariter & obba illitæ & obturatæ. Mos erat porro picandi vinum, id eſt, picem & reſinam interdum adhibendi & immiſcendi, ad condiendum veluti, addendaſque vires, aut frangendas. De quibus Plin. Lib. 14. cap. 1. & 20. Plutarch. Convival. Quæſt. Lib. 5. cap. 3. illis autem ipſis condimentis vinum aliquando corrumpebatur, unde Martial. Lib. 3. Epigr. 76.

Reſinata bibis vina, Falerna fugis.

Seſſilis obba.] *Poculi genus, vel ligneum, vel ex ſparto,* inquit Nonius Marcellus, vas latum habens fundum & ventrem, ita ut per ſe facilè ſtet & ſedeat, undè *ſeſſilis obba* dicitur. Volunt aliqui eſſe doliolum, in quo navigantes plerumque ſedeant.

149 *Quid petis? Ut nummi,* &c.] Quis verò finis tibi propoſitus? Nimirùm uſura ingens & infinita, qualis maritima eſſe ſolet, ſed labore & periculo perinde magno.

Hic.] Romæ, ſine labore, ſine periculo.

Quincunce.] *Quincunx,* uncias quinque ſignificat.

Quincunce modeſto.] Fœnore modico, legibus licito, & avaritiæ notam haud metuente; nimirum quinis annuis pro centenis. Leg. Tutor. Paraph. 10. Digeſt. & Leg. 17. Digeſt. de uſuris & fructibus. At vox iſta, ſicut & ſequens, *deunx,* ampliori eget elucidatione. Itaque obſerva. Graviſſima pridem uſura erat *centeſima,* qua pro centum nummis mutuo acceptis pendebantur duodecim annui, ſinguli pro menſibus ſingulis. Huic verò proxima *deunx* cùm undecim reddebantur pariter pro centenis: ſic & *dextana* erat, cum decem: *dodrans,* cum novem: *beſſalis,* cum octo: *ſeptunx* cum ſeptem: *ſemis,* cum ſex: *quincunx* cum quinque; *triens,* cum quatuor: *quadrans,* cum tres: *ſextans,* duo: denique *unciari* uſura vocabatur, qua pro nummis centum unus dumtaxat in fœnus ſolvebatur quotannis. Et hæc lege decemvirali potiſſimum probata, ut teſtatur Cornel. Tacit. Annal. Lib. 5. Quæ tamen ob fœneratorum fraudes poſt abrogata, & ad ſemiunciariam redacta eſt. Vide infra mox ad vocem, *deunces.*

150 *Nutrieras.*] Fœnore auxeras, multiplicâras. Horat. Lib. 1. Epiſt. 18. *paſcere nummos* eodem ſenſu dixerat.

Pergant.] Alii codices habent, *peragant.*

Avidos ſudare deunces.] Nimium fœnus & immodicum afferre, ſudore & moleſtia pariter ingenti, ob navigationis tædia & pericula.

Avidos.] Cupiditatem lucri nimiam in fœneratore arguit.

Deunces.] *Deunx* pondus eſt ſeu menſura undecim unciarum, quaſi una dempta parte è libra ſeu aſſe, qui duodecim uncias continet. *Deunx* autem uſura ſignificat undenam annuam pro centenis ſeu qua pro centum nummis annuo fœnore, undecim nummi dantur, ut dixi paulo antè. Hoc vero ſane referendum videtur ad uſuras maritimas, quibus lex nulla modum ponit, imo quæ culpâ carent quantumvis magnæ, ſcilicet ob pericula maris, & ærumnas.

151 *Indulge genio.*] Vide Sat. 2. v. 3.

Carpamus dulcia.] Fugientes cum vita & annis arripe voluptates. Horat. Lib. 1. Ode 11. *carpe diem.* Epicurei apud Lactantium: *Voluptatibus, inquiunt, quoque modo poſſumus ſerviamus: Brevi enim tempore nulli erimus omnes. Ergo nullum diem, nullum temporis punctum fluere nobis ſine voluptate patiamur, ne quia ipſi quandoque perituri ſumus, id ipſum quod vixerimus pereat.*

Noſtrum eſt quod vivis.] Βίος εἰς διδόμενος οὐκ ἐστὶ βίος, inquit Proverbium Græcum Undè luxuria ait ſibi acceptam referri oportere Damæ vitam hilarem, jucundam, quietam, voluptuoſam, eo quod ſine gaudiis ac voluptatibus vivere, non ſit vivere.

 Quod

Digitized by Google

Quòd vivis: cinis, & manes, & fabula fies.
Vive memor lethi: fugit hora. Hoc quod loquor, inde eſt.
En quid agis? Duplici in diverſum ſcinderis hamo.
Hunccine, an hunc ſequeris? Subeas alternus oportet,

quòd vitam ducis. At paulò pòſt, *eris favilla & umbra, & ſermo. Vitam age, mortem recordatus: tempus effluit. Id quod eloquor, exinde eſt. Ecce quid facias? Hamo gemino diſtraheris in diverſas* partes. *An illum ſectaberis, an iſtum? Neceſſe eſt* ut *ſubjaceas* duobus *dominis viciſſim,*

ANNOTATIONES.

152 *Cinis, & manes, & fabula fies.*] Antequam moriaris, fruere vitâ vitæque deliciis; nam brevi de te actum erit. Hæc ad mentem Epicureorum, qui cum corpore & animam interire putant, ut mox dixi: quod ſatis convenit loquenti luxuriæ: an verò potiùs ſecundum Stoicos è quorum gremio Perſius? Cic. Tuſcul. Quæſt. 1. num. 77. *Stoici,* inquit, *uſuram nobis largiuntur tanquam cornicibus: diu manſuros aiunt animos, ſemper autem negant.* Et paulo poſt, cap. 78. *aiunt manere animos è corpore cum exceſſerint, ſed non ſemper.* Erit igitur ſenſus, *fies cinis,* nimirum ex more cremato corpore tuo, poſt mortem, & in favillam per ignem redacto: deinde eris *manes,* id eſt, anima tua per aliquod tempus manebit & durabit apud Inferos. Poſtea vero *fies fabula,* id eſt, redibis in prius nihilum: ac enim cataſtrophe eſt vitæ & conditionis humanæ, quæ fabulæ in mundo velut in theatro & ſcenâ peractæ comparari ſolet.

Manes.] Pro locis inferioribus *Manes* accipit Macrob. Lib. Saturnal. 1. cap. 3. Virgil. Æneid. 6. pro pœnis, quæ ſunt apud inferos. Alii, pro Diis tantùm bonis; nam Varro Lib. 5. bonum antiquis manum vocari ait; hinc per antiphraſim quaſi minimè boni, (ſi Servio fides) Dii inferi *Manes* appellantur. Porrò animum à corpore ſeparatum Antiqui *Manem* Deum vocabant. Hìc ſumitur pro anima corpore ſoluta. Horat. Lib. 1. Od. 4.

Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque manes: vide infrà v. 185. ad vocem, *Lemures.*

Fabula fies.] Interpretantur vulgo locum hunc, ſicut & Horat. mox cit. de Inferis, de quibus & Poëtæ & Philoſophi tot & tanta narrant & fabulantur. Atque ita duæ voces, *manes, fabula,* idem ſignificant. Poteſt etiam ita intelligi, *fabula fies,* id eſt, ſola tui memoria reſtabit, & ſermo de te forſan faciendus. Vide ſupra tertiam hujus loci interpretationem, ad hanc vocem, *cinis.*

153 *Vive memor lethi.*] Horat. Lib. 2. Sat. 9.
Vive memor quam ſis ævi brevis.

Fugit hora.] Vita ſenſim elabitur, ut tempus, Horat. Lib. 2. Od. 5.
Currit enim ferox ætas.
Virgil.
——— ——— Fugit irreparabile tempus.

Hoc quod loquor, inde eſt.] Temporis & vitæ fugientis partem etiam abſumo aliquam loquendo tecum. Horat. Lib. 1. Od. 11.
Dum loquimur, fugerit invida
Ætas: carpe diem.

Læva paulum mens erat Turnebo, cum Lib. 20. cap. 1. hunc locum ſic intellexit; *quia perit ſenſim vita, inde tibi loquor ut te moneam jubeamque carpere gaudia, antequam tibi pereant.* Multo aliter, & cum aliis, magiſque ad ſenſum Horatii Perſiique D. Hieronym. Comment. in Epiſt. ad Galat. Lib. 3. cap. 6. *Breve eſt,* inquit, *vitæ iſtius curriculum: hoc ipſum quod loquor, quod ſcribo, quod relego, de tempore meo, mihi aut creſcit, aut deperit.*

154 *En quid agis?*] Hactenùs Proſopopœia illa & dialogus perelegans. Jam vero Stoicus ad Damam: En igitur ad diverſa contrariaque traheris, huc ad quietem & voluptates à luxuria, illuc ad lucrum & laborem ab avaritia, quid igitur facies? Quo te convertes? Jamne ſentis & fateberis te eſſe ſervum, & duram ſub duris dominis ſervire ſervitutem?

Duplici in diverſum ſcinderis hamo.] Variâ duplicis ſervitutis neceſſitate oppreſſus quaſi diſcinderis.

Hamo.] Prorsùs ad rem eſt quod initio Libri de invidia & odio Plutarchus ait; *vitium hamis eſſe quaſi pluribus inſtructum & armatum,* πολυάγκιστρον: certè pura virtus rara avis: qui luxuriæ ſordes effugerit, & fœda voluptatum cavebit lenocinia, is hamo capietur avaritiæ; vel contrà. Metaphora eſt à piſcatione, in qua piſces hamo ſeu eſcâ diversâ & multiplici quandoque ineſcantur, ut capiantur alterutro.

155 *Hunccine, an hunc ſequeris?*] An avaritiam, an luxuriam? otium, an ſudores? lucrum, an voluptates?

Subeas alternus oportet.] Quid, ſi utrique ſerviendum? modo huic, modo illi obtemperans, quàm miſer! haud profectò ſimpliciter fueris:

Ancipiti

Digitized by Google

Ancipiti obſequio dominos alternus oberres:
Nec tu cùm obſtiteris ſemel, inſtantique negâris
Parere imperio, rupi jam vincula, dicas.
Nam & luctata canis nodum arripit: attamen illi
Cùm fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, citò, hoc credas jubeo, finire dolores

dubio ſervitio, & viciſſim obambules circa illos. *Et quando tu repugnaveris ſemel, & recuſaveris obedire urgenti mandato, ne* propterea *dicas, modò catenas fregi. Etenim canis etiam obagitando vinculum aufert: nihilominus quando aufugit, longa pars catenæ raptatur abs cervice* illius. Sic *Chareſtratus rodens unguem vivum dicit iſta: ô Dave volo* ut *his fidem habeas:*

ANNOTATIONES.

156 *Ancipiti obſequio dominos.*] Binas dominatrices viciſſim ſequens, dubius interim, utri potiſſimùm te addicas.

Obſequio.] Reconditum in hac voce ſenſum vulgus haud epiſcari, monent doctores: non eſt obſequium, ut putant, famulatus, vel opera alicui navata; ſed patientia & indulgentia erga alios nimia, quâ eorum voluntati & libidini plus æquo obſecundatur, etiam contra fas & rationem, ut vulgò faciunt aſſentatores. Terentius in Andria, *obſequium* opponit *veritati*, quâ vel amici nonnunquam oſtenduntur, adeò nolunt homines proprios nævos & errores videre, vel audire. *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Quem locum & ſententiam illuſtrat Cicero in Lælio, num. 91. *Moleſta*, inquit, *veritas eſt, ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ: ſed obſequium multò moleſtius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri ſinit.* Et paulò poſt: *in obſequio comitas adſit; aſſentatio vitiorum adjutrix procul amoveatur.*

Oberres.] Perpetuâ diſcurſatione circa utrumque dominum, ut ſatisfiat contraria etiam imperantibus; non ſine gravi, imò intolerabili moleſtia.

157 *Nec tu cùm obſtiteris ſemel.*] Ne verò dicas te alteri repugnaturum, vel utrique, nimium ſævienti; ſicque liberum fore à ſervitute illa vitiorum duriſſima.

Semel.] *Hirundo una non facit ver*, inquit Ariſtoteles, *nec parit aut tollit habitum*, ἕξιν, *unus aut alter actus.*

158 *Rupi jam vincula, dicas.*] Non rupiſti, inquam, ſed rejeciſti mox tibi rursùm injicienda.

Ovid. Amor. Lib. 3. Eleg. 10.

Scilicet aſſerui jam me, fugique catenas.

Horat. Lib. 2. Sat. 7.

——*O toties ſervus! Quæ bellua ruptis,*
Cum ſemel effugit, reddit ſe prava catenis.

159 *Luctata canis*, &c.] Probat à ſimili. Canis cùm diu multumque catenam excuſſit, aut dente morſuque aliquâ parte fregit, fugitque; attamen quia pendentem collo catenæ partem trahit, non difficile reducitur, religaturque firmiùs & arctiùs quàm anteà. Sic plane tecum agetur homine longâ vitiis ac diuturnâ ſervitute mancipato. Semel iterùmque forſan aliquando reſiſtes, eorum importunâ ſollicitatione fatigatus; at paulò pòſt iis te ultrò addices turpiſſimè, aut occaſione, aut vehementiâ abſtractus & impulſus, nimirùm propenſionem ad ea retines & circumfers longo uſu conflatam, quam frangere non ita facile eſt & promptum.

Nodum.] Catenæ nodos, vincula. Synecd.

160 *Trahitur pars longa catenæ.*] Vulgò dicimus de eo, quiſquis inſtans exitium aut periculum eluctatus eſt ſemel, aut etiam aliquoties, is non eſt liberatus qui ſuam catenam trahit. Locum hunc Perſii integrum adumbravit Seneca de Vita beata: *Et qui ad virtutem tendit, etiamſi multum jam proceſſit, opus eſt aliquâ fortunæ indulgentiâ, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exolvit, & omne vinculum mortale —Qui ad ſuperiora progreſſus eſt, laxam catenam trahit, nondum liber, jam tamen pro libero.*

161 *Dave, citò*, &c.] Confirmat exemplo è Menandri Eunucho, quem, perſonis & quibuſdam immutatis, tranſtulit Terentius. Huic Phædria, illi eſt Chæreſtratus, huic Parmeno, eſt illi Davus, Perſonæ Comicæ. Quod & annotavit vetus Schol.

Dave.] Nomen ſervi apud Menandrum Athenienſem Comœdiarum ſcriptorem. Servis apud Romanos nomina hæc frequentia, Statius, Dionyſius, Stichus, Hera: ſicut Athenis, Davus, Geta, ex quo Daci, qui anteà Davi, bellò ſubacti fuerant; apud Syros Dama: in Paphlagonia Tybius: apud Phryges, Manes, Mida: Lacedæmoniis, Helota: Argivis, Cymneta: Cretenſibus, Epharmiota, Clarota, Minota: Theſſalis, Peneſta: Syracuſanis, Fuſtatonus: Sicyoniis, Corynephorus: Mari-

Digitized by Google

cogito finem imponere quamprimum prioribus moleſtiis. Numquid ego *probrum obſiſtam conſanguineis meis ſobriis? Numquid patrimonium elidam ad portam impuram, malâ famâ, quando ego temulentus cano ante humidam Chryſidis januam, tædâ extinctâ?*

Præteritos meditor. Crudum Chæreſtratus unguem
Abrodens ait hæc. An ſiccis dedecus obſtem
Cognatis? An rem patriam, rumore ſiniſtro,
Limen ad obſcœnum frangam, dum Chryſidis udas
Ebrius ante fores, extinctâ cum face, canto?

ANNOTATIONES.

andinis Bythiniæ populis, Doryphorus, &c. Alex. ab Alex. Lib 3. cap. 20.

Finire dolores.] Nuntium remittere amoribus, qui mihi ſunt tot dolorum cauſæ. Hos Plautus in Mercator. Prologo ſic perſtringit:

Amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia, &c.
Sed amori accedunt etiam hæc quæ dixi minus.
Inſomnia, ærumna, error, terror & fuga,
Ineptia, ſtultiaque, adeò & temeritas;
Incogitantia excors, immodeſtia,
Petulantia, cupiditas & malevolentia,
Inhæret etiam aviditas, deſidia, injuria,
Inopia, contumelia & diſpendium,
Multiloquium, pauciloquium.

Virgil. Eclog. 3.

Quiſquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

Sed ipſum Phædrum amatorem miſerum audire, imò ſpectare veluti, ne pigeat, ut ipſius etiam nos miſereat. Is apud Terent. Eunuch. Act. 1. Scen. 1. ſic loquitur:

Indignum facinus! Nunc ego &
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio:
Et tædet, & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Vivus vidensque pereo; nec quid agam ſcio.

Finire dolores præteritos meditor.] Relinquendo Chryſidem meretricem, quæ me *properat amando perdere.* Ut eſt apud Horat. Lib. 1. Od. 8. Idem Lib. 2. Sat. 3. ſcripſerat de Phædria Terentiano, cujus locum integrum ibidem expreſſit.

An potius mediter finire dolores?

16 *Crudum Chæreſtratus unguem abrodens.*] Præ dolore quòd ab amica excluſus: vel præ ancipiti incertoque conſilio, cogitabundus totus, & ſecum ipſe luctabundus, num ad eam quæ excluſit redeat, an deſerat quam perditè amat.

Perſ. Sat. 1. v. 106.

Nec demorſum ſapit unguem.

Horat. Lib. 1. Sat. 10.

Vivos & roderet ungues.

Chæreſtratus.] Juvenis amator Chryſidis mereticulæ, apud Menandrum, ut dixi.

163 *Ait hæc.*] Ad Davum nempè fidum ſibi famulum.

An ſiccis dedecus obſtem cognatis?] An fœdis ego amoribus eam, ut antè, perditum bonam famam gentis meæ, in qua, præter me ſunt omnes honeſti, caſti, ſobrii?

Siccis.] *Siccus* temperatum virum, madidus ebrioſum ac vinolentum ſæpè indicat.

Plaut. utrumque ponit Aſinar. Scen. 14.

Ego præter alias virum meum fui rata
Siccum, frugi, continentem.

Et paulo pòſt:

Scito illum madidum, nihili, incontinentem.

Horatius Lib. 1. Epiſt. 19. Item Lib. 1. Od. 18. *ſiccis* poſuit, pro *ſobriis* & *jejunis.* Tullius pariter, *horridam, & aridam* vocat vitam hominis frugalis; pro Quintio, num. 93. Item Sexti Roſcii Amerini probat innocentiam, *è victu arido*, n. 75.

164 *Rem patriam frangam.*] Patrimonium dilapidem & effundam in meretricios amores. Quod *expatrare* vocabulo ſanè ſignificantiſſimo vocat Catullus Epigram. 30. in Cæſarem.

An hæc ſiniſtra liberalitas
Parum expatravit? An parum helluatus es?
Paterna primum lancinata ſunt bona, &c.

Horat. Lib. 1. Sat. 2.

Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare malum eſt, &c.

Rumore ſiniſtro.] Qui jam de me ſpargitur & volat: quanquam, ut habet Ovidus.

Turpis amor ſurdis auribus eſſe ſolet.

165 *Limen ad obſcœnum.*] Ante fores, vel in domo impuræ & flagitioſæ mulieris, ad quam velut ad ſcopulum frangor & illidor; & mea mecum deperduntur bona, fortunæ, fama, &c.

Obſcœnum.] Vox à *cœno* facta, ut volunt aliqui: at Varro à *ſcena*; ubi turpia quævis dicuntur, trahit originem: alii ab Oſcis populis Italiæ in Campania, turpi libidine & ſpurcitia famoſis.

Chryſidis.] Famoſum erat ſcortum, cujus eſt mentio apud Athen. Lib. 13. cap. 3. Porro nomen ab auro, fortè ob *poſcinummia oſcula* meretricum, quod ait Apuleius Lib. 10. de Aſino aureo.

166 *Ebrius.*] Commeſſatio ſequitur epulas; Cererem & Bacchum Venus.

Udas ante fores.] Seu lacrymis, ſeu unguento, ex more amantium: ut notat vetus

Euge,

Digitized by Google

Euge, puer, ſapias: Diis depellentibus agnam
Percute. Sed cenſen' plorabit, Dave, relicta?
Nugaris. Soleâ, puer, objurgabere rubrâ;

Macte animo, ô puer, ſapiens eſto, & agnam macta Numinibus averruncis. At, ô Dave, putaſne quod Chryſis à me *deſerta lacrimabitur? Nugas agis.* Certè, ô *puer, caſtigaberis ſandalio rubeo,*

ANNOTATIONES.

Schol. vel etiam vino, ut abundè probat Plaut. Curcul. Scen. 1. & 2. ubi lenæ fores vino amator conſpergit, & odore vini illecta illa januam pandit, & prodit foras, amantique abblanditur. Interpres quoque Ariſtophanis in Plutum, ait Laïdem à multis adamatam Theſſalis, qui præ amore veſtibulum ejus vino irrigabant. Parum ad rem eſt quod affert non nemo, ſolitos aquâ perfundi januæ cardines à mulieribus, ad fallendos maritos: Chryſis enim marita non erat. Melius fortaſſe, ne ſtrepitum ederet aperta janua, & à vicinis audiretur. Nam apud Plaut. loco mox citato adoleſcens laudat *ædes feſtiviſſimè apertas,* quibus *nec mutit cardo*: dein jubet ſervo: *tace; occultemus lumen & vocem.*

Extinctâ cum face, canto.] Cùm pervenerant amatores ad ædes amicarum, facem extinguebant, ne agnoſcerentur; & ante januam, nocte ſæpe integrâ, amatoria cantabant. Plautus, loco citato.

Horat. Lib. 1. Sat. 4.

Ebrius, & (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem, cum facibus.

Quòd verò Marcilius extinctam facem vult eſſe ſignum excluſionis, videtur hic non habere locum, ut ſi facem projectam aut jacentem Perſius dixiſſet, quemadmodùm Propert. Lib. 1. Eleg. 1.

Semper & excluſi ſigna jacere faces.

Canto.] Inſignem & elegantem ejuſmodi cantilenam ſcripſit Horat. Lib. 3. Od. 10. ubi ſic eſt:

Extremum Tanaim ſi biberes, Lyce,
Sævo nupta viro, me tamen aſperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis quo ſtrepitu janua, &c.

Et in fine,

Non hæc ſemper erit liminis, aut aquæ
Cæleſtis patiens latus.

Ovid. Faſt. 5.

Ebrius ad durum formoſæ limen amicæ
Cantat.

Hoc Plautus dicit, *occentare oſtium.* Mercat. Scen. 4. Perſ. Scen. 15.

167 *Euge puer.*] Gratulatur Davus Chæreſtrato ſaniorem mentem, quam teſtatur. *Sapias,* perge in tam bono conſilio, errorem aliquando tandem agnoſcens.

Diis depellentibus.] Diis inſaniæ averruncis, & fatuum amorem amoventibus: fortè Caſtori & Polluci, qui valere plurimum credebantur ad avertenda mala: *agnam percute,* ſacrifica, tam pro gratiarum actione, quàm ut faxint te perſtare in laudabili propoſito.

Horat. Lib. 2. Od. 17.

Nos humilem feriemus agnam.

168 *Sed cenſen' plorabit.*] Jam vacillat juvenilis animus: veretur ſcilicet ne doleat Chryſis, ſi eam relinquat, jam proprii oblitus mali. Cæcus amor!

Plorabit, Dave, relicta?] Sunt pro armis mulieri, meretrici verò imprimis, lacrymæ. His libertati amantium inſidiantur; his meliora cogitantes expugnant.

Undè Terent. Eunuch. Scen. 1.

Hæc verba mehercule una falſa lacrumula,
Quam, oculos terendo miſere vix vi expreſſerit,
Reſtinguet: & te ultrò accuſabis; & ei dabis
Ultrò ſupplicium.

169 *Nugaris.*] Siccine vis finire dolores, qui tam parùm tibi conſtas? inquit ſervus frugi ad heram amore inſanientem, profectò nugas agis in re ſeria. Vix ungues malæ beſtiæ meretricis effugies: & dolebit tibi gravius quàm ante. Quòd ſi illa te intellexerit, actum eſt, eludet, periſti.

Soleâ, puer.] Quod bis jam Davus ad Chæreſtratum dominum ait, *puer*; non vacare putandum eſt. Hinc nimirùm ſuam ei ſervitutem blande objicit, quâ libidini ſervit, miſerum pluſquàm Davus ipſe mancipium. *Soleæ* crepidæ muliebres, quibus plantarum calces tantùm infimæ teguntur, cæteris propè nudis, & teretibus habenis vinctis. His etiam uſi homines mulieroſi non ſine dedecore, ut teſtatur Gell. Lib. 13. cap. 20. Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 18. Tull. act. 7. in Verrem n. 85. & in L. Piſonem. n. 13. utrique exprobrat quòd prodirent *ſoleati*: & de haruſp. reſp. num. 44. P. Clodio *crocotam, mitram, muliebres ſoleas,* objicit.

Objurgabere.] Etiam audebit petulans meretrix verberare te, ſoleâ pulſare nates, ut eſt apud Juvenal. Satir. 6. v. 611. atque ut habet Terentius in Eunucho,

Tibi commitigabitur ſandalio caput.

Ne

Digitized by Google

ne deinceps *vacillare cupias, & anguſtos laqueos arrodere.* Tu quidem *modò ferox* es *& vehemens.Verum ſi accerſat* te, *ſtatim dices : 'Ergo quid agam ? An non ibo ad* eam, *tunc quando* me *vocat, & ſponte rogat ? Si totus & integer inde receſſeras, neque tunc* ire debes. *Ille, ille quem inveſtigamus, ille eſt : non* verò is *quem apparitor vanus agitat in vindicta.*

Ne trepidare velis,atque arctos rodere caſſes,
Nunc ferus & violens. At ſi vocet, haud mora, dicas :
Quidnam igitur faciam ? Ne nunc,cùm accerſat, & ultro
Supplicet, accedam ? Si totus & integer illinc
Exieras, nec nunc. Hic hic, quem quærimus, hic eſt :
Non in feſtuca, Lictor quem jactat ineptus.

ANNOTATIONES.

S. Chryſoſt. Homil. 11. ad populum Antioch.& alibi ſæpè enarrat, quàm & quot indignis modis abuti ſoleant meretrices ſtolidâ amatorum patientiâ.

Rubra.] Delicatulæ mulieres purpureas amabant ſoleas, auro etiam diſtinctas, interdum & gemmis.

170 *Ne trepidare velis.*] Chryſis te objurgabit ; ut ita caſtigatus, deinceps non tentes ullum ſuis è laqueis effugium. Alii ſententiam hanc à priori ſejungunt, interjecto puncto : ut ſenſus ſit ; fruſtrà eſt quod trepidas, & videris quærere libertatem, imò verò planè irretitus ut es, & captus, malis aſſueſce.

Terent. jam cit.

Te redimas captum quàm queas minimo :
Et ne te afflictes, &c.

Trepidare.] Videtur poſitum hic pro *feſtinare*, ut apud Horatium ſæpe, & alios. Lib. 2. Od. 4.

Octavum trepidavit ætas claudere luſtrum.

Si tamen propius rem intuemur, hic non ſignificat *properare*, ut citato Horatii loco : *nec tremere & cunctari*, ut vulgò : ſed *luctari & jactare ſe*, quaſi ad excutiendum jugum. Ita Caſaub. Quo ſenſu uſurpatur à Seneca Lib. 3. de Ira. *Sic laqueos fera dum jactat, aſtringit : ſic aves dum viſcum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.* Et Propert. Lib. 2. Eleg. 3. mox citandis.

Arctos rodere caſſes.] Metaphora à feris retia quibus captæ ſunt, frangere conantibus.

171 *Nunc ferus & violens.*] O Chæreſtrate, nunc quidem abſente Chryſide virum te præſtas, audacem, fortem. At ubi illa te accerſet, heu fractus & mollis videbere.

Propertius Lib. 2. Eleg. 3.

Ac veluti primò taurus detrectat aratra ;
Mox venit aſſueto mollis ad arva jugo :
Sic primò juvenes trepidant in amore feroces :
Dehinc domiti poſt hæc æqua & iniqua ferunt.

At ſi vocet.] Ubi primum Chryſis te revocabit ſine mora, ſine cunctatione, dices, an igitur deſeram ? Nimirùm te vinci & expugnari etiam gaudebis, & apud te inquies, numquid ego blande ab illa accerſitus rogatuſque poſſum non redire ?

172 *Ne nunc, cum accerſat,*&c.] Ex Menandro Terentius, Eun. Scen. 1.

Quid igitur faciam ? non eam, ne nunc quidem
Cum accerſor ultrò, &c.

Et ex utroque Horatius, Lib. 2. Sat. 3. jam cit.

173 *Si totus & integer illinc exieras.*] At ego Davus tibi fidelis, ô here, reſpondeo : te nec oportere ad Chryſidis ſervitutem reverti,etiamſi revocet, & ultrò ſupplicet ; ſiquidem ab illa non corpus tantùm extuliſti, ſed & animum, cor, affectum ; adeòque integer & totus evaſiſti. *Anima magis eſt ubi amat, quàm ubi animat.*

Plaut. Aſinar. Scen. 3.

Fixus hic apud nos eſt animus tuus clavo cupidinis.

174 *Nec nunc.*] Alii explicant : ſi prorsùs excuſſeras meretricis & libidinis jugum, ſigna dabis certiſſima tuæ libertatis, cùm nec rogantem audies.Alii legunt,*nunc,nunc* ; & jungunt cum ſequentibus ; ſed multò minùs placent, videnturq; truncare priora.Itaque concludit hìc Stoïcus ſyllogiſmum per Apoſiopeſim, quæ ſuppleri poteſt ſic : ergò, ô M. Dama, tandemne capis diſcrimen ingens inter libertatem animi, & libertatem corporis ? prætereà, videſne non eum eſſe continuò liberum animo qui ſemel aut iterùm reluctatus eſt vitiis, & importunam eorum ſervitutem tentavit excutere ? Spectâſti certè Chæreſtratum illum corpore liberum, ſed libidini ſervientem fruſtrà trepidâſſe, & Chryſidis haud potuiſſe declinare aut frangere laqueos, quamvis id conatus ſit facere,& jugum amoliri.

Hic hic, quem quærimus, hic eſt.] Qui oblatam ſpernit occaſionem aut libidinis explendæ, aut faciendi lucri, &c. hic, hic, inquam, verè animo liber eſt, hic eſt, quem quærimus, & quem in te, ô Dama, non invenimus.

175 *Non in feſtuca,* &c.] Talis verò non eſt, quem Prætor vindictâ facit liberum civili,quod unum poteſt, libertate.

Feſtuca.] Quidam accipiunt pro virga,ſeu ba-

Jus

Digitized by Google

Jus habet ille ſui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila: & circer ingere largè
Rixanti populo, noſtra ut Floralia poſſint

An ſui dominium poſſidet adulator ille, quem avidum trahit ambitio candidata? Vigil eſto: atque abundanter cicer elargire plebi jurganti, ut veluti ad ſolem expoſiti commemorare

ANNOTATIONES.

cillo, adeòque vindictâ, quam Lictor Prætori offerebat, inquiunt, è facibus extractam, ut eâ, de more, manumittenti caput pulſaret, ut ſuprà explicavimus. Alii verò pro ſtipula, quam dicunt in corpus ejus qui liberabatur, injici & inſpergi ſolitam à Lictore, teſte Plutarcho, de ſera Dei vindicta.

Plaut. Mil. Glor. Scen. II.

Quid? Ea ingenua, an feſtucâ facta? ſerva, an libera eſt?

Lictor.] Apparebant Prætori ſex miniſtri ſeu Lictores, tum honoris causâ, tum miniſterii.

Quem.] Legunt alii, *quam*, & ad *feſtucam* referunt quam à lictore jactari mos eſſet: alii *quem*, & referunt ad eum, qui aſſerebatur in libertatem, eo modo quo mox diximus.

Jactat.] Hoc etiam alii explicant aliter; vel *jactat*, id eſt, feſtucam injicit; vel *jactat Lictor*, id eſt, oſtentat populo hominem è ſervo liberum derepentè factum.

Ineptus.] Vel Lictoris epitheton, contemptum indicans: vel ſignificat non valere ad conferendam animi libertatem, ſed tantum ad civilem.

179 *Jus habet ille ſui*, &c.] Aliud exemplum de ambitioſo, quod rursùm incutit Damæ Stoïcus, ad eum pleniùs convincendum. An, inquit, talis homo habet ſui poteſtatem, & animi libertatem? Seneca dicit, *avaros non habere divitias, ſed à divitiis haberi.* Et de Laïde jactabat Ariſtippus, ἔχω ἀλλ' οὐκ ἔχομαι.

Palpo.] Sunt qui ablativum dicant à nomin. *palpum*, id eſt illicium, blandimentum: at cum aliis meliùs accipies in nominativo; *palpo, onis*, id eſt, adulator. *Palpare*, proprie eſt, manu mulcere, tractare, explorare; & per metaphoram, ſignificat explorare hominum mentes, prætentare voluntatem, ad gratiam ab iis ſurripiendam. Hìc ponitur pro ambitioſo, qui prenſat cives, & auram popularem captat, ut eorum ſuffragia demereatur, & ſic ad honores & dignitates perveniat.

Ducit.] Per tribus circumducit, ad gratiam populi Romani aucupandum. Alii legunt, *tollit*, perinde eſt. *Hiantem*, anhelantem ad honores, ac velut aperto ore appetentem.

177 *Cretata ambitio.*] Mos erat Magiſtratum aliquem ambientibus circumire in veſte candore ſplendidâ. Non enim illi contenti inſito lanæ colore, cretam addebant in veſtem, ut candeſceret, imò ſplenderet. Undè κατ' ἐξοχὴν dicti *Candidati*: hinc & à vulgo diſcreti, cui alba quidem ſed non candida toga erat. Hæc eruditè Juſt. Lipſ. Elect. Lib. 12. cap. 13. ubi & citat Iſidorum, Lib. 14. cap. 24. *Fit toga addito quodam cretæ genere candidior*: & hæc ipſa Perſii verba affert; multaque alia, ut probet quotidianam olim Romanis togam fuiſſe albam, quamvis certis diebus candidiores & ſplendidiores prodirent ob veſtem ſeu recentem, ſeu cretatam. His porrò diſcrimen jubet poni inter veſtem pullam, quæ funebris tantùm; & ſordidam, ſive ſordidatam, id eſt, contractis ſordibus fuſcam, quâ utebantur ſupplices. De quibus omnibus ille fusè ibidem.

Vigila: & cicer, &c.] Proſopopœia ambitionis homini honorum cupido præcipientis, quo pacto popularis fiat, & dignitates adipiſcatur. *Vigila*, inquit, ſummo mane diſcurre, labora, exerce te in hac urbana militia: ſic enim Tullius ad Attic. vocat Candidatorum vitam. Ante lucem ito ad cives, eiſque ſalutem diemque proſperam apprecare, operam tuam & officium ſponde, ut eorum tibi pares benevolentiam.

Cicer ingero largè.] Legumina varia ſparge abundanter in vulgus, fabam, cicer, frictum ſcilicet, &c. ſic Ædiles viam ſibi muniebant ad ſuperiores Magiſtratus per miſſilia ejuſmodi & congiaria, maximè in Floralibus. Alex. ab Alex. Lib. 6. cap. 8.

Horat. Lib. 2. Sat. I.

In cicere atque fabâ, bona tu perdaſq; lupinis,

Martial. de impenſis in Floralibus;

Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.

178 *Rixanti populo.*] Donaria certatim excipientibus & ſæpè rixas moventibus aliis in alios, præ aviditate colligendi & plus habendi, adeò ut è rixis cædes, non raro contingerent.

Noſtra ut Floralia poſſint, &c.] Ut iſtius liberalitatis memoria tranſeat ad poſteros, ſenibus eam ad filios ac nepotes referentibus.

Floralia.] Flora mulier impudica, arte meretriciâ ingentes acquiſitas opes populo Romano ex teſtamento legavit, eâ conditione ut natalis ſuus dies feſtus haberetur. Hinc itaque, procurantibus Ædilibus, ludi quo-

Apric.

Aprici meminiſſe ſenes. Quid pulchrius ? At cùm
Herodis venêre dies, unctâque feneſtrâ,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas ; rubrumq; amplexa catinum
Cauda natat thynni ; tumet alba fidelia vino :

queant noſtra Floræ feſta. Quidnam honeſtius ? ſed quando illuxit dies Herodis, & aptatæ lampades ad feneſtram delibutam, ferentes violas, exhalant fuliginem craſſam ; & innatat cauda thynni rubeam patinam complexa ; & *vas fictile candidi* coloris *redundat vino :*

ANNOTATIONES.

tannis celebrabantur omni laſciviâ pleni, *convenientes quidem memoriæ meretricis*, ut notat Lactantius Lib. 1. cap. 20. undè & erubuit Populus ipſe Romanus ludos Florales exhiberi integros coram C. Porcio Catone, propterea è Theatro diſceſſit, ne præſentiâ ſuâ ſpectaculi conſuetudinem impediret, ut refert Valer. Max. Lib. 2. cap. 10. Poſteà verò, ut tanto pudori color quæreretur, Floram dixere Deam florum, colebantque quarto Kalendas Maii, ſeu die 28. Aprilis, quaſi ut ſata feliciùs creſcerent. Ovid. in fine Lib. 4. & in 5. Faſtorum. Macrob. Lib. 1. Saturn. cap. 4. S. Auguſtin. Lib. 6. de Civit. Dei, cap. 7. Alex. ab Alex. mox cit.

179 *Aprici.*] Senes amant aprica loca, id eſt, ſole repentia, in quibus deficientem cum ætate calorem foventes, maximè circa meridiem nugis indulgent, undè Proverb. μεσημβρινὸς λῆρος. Interdum & laudant tempora ſe pueris acta, ut ait Horatius ad Piſones.

Quid pulcrius ?] Quid glorioſius quàm ſe poſteritati commendare per munificentiam & honores, inquit ambitio, ad animum hominis ſibi mancipandum : vel ironica eſt Stoici ambitioſorum inſaniam deridentis.

At cum Herodis venere dies.] Jam & ſuperſtitio ſuas partes agit, ſibique obnoxium vult habere hominem. Quia verò Romæ ſuperſtitionis damnabantur omnes externi ritus, omnis religio peregrina, hinc Perſius exempla Judæorum accerſit è Syria, & Ægyptiorum apud quos Iſis colebatur ; aut certè Romanorum quorundam eas religiones obſervantium ſuperſtitiosè.

180 *Herodis.*] Triplex fuit *Herodes*, primus Antipatri filius, Rex Judææ dictus à Romanis, ſub quo natus Chriſtus Dominus : qui & paulò pòſt mortuus velut Chriſtus & Meſſias eſt obſervatus à nonnullis, qui inde Herodiani vocati ſunt. Alter fuit *Herodes* prioris filius cognomine Antipas, ſub quo mortuus Chriſtus. Tertius *Herodes* Agrippa, Ariſtobuli filius, Jacobi Apoſtoli interfector, vivente Perſio adhuc regnabat. Hujuſne, an primi mentio ſit hoc loco, nec doctiſſimi decernunt. Vetus Interpres ſic habet : *Herodes apud Judæos regnavit temporibus Auguſti, in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis obſervant, ut etiam Sabbata : quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponunt.*

Herodis dies.] Dies Judæis Herodi Regi ſubditis feſti, ſeu ob ejus natalem, ſeu ob ſuſceptum ab eo Principatum.

Unctâque feneſtrâ.] Scilicet ob exudans oleum è lampadibus in ſignum lætitiæ accenſis, & ad feneſtras ex ordine collocatis.

181 *Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.*] Fumum denſum & craſſum emittunt *lucernæ* in feneſtris *diſpoſitæ : portantes violas*, floribus etiam ornatæ, ut mox dictum è vet. Schol. Locum hunc mire illuſtrat Juſt. Lipſ. Elect. 1. cap. 3. ubi hæc ſcribit : *Mos apud Romanos receptus ; in omni privata publicaque lætitia januam lauro ac lucernis ornari* —— *Ejuſmodi lucernæ penſiles erant, & catenulis ſuſpendebantur accenſæ ad ædium januas aut feneſtras. Vidimus ipſi in Italia æreas ejuſmodi lucernas complures, quas intellexit etiam Poëta Princeps;*

Pendent lychni laquearibus aureis.

Quòd hæ lucernæ erant ad januam, præter Juvenalem Tertullianus docet ad uxorem Lib. 11. *Moratur Dei ancilla in laribus alienis & inter illos omnibus honoribus Dæmonum, omnibus ſolemnibus Regum, incipiente anno, incipiente menſe, nidore thuris agitabitur : & procedet de janua laureata & lucernata, ut de novo conſiſtorio libidinum publicarum.*

Quod verò ad feneſtras etiam, probat ex hoc Perſii loco, quem affert ibidem : Vide Juvenal. Sat. 12. v. 92. & ibid. annotata.

182. *Rubrumque.*] Miniatum, ſeu è terra rubra.

Sic Martialis Lib. 11. Epigram. 28.

Paropſidem rubram poſuit.

Et Lib. 14. Epigram. 114.

Cumano rubicundam pulvere teſtem.

Amplexa catinum cauda natat.] Ingentem catinum implens thynni cauda in jure conditorio natat, epulantibus Judæis, feſtos dies agentibus.

183 *Cauda thynni.*] Piſcis notus, de quo pluribus locis Athenæus : Plin. Lib. 9. cap. 15. ſic habet : *Præcipuâ magnitudine thynni. Invenimus talenta quindecim pependiſſe. Ejuſdem caudæ latitudinem duo cubita & palmum, &c.*

Tumet alba fidelia vino.] Plena ſcilicet fidelia, vas vinarium ex argilla. Vide Sat. 3.

Digitized by Google

Labra moves tacitus, recutitaque ſabbata
palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto :

tunc *ſecretâ agitas labia, & expalleſcis* ad *ſabbata circumciſa. Tum larva atra; & pericula ovo diſrupto :*

ANNOTATIONES.

184. *Labra moves tacitus.*] Tu ſuperſtitioſus Judæis te immiſces, in eorum proſeuchis, ſeu precationibus ; & concipis vota tacito murmure, de quo vide Sat. 2. v. 6.
Horat. Lib. 1. Epiſt. 16.

Labra movet, metuens audiri.

Recutitaque Sabbata palles.] Cùm Judæis colis Sabbata, tremens, & ſtolidè religioſus. Certè Judæos nimium hac in re ſuperſtitioſos, quis non fateatur, cùm hoſtes ingruentes invadenteſque Sabbato repellere, ac tueri ſe, religioni ducerent : quin & Chriſtum Dominum incuſarent & criminarentur, quòd ægros ſanaret die Sabbati ?

Recutita.] Hypallage, Judæi recutiti dicebantur ob circumciſam præputii cutem : ſic & Horatio, *Apella*, id eſt ſine pelle, ſcilicet in ea, quam dixi corporis parte, cujus circumciſio divino juſſu mandata deſignabat cordis ſeparationem à cupiditatibus, ut ait Lactantius, & alii.

Sabbata.] Vox eſt Hebraïca requiem ſignificans, & diem hebdomadæ ſeptimam, Deo jubente per Moſem, Judæis feriatam, tum ut meminiſſent orbis à Deo conditi, & ſex diebus perfecti ; tùm etiam ſuæ ex Ægypto liberationis. Hic verò *Sabbata* quamlibet Judæorum celebritatem indicare videntur, per metonymiam.

Palles.] Sive ob jejunium, quod ad veſperam Judæi ſervabant ; ſeu ob metum ſuperſtitioſum ; ſeu ob ſqualorem, & cinerem quo illi ſe conſpergebant in Sabbatis ſaltem aliquibus. Quæ omnia ridet Juvenalis, Sat. 14. verſu 90. & ſeq. & Perſius hîc. Malè enim audiebant Romæ Judæi, quos tumultuantes expulit Româ Imperator Claudius, Nero ſuppliciis coërcuit, Domitianus vexavit tributis : ut refert Suetonius.

185 *Tunc nigri lemures, &c.*] Neque ſolùm afficit te ſuperſtitioſus pallor, ſed & ſubigit terror vanus è lemuribus, & futilibus portentis.
Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

Somnia, terrores magicos, miracula, Sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Theſſala rides ?

Lemures.] Apuleius de Deo Socratis : *Animus virtute perfectus Genius vocatur. Animum humanum emeritis vitæ ſtipendiis corpore ſuo abjurantem vetere Latinâ Linguâ Lemurem dictitatum reperio*, inquit. *Ex hiſce Lemuribus qui poſterorum ſuorum curam ſortitus, placato & quieto Numine, domum poſſidet, Lar familiaris dicitur : qui verò ob adverſa vitæ merita nullis bonis ſedibus, incertâ vagatione, ſeu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, id genus plerique Larvas perhibent. Cum verò incertum eſt, quæ cuique eorum ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva, nomine Manem Deum nuncupant.* Idem Apuleius in Apologia ſic habet : *Duas tibi Deus obvias ſpecies mortuorum, quicquid Umbrarum eſt uſquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Larvarum, oculis tuis oggerat, omnia noctium occurſacula, omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulcrorum terriculamenta.* Plin. 7. Epiſt. 27. multa refert id genus nocturna phantaſmata, tùm aliis cùm ſibi viſa. Hîc per *Lemures* ſignificantur Umbræ nocturnæ & Larvæ domos infeſtantes, quæ omnia noctium terriculamenta procurabantur ſeu averruncabantur, fabam noctu in Sacris jactando ; ut teſtatur Varro, de Vita Populi Romani, Lib. 1. ubi ait, *In Sacris fabam jactant noctu, & dicunt ſe Lemures domo extra januam ejicere.*
Et Ovid. Faſt. 5. fuſè rem explicat, & morem illum ſuperſtitioſum perſequitur.

Signaque dat digitis medio cum pollice junctis,
Occurrat tacito ne levis umbra ſibi.
Cùmque manus purè fontanâ perluit undâ,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Averſuſque jacit —— *umbra putatur*
Colligere, &c.

Ovoque pericula rupto.] *Sacerdotes qui explorandis periculis ſacra faciebant, obſervare ſolebant ovum igni impoſitum, utrum in capite, an in latere deſudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum portendebat ei pro quo factum fuerat, vel rei familiari ejus.* Hæc vetus Scholiaſtes. At aliud ſuperſtitionis genus de ovis ruptis narrat Plinius, Lib. 28. cap. 2. *Huc pertinet*, inquit, *ovorum, ut exorbuerit quiſque calices, cochlearumque protinus frangi, aut eoſdem cochlearibus perforari.* Veteres nimirùm hominem lædi putabant per maleficium, ſi ovorum teſtæ acu perforarentur : quod ne eveniret, ovorum cochlearumque putamina ſtatim frangebant ac pertundebant, ut maleficium occuparent atque averterent. Turnebus.

Hinc

Digitized by Google

deinde Galli ingentes; & Sacerdos coeles cum crepitaculo injiciunt terrorem *Numinum, quæ faciunt corpora intumeſcere, niſi matutino tempore ter comederis caput allii præſcriptum. Iſta loquere apud Centuriones varicibus notatos,*

Hinc grandes Galli; & cum ſiſtro luſca Sacerdos
Incuſſere Deos inflantes corpora, ſi non
Prædictum ter manè caput guſtaveris allî.
Dixeris hæc inter varicoſos Centuriones,

ANNOTATIONES.

186 *Hinc grandes Galli.*] Nova palloris cauſa timoriſque.

Grandes.] Sive quia cothurnati, & hinc grandiores videntur; ſive quòd præcipuè venerandi. Vide Feneſtell. de Sacerdot. Rom. cap. 12. Alii volunt grandes appellari, eò quod illi utpote caſtrati grandeſcant potiſſimùm, ut ferè fit.

Favet Juvenalis Sat. 6. v. 512.

——*Matriſque Deum chorus intrat, & ingens*
Semivir, obſcæno facies reverenda minori,
Mollia qui raptâ ſecuit genitalia teſtâ.

Galli.] Sacerdotes Cybeles, ita dicti à Gallo Phrygiæ fluvio, cujus potus furorem inducit uſque ad exſectionem virilium. Feneſtel. loco mox citato. Plin. Lib. 11. cap. 49. & Varro apud quem *gallere* eſt furere inſtar Gallorum. Ovid. Faſt. 4.

Inter, ait, viridem Cybelem altaſque Celenas
Amnis it inſanâ nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit, &c.

Cum ſiſtro luſca Sacerdos.] *Sacerdos* Iſidis Ægyptiorum Deæ, in ejus Sacris ferens crepitaculum ex ære vel argento: ſicut Galli cymbalum. De his fusè ad Juvenal. Sat. 6.

Siſtro.] Σεῖστρον à σείω, *concutio.*

Luſca Sacerdos.] Inſana, vitioſa, ſicut alibi pro ſtulto ponitur. Vel reverà uno orbata oculo, ſeu quòd irata illi Iſis percuſſiſſet lumina ſiſtro, ut aiunt Juvenalis, Sat. 13. v. 93. & Ovidius, Lib. 1. de Ponto, Eleg. 1. ſeu quòd *Nubiles deformes cum maritos non invenerint, ad miniſteria Deorum ſe conferant:* quod aiunt veteres Gloſſ. hîc.

187 *Incuſſere Deos.*] Injiciunt metum Syriæ Deæ, Cybeles, Iſidis, levibus animis occinentes, illam furore concutere, hanc plagis, ulceribus, morbiſque afficere & affligere: quæ tamen incommoda & ægritudines à cauſis naturalibus proficiſcuntur, ut eruditè diſputat Areteus Lib. de acutis morbis, cap. 9. ubi explicat cur Syrios Ægyptioſque terra hæc ulcera divexent potiſſimùm.

Deos inflantes corpora.] Tumorem in corpus immittentes, niſi placarentur, ut credebant. Martial. Lib. 4. Epigramm. 43.

Juro per Syrios tibi tumores,
Juro per Berecinthios furores.

Juvenalis Sat. 15. v. 9. ſuperſtitioſos Ægyptios irridet, vana quævis & ridicula pro Diis colentes, etiam porrum, cæpe, &c.

Si non prædictum, &c.] Niſi obſerves quæ jubent Sacrificuli illi & Sacrificulæ ad placandos Deos ſuos.

188 *Prædictum.*] Antè nominans, quàm comedens, ex ſuperſtitioſo ritu, inquiunt nonnulli, quibus tamen alii refragantur.

Ter manè.] Superſtitio elucet in ſingulis, & quòd certo tempore, & quòd certis vicibus.

Caput guſtaveris alli.] Quod amuletum contra incantamenta, & ad multarum noxarum depulſionem valere vana credidit antiquitas, videlicet caput allii aut cepæ à jejuno comeſtum. Turneb. Lib. 18. cap. 12. Plinius Lib. 20. cap. 6. de allii virtutibus multa refert, atque *utilem quandam inflationem facere, inſaniæ mederi, &c.*

189 *Dixeris hæc inter,* &c.] Hæc de vera libertate diſputa coram ſtupidis, & imperitis militibus, ſi vis cum ludibrio & ſanna excipi. Quaſi verò ferant illi ſe dici non uſquam eſſe liberos, ſed planè ſervos. Prov. Græc. στρατιωτικὴ ἀλογία· *Militum more rationem haud capit.*

Varicoſos Centuriones.] Qui habent in cruribus varices è labore militari, quique ut corpore ſic animo intumeſcunt. Varices porrò ſunt, venæ multo & impuro ſanguine *inflatæ in* cruribus; quod Curſoribus, Bajulis, & diu ſtantibus accidere, ait Avicenna. Varicoſi dicuntur fuiſſe M. Tullius Cicero, C. Marius, aliique. De Mario ipſe Tullius Tuſcul. Quæſt. 2. n. 53. ſic habet; *C. Marius Ruſticanus vir, ſed planè vir, cum ſecaretur, vetuit ſe alligari, nec quiſquam ante Marium ſolutus dicitur eſſe ſectus. Cur ergo poſtea alii? valuit auctoritas—— crus verò alterum non præbuit. Ita & tulit dolorem ut vir, & ut homo majorem ferre, ſine cauſa neceſſaria noluit.* Plinius Lib. 11. cap. 45. ait C. Marium, qui ſepties Conſul fuit ſtantem ſibi paſſum varices extrahi, inter homines unum; ſcilicet eo ſæculo: nam in aliis id factum poſteà, teſtis Cicero loco mox citato. Denique Plutarchus in Vita Marii initio refert

Continuò

Digitized by Google

Continuò craſſum ridet Vulfenius ingens :
Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

ſtatim Vulfenius procerus ruſtice cachinnatur, & centenos Græcos æſtimat centum aſſibus decurtatis.

ANNOTATIONES.

eum crura plena varicibus habuiſſe, & cùm deformitatem ægrè ferret, accerſito Medico, haud ligatum alterum crus præbuiſſe, atque inter incidendúm, conſtanti animo perſtitiſſe : at vero crus alterum poſcenti Medico negâſſe, ſubjeciſſeque ; tantum dolorem iterùm perferre, indignum ſe arbitrari.

Centuriones.] Ductores peditum. De his, vide Vegetium de re Militari, Lib. 2. Dionyſ. Halicarn. Lib. 4. *Centuriones*, inquit, *electi erant ex omnibus bello ſtrenui, qui ſuos quique manipulos juſſis obtemperantes exhibebant.* Ex his intelligere eſt alium Centurionem manipularem fuiſſe, qui viginti militum, & turbæ Scutatorum ductor erat, alium vero Centurionem Primipilum, qui tribus vexillis præerat : porro vexillum homines centum octoginta tres complectebatur. Vide Alex. ab Alex. Lib. 1. cap. 5.

190 *Craſſum ridet.*] Ingentes repentè cachinnos tollit, & in riſum effuſum ſolvitur. *Vulfenius ingens*, Miles aut Centurio procerus & robuſtus. *Vulfenius :* factum à Poëta nomen creditur, pro quo legitur & *Vulpennius, & Pulfennius.*

191 *Et centum Græcos*, &c.] Philoſophos centum ea ſentientes & affirmantes magno conatu totidem aſſibus nolit emere, nedum fidem habeat eorum dictis etſi veriſſimis.

Græcos.] Sic Sat. 1. potuit, *c*[illegible]*idas Graiorum* ; nempè e Græciâ emerſeru[illegible] omnes ferè Philoſophi, Philoſophiæ & Sapientiæ rudimenta, imo documenta & lumina.

Curto centuſſe licetur.] Centuſſe mutilato non integro, adeoque vix uno aſſe unum Sapientem æſtimat.

Licetur.] *Liceri*, eſt in auctione publica pretium deferre.

SATIRA VI.

ADmovit jam bruma foco te, Baſſe, Sabino ?

O Baſſe, jamne hyems te compulit ad caminum Sabinum ?

ANNOTATIONES.

1. *ADmovit jam bruma*, &c.] Avaros exagitat Perſius hâc Satirâ, quam ad amicum in Sabinis hyemantem, & lucubrandi causâ ſecedentem ſcribit, ipſe apud oram Liguſticam eodem conſilio receptus & Roma digreſſus. Hinc ſtatim intellige alia fuiſſe æſtate domicilia, alia hyeme : & ad villas non tantum valetudinis gratiâ & verno tempore, ſecedere ſolitos ; ſed & quâlibet tempeſtate, ut ſtudio vel ſcriptioni indulgerent. Conſtat ex Tullio Epiſt. ad Attic. Sueton. in Auguſto, cap. 72. Horat. Lib. 1. Epiſt. 7. & 15. & aliis.

Bruma.] Quaſi βραχῦα ἡμέρα, inquit Feſtus. Dies anni breviſſimi circa ſolſtitium hyemale. Ovid. Faſt. 1.

> *Bruma novi prima eſt, veteriſque noviſſima Solis.*

Baſſe.] Ambigunt eruditi quis iſte *Baſſus.* Plures certe fuerunt hujus nominis viri, ſed cognomina & artes ſeu inſtituta diſſentiunt. De Aufido Baſſo belli Germanici Scriptore, & de Saleio Baſſo Epico Poëta, quos laudat Quintil. Lib. 10. cap. 1. non eſt hic mentio. Agellius Lib. 3. cap. ult. item Lib. 5. cap. 7. & alibi meminit C. Baſſi, qui de vocabulorum origine ſcite & lepidè ſcripſit, at ſolutâ oratione : atque adeo non eſt hic Perſianus Baſſus, etiamſi *veterum primordia vocum*, legas & cum vulgo intelligas. Supereſt igitur ut veterem Scholiaſtem ſequamur : ſic habet : *Hanc Satiram ſcribit Perſius ad Cæſium Baſſum Poëtam Lyricum, quem fama eſt in prædiis ſuis poſitum, ardente Veſuvio monte Campaniæ, & late ignibus abundante, cum villa ſua uſtum eſſe. Hic ergo, dum viveret, Roma ad Sabinos neceſſario tranſibat, ubi brumali tempore, in calido loco carmina ſcribebat.* Favet Quintil. loco cit. qui Cæſium Baſſum paulo ante vixiſſe, & *poſt Horatium Lyrici Carminis laudem tuliſſe*, ait.

Sabino ?] Sabina terra agro Romano contigua veterem appellationem etiamnùm retinet.

Jamne

Digitized by Google

Numquid cithara, & fides jam tibi vigent plectro ſevero? ô admirande artifex, metris intendere principia antiquorum vocabulorum, & maſculum ſonitum Latina chorda; deinde agere ludos juvenum, & canere ſenes illuſtres digito decoro. Mihi vero *jam tepeſcit extremitas Liguria, & meum mare eſt in hybernis, ubi rupes pretendunt amplum latus,*

Jamne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honeſto
Egregios luſiſſe ſenes. Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatque meum mare, quà latus ingens

ANNOTATIONES.

2 *Jamne lyra.*] Jamne Lyricis Carminibus more tuo egregiam navas operam?

Lyram.] Lyræ inventor Mercurius traditur. Vide Macrob. Saturnal. Lib. 1. cap. 9. Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 25.

Tetrico vivunt tibi pectine chorda?] An chordæ citharæ jam à te pulſantur pectine, & graves ſoni redduntur? *Tetrico* in gravibus ac ſeriis argumenris, & Stoïco dignis, ut aiunt aliqui. Fuit apud Sabinos mons nomine *Tetricus*, ſed nihil ad rem.

Vivunt.] Dum muta jacet lyra, veluti mortua eſt: at cùm pulſatur moveturque, tum loqui & vivere videtur.

3 *Mirè opifex numeris*, &c.] Tu qui peritus es fidibus aptare, & Carmine Lyrico deſcribere primordia & origines ſeu rerum, ſeu vocabulorum, &c.

Veterum primordia vocum.] Legit Caſaubonus *primordia rerum*, ut intelligatur hiſtoria primi temporis; nec enim legitur uſquam, inquit, ſcripſiſſe Cæſius Baſſus de Originibus vocum. Explicant alii de vocibus antiquis & obſoletis quas Baſſus verſibus ſuis infereret non ſine arte & decore. Alii *veterúm primordia vocum* dicunt eſſe ipſam Poëſim, quippe quæ ante proſam à Scriptoribus uſurpata fuerit. Ex Plin. 7. cap. 56. & Horat. ad Piſones, qui ait,

——— Fuit hac ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis.
——— Dicta per carmina ſortes;
Et vita monſtrata via eſt, &c.

Verùm utraque hæc interpretatio longè petita videtur. Malim igitur cum Caſaubono & aliis quibuſdam, θεογονίαν & μυθιστορίαν intelligere, per *veterum vocum primordia.*

4 *Atque marem ſtrepitum*, &c.] Solers ſcribere forte & generoſum Carmen Lyricum, de quo Horatius ad Piſones:

Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Et Od. 13. Lib. 2. ait Alcæum *plenius aureo ceciniſſe plectro dura navis, dura fuga mala, dura belli.*

Marem.] Sic Horatius ad Piſones.

——— Poſt hunc inſignis Homerus
Tyrtæuſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit.

Fidis intendiſſe Latina.] Apud Græcos Lyrici Poëtæ novem memorantur, Steſichorus. Bacchilides, Ibicus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcæus, Sappho, quibus addunt aliqui Corynnam, ut decas impleatur; at apud Latinos duo tantum claruere, Horatius & Cæſius Baſſus, ut ait Quintil. Lib. 10. cap. 1. jam cit.

Intendiſſe.] Intenſio nervorum in cithara varios varia ſonos & modos facit.

Mox juvenes agitare jocos.] Juveniles curas, amores, ludos, convivia deſcribere. Horatius loco citato paulo ante.

Pollice honeſto.] Tangens citharam *pollice honeſto*, id eſt, inſignes virtute viros, heroum facta celebrans, nobili Carmine & glorioſo conatu, *luſiſſe* ac ceciniſſe.

Virgil. Eclog. 1.

Ludere qua vellem calamo permiſit agreſti.

6 *Mihi nunc Ligùs ora intepet.*] Dum tu in Sabinis ſeceſſu gaudes & liberali otio; ego pariter urbe ceſſi, & quietus ago in Lunenſi villâ, ubi fruor aëre temperato & tepore maritimæ regionis. Porro addunt veteres Gloſſæ, *ſeceſſiſſe illuc Perſium in Ligurra fines, videlicet propter Fulviam Siſenniam matrem ſuam, qua poſt mortem prioris viri, ibi nupta erat.*

Ligùs ora.] Liguria Italiæ pars in longum protenſa versùs Meridiem à Narbonenſi Gallia ad Thuſciam, ſecundùm maris littus. Hodie, *Ora Genuenſis*, à Genua civitate principe nuncupata.

7 *Intepet.*] Sive ob ſitum inter montes, ſive ob agitationem vicini maris, quæ quidem major hyberno tempore. Cic. Lib. 2. de Natura Deorum, n. 26. *Maria agitata ventis ita tepeſcunt, ut intelligi facile poſſit in tan-*

Digitized by Google

Dant ſcopuli, & multâ littus ſe valle receptat,
Lunaï portum eſt operæ cognoſcere, cives.
Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mœonides Quintus pavone ex Pythagoreo.

& ora ſeſe colligit multiplici convalle. O cives, juvat noſſe portum Lunæ. Ennii cor id præcipit, poſteaquam deſiit ſomniare ſe eſſe Mœonidem Quintum ex pavone Pythagoræ.

ANNOTATIONES.

tis illis humoribus incluſum eſſe calorem: nec enim ille externus & adventitius habendus eſt tepor, ſed ex intimis maris partibus agitatione excitatus; quod noſtris quoque corporibus contingit, cum motu atque agitatione recaleſcunt.

Hybernatque mare.] Ut fieri ſolet hyeme, concitatur, Horat. Lib. 2. Sat. 2. *Deſtendens piſces hyemat mare,* Veteres Gloſſæ, id eſt, *ſævit, vel a navigiis vacat. Sicut enim naves hybernare dicimus; ſic & mare cum non navigatur.* Apud Vegetium Lib. 4. dicuntur claudi maria ab Idibus Novembris ad Idus Martias, aut circiter.

Meum mare.] Id eſt, patrium, ſeu Etruſcum mare, quippe cùm oriundus eſſet Perſius Volaterris oppido Hetruriæ.

Qua latus ingens dant ſcopuli.] Loci deſcriptio. Scilicet prominent in mare ſcopuli ſeu rupes multiplices, & montes excelſi Lunæ portum circumcludentes. Strabo, Lib. 5. Sic Virgil. Æneid. 9.

——— ——— *Quà ſe ſubducere colles*
Incipiunt, &c.

8 *Multâ littus ſe valle receptat.*] Ubi ſinum fecit natura, & deflexum littus in formam Lunæ curvatur; nomenque inde datum. Porro Lunæ portus, ut ait Strabo, loco citato, amplus valde & capax, multos intra ſe portus amplectitur magnæ profunditatis univerſos, adeo ut omnium qui maris teneant imperium, facilè fieret receptaculum.

Lunai portum.] *Lunaï* per diæreſim, pro *Lunæ*. Sic Virgil. *aquaï, aulaï, pictaï*, & alii diphthongum ſolventes. *Luna* urbe Hetruriæ antiquiſſima, in Liguriæ confinio, ad oſtia Macræ fluvii: cui in Epiſcopali dignitate modo ſucceſſit Sarzana, quæ nova Luna dici poteſt. Lunæ vero portus certe maximus, ſeu verius ſinus Liguriæ, inter portum Veneris & portum Erycis, ambitu viginta millia paſſuum patens: hodie, *Golfe della Spezzia*, ſic denominatus ab oppido Spetia, quod ſitum eſt in intimo receſſu. Ferrar. celſis undique montibus circumcingitur, qui proſpectum longè pelagi præbeant: nam & Sardiniæ & magna utriuſque littoris pars cernitur. Strabo. *Primum oppidum Hetruriæ, Luna, portu nobile.* Plin. 3. cap. 5. & Lib. 14. cap. 6. ait Lunenſia vina palmam ferre inter Hetruſca. Celebratur etiam Lunenſe marmor, Lib. 36.

Eſt operæ, &c.] Supple, *pretium:* id eſt utile & jucundum eſt tam amœnum portûs Lunæ ſitum cognoſcere, ejuſque deſcriptionem petere ex Ennio, quam in Annal. ſic incipit.

Eſt operæ pretium, ô cives, cognoſcere portum Lunæ.

10 *Cor jubet hoc Enni.*] Id eſt, hoc nobis imperat Ennius vir cordatus & ſapiens. Nam cor vitæ fons & radix ponitur etiam pro mente & ſapientia. Porro verſum hunc ad ſuum carmen de Ennii carminibus tranſlatum à Porſio notant veteres Gloſſæ.

Enni.] *Ennius* Epicus Poëta inter Latinos poſt Liv. Adronicum vetuſtiſſimus, Annales Populi Romani ſcripſit, & alia quædam, quorum fragmenta duntaxat ſuperſunt. In Ennio elucebat ingenium acre, eruditio multiplex, cultus, modeſtia, comitas, probitas, fides, &c. Et cùm triplicem linguam calleret, Græcam, Oſcam, Latinam, dicere ſolitus erat, tria ſe corda habere. Crinitus, Gellius Lib. 17. cap. 17. Cic. Tuſc. Quæſt. 1. num. 34. Epitaphium Ennii ab ipſo ſcriptum refert:

Aſpicite, ô cives, ſenis Ennî imaginî' formam.
Hic veſtrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Velito vivu' per ora virum.

Horat. Lib. 2. Epiſt. 1.

Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quò promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea.

Poſtquam deſtertuit, &c.] Tum hoc jubet, cum ſapit maximè, & cùm vere eſt Quintus Ennius, nec jam ſomniat eſſe ſe Homerum, ſeu habere ſe animam Homeri. Vel ut ait Marcilius, Perſii mens eſt: poſtquam Annalium initio Ennius narravit ſomnium ſuum de apparente ſibi Homero, & affirmante ſuam olim animam jam Ennii eſſe, &c. tum portûs Lunæ deſcriptionem aggreſſus jubet attendere, hoc verſiculo *eſt operæ pretium,* &c. ut ſupra, Huc pertinet quod in Prologo ſcripſit Perſius, v. 2.

11 *Mœonides.*] Ita dictus Homerus vel à Mœonia patria, vel quod eſſet Mœonis filius.

Quintus.] Ennii prænomen eſt, quicquid nugati ſint aliqui de quinta ab Homero metempſychoſi. Turn. Lib. 30 cap. 7. Caſaub. & alii.

Pavone ex Pythagoreo.] Id eſt, Poſtquam En-

Hic

Digitized by Google

Ego Perſius *iſtic* dego *non anxius* ſermonum *plebis*, *& parum ſollicitus quid Notus gregibus noxius apportet* mali: *& quod iſte angulus vicini* mei *ſit fertilior noſtro: ac ſi tandem quilibet deteriorum filii divites fiant: ſemper renuam propterea frangi ſenectute incurvatus, vel capere cœnam abſque* cibo *pingui, & naribus contingere ſignaculum in lagena corrupta.*

Hîc ego ſecurus vulgi; & quid præparet Auſter
Infelix pecori; ſecurus & angulus ille
Vicini noſtro quia pinguior: & ſi adeò omnes
Diteſcant orti pejoribus: uſque recuſem
Curvus ob id minui ſenio, aut cœnare ſine uncto,
Et ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagena.

ANNOTATIONES.

nius fingere deſiit immigrâſſe in ſe animam Homeri, à quo illa in pavonem, ac inde in Pythagoram; poſteà verò in Ennium tranſiiſſet. Diog. Laërt. Lib. 8. ait, Pythagoram dicere ſolitum, animam ſuam primùm fuiſſe Æthalidis, qui Mercurii filius habitus eſt, ab Æthalide in Euphorbum, ab hoc in Hermothimum, pòſt in Pyrrhum Delium piſcatorem, denique in Pythagoram tranſmigrâſſe.

Ovid. Metamorphoſ. 15. Fab. 3. Pythagoram ita loquentem inducit.

Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoïdes Euphorbus eram, &c.

Perſius hîc deridet aniles illas opiniones de metempſychoſi Pythagorica. Quod & fecit Tertul. Lib. de Anim. cap. 24. & ſeq. cap. vero 33. ſic habet: *pavum ſe meminit Homerus Ennio ſomniante: ſed Poetis nec vigilantibus credam, &c.* Et cap. 34. *In pavone tunderetur Homerus, ſicut in Pythagora Euphorbus.* Idem Tertullianus, Lib. de Reſurrect. carnis, cap. 1. num. 7. *ut in Pythagora Euphorbus, Homerus in pavum recenſeantur.* Pariter S. Hieron. Apol. 3. adversùs Ruffinum, paulo ante finem. Et Lactantius Firmianus, Lib. 3. cap. 18. & Lib. 7. cap. 23. ubi ſic ait: *Pythagoras tranſire animas in nova corpora diſputavit, ſed ineptè ——— & ſeipſum ex Euphorbo fuiſſe reparatum.*

12 *Hic ego.*] In portu Lunæ verſor, ut jam dictum *Securus vulgi*, parùm curans rumores populares; procul à vulgari ſtrepitu, & ambitione.

Et quid præparet Auſter.] Quid morborum ac mali gregibus & ſegetibus creet & gignat ventus Meridianus, eo quod naturæ calidæ eſt & humidæ, ut ait Plinius.

Hinc & Virgil. Georg. 1.

Arboribuſque ſatiſque Notus pecorique ſiniſter.

13 *Angulus ille vicini noſtro quia pinguior.*] Non invidens vicino meo quod agrum habeat noſtro pinguiorem.

Horat. Lib. 2. Sat. 6.

——————— O ſi angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.

15 *Diteſcant orti pejoribus.*] Neque pariter accuſo Deos, eo quod locupletari videam homines infimæ ſortis, improbos, ipſoſque ſervos ac libertos, quos ad ſummas opes evehit Nero. Parum & id me ſollicitat.

Horat. Lib. 1. Epiſt. 6.

Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mucius, indignum quod ſit pejoribus ortus.

Uſque recuſem, &c.] Propter hæc omnia quæ dixi, quæque ſolent invidos, & avaros torquere, nolim ego ſordidam agere vitam, & ditari.

16 *Curvus.*] Humi reſpiciens præ triſtitia, & dolore.

Minui ſenio.] Senectutis incommoda accelerare per ſuſceptos lucri causâ labores; vel præ invidia, meipſum diſcrucians, & animum curis exercens.

Ovid. 1. de Ponto, Eleg. 5.

Jam vigor, & quaſſo languent in corpore vires.
———————————
Confiteor facere hoc annos, ſed & altera cauſa eſt,
Anxietas animi, continuuſque labor.

Sine uncto.] Sine lautitiis, quaſi vero avarorum more oleribus veſci velim & defraudare genium, ut divitias hæredibus accumulem.

Horat. ad Piſones.

Si vero eſt unctum rectè qui ponere poſſit.

17 *Et ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagena.*] Vinum vappeſcens bibere: & admotis ad lagenam oculis, ipſoque proinde naſo obſervare diligenter numquid ſervus forte reſignarit appoſitum ex more ſignaculum, atque inde furtim hauſerit.

Undè Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

——— Poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ.

Non ſolum vaſa vinaria ſignabant Romani, ſed & penu, ac vilia quævis obſonia, ad arcendas rapaces manus ſervorum. Plin.

Plaut. in Perſa, Scen. 6.

Nam id demum lepidum eſt triparcos homines vetulos, avidos, aridos.

Digitized by Google

Diſcrepet his alius. Geminos, Horoſcope, varo
Producis genio. Solis natalibus eſt qui
Tingat olus ſiccum muriâ vafer in calice emptâ,
Ipſe ſacrum irrorans patinæ piper. Hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar: 22
Nec rhombos ideò libertis ponere lautus,

Alter iſtis diſſentiat. O Horoſcope profers gemellos ingenio diſſimili. Unus *eſt qui* die *nativitatis tantum herbas aridas ſalſugine coëmptâ callidus in vaſculo intingat, ipſe inſpergens catino piper ſacratum. Ille* verò *juvenis magno animo ingentes facultates dentibus conſumit.* Ego meis *utar, utar* inquam: *neq; propterea prodigus* ero *apponere rhombos libertis,*

ANNOTATIONES.

Benè admordere, qui ſalinum ſervo obſignant cum ſale.

Et Tullius Lib. 16. Epiſt. 26. ad Tironem ſic habet: *Sicut olim matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe, quæ furtim eſſent exſiccatæ.*

Naſo tetigiſſe.] Forte ſolebant avari olfactu explorare, num corrumpi jam inciperet vinum quod diu ſervabant, & parce admodùm bibebant. Utrovis modo accipias, ſordes & avaritiam notat Perſius.

18 *Diſcrepet his alius.*] Etiamſi longè alia erit aliis mens & vivendi ratio, non mirabor: ſiquidem & gemini fratres ſæpè diſcrepant moribus.

Horoſcope.] Aſtrum natale, ſeu nativitati præſidens, è cujus ſpectatione Aſtrologi judiciarii divinant quid homini ſit eventurum in vita.

Varo producis genio.] *Varo*, id eſt, vario ac diſſimili. Vide Sat. 4. v. 12. ad hæc verba: *Fallit pede regula varo.* Quicquid verò Aſtronomi garriant, etiam ſub eadem ſtella natis diſſimilia contingere nonnunquam, certum eſt. Sic narrat Lampridius Commodum & Antoninum, Marci Imperatoris filios geminos, nihil ſimile in vita habuiſſe, quibus tamen paria omnia promiſerant Mathematici.

Horat. Lib. 2. Sat. 1.

Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

Vide A. Gellium, Lib. 14. cap. 1. ubi Genethliaci egregie impugnantur.

19 *Solis natalibus eſt qui,* &c.] Horum geminorum fratrum alter parcus & tenax erit, & in ſua parſimonia ſolers & vafer: & vix aliquid ſibi indulgebit in feſtis duntaxat, v. g. natalibus, quibus genio litari mos erat, & epulis operam dare.

Natalibus.] Vel urbis, vel Imperatorum, de quibus Ovid. in Faſtis.

20 *Tingat olus ſiccum muriâ.*] Leviter imbuat olera & herbas aliquo condimento.

Muria empta.] Salſamento quod tunc emit; nec, ut alii, habet in penu: quia delicias illas & cupedias rarò adhibet. Fiebat muria è thynnorum tabe, & pauperum erat & avarorum duntaxat. At garum è ſcombro delicatorum erat ac divitum. Vide Plin. Lib. 31. cap. 8. Hinc Martial. Lib. 13. Epigram. 103. de Muria.

Antipolitani, fateor, ſum filia thynni:
Eſſem ſi ſcombri, non tibi miſſa forem.

Vafer in calice.] Etiam callidus ad genium tunc defraudandum, quippe nonniſi in vaſculo muriam coëmit & comparat, unde & intincta olera ſicca remanent, ſaltem parte ſui maximâ.

21 *Ipſe ſacrum irrorans,* &c.] Cibis aſpergens modicum piper, cui parcit etiam velut rei ſacræ. Ipſe verò aſpergit, ne ſervus aut coquus pluſculum impendat.

Horat. Lib. 1. Sat. 1.

——— ——— ——— *Congeſtis undique ſaccis*
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris.

Et Lib. 2. Sat. 3.

Qui nummos, aurumque recondit, neſcius uti
Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum.

Hic bona dente, &c.] Alter autem geminorum prodigus, opes abligurit & dilapidat in conviviis & luxu, &c.

22 *Magnanimus.*] Valdè ſe generoſum velut oſtentans, dum profundit patrimonium in malos etiam uſus.

Peragit.] Id eſt, conficit, atterit, diſperdit.

Utar ego, utar.] Ego Perſius nec effundere velim malè bona mea, nec ſordide iis parcere: ſed utar iis quæ uſui tantùm eſſe conſecrata, Græci proprio nomine χρήματα appellando, benè admodùm oſtendunt. Sanct. Aug. magnum in eo malum docet, ſi *utare fruendis, aut fruaris utendis.*

Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

Utar, & ex modico, quantum res poſcet, acervo
Tollam.

23 *Nec rhombos ideò.*] Nolim eſſe adeò in menſa ſplendidus, ut libertini generis hominibus, ſervis in libertatem aſſertis, aliiſve infimæ ſortis, opipara ſtruam convivia.

Rhombos.] Sunt piſces exquiſiti ſaporis & magni apud Romanos pretii, dicti à rotunda quaſi figura; habent enim dextrum latus recupinatum, ut ait Plin. Lib. 9. cap. 20. Vide

Nec

Digitized by Google

neq; peritus dignoſcere ſubtilem turdorum ſaporem. Veſcere uſq; ad tuam meſſem, & mole horrea, licet. Quid timeas? Glebas comminue. Secunda etiam ſeges herbeſcit. Sed revocat me *officium. Ecce familiaris egenus prenſat Bruttios ſcopulos, fractâ navi: & perdidit omnia bona, & preces non exauditas: ipſe* verò *proſtratus eſt in ora* maris *Ionii, ſimul magni*

Nec tenuem ſolers turdarum noſſe ſalivam,
Meſſe tenus propriâ vive: & granaria (fas eſt,)
Emole. Quid metuas? Occa. Et ſeges altera in herba eſt.
Aſt vocat officium. Trabe ruptâ, Bruttia ſaxa
Prendit amicus inops: remque omnem, ſurdaque vota
Condidit: Ionio jacet ipſe in littore, & unà

ANNTATIONES.

Juvenal. Sat. 4. v. 39. & Sat. 11. v. 121. ibique annotata.

Horat. Lib. 1. Sat. 2.

Num eſuriens faſtidis omnia, præter
Pavonem rhombumque?

Et Lib. 2. Sat. 2.

Quid? Tum rhombos minùs æquor alebat?
Tutus erat rhombus.

24 *Nec tenuem ſolers turdarum nôſſe ſalivam.*] Nolim quoque palati eſſe ſupra modum delicati, ut diſcernam turdorum ſaporem, dignoſcens matres à fœminis; ſylveſtres ab iis qui ſunt in aviario educati, cellarios à terrariis, paſtos junipero ab aliis: quod nôrunt *avidam gulæ dediti, tanta ſubtilitatis palatum habentes ut dignoſcant turdos.* Vetus Scholiaſtes: qui & addit; *turdarum dixit abuſivè pro turdorum.* Ut Horatius ponit:

Pene macros, arſit, dum turdos verſat in igni.

Turdarum.] *Turdi* inter volatilia celebrantur. Plin. Lib. 10. cap. 24. Athenæus, Lib. 2. cap. 4. ex Ariſtotele tria recenſet turdorum genera.

Horat. Lib. 1. Epiſt. 15.

Obeſo nil melius turdo:

Martial. Lib. 4. Epigram 92.

Inter aves turdus, ſi quis me judice certet:
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Salivam.] Quia ſapor ſalivam ciet, hinc pro ſapore ſaliva ponitur. Docent Varro Lib. 8. de Ling. Lat. Plin. Lib. 23. Propert. Lib. 4. Eleg. 9.

25 *Meſſe tenus propriâ vive.*] Quantum ex agris uno anno colligis, tantundem impende tibi & aliis: nihilque reſerva in ſequentem annum.

Granaria emole.] Grana prioris anni mole: utere quantum ſatis erit tibi ac familiæ tuæ; reliquum verò largire indigentibus. *Fas eſt*: æquum eſt & decet ſic te agere divinæ providentiæ confidentem.

26 *Quid metuas?*] An dubitabis hornâ meſſe uti & inſumere congeſtas in granario fruges, cùm aliæ creſcant? Scilicet metuis perire fame?

Occa.] Ligone frange glebas majores; quod faciunt poſt ſationem agricolæ. Hinc verò ſignificari videtur, jam utendum eſſe granis præteritâ meſſe collectis, & de his liberaliter largiendum. Caſaubonus exiſtimat poni ſimpliciter, pro *labora.*

Seges altera in herba eſt.] Meſſis altera jam præparatur, undè novis granis horrea rursùm impleas.

27 *Aſt vocat officium.*] Proſopopœia avari ſeſe excuſantis: verùm enimverò, inquit, non ita fas eſt annuum proventum ſingulis annis totum conſumere, nihilque ſepoſitum reſervare. Nam ſi id fiat quod mones, undè, quæſo, ſuppetet quo ſubveniatur calamitatibus amicorum & morbis aliiſve malis derepentè ingruentibus? Certè officii ratio tibi parere vetat. Hæc avarus.

Trabe ruptâ, Bruttia ſaxa, &c.] Reponit Perſius: quin igitur age, & protinùs quod dixiſti exequere. Familiari naufrago ad Scyllam ſcopulum, rerumque omnium egenti opem fer. Vel continuatio eſt ſermonis avari prætextum hunc afferentis, ad quem reſpondebit mox Poëta: *Nunc & de ceſpite vivo frange aliquid: largire inopi, &c.*

Bruttia.] Bruttii Italiæ populi, in tertia regione, Lucanis, ut ait Strabo, contermini: ad littus inferi maris, non procul Sicilia, in Calabria nimirùm Citeriori.

28 *Prendit amicus inops.*] En amicus *trabe rupta*, illiſâ navi, poſt naufragium enatans evadit in littora Bruttiorum.

Virgil. Æneid. 6.

Prenſantemque uncis manibus capita aſpera montis.

Surdaque vota.] Vota quibus ſurdi fuerunt Dii Marini, & inexorabiles, in mari perdita *condidit*: ficut in penu condita non apparent.

29 *Ionio.*] *Ionium* mare eſt ad fauces Adriatici maris, Siciliam inter & Cretam; nominatum ſeu ab Ionio Dyrrachii filio, quem in illud Hercules dejecit: ſeu ab Ionum naufragio: ſeu, ut vult Solinus, ab Ionia extremæ Italiæ regiunculâ.

Jacet ipſe in littore.] Elegans hypotypoſis.

Ingentes

Ingentes de puppe Dei : jamq; obvia mergis
Coſta ratis laceræ. Nunc & de ceſpite vivo
Frange aliquid : largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. Sed cœnam funeris hæres

Dii de puppe : & modò latus navis fracta occurrit mergis. Huic igitur *rumpe ſtatim quidpiam de glebis etiam immaturis : dona indigenti, ne vagetur depictus in tabella coloris marini. At hæres*

ANNOTATIONES.

30 *Ingentes de puppe Dei.*] Simul cum eo jacent Dii navis tutelares ablati de puppe, ubi ſacrarium habebant, & ad quos in periculis nautæ vota nuncupant. Horum ille ſimulacra ingentia ſecum eripuit è naufragio, & magno labore abſtulit vir religioſus & pius, cui proinde juſtum eſt opitulari. Virgil.

Aurato fulgebat Apolline puppis,
Arma Deoſque parant comites.

Horat. Lib. 1. Od. 14.

Non tibi ſunt integra lintea ;
Non Dii, quos iterum preſſa voces malo.

Jamque obvia mergis.] Jamque navis diffractæ tigna, & trabes ſuper mare fluitantia, obvia feruntur marinis avibus ad ea advolantibus, ut inde prædam captent.

Mergis.] *Mergus* eſt aquatica volucris, ab immergendo frequenter ſeſe nuncupata. De ea Plinius, Lib. 10. cap. 32. & alibi.

31 *Coſta ratis laceræ.*] Ligna quibus latera navis intexuntur.

Virgil. Æneid. 2.

Sectâque intexunt abiete coſtas.

Ponitur & *coſta*, pro rei parte quâlibet, ut Sat. 1. Perſ.

Coſtam longo ſubduximus Apennino.

Nunc & de ceſpite vivo, &c.] Quid ergo moraris, inquit Poeta ad avarum, dum in talibus anguſtiis eſt animus inops? Huic non modò debes opitulari de annuo proventu & de ſuperfluo, ſed etiam de ipſis fundis, quibus nec fas eſt parcere ad ſublevandam tantam ejus neceſſitatem & miſeriam.

Ceſpite.] *Ceſpes* eſt terra cum gramine, *ceſpes vivus* hîc, eſt ſeges ipſa adhuc in herba, & viridis.

32 *Frange aliquid.*] Detrahe, deme, ſepara quidpiam de tuo, quod egeno impertiaris.

Ne pictus oberret.] Ne cogatur mendicando victum quæritare, ſui naufragii exhibens imaginem, ex more naufragorum, de quo Sat. 1. v. 90. Item Horat. Lib. 1. Od. 5.

Et ad Piſones,

——— *Si fractus enatat exſpes*
Navibus ære dato qui pingitur.

Et Juvenal. Sat. 14. v. 301.

——— *Merſâ rate naufragus aſſem*
Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur.

33 *Cærulea in tabula.*] Tabellâ in qua mare cæruleum coloribus adumbratum eſt.

Sed cœnam funeris hæres negliget.] Reſpondet avarus : at enim ſi ita patrimonium effundo, iratus hæres ob imminutam hæreditatem mortuo mihi juſta non perſolvet, ſumptus omittet & apparatus funebres. De his fusè Alex. ab Alex. Lib. 3. cap. 7. Porrò ea quorumdam erat ambitio, maximè illorum qui inglorii vixerant, ut optarent magnificum ſibi funus duci & parari ; imprimis autem ferales epulas & novendiales inſtrui, eò quòd in his mos erat celebrare defuncti laudes. Caſaub.

Cœnam funeris.] Tobiæ cap. 4. v. 17. ſic legitur : *Effunde cibos tuos in monumentum juſtorum, neque des peccatoribus.* Quo quidem Tobias filium docet hoſpitalitatem & eleemoſynas in egenos exercendas : neque ſuperſtitionem Ethnicorum tueri poteſt ille locus. Enimverò apud eos cœna fuit multiplex & varia in funeribus. 1. Imponebantur rogo epulæ, & cum cadavere cremabantur.

Virgil. Æneid. 6.

——— ——— *Congeſta cremantur*
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivo.

Apuleius Florid. 4. vel potiùs 19. *Exclamavit vivere hominem, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem à tumulo ad menſam inferrent.* 2. Funebris erat cœna, cujus meminit Tullius 2. de Leg. n. 63. hæc nimirùm dabatur amicis & propinquis, poſt exequias, maximè verò ſenibus & ætate provectis, inquit Alex. ab Alex. loco mox citato : ut per vini cibique lenimen deſiderium defuncti levaretur. 3. Ad ſepulcrum cœna deponebatur, de qua Juvenal. Sat. 5. v. 85.

Ponitur exigua feralis cœna patellâ.

Et hæc vocabatur ſilicernium, ſeu quòd eam Umbræ ſilentes cernerent, ſeu quòd ex ea non guſtarent. Sanctus Auguſtinus Serm. 15. de Sanctis, eò reſpexit cum aiebat : *Miror cur apud quoſdam infideles tam pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſa de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantum requirit, ſpiritus autem & anima his non indigent : parare aliquis ſuis charis dicit, quod ipſe devorat, & quod præſtat ventri.*

Digitized by Google

queant noſtra Flora feſta. Quidnam honeſtius? ſed quando illuxit dies Herodis, & aptatæ lampades ad feneſtram delibutam, ferentes violas, exhalant fuliginem craſſam; & innatat cauda thynni rubeam patinam complexa; & *vas fictile candidi* coloris *redundat vino:*

Aprici meminiſſe ſenes. Quid pulchrius? At cùm
Herodis venêre dies, unctâque feneſtrâ,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas; rubrumq; amplexa catinum
Cauda natat thynni; tumet alba fidelia vino:

ANNOTATIONES.

tannis celebrabantur omni laſciviâ pleni, *convenientes quidem memoria meretricis*, ut notat Lactantius Lib. 1. cap. 20. undè & erubuit Populus ipſe Romanus ludos Florales exhiberi integros coram C. Porcio Catone, propterea è Theatro diſceſſit, ne præſentiâ ſuâ ſpectaculi conſuetudinem impediret, ut refert Valer. Max. Lib. 2. cap. 10. Poſteà verò, ut tanto pudori color quæreretur, Floram dixere Deam florum, colebantque quarto Kalendas Maii, ſeu die 28. Aprilis, quaſi ut ſata feliciùs creſcerent. Ovid. in fine Lib. 4. & in 5. Faſtorum. Macrob. Lib. 1. Saturn. cap. 4. S. Auguſtin. Lib. 6. de Civit. Dei, cap. 7. Alex. ab Alex. mox cit.

179 *Aprici.*] Senes amant aprica loca, id eſt, ſole tepentia, in quibus deficientem cum ætate calorem foventes, maximè circa meridiem nugis indulgent, undè Proverb. μεσημβρινὸς λῆρος. Interdum & laudant tempora ſe pueris acta, ut ait Horatius ad Piſones.

Quid pulcrius?] Quid glorioſius quàm ſe poſteritati commendare per munificentiam & honores, inquit ambitio, ad animum hominis ſibi mancipandum: vel ironica eſt Stoici ambitioſorum inſaniam deridentis.

At cum Herodis venere dies.] Jam & ſuperſtitio ſuas partes agit, ſibique obnoxium vult habere hominem. Quia verò Romæ ſuperſtitionis damnabantur omnes externi ritus, omnis religio peregrina, hinc Perſius exempla Judæorum accerſit è Syria, & Ægyptiorum apud quos Iſis colebatur; aut certè Romanorum quorundam eas religiones obſervantium ſuperſtitioſè.

180 *Herodis.*] Triplex fuit *Herodes*, primus Antipatri filius, Rex Judææ dictus à Romanis, ſub quo natus Chriſtus Dominus: qui & paulò pòſt mortuus velut Chriſtus & Meſſias eſt obſervatus à nonnullis, qui inde Herodiani vocati ſunt. Alter fuit *Herodes* prioris filius cognomine Antipas, ſub quo mortuus Chriſtus. Tertius *Herodes* Agrippa, Ariſtobuli filius, Jacobi Apoſtoli interfector, vivente Perſio adhuc regnabat. Hujuſne, an primi mentio ſit hoc loco, nec doctiſſimi decernunt. Vetus Interpres ſic habet: *Herodes apud Judæos regnavit temporibus Auguſti, in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis obſervant, ut etiam Sabbata: quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponunt.*

Herodis dies.] Dies Judæis Herodi Regi ſubditis feſti, ſeu ob ejus natalem, ſeu ob ſuſceptum ab eo Principatum.

Unctâque feneſtrâ.] Scilicet ob exudans oleum è lampadibus in ſignum lætitiæ accenſis, & ad feneſtras ex ordine collocatis.

181 *Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.*] Fumum denſum & craſſum emittunt *lucernæ* in feneſtris *diſpoſitæ: portantes violas*, floribus etiam ornatæ, ut mox dictum è vet. Schol. Locum hunc mire illuſtrat Juſt. Lipſ. Elect. 1. cap. 3. ubi hæc ſcribit: *Mos apud Romanos receptus; in omni privata publicaque lætitia januam lauro ac lucernis ornari —— Ejuſmodi lucernæ penſiles erant, & catenulis ſuſpendebantur accenſæ ad ædium januas aut feneſtras. Vidimus ipſi in Italia æreas ejuſmodi lucernas complures, quas intellexit etiam Poëta Princeps,*

Pendent lychni laquearibus aureis.

Quòd hæ lucernæ erant ad januam, præter Juvenalem Tertullianus docet ad uxorem Lib. 11. *Moratur Dei ancilla in laribus alienis & inter illos omnibus honoribus Dæmonum, omnibus ſolemnibus Regum, incipiente anno, incipiente menſe, nidore thuris agitabitur: & procedet de janua laureata & lucernata, ut de novo conſiſtorio libidinum publicarum.* Quod verò ad feneſtras etiam, probat ex hoc Perſii loco, quem affert ibidem: Vide Juvenal. Sat. 12. v. 92. & ibid. annotata.

182. *Rubrumque.*] Miniatum, ſeu è terra rubra.

Sic Martialis Lib. 11. Epigram. 28.

Paropſidem rubram poſuit.

Et Lib. 14. Epigram. 114.

Cumano rubicundam pulvere teſtem.

Amplexa catinum cauda natat.] Ingentem catinum implens thynni cauda in jure conditorio natat, epulantibus Judæis, feſtos dies agentibus.

183 *Cauda thynni.*] Piſcis notus, de quo pluribus locis Athenæus: Plin. Lib. 9. cap. 15. ſic habet: *Præcipuâ magnitudine thynni. Invenimus talenta quindecim pependiſſe. Ejuſdem caudæ latitudinem duo cubita & palmum, &c.*

Tumet alba fidelia vino.] Plena ſcilicet fidelia, vas vinarium ex argilla. Vide Sat. 3.

Labra

Labra moves tacitus, recutitaque ſabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto :

tunc *ſecretâ agitas labia, & expalleſcis* ad *ſabbata circumciſa. Tum larva atra, & pericula ovo diſrupto :*

ANNOTATIONES.

184. *Labra moves tacitus.*] Tu ſuperſtitioſus Judæis te immiſces, in eorum proſeuchis, ſeu precationibus; & concipis vota tacito murmure, de quo vide Sat. 2. v. 6.
Horat. Lib. 1. Epiſt. 16.

Labra movet, metuens audiri.

Recutitaque Sabbata palles.] Cùm Judæis colis Sabbata, tremens, & ſtolidè religioſus. Certè Judæos nimium hac in re ſuperſtitioſos, quis non fateatur, cùm hoſtes ingruentes invadenteſque Sabbato repellere, ac tueri ſe, religioni ducerent: quin & Chriſtum Dominum incuſarent & criminarentur, quòd ægros ſanaret die Sabbati?

Recutita.] Hypallage, Judæi recutiti dicebantur ob circumciſam præputii cutem: ſic & Horatio, *Apella*, id eſt ſine pelle, ſcilicet in ea, quam dixi corporis parte, cujus circumciſio divino juſſu mandata deſignabat cordis ſeparationem à cupiditatibus, ut ait Lactantius, & alii.

Sabbata.] Vox eſt Hebraïca requiem ſignificans, & diem hebdomadæ ſeptimam, Deo jubente per Moſem, Judæis feriatam, tum ut meminiſſent orbis à Deo conditi, & ſex diebus perfecti; tùm etiam ſuæ ex Ægypto liberationis. Hic verò *Sabbata* quamlibet Judæorum celebritatem indicare videntur, per metonymiam.

Palles.] Sive ob jejunium, quod ad veſperam, Judæi ſervabant; ſeu ob metum ſuperſtitioſum; ſeu ob ſqualorem, & cinerem quo illi ſe conſpergebant in Sabbatis ſaltem aliquibus. Quæ omnia ridet Juvenalis, Sat. 14. verſu 90. & ſeq. & Perſius hîc. Malè enim audiebant Romæ Judæi, quos tumultuantes expulit Româ Imperator Claudius, Nero ſuppliciis coërcuit, Domitianus vexavit tributis: ut refert Suetonius.

185 *Tunc nigri lemures, &c.*] Neque ſolùm afficit te ſuperſtitioſus pallor, ſed & ſubigit terror vanus è lemuribus, & futilibus portentis.
Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

Somnia, terrores magicos, miracula, Sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Theſſala rides?

Lemures.] Apuleius de Deo Socratis: *Animus virtute perfectus Genius vocatur. Animum humanum emeritis vitæ ſtipendiis corpore ſuo abjurantem vetere Latinâ Linguâ Lemurem dictitatum reperio*, inquit. *Ex hiſce Lemuribus qui poſterorum ſuorum curam ſortitus, placato & quieto Numine domum poſſidet, Lar familiaris dicitur: qui verò ob adverſa vitæ merita nullis bonis ſedibus, incertâ vagatione, ſeu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, id genus plerique Larvas perhibent. Cum verò incertum eſt, quæ cuique eorum ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva, nomine Manem Deum nuncupant.* Idem Apuleius in Apologia ſic habet: *Duas tibi Deus obvias ſpecies mortuorum, quicquid Umbrarum eſt uſquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Larvarum, oculis tuis oggerat, omnia noctium occurſacula, omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulcrorum terriculamenta.* Plin. 7. Epiſt. 27. multa refert id genus nocturna phantaſmata, tùm aliis cùm ſibi viſa. Hic per *Lemures* ſignificantur Umbræ nocturnæ & Larvæ domos infeſtantes, quæ omnia noctium terriculamenta procurabantur ſeu averruncabantur, fabam noctu in Sacris jactando; ut teſtatur Varro, de Vita Populi Romani, Lib. 1. ubi ait, *In Sacris fabam jactant noctu, & dicunt ſe Lemures domo extra januam ejicere.* Et Ovid. Faſt. 5. fusè rem explicat, & morem illum ſuperſtitioſum perſequitur.

Signaque dat digitis medio cum pollice junctis,
Occurrat tacito ne levis umbra ſibi.
Cùmque manus purè fontanâ perluit undâ,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Averſuſque jacit —— umbra putatur
Colligere, &c.

Ovoque pericula rupto.] *Sacerdotes qui explorandis periculis ſacra faciebant, obſervare ſolebant ovum igni impoſitum, utrum in capite, an in latere deſudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum portendebat ei pro quo factum fuerat, vel rei familiari ejus.* Hæc vetus Scholiaſtes. At aliud ſuperſtitionis genus de ovis ruptis narrat Plinius, Lib. 28. cap. 2. *Huc pertinet,* inquit, *ovorum, ut exorbuerit quiſque calices, cochelarumque protinus frangi, aut eoſdem, cochlearibus perforari.* Veteres nimirùm hominem lædi putabant per maleficium, ſi ovorum teſtæ acu perforarentur: quod ne eveniret, ovorum cochlearumque putamina ſtatim frangebant ac pertundebant, ut maleficium occuparent atque averterent. Turnebus.

Hinc

deinde Galli ingentes; & Sacerdos cocles cum crepitaculo injiciunt terrorem *Numinum, quæ faciunt corpora intumeſcere, niſi matutino tempore ter comederis caput allii præſcriptum. Iſta loquere apud Centuriones varicibus notatos.*

Hinc grandes Galli; & cum ſiſtro luſca Sacerdos
Incuſſere Deos inflantes corpora, ſi non
Prædictum ter manè caput guſtaveris allî.
Dixeris hæc inter varicoſos Centuriones,

ANNOTATIONES.

186 *Hinc grandes Galli.*] Nova palloris cauſa timoriſque.

Grandes.] Sive quia cothurnati, & hinc grandiores videntur; ſive quòd præcipuè venerandi. Vide Feneſtell. de Sacerdot. Rom. cap. 12. Alii volunt grandes appellari, eò quod illi utpote caſtrati grandeſcant potiſſimùm, ut ferè fit.

Favet Juvenalis Sat. 6. v. 512.

——Matriſque Deum chorus intrat, & ingens
Semivir, obſcœno facies reverenda minori,
Mollia qui raptâ ſecuit genitalia teſtâ.

Galli.] Sacerdotes Cybeles, ita dicti â Gallo Phrygiæ fluvio, cujus potus furorem inducit uſque ad exſectionem virilium. Feneſtel. loco mox citato. Plin. Lib. 11. cap. 49. & Varro apud quem *gallere* eſt furere inſtar Gallorum. Ovid. Faſt. 4.

Inter, ait, viridem Cybelem altaſque Celenas
Amnis it inſanâ nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit, &c.

Cum ſiſtro luſca Sacerdos.] *Sacerdos* Iſidis Ægyptiorum Deæ, in ejus Sacris ferens crepitaculum ex ære vel argento: ficut Galli cymbalum. De his fusè ad Juvenal. Sat. 6.

Siſtro.] Σεῖστρον à *σείω, concutio.*

Luſca Sacerdos.] Inſana, vitioſa, ficut alibi pro ſtulto ponitur. Vel reverà uno orbata oculo, ſeu quòd irata illi Iſis percuſſiſſet lumina ſiſtro, ut aiunt Juvenalis, Sat. 13. v. 93. & Ovidius, Lib. 1. de Ponto, Eleg. 1. ſeu quòd *Nubiles deformes cum maritos non invenerint, ad miniſteria Deorum ſe conferant:* quod aiunt veteres Gloſſ. hîc.

187 *Incuſſere Deos.*] Injiciunt metum Syriæ Deæ, Cybeles, Iſidis, levibus animis occinentes, illam furore concutere, hanc plagis, ulceribus, morbiſque afficere & affligere: quæ tamen incommoda & ægritudines à cauſis naturalibus proficiſcuntur, ut eruditè diſputat Areteus Lib. de acutis morbis, cap. 9. ubi explicat cur Syrios Ægyptioſque tetra hæc ulcera divexent potiſſimùm.

Deos inflantes corpora.] Tumorem in corpus immittentes, niſi placarentur, ut credebant. Martial. Lib. 4. Epigramm. 43.

Juro per Syrios tibi tumores,
Juro per Berecinthios furores.

Juvenalis Sat. 15. v. 9. ſuperſtitioſos Ægyptios irridet, vana quævis & ridicula pro Diis colentes, etiam porrum, cæpe, &c.

Si non prædictum, &c.] Niſi obſerves quæ jubent Sacrificuli illi & Sacrificulæ ad placandos Deos ſuos.

188 *Prædictum.*] Antè nominans, quàm comedens, ex ſuperſtitioſo ritu, inquiunt nonnulli, quibus tamen alii refragantur.

Ter manè.] Superſtitio elucet in ſingulis, & quòd certo tempore, & quòd certis vicibus.

Caput guſtaveris alli.] Quod amuletum contra incantamenta, & ad multarum noxarum depulſionem valere vana credidit antiquitas, videlicet caput allii aut cepæ à jejuno comeſtum. Turneb. Lib. 18. cap. 12. Plinius *Lib.* 20. cap. 6. de allii virtutibus multa refert, aitque *utilem quandam inflationem facere, inſaniæ mederi, &c.*

189 *Dixeris hæc inter,* &c.] Hæc de vera libertate diſputa coram ſtupidis, & imperitis militibus, ſi vis cum ludibrio & ſanna excipi. Quaſi verò ferant illi ſe dici non uſquam eſſe liberos, ſed planè ſervos. Prov. Græc. *ςρατιωτικὴ ἀλογία· Militum more rationem haud capit.*

Varicoſos Centuriones.] Qui habent in cruribus varices è labore militari, quique ut corpore ſic animo intumeſcunt. Varices porrò ſunt, venæ multo & impuro ſanguine inflatæ in cruribus; quod Curſoribus, Bajulis, & diu ſtantibus accidere, ait Avicenna. Varicoſi dicuntur fuiſſe M. Tullius Cicero, C. Marius, aliique. De Mario ipſe Tullius Tuſcul. Quæſt. 2. n. 53. ſic habet; *C. Marius Ruſticanus vir, ſed planè vir, cum ſecaretur, vetuit ſe alligari, nec quiſquam ante Marium ſolutus dicitur eſſe ſectus. Cur ergo poſtea alii? valuit auctoritas——crus verò alterum non præbuit. Ita & tulit dolorem ut vir, & ut homo majorem ferre, ſine cauſa neceſſaria noluit.* Plinius Lib. 11. cap. 45. ait C. Marium, qui ſepties Conſul fuit ſtantem ſibi paſſum varices extrahi, inter homines unum; ſcilicet eo ſæculo: nam in aliis id factum poſteà, teſtis Cicero loco mox citato. Denique Plutarchus in Vita Marii initio refert

Continuò

Digitized by Google

Continuò craſſum ridet Vulfenius ingens :
Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

ſtatim Vulfenius procerus ruſtice cachinnatur, & centenos Græcos æſtimat centum aſſibus decurtatis.

ANNOTATIONES.

eum crura plena varicibus habuiſſe, & cùm deformitatem ægrè ferret, accerſito Medico, haud ligatum alterum crus præbuiſſe, atque inter incidendùm, conſtanti animo perſtitiſſe : at vero crus alterum poſcenti Medico negâſſe, ſubjeciſſeque ; tantum dolorem iterùm perferre, indignum ſe arbitrari.

Centuriones.] Ductores peditum. De his, vide Vegetium de re Militari, Lib. 2. Dionyſ. Halicarn. Lib. 4. *Centuriones*, inquit, *electi erant ex omnibus bello ſtrenui, qui ſuos quique manipulos juſſis obtemperantes exhibebant.* Ex his intelligere eſt alium Centurionem manipularem fuiſſe, qui viginti militum, & turbæ Scutatorum ductor erat, alium vero Centurionem Primipilum, qui tribus vexillis præerat : porro vexillum homines centum octoginta tres complectebatur. Vide Alex. ab Alex. Lib. 1. cap. 5.

190 *Craſſum ridet.*] Ingentes repentè cachinnos tollit, & in riſum effuſum ſolvitur. *Vulfenius ingens*, Miles aut Centurio procerus & robuſtus. *Vulfenius :* factum à Poëta nomen creditur, pro quo legitur & *Vulpennius, & Pulfennius.*

191 *Et centum Græcos,* &c.] Philoſophos centum ea ſentientes & affirmantes magno conatu totidem aſſibus nolit emere, nedum fidem habeat eorum dictis etſi veriſſimis.

Græcos.] Sic Sat. 1. potuit, *cr[illegible]idas Graiorum* ; nempè e Græciâ emerſerunt omnes ferè Philoſophi, Philoſophiæ & Sapientiæ rudimenta, imo documenta & lumina.

Curto centuſſe licetur.] Centuſſe mutilato non integro, adeoque vix uno aſſe unum Sapientem æſtimat.

Licetur.] *Liceri*, eſt in auctione publica pretium deferre.

SATIRA VI.

ADmovit jam bruma foco te, Baſſe, Sabino ?

O Baſſe, jamne hyems te compulit ad caminum Sabinum ?

ANNOTATIONES.

1. *ADmovit jam bruma,* &c.] Avaros exagitat Perſius hâc Satirâ, quam ad amicum in Sabinis hyemantem, & lucubrandi causâ ſecedentem ſcribit, ipſe apud oram Liguſticam eodem conſilio receptus & Roma digreſſus. Hinc ſtatim intellige alia fuiſſe æſtate domicilia, alia hyeme : & ad villas non tantum valetudinis gratiâ & verno tempore, ſecedere ſolitos ; ſed & quâlibet tempeſtate, ut ſtudio vel ſcriptioni indulgerent. Conſtat ex Tullio Epiſt. ad Attic. Sueton. in Auguſto, cap. 72. Horat. Lib. 1. Epiſt. 7. & 15. & aliis.

Bruma.] Quaſi βραχῆα ἡμέρα, inquit Feſtus. Dies anni breviſſimi circa ſolſtitium hyemale. Ovid. Faſt. 1.

> *Bruma novi prima eſt, veteriſque noviſſima Solis.*

Baſſe.] Ambigunt eruditi quis iſte *Baſſus.* Plures certe fuerunt hujus nominis viri, ſed cognomina & artes ſeu inſtituta diſſentiunt. De Aufido Baſſo belli Germanici Scriptore, & de Saleio Baſſo Epico Poëta, quos laudat Quintil. Lib. 10. cap. 1. non eſt hic mentio. Agellius Lib. 3. cap. ult. item Lib. 5. cap. 7. & alibi meminit C. Baſſi, qui de vocabulorum origine ſcite & lepidè ſcripſit, at ſolutâ oratione : atque adeo non eſt hic Perſianus Baſſus, etiamſi *veterum primordia vocum*, legas & cum vulgo intelligas. Supereſt igitur ut veterem Scholiaſtem ſequamur : ſic habet : *Hanc Satiram ſcribit Perſius ad Cæſium BaſſumPoëtam Lyricum, quem fama eſt in prædiis ſuis poſitum, ardente Veſuvio monte Campaniæ, & late ignibus abundante, cum villa ſua uſtum eſſe. Hic ergo, dum viveret, Roma ad Sabinos neceſſario tranſibat, ubi brumali tempore, in calido loco carmina ſcribebat.* Favet Quintil. loco cit. qui Cæſium Baſſum paulo ante vixiſſe, & *poſt Horatium Lyrici Carminis laudem tuliſſe*, ait.

Sabino ?] Sabina terra agro Romano contigua veterem appellationem etiamnùm retinet.

Jamne

Digitized by Google

Numquid cithara, & fides jam tibi vigent plectro ſevero? ô admirande artifex, metris intendere principia antiquorum vocabulorum, & maſculum ſonitum Latinæ chordæ; deinde agere ludos juvenum, & canere ſenes illuſtres digito decoro. Mihi vero *jam tepeſcit extremitas Liguriæ, & meum mare eſt in hybernis, ubi rupes protendunt amplum latus,*

Jamne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honeſto
Egregios luſiſſe ſenes. Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatque meum mare, quà latus ingens

ANNOTATIONES.

2 *Jamne lyra.*] Jamne Lyricis Carminibus more tuo egregiam navas operam?

Lyram.] Lyræ inventor Mercurius traditur. Vide Macrob. Saturnal. Lib. 1. cap. 9. Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 25.

Tetrico vivunt tibi pectine chordæ?] An chordæ citharæ jam à te pulſantur pectine, & graves ſoni redduntur? *Tetrico* in gravibus ac ſeriis argumenris, & Stoïco dignis, ut aiunt aliqui. Fuit apud Sabinos mons nomine *Tetricus*, ſed nihil ad rem.

Vivunt.] Dum muta jacet lyra, veluti mortua eſt: at cùm pulſatur moveturque, tum loqui & vivere videtur.

3 *Mirè opifex numeris*, &c.] Tu qui peritus es fidibus aptare, & Carmine Lyrico deſcribere primordia & origines ſeu rerum, ſeu vocabulorum, &c.

Veterum primordia vocum.] Legit Caſaubonus *primordia rerum*, ut intelligatur hiſtoria primi temporis; nec enim legitur uſquam, inquit, ſcripſiſſe Cæſius Baſſus de Originibus vocum. Explicant alii de vocibus antiquis & obſoletis quas Baſſus verſibus ſuis inſereret non ſine arte & decore. Alii *veterum primordia vocum* dicunt eſſe ipſam Poëſim, quippe quæ ante proſam à Scriptoribus uſurpata fuerit. Ex Plin. 7. cap. 56. & Horat. ad Piſones, qui ait,

——— Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis.
——— Dicta per carmina ſortes;
Et vita monſtrata via eſt, &c.

Verùm utraque hæc interpretatio longè petita videtur. Malim igitur cum Caſaubono & aliis quibuſdam, θεογονίαν & μυθιστορίαν intelligere, per *veterum vocum primordia*.

4 *Atque marem ſtrepitum*, &c.] Solers ſcribere forte & generoſum Carmen Lyricum, de quo Horatius ad Piſones:

Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Et Od. 13. Lib. 2. ait Alcæum *plenius aureo cecinisse plectro dura navis, dura fuga mala, dura belli.*

Marem.] Sic Horatius ad Piſones.

——— Poſt hunc inſignis Homerus
Tyrtæuſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit.

Fidis intendiſſe Latinæ.] Apud Græcos Lyrici Poëtæ novem memorantur, Steſichorus. Bacchilides, Ibicus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcæus, Sappho, quibus addunt aliqui Corynnam, ut decas impleatur; at apud Latinos duo tantum claruere, Horatius & Cæſius Baſſus, ut ait Quintil. Lib. 10. cap. 1. jam cit.

Intendiſſe.] Intenſio nervorum in cithara varios varia ſonos & modos facit.

Mox juvenes agitare jocos.] Juveniles curas, amores, ludos, convivia deſcribere. Horatius loco citato paulo ante.

Pollice honeſto.] Tangens citharam *pollice honeſto*, id eſt, inſignes virtute viros, heroum facta celebrans, nobili Carmine & glorioſo conatu, *luſiſſe* ac ceciniſſe.

Virgil. Eclog. 1.

Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.

6 *Mihi nunc Ligus ora intepet.*] Dum tu in Sabinis ſeceſſu gaudes & liberali otio; ego pariter urbe ceſſi, & quietus ago in Lunenſi villâ, ubi fruor aëre temperato & tepore maritimæ regionis. Porro addunt veteres Gloſſæ, *ſeceſſiſſe illuc Perſium in Liguriæ fines, videlicet propter Fulviam Siſenniam matrem ſuam, quæ poſt mortem prioris viri, ibi nupta erat.*

Ligus ora.] Liguria Italiæ pars in longum protenſa versùs Meridiem à Narbonenſi Gallia ad Thuſciam, ſecundùm maris littus. Hodie, *Ora Genuenſis*, à Genua civitate principe nuncupata.

7 *Intepet.*] Sive ob ſitum inter montes, ſive ob agitationem vicini maris, quæ quidem major hyberno tempore. Cic. Lib. 2. de Natura Deorum, n. 26. *Maria agitata ventis ita tepeſcunt, ut intelligi facilè poſſit in tan-*

Digitized by Google

Dant

Dant ſcopuli, & multâ littus ſe valle receptat,
Lunaï portum eſt operæ cognoſcere, cives.
Cor jubet hoc Enni poſtquam deſtertuit eſſe
Mœonides Quintus pavone ex Pythagoreo.

& ora ſeſe colligit multiplici convallè. O cives, juvat noſſe portum Lunæ. Enni cor id præcipit, poſteaquam deſiit ſomniare ſe eſſe Mæonidem Quintum ex pavone Pythagoræ.

ANNOTATIONES.

tis illis humoribus incluſum eſſe calorem: nec enim ille externus & adventitius habendus eſt tepor, ſed ex intimis maris partibus agitatione excitatus; quod noſtris quoque corporibus contingit, cum motu atque agitatione recaleſcunt.

Hybernatque mare.] Ut fieri ſolet hyeme, concitatur, Horat. Lib. 2. Sat. 2. *Defendens piſces hyemat mare*, Veteres Gloſſæ, id eſt, *ſævit, vel a navigiis vacat. Sicut enim naves hybernare dicimus; ſic & mare cum non navigatur.* Apud Vegetium Lib. 4. dicuntur claudi maria ab Idibus Novembris ad Idus Martias, aut circiter.

Meum mare.] Id eſt, patrium, ſeu Etruſcum mare, quippe cùm oriundus eſſet Perſius Volaterris oppido Hetruriæ.

Qua latus ingens dant ſcopuli.] Loci deſcriptio. Scilicet prominent in mare ſcopuli ſeu rupes multiplices, & montes excelſi Lunæ portum circumcludentes. Strabo, Lib. 5. Sic Virgil. Æneid. 9.

——— ——— Quà ſe ſubducere colles
Incipiunt, &c.

8 *Multâ littus ſe valle receptat.*] Ubi ſinum fecit natura, & deflexum littus in formam Lunæ curvatur; nomenque inde datum. Porro Lunæ portus, ut ait Strabo, loco citato, amplus valde & capax, multos intra ſe portus amplectitur magnæ profunditatis univerſos, adeo ut omnium qui maris teneant imperium, facilè fieret receptaculum.

Lunai portum.] *Lunaï* per diæreſim, pro *Lunæ*. Sic Virgil. *aquaï, aulaï, pictaï*; & alii diphthongum ſolventes. *Luna* urbe Hetruriæ antiquiſſima, in Liguriæ confinio, ad oſtia Macræ fluvii: cui in Epiſcopali dignitate modo ſucceſſit Sarzana, quæ nova Luna dici poteſt. Lunæ vero portus certe maximus, ſeu verius ſinus Liguriæ, inter portum Veneris & portum Erycis, ambitu viginta millia paſſuum patens: hodie, *Golfe della Spezzia*, ſic denominatus ab oppido Spetia, quod ſitum eſt in intimo receſſu. Ferrar. celſis undique montibus circumcingitur, qui proſpectum longè pelagi præbeant: nam & Sardiniæ & magna utriuſque littoris pars cernitur. Strabo. *Primum oppidum Hetruriæ, Luna, portu nobile.* Plin. 3. cap. 5. & Lib. 14. cap. 6. ait Lunenſia vina palmam ferre inter Hetruſca. Celebratur etiam Lunenſe marmor, Lib. 36.

Eſt operæ, &c.] Supple, *pretium*: id eſt utile & jucundum eſt tam amœnum portûs Lunæ ſitum cognoſcere, ejuſque deſcriptionem petere ex Ennio, quam in Annal. ſic incipit.

Eſt operæ pretium, ô cives, cognoſcere portum
Lunæ.

10 *Cor jubet hoc Enni.*] Id eſt, hoc nobis imperat Ennius vir cordatus & ſapiens. Nam cor vitæ fons & radix ponitur etiam pro mente & ſapientia. Porro verſum hunc ad ſuum carmen de Ennii carminibus tranſlatum à Perſio notant veteres Gloſſæ.

Enni.] *Ennius* Epicus Poëta inter Latinos poſt Liv. Adronicum vetuſtiſſimus, Annales Populi Romani ſcripſit, & alia quædam, quorum fragmenta duntaxat ſuperſunt. In Ennio elucebat ingenium acre, eruditio multiplex, cultus, modeſtia, comitas, probitas, fides, &c. Et cùm triplicem linguam calleret, Græcam, Oſcam, Latinam, dicere ſolitus erat, tria ſe corda habere. Crinitus, Gellius Lib. 17. cap. 17. Cic. Tuſc. Quæſt. 1. num. 34. Epitaphium Ennii ab ipſo ſcriptum refert:

Aſpicite, ô cives, ſenis Enni imagini' formam.
Hic veſtrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Velito vivu' per ora virum.

Horat. Lib. 2. Epiſt. 1.

Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quò promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea.

Poſtquam deſtertuit, &c.] Tum hoc jubet, cum ſapit maximè, & cùm vere eſt *Quintus* Ennius, nec jam ſomniat eſſe ſe Homerum, ſeu habere ſe animam Homeri. Vel ut ait Marcilius, Perſii mens eſt: poſtquam Annalium initio Ennius narravit ſomnium ſuum de apparente ſibi Homero, & affirmante ſuam olim animam jam Ennii eſſe, &c. tum portûs Lunæ deſcriptionem aggreſſus jubet attendere, hoc verſiculo *eſt operæ pretium*, &c. ut ſupra, Huc pertinet quod in Prologo ſcripſit Perſius, v. 2.

11 *Mœonides.*] Ita dictus Homerus vel à Mœonia patria, vel quod eſſet Mœonis filius.

Quintus.] Ennii prænomen eſt, quicquid nugati ſint aliqui de quinta ab Homero metempſychoſi. Turn. Lib. 30 cap. 7. Caſaub. & alii.

Pavone ex Pythagoreo.] Id eſt, Poſtquam En-

Digitized by Google

Ego Perſius *iſtic* dego *non anxius* ſermonum *plebis* ; *&* *parum ſollicitus quid Notus gregibus noxius apportet* mali : *& quod iſte angulus vicini* mei *ſit fertilior noſtro : ac ſi tandem quilibet deteriorum filii divites fiant : ſemper rennam propterea frangi ſenectute incurvatus, vel capere cœnam abſque* cibo *pingui, & naribus contingere ſignaculum in lagena corrupta.*

Hîc ego ſecurus vulgi ; & quid præparet Auſter
Infelix pecori ; ſecurus & angulus ille
Vicini noſtro quia pinguior : & ſi adeò omnes
Diteſcant orti pejoribus : uſque recuſem
Curvus ob id minui ſenio, aut cœnare ſine uncto,
Et ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagena.

ANNOTATIONES.

nius fingere deſiit immigrâſſe in ſe animam Homeri, à quo illa in pavonem, ac inde in Pythagoram ; poſteà verò in Ennium tranſiiſſet. Diog. Laërt. Lib. 8. ait, Pythagoram dicere ſolitum, animam ſuam primùm fuiſſe Æthalidis, qui Mercurii filius habitus eſt, ab Æthalide in Euphorbum, ab hoc in Hermothimum, pòſt in Pyrrhum Delium piſcatorem, denique in Pythagoram tranſmigrâſſe.

Ovid. Metamorphoſ. 15. Fab. 3. Pythagoram ita loquentem inducit.

Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoïdes Euphorbus eram, &c.

Perſius hîc deridet aniles illas opiniones de metempſychoſi Pythagorica. Quod & fecit Tertul. Lib. de Anim. cap. 24. & ſeq. cap. vero 33. ſic habet : *pavum ſe meminit Homerus Ennio ſomniante : ſed Poetis nec vigilantibus credam, &c.* Et cap. 34. *In pavone tunderetur Homerus, ſicut in Pythagora Euphorbus.* Idem Tertullianus, Lib. de Reſurrect. carnis, cap. 1. num. 7. *ut in Pythagora Euphorbus, Homerus in pavum recenſeantur.* Pariter S. Hieron. Apol. 3. adverſùs Ruffinum, paulo ante finem. Et Lactantius Firmianus, Lib. 3. cap. 18. & Lib. 7. cap. 23. ubi ſic ait : *Pythagoras tranſire animas in nova corpora diſputavit, ſed ineptè ——— & ſeipſum ex Euphorbo fuiſſe reparatum.*

12 *Hic ego.*] In portu Lunæ verſor, ut jam dictum *Securus vulgi*, parùm curans rumores populares ; procul à vulgari ſtrepitu, & ambitione.

Et quid præparet Auſter.] Quid morborum ac mali gregibus & ſegetibus creet & gignat ventus Meridianus, eo quod naturæ calidæ eſt & humidæ, ut ait Plinius.

Hinc & Virgil. Georg. 1.

Arboribuſque ſatiſque Notus pecorique ſiniſter.

13 *Angulus ille vicini noſtro quia pinguior.*] Non invidens vicino meo quod agrum habeat noſtro pinguiorem.

Horat. Lib. 2. Sat. 6.

——— ——— ——— *O ſi angulus ille*
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.

15 *Diteſcant orti pejoribus.*] Neque pariter accuſo Deos, eo quod locupletari videam homines infimæ ſortis, improbos, ipſoſque ſervos ac libertos, quos ad ſummas opes evehit Nero. Parum & id me ſollicitat.

Horat. Lib. 1. Epiſt. 6.

Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mucius, indignum quod ſit pejoribus ortus.

Uſque recuſem, &c.] Propter hæc omnia quæ dixi, quæque ſolent invidos, & avaros torquere, nolim ego ſordidam agere vitam, & ditari.

16 *Curvus.*] Humi reſpiciens præ triſtitia, & dolore.

Minui ſenio.] Senectutis incommoda accelerare per ſuſceptos lucri causâ labores ; vel præ invidia, meipſum diſcrucians, & animum curis exercens.

Ovid. 1. de Ponto, Eleg. 5.

Jam vigor, & quaſſo languent in corpore vires.

Confiteor facere hoc annos, ſed & altera cauſa eſt,
Anxietas animi, continuuſque labor.

Sine uncto.] Sine lautitiis, quaſi vero avarorum more oleribus veſci velim & defraudare genium, ut divitias hæredibus accumulem. Horat. ad Piſones.

Si vero eſt unctum rectè qui ponere poſſit.

17 *Et ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagena.*] Vinum vappeſcens bibere : & admotis ad lagenam oculis, ipſoque proinde naſo obſervare diligenter numquid ſervus forte reſignarit appoſitum ex more ſignaculum, atque inde furtim hauſerit.

Undè Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

——— ——— *Poſſet qui ignoſcere ſervis,*
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ.

Non ſolum vaſa vinaria ſignabant Romani, ſed & penu, ac vilia quævis obſonia, ad arcendas rapaces manus ſervorum. Plin.

Plaut. in Perſa, Scen. 6.

Nam id demum lepidum eſt triparcos homines vetulos, avidos, aridos.

Diſcrepet his alius. Geminos, Horoſcope, varo
Producis genio. Solis natalibus eſt qui
Tingat olus ſiccum muriâ vafer in calice emptâ,
Ipſe ſacrum irrorans patinæ piper. Hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar : 22
Nec rhombos ideò libertis ponere lautus,

Alter iſtis diſſentiat. O Horoſcope profers gemellos ingenio diſſimili. Unus *eſt qui* die *nativitatis tantum herbas aridas ſalſugine coëmptâ callidus in vaſculo intingat, ipſe inſpergens catino piper ſacratum. Ille* verò *juvenis magno animo ingentes facultates dentibus conſumit. Ego* meis *utar, utar* inquam : *neq; propterea prodigus* ero *apponere rhombos libertis,*

ANNOTATIONES.

Benè admordere, qui ſalinum ſervo obſignant cum ſale.

Et Tullius Lib. 16. Epiſt. 26. ad Tironem ſic habet : *Sicut olim matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe, quæ furtim eſſent exſiccatæ.*

Naſo tetigiſſe.] Forte ſolebant avari olfactu explorare, num corrumpi jam inciperet vinum quod diu ſervabant, & parce admodùm bibebant. Utrovis modo accipias, ſordes & avaritiam notat Perſius.

18 *Diſcrepet his alius.*] Etiamſi longè alia erit aliis mens & vivendi ratio, non mirabor : ſiquidem & gemini fratres ſæpè diſcrepant moribus.

Horoſcope.] Aſtrum natale, ſeu nativitati præſidens, è cujus ſpectatione Aſtrologi judiciarii divinant quid homini ſit eventurum in vita.

Varo producis genio.] *Varo*, id eſt, vario ac diſſimili. Vide Sat. 4. v. 12. ad hæc verba : *Fallit pede regula varo.* Quicquid verò Aſtronomi garriant, etiam ſub eadem ſtella natis diſſimilia contingere nonnunquam, certum eſt. Sic narrat Lampridius Commodum & Antoninum, Marci Imperatoris filios geminos, nihil ſimile in vita habuiſſe, quibus tamen paria omnia promiſerant Mathematici.

Horat. Lib. 2. Sat. 1.

Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

Vide A. Gellium, Lib. 14. cap. 1. ubi Genethliaci egregie impugnantur.

19 *Solis natalibus eſt qui,* &c.] Horum geminorum fratrum alter parcus & tenax erit, & in ſua parſimonia ſolers & vafer : & vix aliquid ſibi indulgebit in feſtis duntaxat, v. g. natalibus, quibus genio litari mos erat, & epulis operam dare.

Natalibus.] Vel urbis, vel Imperatorum, de quibus Ovid. in Faſtis.

20 *Tingat olus ſiccum muriâ.*] Leviter imbuat olera & herbas aliquo condimento.

Muria empta.] Salſamento quod tunc emit, nec, ut alii, habet in penu : quia delicias illas & cupedias raro adhibet. Fiebat muria è thynnorum tabe, & pauperum erat & avarorum duntaxat. At garum è ſcombro delicatorum erat ac divitum. Vide Plin. Lib. 31. cap. 8. Hinc Martial. Lib. 13. Epigram. 103. de Muria.

Antipolitani, fateor, ſum filia thynni :
Eſſem ſi ſcombri, non tibi miſſa forem.

Vafer in calice.] Etiam callidus ad genium tunc defraudandum, quippe nonniſi in vaſculo muriam coëmit & comparat, unde & intincta olera ſicca remanent, ſaltem parte ſui maximâ.

21 *Ipſe ſacrum irrorans,* &c.] Cibis aſpergens modicum piper, cui parcit etiam velut rei ſacræ. Ipſe verò aſpergit, ne ſervus aut coquus pluſculum impendat.

Horat. Lib. 1. Sat. 1.

——— ——— ——— *Congeſtis undique ſaccis*
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris.

Et Lib. 2. Sat. 3.

Qui nummos, aurumque recondit, neſcius uti
Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum.

Hic bona dente, &c.] Alter autem geminorum prodigus, opes abligurit & dilapidat in conviviis & luxu, &c.

22 *Magnanimus.*] Valdè ſe generoſum velut oſtentans, dum profundit patrimonium in malos etiam uſus.

Peragit.] Id eſt, conficit, atterit, diſperdit.

Utar ego, utar.] Ego Perſius nec effundere velim malè bona mea, nec ſordide iis parcere : ſed utar iis quæ uſui tantùm eſſe conſecrata, Græci proprio nomine χρήματα appellando, benè admodùm oſtendunt. Sanct. Aug. magnum in eo malum docet, ſi *utare fruendis, aut fruaris utendis.*

Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

Utar, & ex modico, quantum res poſcet, acervo
Tollam.

23 *Nec rhombos ideò.*] Nolim eſſe adeò in menſa ſplendidus, ut libertini generis hominibus, ſervis in libertatem aſſertis, aliiſve infimæ ſortis, opipara ſtruam convivia.

Rhombos.] Sunt piſces exquiſiti ſaporis & magni apud Romanos pretii, dicti à rotunda quaſi figura ; habent enim dextrum latus reſupinatum, ut ait Plin. Lib. 9. cap. 20. Vide

neq; peritus dignoſcere ſubtilem turdorum ſaporem. Veſcere uſq; ad tuam meſſem, & mole horrea, licet. Quid timeas? Glebas comminue. Secunda etiam ſeges herbeſcit. Sed revocat me *officium.* Ecce *familiaris egenus prenſat Bruttios ſcopulos, fractâ navi: & perdidit omnia bona, & preces non exauditas: ipſe* verò *proſtratus eſt in ora* maris *Ionii, ſimul magni*

Nec tenuem ſolers turdarum noſſe ſalivam,
Meſſe tenus propriâ vive: & granaria (fas eſt,)
Emole. Quid metuas? Occa. Et ſeges altera in herba eſt.
Aſt vocat officium. Trabe ruptâ, Bruttia ſaxa
Prendit amicus inops: remque omnem, ſurdaque vota
Condidit: Ionio jacet ipſe in littore, & unà

ANNTATIONES.

Juvenal. Sat. 4. v. 39. & Sat. 11. v. 121. ibique annotata.

Horat. Lib. 1. Sat. 2.

Num eſuriens faſtidis omnia, præter
Pavonem rhombumque?

Et Lib. 2. Sat. 2.

Quid? Tum rhombos minùs æquor alebat?
Tutus erat rhombus.

24 *Nec tenuem ſolers turdarum nôſſe ſalivam.*] Nolim quoque palati eſſe ſupra modum delicati, ut diſcernam turdorum ſaporem, dignoſcens matres à fœminis; ſylveſtres ab iis qui ſunt in aviario educati, cellarios à terrariis, paſtos junipero ab aliis: quod nôrunt *avidam gulæ dediti, tanta ſubtilitatis palatum habentes ut dignoſcant turdos.* Vetus Scholiaſtes: qui & addit; *turdarum dixit abuſivè pro turdorum.* Ut Horatius ponit:

Pene macros, arſit, dum turdos verſat in igni.

Turdarum.] *Turdi* inter volatilia celebrantur. Plin. Lib. 10. cap. 24. Athenæus, Lib. 2. cap. 4. ex Ariſtotele tria recenſet turdorum genera.

Horat. Lib. 1. Epiſt. 15.

Obeſo nil melius turdo:

Martial. Lib. 4. Epigram 92.

Inter aves turdus, ſi quis me judice certet:
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Salivam.] Quia ſapor ſalivam ciet, hinc pro ſapore ſaliva ponitur. Docent Varro Lib. 8. de Ling. Lat. Plin. Lib. 23. Propert. Lib. 4. Eleg. 9.

25 *Meſſe tenus propriâ vive.*] Quantum ex agris uno anno colligis, tantundem impende tibi & aliis: nihilque reſerva in ſequentem annum.

Granaria emole.] Grana prioris anni mole: utere quantum ſatis erit tibi ac familiæ tuæ; reliquum verò largire indigentibus. *Fas eſt*: æquum eſt & decet ſic te agere divinæ providentiæ confidentem.

26 *Quid metuas?*] An dubitabis hornâ meſſe uti & inſumere congeſtas in granario fruges, cùm aliæ creſcant? Scilicet metuis perire fame?

Occa.] Ligone frange glebas majores; quod faciunt poſt ſationem agricolæ. Hinc verò ſignificari videtur, jam utendum eſſe granis præteritâ meſſe collectis, & de his liberaliter largiendum. Caſaubonus exiſtimat poni ſimpliciter, pro *labora.*

Seges altera in herba eſt.] Meſſis altera jam præparatur, undè novis granis horrea rursùm impleas.

27 *Aſt vocat officium.*] Proſopopœia avari ſeſe excuſantis: verùm enimverò, inquit, non ita fas eſt annuum proventum ſingulis annis totum conſumere, nihilque ſepoſitum reſervare. Nam ſi id fiat quod mones, undè, quæſo, ſuppetet quo ſubveniatur calamitatibus amicorum & morbis aliiſve malis derepentè ingruentibus? Certè officii ratio tibi parere vetat. Hæc avarus.

Trabe ruptâ, Bruttia ſaxa, &c.] Reponit Perſius: quin igitur age, & protinùs quod dixiſti exequere. Familiari naufrago ad Scyllam ſcopulum, rerumque omnium egenti opem fer. Vel continuatio eſt ſermonis avari prætextum hunc afferentis, ad quem reſpondebit mox Poëta: *Nunc & de ceſpite vivo frange aliquid; largire inopi, &c.*

Bruttia.] Bruttii Italiæ populi, in tertia regione, Lucanis, ut ait Strabo, contermini: ad littus inferi maris, non procul Sicilia, in Calabria nimirùm Citeriori.

28 *Prendit amicus inops.*] En amicus *trabe rupta,* illiſâ navi, poſt naufragium enatans evadit in littora Bruttiorum.

Virgil. Æneid. 6.

Prenſantemque uncis manibus capita aſpera montis.

Surdaque vota.] Vota quibus ſurdi fuerunt Dii Marini, & inexorabiles, in mari perdita *condidit*: ſicut in penu condita non apparent.

29 *Ionio.*] *Ionium* mare eſt ad fauces Adriatici maris, Siciliam inter & Cretam: nominatum ſeu ab Ionio Dyrrachii filio, quem in illud Hercules dejecit: ſeu ab Ionum naufragio: ſeu, ut vult Solinus, ab Ionia extremæ Italiæ regiunculâ.

Jacet ipſe in littore.] Elegans hypotypoſis.

Ingentes

Ingentes de puppe Dei: jamq; obvia mergis
Coſta ratis laceræ. Nunc & de ceſpite vivo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. Sed cœnam funeris hæres

Dii de puppe: & modò latus navis fracta occurrit mergis. Huic igitur *rumpe ſtatim quidpiam de glebis etiam immaturis: dona indigenti, ne vagetur depictus in tabella coloris marini. At hæres*

ANNOTATIONES.

30 *Ingentes de puppe Dei.*] Simul cum eo jacent Dii navis tutelares ablati de puppe, ubi ſacrarium habebant, & ad quos in periculis nautæ vota nuncupant. Horum ille ſimulacra ingentia ſecum eripuit è naufragio, & magno labore abſtulit vir religioſus & pius, cui proinde juſtum eſt opitulari. Virgil.

Aurato fulgebat Apolline puppis,
Arma Deoſque parant comites.

Horat. Lib. 1. Od. 14.

Non tibi ſunt integra lintea;
Non Dii, quos iterum preſſa voces malo.

Jamque obvia mergis.] Jamque navis diffractæ tigna, & trabes ſuper mare fluitantia, obvia feruntur marinis avibus ad ea advolantibus, ut inde prædam captent.

Mergis.] *Mergus* eſt aquatica volucris, ab immergendo frequenter ſeſe nuncupata. De ea Plinius, Lib. 10. cap. 32. & alibi.

31 *Coſta ratis laceræ.*] Ligna quibus latera navis intexuntur.

Virgil. Æneid. 2.

Sectâque intexunt abiete coſtas.

Ponitur & *coſta*, pro rei parte quâlibet, ut Sat. 1. Perſ.

Coſtam longo ſubduximus Apennino.

Nunc & de ceſpite vivo, &c.] Quid ergo moraris, inquit Poeta ad avarum, dum in talibus anguſtiis eſt animus inops? Huic non modò debes opitulari de annuo proventu & de ſuperfluo, ſed etiam de ipſis fundis, quibus nec fas eſt parcere ad ſublevandam tantam ejus neceſſitatem & miſeriam.

Ceſpite.] *Ceſpes* eſt terra cum gramine, *ceſpes vivus* hîc, eſt ſeges ipſa adhuc in herba, & viridis.

32 *Frange aliquid.*] Detrahe, deme, ſepara quidpiam de tuo, quod egeno impertiaris.

Ne pictus oberret.] Ne cogatur mendicando victum quæritare, ſui naufragii exhibens imaginem, ex more naufragorum, de quo Sat. 1. v. 90. Item Horat. Lib. 1. Od. 5.

Et ad Piſones,

——— *Si fractus enatat exſpes*
Navibus ære dato qui pingitur.

Et Juvenal. Sat. 14. v. 301.

——— *Merſâ rate naufragus aſſem*
Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur.

33 *Cærulea in tabula.*] Tabellâ in qua mare cæruleum coloribus adumbratum eſt.

Sed cœnam funeris hæres negliget.] Reſpondet avarus: at enim ſi ita patrimonium effundo, iratus hæres ob imminutam hæreditatem mortuo mihi juſta non perſolvet, ſumptus omittet & apparatus funebres. De his fusè Alex. ab Alex. Lib. 3. cap. 7. Porrò ea quorumdam erat ambitio, maxime illorum qui inglorii vixerant, ut optarent magnificum ſibi funus duci & parari; imprimis autem ferales epulas & novendiales inſtrui, eò quòd in his mos erat celebrare defuncti laudes. Caſaub.

Cœnam funeris.] Tobiæ cap. 4. v. 17. ſic legitur: *Effunde cibos tuos in monumentum juſtorum, neque des peccatoribus.* Quo quidem Tobias filium docet hoſpitalitatem & eleemoſynas in egenos exercendas: neque ſuperſtitionem Ethnicorum tueri poteſt ille locus. Enimverò apud eos cœna fuit multiplex & varia in funeribus. 1. Imponebantur rogo epulæ, & cum cadavere cremabantur.

Virgil. Æneid. 6.

——— ——— *Congeſta cremantur*
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivo.

Apuleius Florid. 4. vel potiùs 19. *Exclamavit vivere hominem, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem à tumulo ad menſam inferrent.* 2. Funebris erat cœna, cujus meminit Tullius 2. de Leg. n. 63. hæc nimirùm dabatur amicis & propinquis, poſt exequias, maximè verò ſenibus & ætate provectis, inquit Alex. ab Alex. loco mox citato: ut per vini cibique lenimen deſiderium defuncti levaretur. 3. Ad ſepulcrum cœna deponebatur, de qua Juvenal. Sat. 5. v. 85.

Ponitur exigua feralis cœna patellâ.

Et hæc vocabatur ſilicernium, ſeu quòd eam Umbræ ſilentes cernerent, ſeu quòd ex ea non guſtarent. Sanctus Auguſtinus Serm. 15. de Sanctis, eò reſpexit cum aiebat: *Miror cur apud quoſdam infideles tam pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſa de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantum requirit, ſpiritus autem & anima his non indigent: parare aliquis ſuis charis dicit, quod ipſe devorat, & quod præſtat ventri.*

Digitized by Google

Negliget iratus, quòd rem curtaveris: urnæ
Oſſa inodora dabit; ſeu ſpirent cinnama ſurdum,
Seu ceraſo peccent caſiæ neſcire paratus. 36
Tunc bona incolumis minuas? Et Beſtius urget

offenſus quòd bona diminueris, prætermittet epulum funebre, & in urnam condet oſſa tua *ſine odoribus, facilis ignorare ſive cinnamomum omittat odorem obtuſum, ſive caſia ceraſo* admixto *vitiata ſit.* Itane verò *tu valèns decurtes rem?* Inquiet. *Et Beſtius inſectatur*

ANNOTATIONES.

imputat pietati. Superſtitioſi hujuſce ritûs reſtat adhuc nonnihil in Occitania & aliis quibuſdam Galliæ partibus, ubi primâ die Novembris ad veſperam inſtruitur menſa vino, pane, cibo, ad animas defunctorum quaſi paſcendas aut honorandas, & ad poſterum mane ſic inſtructa relinquitur. Plin. Lib. 10. cap. item. 10. (mirandum) narrat milvos, rapaces licet, & *famelicam ſemper alitem nihil eſculenti rapere unquam è funerum ferculis.* 4. Epulum erat novendiale, & circumpotatio, Græcis, *περίδειπνον*, Athen. Lib. 8. cap. 7. & tunc jactabantur defuncti præconia, non ſine ambitioſis adulationibus. Hinc Græcum Proverbium: *οὐκ ἂν ἐπαινεθείης, οὐδ᾽ ἐν περιδείπνοις*, de homine prorsùs illaudabili, in quo nihil eſt quod laudetur etiam in illis circumpotationibus, quæ ad ejus honorem poſt mortem inſtituuntur, & in cœna illa funebri, quæ tota ambitioſa eſt.

34 *Quod rem curtaveris.*] Quòd tantùm de ſperatis bonis detractum ſit.
Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.

——— Nec metuam quid de me judicet hæres,
Quod non plura datis invenerit.

Urna.] Cineres defunctorum urnæ immiſſos in ſepulcro ſolitos condi, nemini non compertum.

35 *Oſſa inodora.*] Legunt aliqui, *inhonora*, ſeque Gloſſa veteri tuentur, verùm repugnat textus ſequens.

Oſſa inodora dabit.] Sine ullis aromatibus, aut vilia duntaxat unguenta adhibebit. De his vide Plin. Lib. 13. cap. 1, 2, 3.
Juvenal. Sat. 4. v. 108.

Et matutino ſudans Criſpinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera.

Obſervandum duplicem fuiſſe in funeribus odores fundendi rationem. Primo flores, coronas, odores ſpargebant in lectum feralem, inque ipſum buſtum; teſtantur Dion. Halicarn. Lib. 2. & alii.
Propertius Lib. 4. Eleg. 7.

Cur nardo flamma non oluere mea?

Deinde cremato cadavere, fiebat oſſilegium, & rursùm odoribus, vino, lacte, oſſa collecta ab amicis rigabantur & à propinquis. Tibull. Lib. 3. Eleg. 2. id innuit apertè. Demum conditis in ſepulcra oſſibus quotannis odores & corollas imponebant. Sanctus Hieronymus Epiſt. ad Sammachium ſic habet: *Cæteri mariti ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas lilia, floreſque purpureos; & dolorem pectoris ſui his officiis conſolantur.*

Seu ſpirent cinnama ſurdum.] Hæres offenſus parùm curabit an aromata exquiſita ſint, utrùm odorem fundant acutum an obtuſum. Vide Plin. Lib. 12. cap. 19. ubi inter alia ſcitu digna, ſic habet: *Cinnamomum, idemque cinnamum, naſcitur in Æthiopia — Frutex duum cubitorum altitudine ampliſſimus, palmique minimus, quatuor digitos craſſus, ——— Cinnami duo genera, candidius, nigriuſque —— Coronas è cinnamo interraſſili auro incluſas primus omnium in Templis Capitolii atque Pacis dicavit Imperator Veſpaſianus Auguſtus. Radicem ejus magni ponderis vidimus in Palatii Templo quod fecerat Divo Auguſto conjux Auguſta aurea patera impoſitam; ex qua gutta edita annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrium incendio conſumptum eſt.*

Surdum.] Dura quidem hæc Perſii metaphora, durior tamen Horatii, quem imitatus eſt Lib. 2. Sat. 8.

Fervida quod ſubtile exſurdant vina palatum.

36 *Ceu ceraſo peccent caſiæ.*] Neque ſollicitus erit purane ſit caſia, an adulterata, admixto gummi, vel cortice è ceraſo. Plin. Lib. 12. cap. 9. *Adulteratur amygdalâ nuce, cætera ejus genera cortice ſcordaſti: ita vocatur æmula gummi: quod ſemel dixiſſe & in cæteros odores ſatis ſit.*
Perſ. Sat. 2. v. 64.

Corrupto caſiam diſſolvit olivo.

Ceraſo.] Plin. Lib. 15. cap. 25. *Ceraſi*, inquit, *ante victoriam Mithridaticam L. Luculli, non fuere in Italia ad urbis annum* 680. *Is primum vexit è Ponto, anniſque* 120. *trans Oceanum in Britanniam uſque pervenere. Eadem in Ægypto, nullâ curâ potuere gigni, &c.*

Caſia.] Plin. Lib. 12. cap. 19. antè cit. *Frutex eſt caſia*, inquit, *juxtaque cinnami campos naſcitur, &c.*

Neſcire paratus.] Id eſt, non admodùm animadvertens, vel diſſimulans, præ negligentia, ira, offenſione.

37 *Tunc bona incolumis minuas?*] Pergit avarus: itane verò cùm vigeas & valeas, nullaque ægritudine, aut calamitate coactus, profundes & diſperdes bona, quæ ad me hæreditario jure pertinent? inquiet mihi hæres meus.

Digitized by Google

Doctores Graios: ita fit, poſtquam ſapere urbi
Cum pipere & palmis venit noſtrum hoc maris expers,
Fœniſecæ craſſo vitiârunt unguine pultes.
Hæc cinere ulterior metuas? At tu meus hæres
Quiſquis eris, paulùm à turba ſeductior, audi.

præceptores Græcos: ſic agitur, ex quo noſtra hæc ſapientia carens maſculo robore *advenit* in *civitatem, cum pipere & palmis, ſectores fœni infecerunt pultes uncturâ pingui. An iſta formides* cùm eris *ultra cineres? Tu verò quicunque futurus es meus hæres, tantiſper remotus à plebe, auſculta.*

ANNOTATIONES.

Et Beſtius urget.] Alii legunt, *Sed Beſtius*, &c.

Beſtius.] Nomen imperiti & bruti hominis, de quo Horatius Lib. 1. Epiſt. 5. ubi nonnulli tamen legunt, *Manius*. Doctiores tamen ex vetuſtis codicibus legunt, *Beſtius*, quem Horatius ut voracem & helluonem exhibet.

Beſtius urget Doctores Graios.] Hæredipeta ille avidus accuſat Philoſophos, qui liberalitatem & munificentiam commendantes ac ſuadentes, in cauſa ſunt cur minora hæredibus relinquantur.

38 *Doctores Graios.*] Græcos poni pro Philoſophis jam diximus Sat. 1. & 5. verſu ultimo. Hic verò cum aliis quibuſdam intelligo Romanos Græcam Philoſophiam ſectantes.

Ita fit, poſtquam, &c.] Sic vivitur lautè, & in epulis ac munificentia opes conſumuntur, ex quo Græca ſapientia Romam venit cum mercibus peregrinis & tranſmarinis. O morem novum juxtà ac perniciosum! inquit ille Beſtius. Vide Lactant. Lib. 3. 16. ubi ſapientiam quaſi nuper advectam cum saporis mercibus proponit, citatque locum hunc Perſii, item Senecæ verba hæc; *Nondum ſunt mille anni, ex quo initia ſapientiæ nata ſunt.*

Et Lucretium canentem,

Denique natura hac rerum, ratioq; reperta eſt
Nuper, & hanc primùm cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum in patrias qui poſſum vertere voces

Sapere.] Sic Satir. 1. *Noſtrum illud vivere triſtè.*

Urbi.] Per antonomaſiam, pro Roma.

39 *Cum pipere & palmis venit.*] Vide Perſ. Sat. 5. v. 136, & Plin. Lib. 15. cap. 29. ubi ait antequam piper reperiretur, baccas in uſu fuiſſe, illiuſque vicem obtinuiſſe. *Palmis* ſeu arboribus, ſeu earum fructibus, qui dactyli vocantur. Vide Plin. Lib. 13. cap. 4.

Juvenal. Sat. 3. v. 83.

Advectus Romam quo pruna & coctona vento.

Noſtrum hoc maris expers.] Locus etiamnùm obſcurus, necdum ſatis explicatus, poſt tot doctorum Interpretum lucubrationes. Quidam ſic intelligunt; noſtra, id eſt, Romanorum Philoſophia Græcis invecta, *maris expers*, id eſt, ſalis, ſeu ſine ſale, hoc eſt, & inſulſa & corrupta. Caſaubonus tamen explicat, *maris expers*, id eſt, maſculæ virtutis majorum noſtrorum expers. Aliis, *maris expers*, eſt quæ mare non tranſierit, ſed minimè placet.

40 *Fœniſecæ craſſo vitiârunt unguine pultes.*] Ex eo tempore adeo ſunt omnia depravata, ut viliores quique ruſtici, quales ſunt qui fœnum ſecant, lautitias quæſiverint. Hinc ciborum ſimplicitatem additis condimentis *vitiârunt*, & quaſi violârunt, atque admiſcere pulti cœperunt adipem, antè ſimplicioribus contenti cibis.

Juvenal. Sat. 11. v. 79.

Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compede foſſor.

Unguine.] *Unguen*, unctura, condimentum. *Solent ruſtici cum oleum defuerit, pecudum adipe in pultem miſſo pro oleo uti*; inquit vetus Gloſſa.

Pultes.] Cibus erat vetuſtiſſimus è farina & aqua; interdum & ex caſeo, melle, & ovis decoctis. Romanis olim pro pane fuit puls: Plin. Lib. 18. cap. 8. & Valer. Maxim. Lib. 2. cap. 5. Pultis autem paulo diverſæ meminit Athen. Lib. 14. cap. 15, & 16. Caſaubonus ad hoc caput 15. Athen. multa ſuo more profert reconditæ eruditionis, & diſcrimen ponit inter πόλτον Græcorum è farina fabacea tantùm, & Romanorum pultem, quam Græcis ignotam fuiſſe ex Plinio affirmat, & cui multa admiſcebantur.

41 *Hæc cinere ulterior metuas?*] Inſurgit in avarum Poëta: ſcilicet times quæ tibi mortuo ſunt eventura: O ſtultus, qui poſt mortem hæredem metuis.

Horat. loco antè cit.

Nec metuam quid de me judicet hæres, &c.

Virgil. Æneid. 2.

——— *Facilis jactura ſepulchri eſt.*

Cinere.] Cineres dicit, quia cadavera comburebantur, ut antè dictum eſt.

At tu meus hæres.] At ego non metuo hæredis minas, quin illi ipſi occino ſumptus à me faciendos.

42 *Paulum à turba ſeductior.*] Poſtpoſitis & neglectis vulgi opinionibus, ignorantiâ, odio.

Perſ. Sat. 5. 96.

Secretam gannit in aurem.

 O bone

Digitized by Google

O bone, num ignoras? Miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydas Regum, jam lutea gauſapa captis
Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.

O bone vir, *an* illud *neſcis? Imperator miſit laurum ob ſtragem memorandam juventutis Germanicæ: atque jam favilla frigida amovetur* ab *altaribus: & Cæſonia nunc arma nunc paludamenta Imperatorum collocat ad valvas* templorum, *nunc* parat *captivis gauſapa flava & currus, & Rhenanos proceros.*

ANNOTATIONES.

43 *O bone, num ignoras?*] Adeòne es imperitus rerum, ut ignores quæ publicè jactantur? Neſcis nemini licere non eſſe liberalem in lætitia communi, & jubente munificentiam Imperatore?

Miſſa eſt à Cæſare laurus.] Neſcius Caium Caligulam miſiſſe ad S. P. Q. R. literas lauro coronatas & vinctas (ex more) & triumphum juſſiſſe parari, quòd Germanos debellârit, atque in omnium bona jus ab eo datum ſuis procuratoribus, ut ait Sueton. loco mox citando.

Cæſare.] A Julii Cæſaris temporibus omnes Imperatores Cæſares appellati.

Laurus.] Literæ laureatæ, de quibus ſicut & de lauro victoriæ indice, Plin. lib. 15. cap. 30. Tit. Liv. lib. 5. Ammian. Marcell. lib. 15. Martial. lib. 7. Epigram. 4, 5, 7. & alibi. Mos erat olim, ut quoties inſigni victoriâ Conſules potiti eſſent, ob res proſpere geſtas, laureatis faſcibus prælatis incederent. Literas etiam laureatas Romam mitti, aut nuncios cum jaculis laureatis advenire, navemque laureatam aut vittatam felicis victoriæ nuncium eſſe, ac læta & magna ſignificare, animadverſum eſt Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 7.

44 *Inſignem ob cladem.*] Ironicè, de Germanica una Caligulæ expeditione, in qua nihil dignum laude ab eo geſtum eſt. Vide Sueton. in Caligula, cap. 45. & ſeq. ubi Imperatoris ſtolida ambitio, fictæque victoriæ referuntur.

Germanæ pubis.] Juventutis Germanicæ. Synecd. Porrò Germania ampla eſt Europæ regio ſatis cuique nota: cujus populi quondam Teutones, dehinc Alemanni, poſteà Germani vocati ſunt. Strabo, alii.

Aris frigidus excutitur cinis.] Id eſt, poſtremi ſacrificii reſidui cineres amoventur, novus Ignis, nova ſacra inſtaurantur, ex more; quando enim nunciata erat victoria, ſacra publice fiebant, ad gratias Diis perſolvendas, & pro incolumitate Imperatorum. Teſtantur Dio, Herodianus, & alii.

45 *Poſtibus arma.*] Enumerat omnes triumphi apparatus. Jam templorum valvis ſeu columnis jubet affigi ac ſuſpendi arma hoſtibus detracta, eorumque ſpolia.

Virgil. Æneid. 7.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures, &c.

Horat. Lib. 4. Od. ult.

Et ſigna noſtro reſtituit Jovi
Direpta Parthorum ſuperbis poſtibus.

46 *Chlamydas Regum.*] Paludamenta Imperatorum & Ducum ſubactorum. Veſtis erat militaris, pallio brevior & ſtrictior, cujus uſum Romanis invexit Numa Pompilius (auctore Suidâ) legatione Iſaurorum acceptâ, & formâ habitûs earum animadverſâ, veſtem Regiam cum Senatoria conjungens. De variis veſtium generibus vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

Lutea gauſapa captis.] Veſtes militares villoſas, crocei coloris & ſtramenta quibus in caſtris utuntur milites, è pellibus facta, preparari jubet captivis, quibus illi induti, ex more, in triumpho ducantur. De gauſape vide quæ Martial. Lib. ult. Epigram. 29. & 145. Præterea gauſapa ſive gauſapia, ut eſt apud Priſcian. Lib. 4. ſunt tapetia ſive periſtromata, quibus menſæ teguntur, teſte Scaligero.

Martialis citreas menſas gauſapibus tegi oſtendit, id eſt, tapetibus pretioſis, vel mantilibus: Lib. ult. 1. 7. Epigram. 138.

Nobilius villoſa tegant tibi gauſapa citrum.

Vide Perſ. Sat. 4. v. 37.

47 *Eſſedaque.*] Belgarum & Germanorum Rhenicolarum vehicula, è quibus olim depugnabant, & rotarum ingruentium ſtrepitu, impetuque, hoſtium ordines proterebant aut perturbabant.

Virgil. Georgic. 3.

Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.

Horum & meminit Cæſar Comment. Lib. 4. & 5. de bello Gallico; & alii.

Ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.] Accolas Rheni, grandis ſtaturæ. Suet. Calig. 7. cap. 47. *Galliarum quoque proceriſſimum quemque, ac nonnullos è Principibus legit ac ſepoſuit ad pompam.* Hos omnes triumphi apparatus diſponit Cæſonia per procuratores, vel ipſa; quippe quæ bellis etiam ſeſe immiſcebat: quamque, ut refert Sueton. cap. 15. *Caligula ſæpe chlamyde peltâque, & galeâ ornatam armatamque, & juxta adequitans militibus oſtendabat.*

Cæſonia.] Caligulæ uxor, mulier perditæ libidinis

Diis

Diis igitur, Genioque Ducis centum paria, ob res
Egregiè geſtas, induco: quis vetat? Aude. 49
Væ, niſi connives. Oleum artocreaſque popello
Largior; an prohibes? Dic clarè. Non adeò, inquis:

Ergo propter bella præclarè confecta, eadem centum paria gladiatorum Numinibus, & Genio Principis. An *aliquis prohibet? Audeto* vetare, ô hæres. At *væ* tibi, *ſi non diſſimulas.* Præterea *diſtribuo plebi oleum & artocreas. Num vetas? Eloquere apertè.* Non ita, ais,

ANNOTATIONES.

bidinis & laſciviæ ab Imperatore conſtanter adamata, cui etiam philtrum miſcuiſſe & propinâſſe dicitur. Quod ſcribit Joſephus Antiq. Lib. 19. & Sueton. cap. 50. *Creditur*, inquit, *potionatus à Cæſonia uxore amatorio quidem medicamento, ſed quod in furorem verterit.* vide Juvenal. Sat. 6. v. 610, & 615. ibique annotat.

Rhenos.] *Rhenus* fluvius Europæ celeberrimus Germaniam à Gallia ſeparat, fluit è Rhæticis Alpibus, rigat Alſatiam, Palatinatum, agros Colonienſes, Bataviam.

48 *Diis igitur*, &c.] Ego itaque (ait Perſius ad hæredem) lætitiæ publicæ & Imperatoris voluntati indulgens, non parcam ſumptibus: (nec tu auſis mutire contrà) Ego, inquam, *Diis* victoriæ auſpicibus atque auctoribus; *Genioque Ducis*, id eſt, Imperatoris Caligulæ ſacrificabo, *&c.*

Genioque Ducis.] Per Genium ſui Principis quaſi per Numen jurabant Veteres: ac ſi quis pejerâſſet, pœnas dabat. Undè Tertullianus, *Citius per omnes Deos, quàm per unum Genium Cæſaris pejeratur*, Et Sueton. cap. 27. ait de Caligula, *Multos honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes caveâ coërcuit, aut medios ſerrâ diſſecuit; nec omnes ex gravibus cauſis; verum malè de munere ſuo opinatos, vel quòd nunquam per Genium ſuum dejerâſſent.*

Centum paria, induco.] Duplicem hecatomben explicant aliqui, minùs benè, ut opinor: meliùs alii *centum paria* gladiatorum, quorum ſanguine placentur Dii, & Imperatoris Genius. Horat. Lib. 2. Sat. 3.

Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum.——

Quod ſi cui videtur mirum quòd privatus gladiatorium munus exhibeat, meminerit quod refert Suetonius cap. 47. *Scripſiſſe ad procuratores ſuos Caligulam, ut quàm minimâ ſummâ & impenſâ, triumphum tamen quàm poſſent magnificentiſſimum appararent, & quantus nunquam alius fuiſſet; quando in omnium hominum bona jus haberent.* Ergo, quod vult Caſaubonus ſatis veri ſimile eſt, datâ nempè eâ poteſtate in facultates civium, coactos privatos de ſuo quemque ſumptus & impenſas ad triumphi pompam conferre, & contuliſſe. Quod reſpicit hoc loco Perſius.

Ob res egregiè geſtas.] Ob inſignem Germanorum cladem, & partam feliciter à Caligulâ de hoſtibus victoriam. Ironice, ut ſuprà.

49 *Quis vetat? Aude.*] Num auſis refragari, ô hæres, & deterrere me à conſilio quod cepi?

50 *Væ, niſi connives.*] Impendet tibi malum, ſi fortè non aſſentiaris, aut ſaltem diſſimules: nam vel Imperatorem infenſum & ultorem nanciſcere, vel me iratum, & majores inde ſumptus facientem, ut cupiditatem tuam & avaritiam diſcruciem. Paulò poſt:

—— *Nunc nunc impenſius unge,*
Unge, puer, caules.

Væ.] Formula malè precandi, idem valens ac ſi quis mittatur in malam crucem.

Connives.] Cic. pro Cælio: *Dii immortales cur interdum connivetis in hominum ſceleribus maximis?* Id eſt, clauſis quaſi oculis non videre videmini.

Oleum artocreaſque popello largior.] Populo inſuper epulum & congiarium dabo, ad celebrationem victoriæ. Licèt hoc ſoleat non à privatis ſed ab Imperatoribus fieri. Sueton. Jul. Cæſ. cap. 38. *Epulum ac viſcerationem dedit, & poſt Hiſpanienſem victoriam duo prandia.* Et Domitian. cap. 7. *Congiarium populo ter dedit. atque largiſſimum epulum: Senatui, Equitique panariis, plebi ſportellis cum obſonio diſtributis.*

Artocreas.] Vox è duplici facta, ἄρτος enim *panis*, κρέας *caro*: ſignificat cibum è pane carneque minutatim conciſâ. Alii viſcerationem interpretantur hoc loco.

51 *An prohibes?*] Veraſne iſtam meam largitionem? *Dic clarè:* quid muſſas? Aperi mentem & animi tui ſententiam de me.

Non adeò, inquis, &c.] Non adeò fertilis & opimus eſt fundus tuus, ut hæreditatis tuæ avidus ſim, & vetare velim quin prorſus in largitiones effundas. Vel, non ita dives es ut his ſufficere poſſis. Alii ſenſum ſeparant hoc modo: non adeò tuæ largitioni adverſor; ſuppetit enim, haud procul, mihi ſatis fœcundus ager quo ego contentus ſum, inquit hæres. Sunt qui verbum juris hic accipiant, hoc ſenſu:

Digitized by Google

prope eſt ager ſine oſſibus. Perge, ſi nulla nunc mihi reſidua è patris ſororibus, ſi nulla patrui filia, nulla filia neptis ſuperſtes ſit: ſi patrui matris ſoror vitam egit ſine prole, & de avia nihil reſtat: vade ad *Bovillas & ad Virbii declive.* Ille. *Manius ultro erit mihi hæres.* Scilicet *Terræ filius? Interroga me quiſnam mihi fuit quartus*

Exoſſatus ager juxta eſt. Age, ſi mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet: patrui ſterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum ſupereſt: accedo Bovillas
Clivumque ad Virbî. Præſtò eſt mihi Manius
hæres. 56
Progenies Terræ? Quære ex me, quis mihi
quartus

ANNOTATIONES.

non adeo, neque adire volo hæreditatem tuam. Quo deſignari volunt extraneum eſſe illum Perſii hæredem, non autem neceſſarium & ſuum, ex Inſtituit. Juſtin. lib. 2. tit. 19. Docta quidem & ſubtilis interpretatio, verùm magniſne genuina? Mihi prior ſententia præferatur.

52 *Exoſſatus ager.*] Duplici & contrario ſenſu poteſt accipi, vel exhauſtus & jam ſine ſucco & bonitate: Ita paſſim apud Plautum *exoſſare* ponitur pro enervare, comminuere, debilitare. Vel *ager exoſſatus*, idem eſt ac lapidibus expurgatus, adeòque opimus & benè cultus. Ovid. Metamorphoſ. 1.

— *Lapides in corpore terræ*
Oſſa reor dici.

Juxtà eſt.] Prope urbem in ſuburbano loco ſitus, & hinc pluris æſtimandus.

Age, ſi mihi nulla.] Verba Perſii ad hæredem illum irritatum verbis, & quaſi jam excandeſcentem. Age, inquit, detrecta, & ne adi hæreditatem: Ego certè non reformidem genus illud infamiæ apud Romanos timeri ſolitum, carere ſcilicet hæredibus, qui funus curent, &c. Quòd ſi aliunde non ſuppetant, en præſto eſt Manius hæres; & hic mihi ſufficit.

53 *Jam reliqua ex amitis.*] *Amita* eſt patris ſoror, quaſi patri meo plus amata, inquiunt: ſolent enim ſorores præ fratribus diligi, ſive id ſexus facit, ſive perſonarum diſſimilitudo, quæ minus habet æmulationis & invidiæ.

Patruelis.] *Patrueles* dicuntur è duobus fratribus editi, conſobrini verò qui è duabus ſororibus.

Proneptis.] Eſt nepotis aut neptis filia.

54 *Patrui.*] *Patruus* eſt patris frater: ſicut avunculus frater matris. Porrò notat Caſaubonus in multis vetuſtis codicibus jungi vocem hanc cum ſequentibus, ut patrui matertera ſterilis fuiſſe intelligatur, bono ſenſu quidem, ſic enim etiam remotiſſima cognatio deeſſe ſignificabitur.

Matertera.] Soror matris, quaſi mater altera: *ſterilis*, ſtirpe ac filiis carens.

55 *Deque avia nihilum ſupereſt.*] Si denique aviæ nulla ſtirps, poſteri nulli vivant, adeoque nemo certus mihi propinquus adſit, qui capeſſat hæreditatem, ſcis quid faciam? Obivum quemque hæredem inſtituam, quamvis non aliâ ratione mihi cognatus ſit, quàm quòd è terra uterque progeniti factique ſumus. *Avia* mater eſt patris aut matris.

Bovillas.] Vicus eſt in Appia via ad undecimum ab urbe lapidem, prope quem interfectus à Milone Clodius, cùm rediret ab Aricia non hinc procul ſita, ut ſcribit Aſcon. Pæd. Porrò *Bovilla* quaſi villa bovis dicitur, *eo quòd olim in Albano monte ab ara fugiens taurus jam conſecratus, ibi comprehenſus eſt.* Vetus Schol. Sedes erat frequens mendicis, quia tritum iter.

56 *Clivumque ad Virbi.*] Collis ille quatuor millibus ab urbe diſtans nomen accepit ab Hippolyto, qui ibi colebatur ſub nomine Virbii, ex quo bis vir & bis vivus fuit, id eſt, à Diana revocatus ad vitam, poſtquam diſcerptus fuiſſet, ut notum eſt cuilibet ex Æneid. 7. Ovid. Faſt. 3. & 6. Metamorph. 15. Fab. 45.

Manius.] Ignobilis quilibet & ignotus, mendicus quiſpiam Aricinus, ſimilis Manio illi, qui (ut ait Feſtus) Dianæ agrum & lucum conſecravit. Tritum Romæ Proverbium erat, *Multi Manii Aricia*; quia deinde plures ab illo oriundi illic virtute claruerunt. Quòd autem pauperes & mendici adeſſent in ea regione frequentes, patet ex Juvenale Sat. 4. v. 117.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes;

Et Martial. Lib. 12. Epigram. 32.

Irus tuorum temporum ſequebaris;
Migrare clivum crederes Aricinum.

5 *Progenies Terræ?*] Reſpondet Perſio hæres ille, de quo paulò ſuprà: ſcilicet hæredem inſtitues Terræ filium, *Gigantum fraterculum*, ut ait Juvenalis, Sat. 4. v. 98. hominem ignobilem; ſpurium, cujus ignorantur parentes & proſapia, &c.

Quære ex me, quis, &c.] Quidni? inquit Perſius. Tam Manius erit mihi hæres & propinquus, quàm quipiam remotâ cognatione affinis, de quo perinde dubitare fas mihi ſit, ac de Manio, qui, ut cæteri, mecum ab una origine procreatus, ut dixi, nempè à Terra communi omnium parente, ſaltem eâ ratione conjunctus eſt.

Quis mihi quartus ſit pater.] Quis abavus meus.

Sit

Digitized by Google

Sit pater; haud promptè, dicam tamen. Adde etiam unum,
Unum etiam: Terræ eſt jam filius: & mihi ritu
Manius hic generis propè major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?
Sum tibi Mercurius: venio Deus huc ego, ut ille
Pingitur; an renuis? Vin' tu gaudere relictis?

parens; non facilè dicam, at nihilominus proferam. Adjice vel unicum, imò unicum: jam eſt Terræ progenies: & Manius ille prodit ferè mihi major avunculus ordine ſtirpis. Tu verò *qui anterior es, quare petis a me facem in curſu? Sum tibi velut Mercurius.* Ego tibi *Deus accedo iſthuc, ſicut ille depingitur. An recuſas? Viſne tu frui iis quæ relinquo?*

ANNOTATIONES.

58 *Haud promptè, dicam tamen.*] Non facilè quidem & promptum indicare abavum meum; id tamen fortaſſe præſtare potero.

Adde etiam unum, &c.] Quòd ſi ulteriùs repetas, ac vel unum ſuperiùs, & retrò cognationis gradum ſcruteris, & poſcas quis atavus mihi fuerit; jam hærebo: erit enim is mihi tam ignotus, quàm iſte, quem *Terræ progeniem* appellaſti.

59 *Terræ eſt jam filius.*] Ex Empedoclis ſententia & aliorum quorundam veterum Philoſophorum qui natos è Terra primos homines cenſuere, cùm alii ex aqua factos, ſicut & alia univerſa, opinarentur. Huc etiam facit quòd hominem ab humo veteres dixere. Porrò quod per *Terræ filium* homo nihili ſignificetur, & obſcurus, patet ex Tullio ad Atticum ita ſcribente: *Huic Terræ filio committere epiſtolam tantis de rebus non audeo.* Tertul. in Apologet. *Dictus Saturnus Terræ Cœlique filius, quia ignoti, vel ex inopinato apparentes de cœlo ſupervenire dicuntur; ſicut Terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum eſt; giganteſque hâc ratione terræ filii appellantur.* Vide Cœl. Rhodig. Lib. 20. cap. 28.

60 *Major avunculus exit.*] Manius ipſe videri poſſit cognatus, & in ſtemmate major avunculus ſcribi; ſiquidem alius nemo prodit & præſtò eſt, qui gradum hunc & locum inter majores meos, & in ordine ſtirpis & cognationis meæ, jure potiori ſibi queat vindicare. *Major avunculus* eſt avi vel aviæ frater: aut etiam avi aviæque avunculus, ut placet Feſto.

61 *Qui prior es.*] Tu verò, ô legitime hæres, cum ſenior me ſis & natu major, cur à me hæreditatem ſperas, qui ſum junior & in curſu vitæ poſterior? Vel, tu qui Manio potior mihi es, & vere cognatus, cur dum vivo hæreditati meæ inhias ante legitimum tempus, ſcilicet ante abſolutum vitæ ſtadium? Certe curſor non petit lampadem ab alio ante decurſum: nunquam verò in ipſo curſu, nec prior à poſteriore, ſed contrà.

Cur me in decurſu lampada poſcas?] Allegorica locutio deſumpta à λαμπαδηδρομία. Nempe, ut ait Suidas, Lampadis tria feſta ſunt apud Athenienſes, Panathenæa, Vulcanalia, Promethea. De Promethei Sacris hîc mentio eſt, in quibus juvenes accenſas tædas geſtantes decurrebant, certabantque, quis ad ſcopum primus perveniret non extinctâ face. Primus defatigatus proximo, is poſteà defeſſus alteri, & deinceps alius alii tradebat ardentem facem, donec metam pertingerent. Et quidem ara Promethei in Academia fuit, à qua ad urbem curſus erat cum accenſis ejuſmodi facibus. Vide Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 8. Hujus conſuetudinis meminerunt Varro Lib. 3. cap. 16. de Re Ruſtica, ubi ait: *Nunc uſu lampada tibi trado*; id eſt, tibi dicendi vices trado. Cicero ad Herenn. 4. *Non enim, quemadmodum in palæſtra, qui tædas ardentes accipit celerior eſt in curſu continuo, quam ille qui tradit: Ita melior Imperator novus qui accipit exercitum, quam ille qui decedit: propterea quòd defatigatus curſor dat integro facem; at hic peritus Imperator imperito exercitum.*
Et ante illos Lucretius Lib. 2. v. 77.

Inque brevi ſpatio mutantur ſæc'la animantum,
Et quaſi curſores vitaï lampada tradunt.

62 *Sum tibi Mercurius.*] Ne me ut propinquum, te ut hæredem certum, meam hæreditatem quaſi tuam tibique jure debitam jam nunc intuere; ſed potiùs finge tibi me eſſe velut Mercurium, qui tibi ἑρμαῖον, inſperatum & fortuitum theſaurum & lucrum annuntio, indico, oſtendo captandum.

Venio Deus huc ego.] Inopinati & indebiti lucri Deus, ut diximus Sat. 2. v. 1. ad verba hæc, *Dextro Hercule.*

Ut ille pingitur.] Mercurius pingebatur manu tenens crumenam pecuniâ gravidam & turgentem. Suidas, Macrobius.

63 *An renuis?*] An non vis bona mea velut gratis data & adventitia?
Horat. Lib. 2. Sat. 3.

——— *Excors*
Rejectâ prædâ, quam præſens Mercurius fert.

Vin' tu gaudere?] Viſne potiri hæreditate meâ, poſt mortem meam, quantula fuerit illa?

Deeſt

Deeſt aliquid ſummæ: minui mihi; ſed tibi totum eſt,
Quicquid id eſt. Ubi ſit fuge quærere, quod mihi quondam
Legârat Tadius, neu dicta repone paterna:
Fœnoris accedat merces; hinc exime ſumptus.
Quid reliquum eſt? Reliquum? Nunc nunc impenſiùs unge,
Unge, puer, caules. Mihi feſtâ luce coquatur
Urtica, & fiſsâ fumoſum ſinciput aure,

At enim ſumma nonnihil detractum eſt. Nempe detraxi mihi. Tibi verò quodcunque illud eſt, integrum eſt. Cave ſciſcitari ubinam ſit id *quod olim Tadius* teſtamento *reliquerat mihi: neve* mihi *repete monita patrum; addatur uſura lucrum; inde* tuas *impenſas deſume: ecquid reſiduum eſt? Reſiduum* quæris? O *famule, jam jam perfunde braſſicas, perfunde copioſius.* Scilicet, *die feſto mihi coquatur urtica & pars anterior capitis* porcini *fumo perfuſi, auriculâ perforatâ,*

ANNOTATIONES.

64 *Deeſt aliquid ſumma.*] Fortaſſe dices partem ejus aliquam à me abſumptam fuiſſe. At ego tibi reſpondeo, *minui mihi*; & quicquid detraxero tandem, id mihi non tibi detractum; & ſi quid perit, perit mihi cujus totum eſt; ex regulâ Juris.

Sed tibi totum eſt, quicquid id eſt.] Quandoquidem ex Legibus & Jure, tuum nihil eſt aut eſſe poteſt quandiu vivo, quodcunque ego moriens reliquero, hoc tibi totum erit atque integrum.

65 *Ubi ſit fuge quærere,* &c.] Porrò ne repoſcas à me rationem bonorum quæ olim habui, quæque aliquis mihi teſtamento legârit: nam malè tibi verteret.

66 *Tadius.*] E majoribus quiſpiam, vel quilibet alius Teſtator. Metonymia. Quidam codices habent, *Statius*, alii *Stadius*.

Neu dicta repone paterna.] Neque mihi ingere & objice monita liberis ſolita dari à patribus avaris: de quibus Horat. Lib. 1. Epiſt. 1.

——— *Quærenda pecunia primum eſt:*
Virtus poſt nummos: hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet; hæc recinunt juvenes dictata, ſeneſq;
Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto.

Et Juvenalis fusè. Sat. 14.

——— *Juvenes hortatur* ———
——— *Cogit minimas ediſcere ſordes, &c.*

Paterna.] Benè monet Caſaubonus de ſuo patre non loqui Perſium, qui puer ſexennis amiſerat patrem Flaccum, cujus & famæ nec detrahere debeat nec velit bonus filius.

67 *Fœnoris accedat merces.*] Aut paternum eſt monitum: exerce fœnus; ne otioſam & infructuoſam ſine pecuniam tuam; quæſtum fac, datis ad uſuram nummis; atque pro mutuo mercedem cape: aut verba ſunt hæredis cum Perſio rationem ineuntis, ut mox explicabimus.

Hinc exime ſumptus.] Fortaſſe & monitum eſt paternum: ne quid detrahe ſorti capitali bonorum, ſed potiùs è fœnore & uſuris habe & deſume neceſſarios alendæ familiæ ſumptus. Vel hæredis verba ſunt, & ſenſus erit: computemus & quanta ſive è patrimonio, ſeu è legatis Tadii nactus es, ô Perſi; his addantur & accedant uſuræ: jam inde legitimas impenſas tuas eximamus. Demùm videamus quid ſit reſidui ex his omnibus, quidque mihi ſit obventurum.

68 *Quid reliquum eſt?*] Quid jam ſupereſt e tot facultatibus, quas poſſediſti?

Reliquum?] Cum indignatione reſpondet Perſius; itane verò mecum inis rationem, quaſi cum diſpenſatore herus. Scilicet poſſeſſa computas, ſumptus excutis, reliquum quid, & ubi ſit, poſtulas? Age hæres, deinceps curam hanc eximam tibi.

Nunc nunc impenſiùs urge, &c.] O famule, lautiorem in dies menſam inſtrue; conſumantur bona mea univerſa, ut indignis hæredibus nihil reliquum ſit.

Unge, puer, caules.] Horat. lib. 2. Sat. 3,

Ungere ſi caules oleo meliore caputque
Cœperis.

Porrò *caules* poſuit pro quolibet edulio, poſt Horatium.

Mihi feſtâ luce coquatur, &c.] Non ita ſum fatuus ut genium defraudare velim ad locupletandos hæredes, & damno meo lautitias illis ſuppeditare, parcus ob hæredis curam, ut ait Horat. Lib. 1. Epiſt. 5.

Et Juvenal. Sat. 14. v. 136.

——— *Cum ſit manifeſta phreneſis,*
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.

Feſtâ luce.] In die feſto, quo vel parciſſimi & pauperrimi genio indulgent, & lautiùs victitant, ego oluſcula comedam? Abſit.

70 *Urtica.*] Herba vilis & nota, ab urendo vel ulcerando dicta; habet enim folia mordacia, ut Plin. Lib. 16. cap. 24.

Catull. Carm. 45. ad fundum ſuum.

Et me recuravi ocimoque & urticâ.

Et fiſſa fumoſum, &c.] Caput porcinum aure perforatâ ſuſpenſum in camino ad fumum. Di

Ui

Digitized by Google

Ut tuus iſte nepos olim ſatur anſeris extis,
Cùm moroſa vago ſingultiet inguine vena,
Patritiæ immeiat vulvæ ? Mihi trama figuræ
Sit reliqua : aſt illi tremat omento popa venter ? 74
Vende animam lucro: mercare; atq; excute ſolers
Omne latus mundi, ne ſit præſtantior alter
Cappadocas rigidâ pingues plauſiſſe cataſtâ.

ut nepos ille tuus aliquando viſceribus anſerinis ſatietur ? * * * * * * * * *

*** *Mihine reſidua erit trama figuræ, illi verò obeſus venter palpitet præ pinguedine ? Venunda vitam pro quæſtu, mercaturam exerce, & diligens perluſtra omnes orbis partes, nec ſit alius peritior applauſiſſe corpulentos Cappadocas in duro pegmate.*

ANNOTATIONES.

nidiata porcellorum capita lautiori menſæ appoſita refert Athen. Lib. 9. cap. 8. *Fumoſum*, vel ut ſervetur diutius, aut etiam ut ſaporem contrahat acutiorem. Legunt quidam, *ſpumoſum* ; ſed male.

Sinciput.] Pars prior capitis, ubi cerebrum : ponitur hîc pro vili & plebeio edulio, ut patet : quod tamen lautæ fuiſſe gulæ affirmat Plinius, & probat Athenæus loco mox citato.

71. *Ut tuus iſte nepos*, &c.] Ut ditatus quiſpiam è tuis poſteris, ô hæres, aliquando epuletur.

Nepos.] Sarcaſmus ex ambiguâ ſignificatione vocis, quæ & deſignat ſæpè hominem voracem & luxurioſum.

Anſeris extis.] Romanis erat in deliciis anſerinum jecur, quod quidem fartilibus, ut ait Plin. Lib. 10. cap. 22. id eſt, faginatis lacte, mulſo, ficu, caricâ, in tantam amplitudinem creſcit, ut anſerem ipſum adæquet magnitudine. Undè Martial. Lib. 13. Epigram. 58.

Aſpice quàm tumeat magno jecur anſere majus;
Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi ?

Horat. Lib. 2. Sat. 8.

Pinguibus & ficis paſtum jecur anſeris albi.

Juvenal. Sat. 5. v. 113.

Anſeris ante ipſum magni jecur.

Meminit & fuſe Athenæus Lib. 9. c. 8.

73 *Mihi trama figura ſit reliqua.*] An denique me macerem, ut pingueſcat hæres ? Abſit.

Trama.] Incertum eſt intelligatne ſubtegmen, quod tenuis eſt, & opponat *ventri popa*, quod vult Turneb. Lib. 30. cap. 7. an ſtamen panni, quod filo conſtat craſſiore & magis retorto, ut diſerte ait Caſaubonus : *Trama* etiam ponitur pro veſte detrita, cujus villi amiſſi ſunt : metaphoricè eſt homo valdè macer, cui ſolùm oſſa reſtant, & per cujus coſtas aër quaſi tranſmeat ; ex Varrone 4. de Ling. Lat. Vel cujus oſſa, venæ, nervi ſic apparent, ut in detrito panno *trama*. Undè eleganter Prudentius contra Manich. *Nervorum texturam appellat.*

74 *Aſt illi tremat.*] Hæredi autem diſtentus venter & obeſus ſubſiliat.

Omento.] Propriè eſt panniculus inteſtina ambiens & contegens, ut dixi Sat. 2. hîc ponitur pro adipe, & pingui.

Popa.] Venter guloſus, lurco, popino, vel fartus popis ſeu popanis, id eſt, delicatioribus eſcis. Nam popa eſt placenta. Eſt etiam aliquando victimarius, id eſt, Sacerdotis miniſter ad mactandas victimas.

75 *Vende animam lucro.*] Concludit Perſius, ergo poſt hæc omnia quæ dixi adversùs avaritiæ ſordes, ſi tamen lubet, huic lita, & vitæ etiam periculo divitias congere, per fas etiam & nefas.

Mercare.] Longinquas mercaturæ causâ per mare, per terras peregrinationes inſtitue, ut dictum Sat. 5. 135. & ſequentibus. Ibid. v. 137.

Verte aliquid, jura, &c.

Excute ſolers omne latus mundi.] Peragra totum orbem, omnes orbis angulos ſcrutare, ut merces novas & aliis inrepertas compares & huc advehas ; & ſic diteſcas brevi. *Solers*, quaſi ſolus in arte præſtans & calidus.

76 *Ne ſit præſtantior alter*, &c.] Nec ſit quiſpiam te peritior exercendi mangonii, id eſt, coëmendi mancipia, & bene curata faginataque carius vendendi.

77 *Cappadocas pingues.*] Vetus Scholiaſtes explicat de gladiatoribus ; ſed cùm ipſo textu reclamant & refragantur viri doctiſſimi, & venalitios è Cappadocia ſervos intelligunt, robuſtos quidem & grandes. Cic. poſt reditum in Senatu. *Cappadocem modò abreptum de grege venalium diceres.*

Horat. Lib. 1. Epiſt. 6.

Mancipiis locuples eget æris Cappadocum Rex.

Porrò Cappadocia eſt Aſiæ minoris regio, cujus populi id peculiare habuerunt, quòd ſervitutem libertati prætetulerint. Nam à Romanis libertatem deprecati, illis permittentibus, Ariobarzanem Regem elegerunt. Vide Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 27.

Plauſiſſe.] Legunt alii, *clauſiſſe* : alii, *paviſſe*, id eſt, bene curaſſe & enutriviſſe, ut faciliùs emptores inveniant pingues & corpulenti. Attamen amant doctiores, & retinent *plauſiſſe*, ambiguâ quidem ſed eruditâ ſignificatione, & ingenio

Rem

Digitized by Google

Geminâ peculium. Jam id *præſtiti. Jam triplex, jam quadruplex, jam decuplex mihi provenit in plicam. O Chryſippe, tu repertus terminaſſe cumulum tuum, indica* mihi *ubinam ſtabo.*

Rem duplica. Feci; jam triplex, jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam. Depunge ubi ſiſtam
Inventus, Chryſippe, tui finitor acervi.

ANNOTATIONES.

Satirici noſtri ſatis congruâ. Itaque *plauſiſſe*, vel eſt palpâſſe manu ſervorum venalium membra, ad oſtentandam empturientibus bonam corporis habitudinem ac nitorem: vel ſervos laudando & applaudendo incitâſſe ad ſaltandum ex conſuetudine; imò & patrio more cantandum, quo pateret illorum agilitas & induſtria. Vide infrà. Item Juvenal. Sat. 1. v. 111.

Rigida cataſtâ.] Ob rigorem ſervitutis, aut duritiem ligneæ compedis, cui mancipia erant innexa.

Cataſta.] Locus erat in Romano foro, ubi venales ſervi exponebantur; ἀπὸ τοῦ καθιστάναι. Propert. Lib. 4. Eleg. 5.

Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cœlati medio cum ſaliere foro.

Item *cataſta*, lignea erat è tabulatis machina, in qua vincti proſtabant ſervi venales. Martial. Lib. 9. Epigramm. 60.

Quos arcana ſervant tabulata cataſta.

Meminit & Plin. Lib. 35. cap. 17, & 18. Similis huic erat ferè *cataſta* illa, in qua Martyres torquendi extendebantur: quod referunt paſſim martyrologia.

78 *Rem duplica.*] Per uſuras opes adauge. Horat. Lib. 1. Epiſt. 6.

Mille talenta rotundentur; totidem altera: porrò
Tertia ſuccedant, & quæ pars quadret acervum.

Feci.] Reſpondet per proſopopœiam avarus; non tantùm duplicavi, ſed fœnus fœnori addens, & fœnoris fœnus accipiens, rem auxi ter, quater, decies.

79 *Decies redit in rugam.*] Metaphora ducta à veſtibus quæ corrugantur propriè & plicantur; ſeu quæ in plicas & rugas contrahuntur. Unde per ſimilitudinem multiplicari omnes dicuntur, dum nummis nummi accumulantur, & accreſcunt.

Depunge.] Metaphora à libra in qua certum pondus indicatur & notatur punctis. Sat. 5. v. 100. *Certo compeſcere puncto neſcius examen.* Legunt alii, *depinge.* Senſus utrobique idem eſt: ſtatue, præſcribe, quem opibus augendis & multiplicandis modum ponam. Ironicè hæc in avaros hydropicis ſimiles, de quibus dictum,

Quo plus ſunt pota, plus ſitiuntur aquæ.

Et Juvenal. Sat. 14. v. 139.

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.

Ubi ſiſtam.] Alluſio ad Chryſippi præceptum qui, ut Soriti reſpondeatur, ſiſtendum in una è propoſitionibus, aiebat. Vide infrà.

80 *Chryſippe.*] Hic Stoicus fuit Philoſophus, Zenonis, vel, ut volunt alii, Cleanthis Diſcipulus, vir acri ingenio: in Dialectica excelluit: quoties contra Cleanthem diſputârat, ſolitus dicere, fortunatum ſe adversùs omnes, præterquam adversùs Cleanthem: adeò verò ſuperbus, ut Ptolemæi Regis amicitiam aſpernatus ſit, & jactaverit de ſe, non eſſet Porticus, niſi eſſet Chryſippus. Ex effuſo riſu mortuum nonnulli tradunt. Diog. Laert. Lib. 7. Cic. 1. de Natura Deorum.

Inventus tui finitor acervi.] Adunaton, ut vult Caſaubonus, id eſt, ô Chryſippe, ſi poteſ præſcribere, qua in propoſitione Soritis quieſcendum ſit potiſſimùm; ſi, inquam, id inveneris, & finem certum infinitæ propoſitionum congeriei ſtatueris, tum ego meæ cupiditati & avaritiæ terminum inveniam; id eſt nunquam.

Acervi.] Soriten intelligit, quæ argumentatio eſt acervus ceu cumulus propoſitionum, quæ in infinitum progredi poſſe videntur: unde per ironiam dixit Perſius *finitor*; & addit *tui*; quia diſſolvendæ iſtius acervalis argumentationis rationem inveſtigavit Chryſippus, & de eo quatuor Libros ſcripſiſſe fertur. Horat. Lib. 2. Epiſt. 1.

Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi.

Exemplum Soritis eſt apud Ciceronem Tuſcul. Quæſt. 5. n. 45. ubi ſolum honeſtum eſſe bonum ſic probatur per quinque gradus: *Quicquid eſt quod bonum ſit, id expetendum eſt: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod verò approbaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda eſt: quod ſi ita eſt, laudabilis ſit neceſſe eſt: bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut quod ſit honeſtum, id ſit ſolum bonum.* Et 1. de Natura Deorum, *ſi Dii ſunt, beati ſunt: ſi beati, virtute præditi: ſi virtutis, & rationis erunt capaces*: unde concluditur illic, Deos eſſe hominibus ſimiles: quod ibidem refellit Tullius. Et certe nôrunt omnes Soriten non tam eſſe argumentationem legitimam, rectam, certam quam argutiam & cavillationem.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX VOCABULORUM Omnium, QUÆ IN SATIRIS JUVENALIS LEGUNTUR.

Prior Numerus Satiram; poſteriores Verſum Satiræ indicant.

A.

A. 1. 14,36,99 | 3.57,71.89, 106, 202, 321 | 4.3,116 | 5.44, 91, 109 | 6. 26, 35, 69, 138, 232, 252, 284, 375. 502, 527, 553 | 7.70, 164,196 | 8. 131 | 9. 115,140 | 10.1,29.72, 126.131, 171,247 | 11.23,42, 51,89,146,147,160 | 12 14, 58 | 13. 30 | 36 110,122,149,158, 170, 231 | 14. 14, 170 | 15-30,72, 143, 146 | 16. 17.. &c.
[ab] 1. 49 | 2. 82 | 3. 109 | 4.130 | 5. 125, 135, 155 | 6.. 327, 347 | 8.273 | 10.253. 270 | 11.26. 113 | 12. 28, 130 | 16. 25
[a]baci 3. 204
[ab]ditus 6. 236
[ab]domine 2. 86 | 4. 107
abeant 14. 149
abeſt 6. 293
abeunt 1. 132 | 6. 311
abit 6. 127
abi 14. 213
abicit 15. 17
abies 3. 255
ablegandæ 14. 202
abluet 6. 523
abnego 13. 94
abnuat 6. 539
abnuerit 15. 104
abolla 4. 76
abollæ 3. 115
abortivis 2. 32
abortivo 6. 367
abreptum 13. 171
abrupta 6. 648
abrupto 14. 250
abſcindere 2. 116 | *alii leg.* abrumpere
abſcondente 6. 120
abſcondêre 12. 18
abſcondit 8 203 | 9. 33
abſenti 1. 123
abſit 4. 130 | 16. 25
abſolvitur 13. 3
abſtineas 14. 38
abſtinet 6. 534 | 11. 171 | 15. 11
abſtinuit 14. 99 | 15. 173
abſtuleris 6. 330
abſtulit 4. 19, 151 | 8. 242 | 10. 286.
abſumpto 15. 91
abundat 2 8
ac 1. 65 98 | 2. 34, 43, 72, &c.
accedente 11. 85
accepta 6. 113
acceptæ 13. 186
acceptiſſima 3. 58
accepto 13. 129
Acci 6. 70
accidit 12. 29
accipe 3. 87, 295 | 4. 65 | 7. 36, 165, 243 | 13. 120 | 14. 191, 15. 31
accipere 10. 295
accipiat 1. 42, 55 | 7. 147
accipient 2. 83
accipies 1. 99
accipiet 8. 88
accipimus 9. 31
accipis 6. 76
accipit 3. 103 | 6. 472
accipiunt 3. 133 | 12. 88
accurrit 3. 215
accuſare 3. 54
accuſat 6. 242
accuſator 1. 161
accuſatori 13. 187
accuſet 2. 27
acer 2. 77 | 7. 190
acerbi 7. 57
acerbo 14. 18, 54
acerbum 11. 44
Acerſecomes 8. 128
acervo 6 363 | 13, 10
acervos 13 57
acervus 8. 100
Aceſtes 7 235
aceto 3 392 | 10. 153 13. 85
Achææ 3. 61
Achillem 10. 256
Achilles 1. 163 | 7. 210 | 8. 271 | 14. 214
Achillis 11 30
acies 9. 65 | 15. 60
Acilius 4. 94
Acœnitus 7. 218

acon'ta

Digitized by Google

aconita 1. 158 | 6. 638 | 8. 219 | 10. 25
acquirenda 14. 223
acquirendi 14. 125
acquirere 14. 238
acre 6. 109
acres 11. 165
acri 13. 216
acribus 14. 322
acrior 7. 109 | 51. 62
acris 10. 252
acta 2. 136 | 7. 104
Actiaca 2. 209
actoris 2. 100
actorum 9. 84
actum 6. 58 | 10. 155 | 14. 149
acu 2. 94 | 6. 497
acumen 4. 102
acuta 5. 89
acutos 5. 41
ad 1. 41, 44, 57, 90, 104, 131, &c.
ad ſummam 3. 79
adamas 6. 155
addat 1. 118, 147
adde 12. 46
adde quod 14. 114 | 15. 47
addit 13. 82
additur 10. 151
ademit 16. 37
adeo 3. 274 | 6. 50 | 8. 183 | 10. 297 | 11. 131 | 12. 36 | 13. 59, 183 | 14. 234
adeon' 6 59
adeoque 8. 183
adeſt 4. 107 | 5. 63 | 6. 219 | 10. 254 | 12. 67
adhibere 5. 16
adhibet 2. 135
adhuc 3. 111, 215 | 4. 10 | 6. 128, 192, 227, 501 | 7. 196 | 8. 36, 10, 116 | 12. 15 | 13. 41 | 15. 35
adipata 6. 630
adjuta 6. 505
adjutor 3 322
adjuvat 12. 42
admirabile 4. 39
admirabilis 13. 53
admirandiſque 10. 11
admirari 7. 31
admiratio 6. 645
admiſerit 10. 255
admiſit 6. 493
admiſſa 4. 64.
admittas 10. 340
admitte 6. 328
admittentia 5. 69 | 7. 65
admittere 14. 217
admittimus 3. 171
admittitis 1. 21
admittunt 3 235 | 13. 237
admota 10. 149
admotaque 6. 496
admoto 8. 82
admotum 6. 426
admoveas 2. 148 | 14. 12
admovet 10. 329
adoperta 8. 145
adora 6. 47.
adorandæ 13. 148
adorant 14 97
adorat 3 300 | 6. 321 | 15. 2
adoratum 10. 62
Adriaci 4. 39
adſint 9. 40
adſum 1. 102
adſunt 11. 71
advectæ 9. 23
advectus 3. 83
adventum 6. 517
adverſis 10. 129 | 12. 53 | 13. 156
adverſum 5. 77
advexiſſe 14. 271
adulandi 3. 86
adulator 4. 116
adultæ 15. 138
adulter 1. 78 | 2. 29 | 3. 45 | 4. 4 | 6 236, 328, 403, 566 | 8. 144 | 9. 80 | 10. 311, 318
adultera 14. 25.
adulterium 11. 175
advocat 6. 235
advolat 6. 225
adyti 13. 205
Æacidæ 8. 270
Æacus 1. 10
æde 3. 139 | 7. 37 |
ædem 3. 31 | 6. 527 | 14. 90
ædes 3. 222 | 4. 7 | 7. 40 | 10. 17
ædicula 8. 111
ædificare 10. 264 | 15. 153
ædificat 6. 502
ædificator 14. 86
Ædilibus 3. 162, 179
Ædilis 10. 302
Ægæi 13. 81, 246
æger 3. 232 | 4. 3, 12, 122
Ægeriæ 3. 17
ægra 6. 579
ægram 12. 95
ægri 9. 16 | 10. 207 | 13. 124
ægris 4. 57 | 13. 234
ægro 7. 52 | 9. 18
ægros 10. 221
ægrotante 6. 388
Ægypti 6. 526
Ægyptius 1. 130
Ægyptus 15. 2, 45, 116
Ælia 6. 72
Æmilianos 8. 3
Æmilio 7. 124
Æmilius 6 32
Æmo 6. 197
æmula 11. 74
Æneæ 15. 67
Æneam 1. 162
Æneas 5. 139
ænigmata 8. 50
Æoliis 1. 8
Æolio 10. 181
æqua 4. 71 | 8. 177
æquales 3. 177
æquanda 14. 314
æquantem 4. 16
æquare 14. 257
æquat 3. 88 | 6. 322
æquo 13. 11
æquor 1. 81
æquora 12. 75 | 14. 279
æquore 4 54 | 8. 61
æquos 14. 15
æquus 16. 56
aer 6. 99 | 12. 42
aera 6 305 | 13. 169
aere 10. 50
æra 6. 125, 441 | 9. 217 | 16. 55
ærata 14. 259
ære 2. 118, 152 | 6. 234, 545 | 9. 122 | 11. 39
ærea 11. 96
æris 7. 61
ærugine 13. 61
ærumnæ 3. 210
ærumnas 10. 361
æſtibus 4. 87
æſtivi 14. 131
æſtivum 1. 28 | 14. 295
æſtuat 3. 50 | 10. 169
æſtuo 2. 71 | 3. 103
ætas 5. 61 | 63. 25 | 7. 32 | 8. 171 | 13. 18
ætate 6. 498 | 14. 161 | 15. 109
Æthiopem 2. 23 | 8. 3
Æthiopis 6. 599
Æthiopum 10. 150
ævi 4. 94
ævo 6 324 | 10. 255 | 13. 53 | 15. 32
affari 14 211
affectare 2. 106
affectas 11. 33
affectat 10. 209
affectibus 12. 10
affectu 1. 161
affectus 1. 213 | 15. 15
afferat 14. 198
afferimus 12. 56
afferre 4 85
afferri 5. 144
affers 6. 167
affert 6. 609 | 7. 21 | 9. 91 | 14. 78
afferte 6. 416
affertur 5. 87
afficit 7. 85
afficiunt 8. 268 | 14
affigit 9. 149
affirmat 6. 58
affixa 10. 133
affixus 5. 40
Afræ 11. 142
Africa 7. 149 | 10.
Afris 5. 152
Afrorum 7. 120 | Maurorum.
Afros 5. 91 | 8. 120
agam 9. 67
Agamemnona 14.
Agamemnonidæ 8. 11
Aganippes 7. 6
agant 1. 9 | 6. 402
agas 2. 71 | 3 291 | 14 | 8. 76
Agathyrſi 15. 125
agatur 4. 66 | 6. 499
Agaven 7. 87
age 11. 192
agebas 9. 9
agebat 7. 143. 144
agello 6. 57 | 8. 109
agendi 16. 49
agendis 14. 72
agentem 13. 32
ager 9. 56
agere 9. 43
agerent 4. 49

agerent

agerentur 6. 335
ageres 8. 186
agere 5. 153 | 6. 587 | 8. 43
aggeris 16. 26
agili 2. 142
agimus 2. 51 | 7. 48.
agit 3. 94, 305 | 5. 157 | 13. 110 | 15. 163
agitant 2. 21 | 7. 168
agitare 10. 33
agitas 14. 68
agitat 6. 250 | 14. 284
agite 7. 20
agitem 1. 52
agitent 5. 69
agitentque 6. 474
agitur 4. 35 | 6. 658 | 13. 28 | 15. 97
agmina 3. 258 | 15. 56
agmine 3. 162, 244 | 10. 218, 280
agminis 10. 45
agna 6. 391 | 8. 15 | 13. 63
agnam 12. 3
agnitus 1. 99
agnoſcendus 8. 206
agnoſci 6. 467
agnoſcit 10. 234
agnoſco 8. 26
agnum 2. 123
agreſtem 13. 39
agri 3. 141 | 14. 159, 172
Agrippa 6. 157
Agrippinæ 6. 619
agris 2. 79 | 14. 71
agro 1. 107 | 6. 56 | 11. 65 | 12. 105
agrorum 11. 41
agros 3. 322 | 4. 27 | 14. 151
agrum 6. 524 | 9. 45
agunt 1. 85
ahenea 3. 285
aheneus 7. 125 | 13. 119
aheno 8. 86 | 15. 81
Ajax 7. 115 | 10. 84 | 14. 213 | 15. 65
ait 2. 22 | 4. 131 | 5. 18 | 9. 63
Alabandis 3. 70
Alabarches *vide* Arabarches.
alapas 8. 192
alas 3. 25 | 11. 157 | 14. 195
alba *ſubſtant.* 4. 61
alba 6. 176
albaque 13. 117
albæ 3. 179 | 13. 141
Albana 4. 100
Albanam 4. 145
Albani 13. 214
Albanis 5. 33
albi 12. 65
Albinam 3. 130
albis 1. 111
albo 2. 112 | 7. 202
albus 2. 23
Alceſtim 6. 652
Alcinoo 15. 15
Alcithoen, *alias*, Alcyonem 7. 12
alea 1. 88 | 8. 10, 11, 174 | 14. 4
Alexander 14. 311
Algæ 4. 48
algentem 7. 183
alget 1. 74
alia 3. 268 | 16. 35
alia *ablat.* 6. 436 | 7. 114, 182
aliæ 6. 67
aliam 5. 52 | 6. 503 | 14. 253 | 15. 122
aliamque 4. 138
alias 3. 315 | 12. 40 | 14. 254 | 15. 57
aliena 13. 34 | 15. 102, 142
aliena *ablat.* 3. 181 | 5. 2
alieni 6. 477
alienis 11. 229
alieno 8. 246
alienum 3. 105 | 6. 21
alii 2. 66 | 3. 46 | 7. 5, 166
aliis 11. 59
alimentis 15. 93
alio 8. 27, 54 | 10. 197
aliorum 8. 76
alios 5. 239 | 7. 213 | 8. 61 | 11. 177
alioſque 10. 150
Aliptes 3. 76 | 6. 421
aliqua 6. 15
aliquam 12. 110
aliquando 3. 184 | 6. 359 | 9. 28
aliquem 4. 126 | 6. 279 | 11. 202 | 15. 170
aliquid 1. 73 | 2. 2, 82 | 3. 24, 180, 217, 230 | 397 | 4. 147 | 5. 33, 7. 24, 220 | 8. 41, 68, 263 | 9. 139 | 10. 207, 354 | 14. 203, 223 | 15. 92
aliquis 1. 74 | 3. 120 | 6. 586, 631 | 11. 86 | 13. 49 | 14. 21, 134 | 15. 24, *&c.*
aliquo 8. 173
aliquod 13. 37
aliquos 2. 149
alis 10. 178
aliter 3. 281 | 6. 11, 618 | 7. 220
aliud 4. 78 | 6. 23 | 7. 198 | 12. 24 | 14. 321, *bis* | 15. 154
alium 9. 92
aliunde 7. 22
alius 1. 10 | 5. 67 | 8. 178, 245 | 10. 257 | 12. 48 | 13. 90
Alledius 5. 118
Allobroga 7. 214
Allobrogicis 8. 13
alnum 3. 266
aloes 6. 180
Alpemque 10. 152
Alpes 10. 166
Alpibus 13. 162
Alpha 14. 209
alta 3. 69 | 4. 131 | 6. 430 | 14. 88
alta *ablat.* 3. 136
altæ 6. 31
altaque 8. 131
altaria 8. 156 | 12. 94 | 13. 89
altaribus 12. 199
alte 3. 256
alter 3. 132, 149, 246 | 4. 11 | 6. 426 | 7. 95 | 9. 66, 145 | 10. 28, 30 | 11. 63, *bis* | 12. 115 | 13. 72 | 14. 33, 62
altera 3. 255 | 6. 147, 439, 494 | 7. 16 | 9. 133 | 14. 141, 170, 309 | 15. 73
alterius 6. 17, 340 | 10. 210 | 11. 167 | 14. 131 | 15. 39
alternaque 6. 267
alternum 12. 31
alti 6. 384, 414 | 7. 125
altilis 5. 115, 168
altior 6. 491 | 10. 106 | 13. 173
altis 6. 606 | 8. 106 | 10. 36
altiſoni 11. 179
alto 8. 40 | 14. 185
altos 10. 176
altum 1. 16 | 6. 501, 633
alveolis 5. 88
alveolos 7. 33
alveus 12. 130
alumni 11. 98
alumnos 6. 608
alumnus 1. 20 | 14. 247
alvos 5. 7
aluta 14. 282
alutæ 7. 192
amans 3. 228
amant 6. 112
amanti 6. 207
amantis 6. 208
amara 13. 247
amaras 2. 30
amat 6. 252, 607 | 10. 320
amatæ 2. 241
amati 3. 186
amator 2. 168
amatorem 6. 547
amatur 6. 142
amaturus 6. 200
amaverit 10. 220
amavi 10. 68
ambæ 10. 328
ambiguæ 8. 80
ambit 16. 48
ambitioſo 3. 182
ambitioſi 7. 50
ambitus *alias* ambitio 8. 135
ambo 2. 153 | 9. 66
ambos 10. 227
ambroſiuſque 6. 77
ambulat 6. 304
amens 14. 94
ames 6. 62 | 7. 9
amet 6. 403 | 12. 130
amethyſtina 7. 136
ametur 6. 75 | 12. 130
amicæ 1. 62 | 3. 13 | 4. 20 | 6. 454 | 7. 82
amicas 6. 352, 480
amici 1. 33 | 3. 187, 101, 112 | 4. 88 | 6. 345 | 8. 152 | 9. 62 | 10. 234 | 12. 16 | 14. 65 | 15. 134
amicis 1. 146 | 5. 108, 113, 146
amicitia 6. 557
amicitiæ 4. 75 | 5. 14
amico 3. 57 | 5. 32, 173 | 7. 74 | 12. 96 | 14. 235

amicos

Digitized by Google

O bone vir, *an* illud *neſcis? Imperator miſit laurum ob ſtragem memorandam juventutis Germanicæ: atque jam favilla frigida amovetur* ab *altaribus: & Cæſonia nunc arma nunc paludamenta Imperatorum collocat ad valvas* templorum, *nunc* parat *captivis gauſapa flava & currus, & Rhenanos proceres.*

O bone, num ignoras? Miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydas Regum, jam lutea gauſapa captis
Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.

ANNOTATIONES.

43 *O bone, num ignoras?*] Adeòne es imperitus rerum, ut ignores quæ publicè jactantur? Neſcis nemini licere non eſſe liberalem in lætitia communi, & jubente munificentiam Imperatore?

Miſſa eſt à Cæſare laurus.] Neſcius Caium Caligulam miſiſſe ad S. P. Q. R. literas lauro coronatas & vinctas (ex more) & triumphum juſſiſſe parari, quòd Germanos debellârit, atque in omnium bona jus ab eo datum ſuis procuratoribus, ut ait Sueton. loco mox citando.

Cæſare.] A Julii Cæſaris temporibus omnes Imperatores Cæſares appellati.

Laurus.] Literæ laureatæ, de quibus ſicut & de lauro victoriæ indice, Plin. lib. 15. cap. 30. Tit. Liv. lib. 5. Ammian. Marcell. lib. 15. Martial. lib. 7. Epigram. 4, 5, 7. & alibi. Mos erat olim, ut quoties inſigni victoriâ Conſules potiti eſſent, ob res proſpere geſtas, laureatis faſcibus prælatis incederent. Literas etiam laureatas Romam mitti, aut nuncios cum jaculis laureatis advenire, navemque laureatam aut vittatam felicis victoriæ nuncium eſſe, ac læta & magna ſignificare, animadverſum eſt Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 7.

44 *Inſignem ob cladem.*] Ironicè, de Germanica una Caligulæ expeditione, in qua nihil dignum laude ab eo geſtum eſt. Vide Sueton. in Caligula, cap. 45. & ſeq. ubi Imperatoris ſtolida ambitio, fictæque victoriæ referuntur.

Germanæ pubis.] Juventutis Germanicæ. Synecd. Porrò Germania ampla eſt Europæ regio ſatis cuique nota: cujus populi quondam Teutones, dehinc Alemanni, poſteà Germani vocati ſunt. Strabo, alii.

Aris frigidus excutitur cinis.] Id eſt, poſtremi ſacrificii reſidui cineres amoventur, novus ignis, nova ſacra inſtaurantur, ex more; quando enim nunciata erat victoria, ſacra publice fiebant, ad gratias Diis perſolvendas, & pro incolumitate Imperatorum. Teſtantur Dio, Herodianus, & alii.

45 *Poſtibus arma.*] Enumerat omnes triumphi apparatus. Jam templorum valvis ſeu columnis jubet affigi ac ſuſpendi arma hoſtibus detracta, eorumque ſpolia.

Virgil. Æneid. 7.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvaque ſecures, &c.

Horat. Lib. 4. Od. ult.

Et ſigna noſtro reſtituit Jovi
Direpta Parthorum ſuperbis poſtibus.

46 *Chlamydas Regum.*] Paludamenta Imperatorum & Ducum ſubactorum. Veſtis erat militaris, pallio brevior & ſtrictior, cujus uſum Romanis invexit Numa Pompilius (auctore Suidâ) legatione Iſaurorum acceptâ, & formâ habitûs earum animadverſâ, veſtem Regiam cum Senatoria conjungens. De variis veſtium generibus vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.

Lutea gauſapa captis.] Veſtes militares villoſas, crocei coloris e ſtramenta quibus in caſtris utuntur milites, è pellibus facta, preparari jubet captivis, quibus illi induti, ex more, in triumpho ducantur. De gauſape vide quæ Martial. Lib. ult. Epigram. 29. & 145. Præterea gauſapa ſive gauſapia, ut eſt apud Priſcian. Lib. 4. ſunt tapetia ſive periſtromata, quibus menſæ teguntur, teſte Scaligero.

Martialis citreas menſas gauſapibus tegi oſtendit, id eſt, tapetibus pretioſis, vel mantilibus: Lib. ult. 1. 7. Epigram. 138.

Nobilius villoſa tegant tibi gauſapa citrum.

Vide Perſ. Sat. 4. v. 37.

47 *Eſſedaque.*] Belgarum & Germanorum Rhenicolarum vehicula, è quibus olim depugnabant, & rotarum ingruentium ſtrepitu, impetuque, hoſtium ordines proterebant aut perturbabant.

Virgil. Georgic. 3.

Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.

Horum & meminit Cæſar Comment. Lib. 4. & 5. de bello Gallico: & alii.

Ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.] Accolas Rheni, grandis ſtaturæ. Suet. Calig. 7. cap. 47. *Galliarum quoque proceriſſimum quemque, ac nonnullos è Principibus legit ac ſepoſuit ad pompam.* Hos omnes triumphi apparatus diſponit Cæſonia per procuratores, vel ipſa; quippe quæ bellis etiam ſeſe immiſcebat: quamque, ut refert Sueton. cap. 15. *Caligula ſæpe chlamyde peltâque, & galeâ ornatam armatamque, & juxta adequitans militibus oſtendebat.*

Cæſonia.] Caligulæ uxor, mulier perditæ li-

Diis

Digitized by Google

Diis igitur, Genioque Ducis centum paria, ob res
Egregiè geſtas, induco: quis vetat? Aude. 49
Væ, niſi connives. Oleum artocreaſque popello
Largior; an prohibes? Dic clarè. Non adeò, inquis:

Ergo propter bella præclarè confecta, eadem centum paria gladiatorum Numinibus, & Genio Principis. An aliquis prohibet? Audeto vetare, ô hæres. At *væ* tibi, *ſi non diſſimulas*. Præterea *diſtribuo plebi oleum & artocreas. Num vetas? Eloquere apertè. Non ita, ais,*

ANNOTATIONES.

bidinis & laſciviæ ab Imperatore conſtanter adamata, cui etiam philtrum miſcuiſſe & propinâſſe dicitur. Quod ſcribit Joſephus Antiq. Lib. 19. & Sueton. cap. 50. *Creditur*, inquit, *potionatus à Cæſonia uxore amatorio quidem medicamento, ſed quod in furorem verterit*. Vide Juvenal. Sat. 6. v. 610, & 615. ibique annotat.

Rhenos.] *Rhenus* fluvius Europæ celeberrimus Germaniam à Gallia ſeparat, fluit è Rhæticis Alpibus, rigat Alſatiam, Palatinatum, agros Colonienſes, Bataviam.

48 *Diis igitur*, &c.] Ego itaque (ait Perſius ad hæredem) lætitiæ publicæ & Imperatoris voluntati indulgens, non parcam ſumptibus: (nec tu auſis mutire contrà) Ego, inquam, *Diis* victoriæ auſpicibus atque auctoribus; *Genioque Ducis*, id eſt, Imperatoris Caligulæ ſacrificabo, *&c*.

Genioque Ducis.] Per Genium ſui Principis quaſi per Numen jurabant Veteres: ac ſi quis pejerâſſet, pœnas dabat. Undè Tertullianus, *Citius per omnes Deos, quàm per unum Genium Cæſaris pejeratur*, Et Sueton. cap. 27. ait de Caligula, *Multos honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes caveâ coërcuit, aut medios ſerrâ diſſecuit; nec omnes ex gravibus cauſis, verum malè de munere ſuo opinatos, vel quòd nunquam per Genium ſuum dejerâſſent*.

Centum paria, induco.] Duplicem hecatomben explicant aliqui, minùs benè, ut opinor: meliùs alii *centum paria* gladiatorum, quorum ſanguine placentur Dii, & Imperatoris Genius. Horat. Lib. 2. Sat. 3.

Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum.——

Quod ſi cui videtur mirum quòd privatus gladiatorium munus exhibeat, meminerit quod refert Suetonius cap. 47. *Scripſiſſe ad procuratores ſuos Caligulam, ut quàm minimâ ſummâ & impenſâ, triumphum tamen quàm poſſent magnificentiſſimum appararent, & quantus nunquam alius fuiſſet; quando in omnium hominum bona jus haberent*. Ergo, quod vult Caſaubonus ſatis veri ſimile eſt, datâ nempè eâ poteſtate in facultates civium, coactos privatos de ſuo quemque ſumptus & impenſas ad triumphi pompam conferre, & contuliſſe. Quod reſpicit hoc loco Perſius.

Ob res egregiè geſtas.] Ob inſignem Germanorum cladem, & partam feliciter à Caligulâ de hoſtibus victoriam. Ironice, ut ſuprà.

49 *Quis vetat? Aude*.] Num auſis refragari, ô hæres, & deterrere me à conſilio quod cepi?

50 *Væ, niſi connives*.] Impendet tibi malum, ſi fortè non aſſentiaris, aut ſaltem diſſimules: nam vel Imperatorem infenſum & ultorem nanciſcere, vel me iratum, & majores inde ſumptus facientem, ut cupiditatem tuam & avaritiam diſcruciem. Paulò poſt:

—— *Nunc nunc impenſius unge,*
Unge, puer, caules.

Væ.] Formula malè precandi, idem valens ac ſi quis mittatur in malam crucem.

Connives.] Cic. pro Cælio: *Dii immortales cur interdum connivetis in hominum ſceleribus maximis?* Id eſt, clauſis quaſi oculis non videre videmini.

Oleum artocreaſque popello largior.] Populo inſuper epulum & congiarium dabo, ad celebrationem victoriæ. Licèt hoc ſoleat non à privatis ſed ab Imperatoribus fieri. Sueton. Jul. Cæſ. cap. 38. *Epulum ac viſcerationem dedit, & poſt Hiſpanienſem victoriam duo prandia.* Et Domitian. cap. 7. *Congiarium populo ter dedit. atque largiſſimum epulum: Senatui, Equitique panariis, plebi ſportellis cum obſonio diſtributis.*

Artocreas.] Vox è duplici facta, ἄρτος enim *panis*, κρέας *caro*: ſignificat cibum è pane carneque minutatim conciſâ. Alii viſcerationem interpretantur hoc loco.

51 *An prohibes?*] Vetaſne iſtam meam largitionem? *Dic clarè*: quid muſſas? Aperi mentem & animi tui ſententiam de me.

Non adeò, inquis, &c.] Non adeò fertilis & opimus eſt fundus tuus, ut hæreditatis tuæ avidus ſim, & vetare velim quin prorsùs in largitiones effundas. Vel, non ita dives es ut his ſufficere poſſis. Alii ſenſum ſeparant hoc modo: non adeò tuæ largitioni adverſor; ſuppetit enim, haud procul, mihi ſatis fœcundus ager quo ego contentus ſum, inquit hæres. Sunt qui verbum juris hîc accipiant, hoc ſenſu:

Digitized by Google

prope eſt ager ſine oſſibus. Perge, ſi nulla nunc mihi reſidua è patris ſororibus, ſi nulla patrui filia, nulla filia neptis ſuperſtes ſit: ſi patrui matris ſoror vitam egit ſine prole, & de avia nihil reſtat: vade ad *Bovillas & ad Virbii declive.* Ille *Manius ultro erit mihi hæres.* Scilicet *Terræ filius? Interroga me quiſnam mihi fuit quartus*

Exoſſatus ager juxta eſt. Age, ſi mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet; patrui ſterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum ſupereſt: accedo Bovillas
Clivumque ad Virbî. Præſtò eſt mihi Manius hæres. 56
Progenies Terræ? Quære ex me, quis mihi quartus

ANNOTATIONES.

non adeo, neque adire volo hæreditatem tuam. Quo deſignari volunt extraneum eſſe illum Perſii hæredem, non autem neceſſarium & ſuum, ex Inſtituit. Juſtin. lib. 2. tit. 19. Docta quidem & ſubtilis interpretatio, verùm magniſne genuina? Mihi prior ſententia præferatur.

52 *Exoſſatus ager.*] Duplici & contrario ſenſu poteſt accipi, vel exhauſtus & jam ſine ſucco & bonitate: Ita paſſim apud Plautum *exoſſare* ponitur pro enervare, comminuere, debilitare. Vel *ager exoſſatus*, idem eſt ac lapidibus expurgatus, adeòque opimus & benè cultus. Ovid. Metamorphoſ. 1.

— Lapides in corpore terræ
Oſſa reor dici.

Juxtà eſt.] Prope urbem in ſuburbano loco ſitus, & hinc pluris æſtimandus.

Age, ſi mihi nulla.] Verba Perſii ad hæredem illum irritatum verbis, & quaſi jam excandeſcentem. Age, inquit, detrecta, & ne adi hæreditatem: Ego certè non reformidem genus illud infamiæ apud Romanos timeri ſolitum, carere ſcilicet hæredibus, qui funus curent, &c. Quòd ſi aliunde non ſuppetant, en præſto eſt Manius hæres; & hic mihi ſufficit.

53 *Jam reliqua ex amitis.*] *Amita* eſt patris ſoror, quaſi patri meo plus amata, inquiunt: ſolent enim ſorores præ fratribus diligi, ſive id ſexus facit, ſive perſonarum diſſimilitudo, quæ minus habet æmulationis & invidiæ.

Patruelis.] *Patrueles* dicuntur è duobus fratribus editi, conſobrini verò qui è duabus ſororibus.

Proneptis.] Eſt nepotis aut neptis filia.

54 *Patrui.*] *Patruus* eſt patris frater: ſicut avunculus frater matris. Porrò notat Caſaubonus in multis vetuſtis codicibus jungi vocem hanc cum ſequentibus, ut patrui matertera ſterilis fuiſſe intelligatur, bono ſenſu quidem, ſic enim etiam remotiſſima cognatio deeſſe ſignificabitur.

Matertera.] Soror matris, quaſi mater altera: *ſterilis*, ſtirpe ac filiis carens.

55 *Deque avia nihilum ſupereſt.*] Si denique aviæ nulla ſtirps, poſteri nulli vivant, adeoque nemo certus mihi propinquus adſit, qui capeſſat hæreditatem, ſcis quid faciam? Obvium quemque hæredem inſtituam, quamvis non aliâ ratione mihi cognatus ſit, quàm quòd è terra uterque progeniti factique ſumus. *Avia* mater eſt patris aut matris.

Bovillas.] Vicus eſt in Appia via ad undecimum ab urbe lapidem, prope quem interfectus à Milone Clodius, cùm rediret ab Aricia non hinc procul ſita, ut ſcribit Aſcon. Pæd. Porrò *Bovilla* quaſi villa bovis dicitur, *eo quòd olim in Albano monte ab ara fugiens taurus jam conſecratus, ibi comprehenſus eſt.* Vetus Schol. Sedes erat frequens mendicis, quia tritum iter.

6 *Clivumque ad Virbi.*] Collis ille quatuor millibus ab urbe diſtans nomen accepit ab Hippolyto, qui ibi colebatur ſub nomine Virbii, ex quo bis vir & bis vivus fuit, id eſt, à Diana revocatus ad vitam, poſtquam diſcerptus fuiſſet, ut notum eſt cuilibet ex Æneid. 7. Ovid. Faſt. 3. & 6. Metamorph. 15. Fab. 45.

Manius.] Ignobilis quilibet & ignotus, mendicus quiſpiam Aricinus, ſimilis Manio illi, qui (ut ait Feſtus) Dianæ agrum & lucum conſecravit. Tritum Romæ Proverbium erat, *Multi Manii Aricia*; quia deinde plures ab illo oriundi illic virtute claruerunt. Quòd autem pauperes & mendici adeſſent in ea regione frequentes, patet ex Juvenale Sat. 4. v. 117.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes;

Et Martial. Lib. 12. Epigram. 32.

Irus tuorum temporum ſequebaris;
Migrare clivum crederes Aricinum.

5 *Progenies Terræ?*] Reſpondet Perſio hæres ille, de quo paulò ſuprà: ſcilicet hæredem inſtitues Terræ filium, *Gigantum fraterculum*, ut ait Juvenalis, Sat. 4. v. 98. hominem ignobilem; ſpurium, cujus ignorantur parentes & proſapia, &c.

Quære ex me, quis, &c.] Quidni? inquit Perſius. Tam Manius erit mihi hæres & propinquus, quàm quipiam remotâ cognatione affinis, de quo perinde dubitare fas mihi ſit, ac de Manio, qui, ut cæteri, mecum ab una origine procreatus, ut dixi, nempè à Terra communi omnium parente, ſaltem eâ ratione conjunctus eſt.

Quis mihi quartus ſit pater.] Quis abavus meus.

Sit

Digitized by Google

Sit pater, haud promptè, dicam tamen. Adde etiam unum,
Unum etiam: Terræ eſt jam filius: & mihi ritu
Manius hic generis propè major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?
Sum tibi Mercurius: venio Deus huc ego, ut ille
Pingitur; an renuis? Vin' tu gaudere relictis?

parens, non facilè dicam, at nihilominus proferam. Adjice vel unicum, imò unicum; ſum eſt Terræ progenies: & Manius ille prodit ferè mihi major avunculus ordine ſtirpis. Tu verò qui anterior es, quare petis a me facem in curſu? Sum tibi velut Mercurius. Ego tibi Deus accedo iſthuc, ſicut ille depingitur. An recuſas? Viſne tu frui iis quæ relinquo?

ANNOTATIONES.

58 *Haud promptè, dicam tamen.*] Non facilè quidem & promptum indicare abavum meum; id tamen fortaſſe præſtare potero.

Adde etiam unum, &c.] Quòd ſi ulteriùs repetas, ac vel unum ſuperiùs, & retrò cognationis gradum ſcruteris, & poſcas quis atavus mihi fuerit, jam hærebo: erit enim is mihi tam ignotus, quàm iſte, quem *Terræ progeniem* appellaſti.

59 *Terræ eſt jam filius.*] Ex Empedoclis ſententia & aliorum quorundam veterum Philoſophorum qui natos è Terra primos homines cenſuere, cùm alii ex aqua factos, ſicut & alia univerſa, opinarentur. Huc etiam facit quòd hominem ab humo veteres dixere. Porrò quod per *Terræ filium* homo nihili ſignificetur, & obſcurus, patet ex Tullio ad Atticum ita ſcribente: *Huic Terræ filio committere epiſtolam tantis de rebus non audeo.* Tertul. in Apologet. *Dictus Saturnus Terræ Cœlique filius, quia ignoti, vel ex inopinato apparentes de cœlo ſupervenire dicuntur; ſicut Terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum eſt; gigantesque hàc ratione terræ filii appellantur.* Vide Cœl. Rhodig. Lib. 20. cap. 28.

60 *Major avunculus exit.*] Manius ipſe videri poſſit cognatus, & in ſtemmate major avunculus ſcribi; ſiquidem alius nemo prodit & præſtò eſt, qui gradum hunc & locum inter majores meos, & in ordine ſtirpis & cognationis meæ, jure potiori ſibi queat vindicare. *Major avunculus* eſt avi vel aviæ frater: aut etiam avi aviæque avunculus, ut placet Feſto.

61 *Qui prior es.*] Tu verò, ô legitime hæres, cum ſenior me ſis & natu major, cur à me hæreditatem ſperas, qui ſum junior & in curſu vitæ poſterior? Vel, tu qui Manio potior mihi es, & vere cognatus, cùr dum vivo hæreditati meæ inhias ante legitimum tempus, ſcilicet ante abſolutum vitæ ſtadium? Certe curſor non petit lampadem ab alio ante decurſum: nunquam verò in ipſo curſu, nec prior à poſteriore, ſed contrà.

Cur me in decurſu lampada poſcas?] Allegorica locutio deſumpta à λαμπαδηδρομία. Nempe, ut ait Suidas, Lampadis tria feſta ſunt apud Athenienſes, Panathenæa, Vulcanalia, Promethea. De Promethei Sacris hîc mentio eſt, in quibus juvenes accenſas tædas geſtantes decurrebant, certabantque, quis ad ſcopum primus perveniret non extinctâ face. Primus defatigatus proximo, is poſteà defeſſus alteri, & deinceps alius alii tradebat ardentem facem, donec metam pertingerent. Et quidem ara Promethei in Academia fuit, à qua ad urbem curſus erat cum accenſis ejuſmodi facibus. Vide Alex. ab Alex. Lib. 5. cap. 8. Hujus conſuetudinis meminerunt Varro Lib. 3. cap. 16. de Re Ruſtica, ubi ait: *Nunc uſu lampada tibi trado*; id eſt, tibi dicendi vices trado. Cicero ad Herenn. 4. *Non enim, quemadmodum in palæſtra, qui tædas ardentes accipit celerior eſt in curſu continuo, quam ille qui tradit: Ita melior Imperator novus qui accipit exercitum, quam ille qui decedit: propterea quòd defatigatus curſor dat integro facem; at hic peritus Imperator imperito exercitum.*

Et ante illos Lucretius Lib. 2. v. 77.

Inque brevi ſpatio mutantur ſæc'la animantum,
Et quaſi curſores vitaï lampada tradunt.

62 *Sum tibi Mercurius.*] Ne me ut propinquum, te ut hæredem certum, meam hæreditatem quaſi tuam tibique jure debitam jam nunc intuere; ſed potiùs finge tibi me eſſe velut Mercurium, qui tibi ἑρμαῖον, inſperatum & fortuitum theſaurum & lucrum annuntio, indico, oſtendo captandum.

Venio Deus huc ego.] Inopinati & indebiti lucri Deus, ut diximus Sat. 2. v. 1. ad verba hæc, *Dextro Hercule.*

Ut ille pingitur.] Mercurius pingebatur manu tenens crumenam pecuniâ gravidam & turgentem. Suidas, Macrobius.

63 *An renuis?*] An non vis bona mea velut gratis data & adventitia?

Horat. Lib. 2. Sat. 3.

—— —— —— Excors
Rejectâ prædâ, quam præſens Mercurius fert.

Vin' tu gaudere?] Viſne potiri hæreditate meâ, poſt mortem meam, quantula fuerit illa?

Deeſt

Digitized by Google

Deeſt aliquid ſummæ: minui mihi; ſed tibi totum eſt,
Quicquid id eſt. Ubi ſit fuge quærere, quod mihi quondam
Legârat Tadius, neu dicta repone paterna:
Fœnoris accedat merces; hinc exime ſumptus.
Quid reliquum eſt? Reliquum? Nunc nunc impenſiùs unge,
Unge, puer, caules. Mihi feſtâ luce coquatur
Urtica, & fiſsâ fumoſum ſinciput aure,

At enim ſumma nonnihil detractum eſt. Nempe detraxi mihi. Tibi verò quodcumque illud eſt, integrum eſt. Cave ſciſcitavi ubinam ſit id *quod olim Tadius* teſtamento *reliquerat mihi: neve* mihi *repete monita patrum; addatur uſura lucrum; inde* tuas *impenſas deſume: ecquid reſiduum eſt? Reſiduum* quæris? O *famule, jam jam perfunde braſſicas, perfunde copioſius.* Scilicet, *die feſto mihi coquatur urtica & pars anterior capitis* porcini *fumo perfuſi, auriculâ perforatâ,*

ANNOTATIONES.

64 *Deeſt aliquid ſumma.*] Fortaſſe dices partem ejus aliquam à me abſumptam fuiſſe. At ego tibi reſpondeo, *minui mihi*; & quicquid detraxero tandem, id mihi non tibi detractum; & ſi quid perit, perit mihi cujus totum eſt; ex regula Juris.

Sed tibi totum eſt, quicquid id eſt.] Quandoquidem ex Legibus & Jure, tuum nihil eſt aut eſſe poteſt quandiu vivo, quodcunque ego moriens reliquero, hoc tibi totum erit atque integrum.

65 *Ubi ſit fuge quærere,* &c.] Porrò ne repoſcas à me rationem bonorum quæ olim habui, quæque aliquis mihi teſtamento legârit: nam malè tibi verteret.

66 *Tadius.*] E majoribus quiſpiam, vel quilibet alius Teſtator. Metonymia. Quidam codices habent, *Statius,* alii *Stadius.*

Neu dicta repone paterna.] Neque mihi ingere & objice monita liberis ſolita dari à patribus avaris: de quibus Horat. Lib. 1. Epiſt. 1.

——— *Quærenda pecunia primum eſt:*
Virtus poſt nummos: hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet; hæc recinunt juvenes dictata, ſeneſq;
Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto.

Et Juvenalis fusè. Sat. 14.

——— *Juvenes hortatur* ———
——— *Cogit minimas ediſcere ſordes, &c.*

Paterna.] Benè monet Caſaubonus de ſuo patre non loqui Perſium, qui puer ſexennis amiſerat patrem Flaccum, cujus & famæ nec detrahere debeat nec velit bonus filius.

67 *Fœnoris accedat merces.*] Aut paternum eſt monitum: exerce fœnus; ne otioſam & infructuoſam ſine pecuniam tuam; quæſtum fac, datis ad uſuram nummis; atque pro mutuo mercedem cape: aut verba ſunt hæredis cum Perſio rationem ineuntis, ut mox explicabimus.

Hinc exime ſumptus.] Fortaſſe & monitum eſt paternum: ne quid detrahe ſorti capitali bonorum, ſed potiùs è fœnore & uſuris habe & deſume neceſſarios alendæ familiæ ſumptus. Vel hæredis verba ſunt, & ſenſus erit: computemus & quanta ſive è patrimonio, ſeu è legatis Tadii nactus es, ô Perſi; his addantur & accedant uſuræ: jam inde legitimas impenſas tuas eximamus. Demùm videamus quid ſit reſidui ex his omnibus, quidque mihi ſit obventurum.

68 *Quid reliquum eſt?*] Quid jam ſupereſt e tot facultatibus, quas poſſediſti?

Reliquum?] Cum indignatione reſpondet Perſius; itane verò mecum inis rationem, quaſi cum diſpenſatore herus. Scilicet poſſeſſa computas, ſumptus excutis, reliquum quid, & ubi ſit, poſtulas? Age hæres, deinceps curam hanc eximam tibi.

Nunc nunc impenſiùs urge, &c.] O famule, lautiorem in dies menſam inſtrue; conſumantur bona mea univerſa, ut indignis hæredibus nihil reliquum ſit.

Unge, puer, caules.] Horat. lib. 2. Sat. 3,

Ungere ſi caules oleo meliore caputque
Cœperit.

Porrò *caules* poſuit pro quolibet edulio, poſt Horatium.

Mihi feſtâ luce coquatur, &c.] Non ita ſum fatuus ut genium defraudare velim ad locupletandos hæredes, & damno meo lautitias illis ſuppeditare, parcus ob hæredis curam, ut ait Horat. Lib. 1. Epiſt. 5.

Et Juvenal. Sat. 14. v. 136.

——— *Cum ſit manifeſta phreneſis,*
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.

Feſtâ luce.] In die feſto, quo vel parciſſimi & pauperrimi genio indulgent, & lautiùs victitant: ego oluſcula comedam? Abſit.

70 *Urtica.*] Herba vilis & nota, ab urendo vel ulcerando dicta; habet enim folia mordacia, ut Plin. Lib. 16. cap. 24.

Catull. Carm. 45. ad fundum ſuum.

Et me recuravi ocimoque & urticâ.

Et fiſſa fumoſum, &c.] Caput porcinum aure perforatâ ſuſpenſum in camino ad fumum. Di-

Ut-

Jt tuus iſte nepos olim ſatur anſeris extis,
Cùm moroſa vago ſingultiet inguine vena,
Patritiæ immeiat vulvæ ? Mihi trama figuræ
Sit reliqua : aſt illi tremat omento popa venter ? 74
Vende animam lucro: mercare ; atq; excute ſolers
Omne latus mundi, ne ſit præſtantior alter
Cappadocas rigidâ pingues plauſiſſe cataſtâ.

ut nepos ille tuus aliquando viſceribus anſerinis ſatietur ? * * * * * * * * * *** *Mihine reſidua erit trama figuræ, illi verò obeſus venter palpitet præ pinguedine ? Venunda vitam pro quæſtu, mercaturam exerce, & diligens perluſtra omnes orbis partes, nec ſit alius peritior applauſiſſe corpulentos Cappadocas in duro pegmate.*

ANNOTATIONES.

nidiata porcellorum capita lautiori menſæ appoſita refert Athen. Lib. 9. cap. 8. *Fumoſum*, el ut ſervetur diutius, aut etiam ut ſaporem ontrahat acutiorem. Legunt quidam, *ſpumeum*; ſed male.

Sinciput.] Pars prior capitis, ubi cerebrum : onitur hîc pro vili & plebeio edulio, ut patet : uod tamen lautæ fuiſſe gulæ affirmat Plinius, t probat Athenæus loco mox citato.

71. *Ut tuus iſte nepos*, &c.] Ut ditatus quiſiam è tuis poſteris, ô hæres, aliquando epuletur.

Nepos.] Sarcaſmus ex ambiguâ ſignificatione ocis, quæ & deſignat ſæpè hominem voracem c luxurioſum.

Anſeris extis.] Romanis erat in deliciis anerinum jecur, quod quidem fartilibus, ut ait lin. Lib. 10. cap. 22. id eſt, faginatis lacte, nulſo, ficu, caricâ, in tantam amplitudinem reſcit, ut anſerem ipſum adæquet magnitudine. Indè Martial. Lib. 13. Epigram. 58.

Aſpice quàm tumeat magno jecur anſere majus;
Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi ?

Iorat. Lib. 2. Sat. 8.

Pinguibus & ficis paſtum jecur anſeris albi.

uvenal. Sat. 5. v. 113.

Anſeris ante ipſum magni jecur.

Meminit & fuſe Athenæus Lib. 9. c. 8.

73 *Mihi trama figuræ ſit reliqua.*] An deniue me macerem, ut pingueſcat hæres? Abſit.

Trama.] Incertum eſt intelligatne ſubtegmen, uod tenuis eſt, & opponat *ventri popæ*, quod ult Turneb. Lib. 30. cap. 7. an ſtamen pani, quod filo conſtat craſſiore & magis retorto, t diſerte ait Caſaubonus : *Trama* etiam ponitur pro veſte detrita, cujus villi amiſſi ſunt : netaphoricè eſt homo valdè macer, cui ſolùm oſſa reſtant, & per cujus coſtas aër quaſi tranſneat ; ex Varrone 4. de Ling. Lat. Vel cujus oſſa, venæ, nervi ſic apparent, ut in detrito panno *trama*. Undè eleganter Prudentius contra Manich. *Nervorum texturam appellat.*

74 *Aſt illi tremat.*] Hæredi autem diſtentus venter & obeſus ſubſiliat.

Omento.] Propriè eſt panniculus inteſtina ampiens & contegens, ut dixi Sat. 2. hîc ponitur pro adipe, & pingui.

Popa.] Venter guloſus, lurco, popino, vel fartus popis ſeu popanis, id eſt, delicatioribus eſcis. Nam popa eſt placenta. Eſt etiam aliquando victimarius, id eſt, Sacerdotis miniſter ad mactandas victimas.

75 *Vende animam lucro.*] Concludit Perſius, ergo poſt hæc omnia quæ dixi adversùs avaritiæ ſordes, ſi tamen lubet, huic lita, & vitæ etiam periculo divitias congere, per fas etiam & nefas.

Mercare.] Longinquas mercaturæ causâ per mare, per terras peregrinationes inſtitue, ut dictum Sat. 5. 135. & ſequentibus. Ibid. v. 137.

Verte aliquid, jura, &c.

Excute ſolers omne latus mundi.] Peragra totum orbem, omnes orbis angulos ſcrutare, ut merces novas & aliis irrepertas compares & huc advehas ; & ſic diteſcas brevi. *Solers*, quaſi ſolus in arte præſtans & callidus.

76 *Ne ſit præſtantior alter*, &c.] Nec ſit quiſpiam te peritior exercendi mangonii, id eſt, coëmendi mancipia, & bene curata saginataque carius vendendi.

77 *Cappadocas pingues.*] Vetus Scholiaſtes explicat de gladiatoribus ; ſed cùm ipſo textu reclamant & refragantur viri doctiſſimi, & venalitios è Cappadocia ſervos intelligunt, robuſtos quidem & grandes. Cic. poſt reditum in Senatu. *Cappadocem modò abreptum de grege venalium diceres.*

Horat. Lib. 1. Epiſt. 6.

Mancipiis locuples eget æris Cappadocum Rex.

Porrò Cappadocia eſt Aſiæ minoris regio, cujus populi id peculiare habuerunt, quòd ſervitutem libertati prætertulerint. Nam à Romanis libertatem deprecati, illis permittentibus, Ariobarzanem Regem elegerunt. Vide Alex. ab Alex. Lib. 2. cap. 27.

